Universidad de Deusto
Biblioteca

CNO
Locus

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1 3
Estante
Plúteo 4

T 184

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

LOCORVM

THEOLOGI-CORVM LIBRI DVODECIM.

In quibus non modò vera refellendi vniuersos Christianę Religionis hostes, confirmandique sacra dogmata ratio, ac vsus exactè ostenditur, verùm etiam omnia ferè, quæ hodiè in controuersiam habentur, luculentissimè examinantur.

AVTHORE

Reuerendiß. D.D. MELCHIORE CANO, *Episcopo Canariensi, ordinis Prædicatorum, Primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim Præfecto.*

Cum duplici Indice, quorum vnus sententias, alter verò auctoritates sacræ Scripturæ in opere passim expositas, complectitur.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
ANNO M. D. LXXIIII.

Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca
COLLEGII
DOMINICI

CENSVRA
FRATRIS RODERICI VADILAEI BENEDICTINI S. C. MAIESTATIS A SACRIS CONCIONIbus, in lib. De Locis Theologicis admodum R. Patris Fratris Melchioris Cani, Sancti Dominici monachi, Episcopi Canariensis.

BIBLIOTECA

DE MANDATO *Regij senatus opus, cui titulus est, De locis Theologicis admodū R. magistri fratris Melchioris Cani, ordinis sancti Dominici Monachi, olim Canariensis Episcopi, inspiciendū ac excutiendū accepi: laborem sanè viribus ingenij mei longè disparem sentiens, non sum auersatus: tum ob tanti Senatus dignitatem, cuius obsistere imperio citra grauissimi crīminis notam, haud licebat, tum ob eiusdem operis magnam toti ecclesiæ vtilitatem futurā: adde quòd eiusdem authoris elucubrationes, hanc præsertim, perlegendi magno tenebar desiderio. Itaque legi, euolui, perlegi præsens opus. Sed quid potissimùm in tanto quidem opere laudem, vix dicere queo. Nam si dictionis castitatem, elegantiā quæras, eam certè reperies, quæ cum Ciceroniana conferri possit. Si verò rerum gestarum historiam, rationemq; tractandæ historiæ requiras, Sallustio historico satis laudato, si non superiorem, inferiorem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

riorem profectò non inuenies. Si autem Philosophiæ subtilem accuratamqúe rationem percupias, hîc compẽdio omnem Platonicæ, Aristotelicæqúe disciplinæ rationem cumulatissimè contemplari licebit. Si verò Theologiæ scholasticæ capiaris argumento, post diuũ Thomam (quem semper excipiendum duxi) nullo ex multis, qui de hac familia doctè ac disertè scripserunt, inferiorem iudicare licebit, ita vt verè illius non satis laudati Magistri fratris Francisci à Victoria discipulum eximium agnoscere possis: cui omnes suos is author (quæ non eius prudentiæ, eruditionis, modestiæ, ac humilitatis laus minima existimanda est) progressus in re Theologica refert acceptos. Porrò si iuris Pontificij (cui author non contẽnandam dedit operam) affectes peritiam, ex huius Monachi laboribus compendiariam tractandi eiusdem Iuris rationem petere licebit. Iam verò si sacrarum profunda literarum mysteria persentire, ac peruestigare cures, nullo post illos magnos sanctæ Ecclesiæ doctores magistro plenius ac clarius disces. Quid dicam de eo, quo aduersus omnes hæreticos zelo accendebatur? quos sanè ceu venaticus procul odorabatur canis, persequebaturqúe, magni illius Athanasii incorruptos ac catholicos referẽs mores, ac fortè labores: quos omnes præ catholicæ veritatis amore instar magni patriarchæ Iacobi facilè perpetiebatur. Cæterùm tanti authoris vtilitatem, doctrinam, omniumqúe disciplinarum tractandarum rationem, Christiane lector, Illustrissimo, ac Reuerendissimo Archiepiscopo Hispalensi Ferdinando Valdesio, supremo rerum fidei cognitori (quem huius præclari operis hæredem reliquit) acceptam referto, qui summo curauit studio, vt præsens opus in lucem omnium vtilitati profuturum ederetur. Nec minor, studiose lector, Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino Casparo de Cuniga, Archiepiscopo Compostellano, summo S. C. M. Capellano gratia debetur, qui pro ea necessitudine, qua authori deuinctus erat, summoperè studuit, vt quàm breui tam insigne opus in lucem ederetur. Quapropter opus tam elegans, eruditum, omniumqúe disciplinarum genere refertissimum (vt prætermittam valde catholicum, hisqúe calamitosis temporibus apprimè vtile, immò dicam necessarium) excudendum, non solùm magna cum laude totius sanctissimi patris Dominici ordinis, sed etiam totius Hispaniæ, immò Ecclesiæ catholicæ oppido duximus. Madriti 15. die mensis Augusti, Anni dominici M. D. LXII.

Rodericus Vadillus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRATRIS

MELCHIORIS CANI

ORDINIS PRAEDICATORVM,

ET SACRAE THEOLOGIAE

PROFESSORIS,

EPISCOPIQVE CANARIENSIS

AC PRIMARIAE CATHEDRAE

IN ACADEMIA SALMANticensi olim Præfecti,

DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRI DVODECIM.

In libros de locis Theologicis Proœmium.

SAEPE mecum cogitaui, Lector optime, bónine plus is attulerit hominibus, qui multarũ rerum copiam in disciplinas inuexit, an qui rationẽ parauit & viam, qua disciplinę ipsæ facilius & cõmodius ordine traderẽtur. Nã & rerũ inuentoribus nos debere multum, negare nõ possumus: & debem⁹ certè ijs multũ, q ratione atq; arte res inuentas ad communẽ vsum accõmodarunt. Equidem cùm veterum eruditionem consi-

considero, & variam in eis doctrinæ suppellectilem animo colligo, non minimam video per eos inuectam esse partem commodorum. Cùm autem iunioris scholæ operam & curam repetere instituo, plurimas vtilitates intelligo nouæ huius artis subsidio & diligentia comparatas. Ac me sanè diu cogitantem ratio ipsa in hãc potissimũ sententiã ducit, vt existimem vtrosque de bonis artibus iuxtà esse benè meritos. Quoniam etsi prisci doctrinarum auctores doctissimis quibusque, ac diligentissimis magnam diuitiarum copiam suppeditauère: at recentiorum inopia docendi facilitate pensatur: qua in rudium & inertium animos artificiosius influunt, & quæ fusè olim disputabantur ac liberè, ea nunc articulatim presséque dicentes, lucem non paruam inuentis priscorum obscurioribus afferant. Atque hac vna in re, quantũ animi mei coniectura colligere possum, iuniores vel pares antiquis, vel etiã superiores, reperientur cæteris omnib. lõgè inferiores. Certè post priores illos, in rerũ inuẽtione tribuere sibi posteriores vix quicq̃ possũt. Ordinẽ verò, dispositionem, perspicuitatem, sibi si assumunt, videntur ea iure suo quodammodo vendicare. Quapropter vtrisque legendis efficiet Theologus scholasti-

cam disputationem sine dubio pleniorem. Nam ex illis quasi materiam, ex his tanquam formã differendi mutuatus, potens nimirum erit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Quod est (vt Apostolus PAVLVS ad Titum ait) Christiani Tit. 1 doctoris præcipuum institutum. Cuius explicandi desiderium omninò me mouit, vt de Locis Theologicis disputationem instituerem, viris doctis (nisi me opinio fallit) non prorsus ineptam, indoctis verò magnoperè necessariam. Id autem eò libentius feci, quòd nemo Theologorũ adhuc, quod equidem sciam, genus hoc argumenti tractandum sumpsit: cùm præter communem illam artem differendi, quam à Dialecticis accepimus, aliam Theologus habeat necesse sit, aliosque item ad disputandum locos, vndè argumenta non quasi communia & aliena', sed tanquam propria ducat, & suis dogmatis confirmandis, & aduersariorum sententijs refellendis. Hoc verò opus, arduum quidẽ illud, statim exordior, si prius animo demisso atque humili ad opem IESV CHRISTI supplex abiectusque confugio. Non enim ego illud aut ingenio, aut eruditione mea fretus aggredior, sed spiritus sancti auxilio atque fauore. Quem si pater & filius

& filius mihi ad hunc librum conficiendum impertierint, operæpretium haud mediocre, vt spero, Theologis facturus sum: in quorum gratiam vel maximè opusculum editur.

QVOD EA FIDES, SEV EA SCRIPTVRARVM INTERpretatio sola vera sit, quæ à Patribus nostris tradita est.

BASILIVS IN EPIST. AD ANTIOchenam Ecclesiam.

Πίστιν δὲ ἡμεῖς οὔτε παρ' ἄλλου γραφομένην ἡμῖν νεωτέραν παραδεχόμεθα, οὔτε αὐτοὶ τὰ ἡμετέρας διανοίας γεννήματα παραδιδόναι τολμῶμεν, ἵνα μὴ ἀνθρώπινα λογίζωνται τὰ τῆς εὐσεβείας ῥήματα. ἀλλ' ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατρῶν δεδιδάγμαθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαγγέλλομεν.

Hoc est:

Fidem verò nos neque ab alijs scriptam nobis recentiorem suscipimus, neq; ipsi mentis nostræ germina tradere ademuus, ne humana cõmenta existimentur esse verba religionis. Sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE LOCIS THEOLOGICIS LIBER PRIMVS.

CAPVT. I.

De totius operis partitione.

DE locis ego Theologicis perpetuam orationem habiturus, totam mox in quatuordecim libros partiri constitui. Quorum primus breuiter enumeret locos, è quibus idonea possit argumenta depromere, siue conclusiones suas Theologus probare cupit, seu refutare contrarias. Decem reliqui erunt, qui fusius & accuratius doceāt, quam vim vnusquisq; locorum contineat, hoc est, vnde argumenta certa, vnde verò probabilia solùm eruantur. In duodecimo & tertiodecimo disseretur, quem vsum eiusmodi loci habent, tum in scholastica pugna, tum in sacrarū literarum expositione. Nam in concione populari quis eorū sit vsus, haud sanè difficile dictu est: sed prætereundum tamen, ne ab scholę instituto aliena videatur oratio. Postremus denique liber, quoniam non omnes loci omni disputationi conueniunt, sigillatim ostendet, quibusnā argumentis propriè aduersum hæreticos, quibus peculiariter aduersum & Iudæos & Saracenos, quibus verò tandē aduersum Paganos transigēda Theologo disputatio sit, si quando sit cum his pro fide catholica decertā-dum. Quę scilicet cùm, fauente Deo, plenius absoluero, vndiq; apta atq; perfecta erit de locis Theologiæ disputatio mea, expletaq; omnibus suis numeris & partibus.

CAPVT II.

De duobus generibus argumentorum, quibus omnis disputatio transigitur.

PRius aūt, quàm locos Theologicos numero, quod pars huius disputatiōis prima pollicetur, illud nobis constituendum est, argumentum, vel à ratione, vel ab auctoritate duci. His enim duobus modis cuiusq; rei, quæ in controuersiam venit, assensionem facimus. Cùm verò in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, at Theologia tamen vna est, in qua non tam rationis in disputando, quàm auctoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locū ab auctoritate adeò sibi proprium vendicauit, vt rationes vel tanquam hospites & peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium asciscat, quasi longè repetitas. Quippè fides potissimum innititur: quæ nisi ab auctoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est nanque fides (vt Apostolus tradit) argumentum rerum nō apparentium, quas si certas certa velis ratione facere, cum ratione profectò insanies. Principem itaque locum, sicut apud fideles, ita apud Theologos auctoritas habet. Ratio deinde veluti pedissequa sequitur. Id quod Apostolus videtur significare, cùm ait, Oportere ecclesiæ doctorem amplecti eum, qui secūdum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Primū enim stringat fidei sermonem necesse est, quicunque Christianæ scholæ magister esse volet: sed nisi mox doctrinæ rationem adhibeat, fidelis quidem esse poterit, sed fidelium doctor esse non poterit. Nam & homines quamlibet experientes, quod ex Aristotele rectè colligit diuus Thomas, disputare cum aduersariis non queunt, nisi experimento ratio artis accesserit. Vtraque igitur Theologo necessaria est, & auctoritas, & ratio. Sed ita tamen, vt auctoritas primas in Theologia partes obtineat, ratio verò habeat postremas. Quòd ergo primæ partis fundamentum erat, præclarè illud iactum est. Nam traditi sunt quidem, è quibus argumenta ducuntur, duplices loci, vni ex auctoritate, alteri ex ratione, sed omnia fermè argumenta Theologica à priore illo fonte deriuantur.

Quam rem, sicut & locorum numerum atq; ordinem, index qui sequitur, ostendet.

Heb. 11.

Tit. 1.

1. *Meta.*

CA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE LOCIS THEOLOGICIS.

CAPVT PRIMVM.

De locorum Theologicorum numero atque ordine.

QVod à Platone prius & Aristotele traditũ præcipit Cicero, Omnem institutionẽ, quæ de re quacũque suscipitur, debere à definitione ꝓficisci, vt intelligatur, qd sit id, de quo disseritur; hoc mihi in disputatione, quę de locis Theologicis futura est, nõ erat certè negligẽdũ, vt quid esset locus Theologicus, ante omnia explicaretur, nisi ex ijs, quę diximus, ita esset in promptu, vt res explicatione non egeret. Non enim in hoc opere de locis communibus, qui de vniuersa re tractari solent, seu de capitibus rerum illustrium, quæ nunc etiam communes appellantur loci, vt de iustificatione, de gratia, de peccato, de fide, deq; alijs huius generis, nos disputaturos pollicebamur, id quod è nostris fecere plurimi, è Lutheranis non modò Philippus, sed Caluinus etiam fecit, homines non parũ eloquentes, impij tamen, vt Lutheri discipulos possis agnoscere. Sed quemadmodum Arist. in Topicis proposuit communes locos, quasi argumentorum sedes & notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inueniretur; sic nos peculiares quosdam Theologiæ locos proponimus, tanquam domicilia omnium argumentorum Theologicorum, ex quibus Theologi omnes suas argumentationes, siue ad confirmandum, siue ad refellendum inueniãt. Quare cũ definitio loci Theologici ante oculos ex ijs esset, quæ in proœmio dicta sunt, non erat hic nobis accuratiùs explicanda, sed quod obscurum erat, id statim aggrediẽdum, & locorum huiusmodi certus definitusq; numerus indicandus. Locorum ergò Theologicorum elenchum denario nos quidem numero complectimur, non ignarifuturos aliquos, qui eosdem hos locos in minorem numerum redigant, alios, qui velint etiam esse maiorẽ. Sed de enumerationis figura nihil morandum est, modò nullus omninò locus vel superfluus numeretur, vel prętermittatur necessarius.

Primus igitur locus est auctoritas sacræ Scripturæ, quæ libris Canonicis continetur.

Secun-

Secundus, est auctoritas Traditionum Christi & Apostolorũm, quæ quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos peruenerunt, viuę vocis oracula rectissimè dixeris.

Tertius, est auctoritas Ecclesiæ Catholicæ.

Quartus, auctoritas Conciliorum, præsertim generalium, in quibus Ecclesiæ catholicæ auctoritas residet.

Quintus, auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ diuino priuilegio & est, & vocatur Apostolica

Sextus, est auctoritas sanctorum veterum.

Septimus, est auctoritas Theologorum scholasticorũ, quibus adiungamus etiam Iuris pontificij peritos. Nam iuris huius doctrina, quasi ex altera parte scholasticæ Theologiæ respondet.

Octauus, ratio naturalis est, quæ per omnes scientias naturali lumine inuentas latissimè patet.

Nonus, est auctoritas Philosophorum, qui naturã ducem sequuntur. In quibus sine dubio sunt Cæsarei iurisconsulti, qui veram & ipsi (vt Iureconsultus ait) Philosophiam profitentur.

Postremus deniq;, est humanę auctoritas Historiæ, siue ꝓ auctores fide dignos scriptæ, siue de gente in gentẽ traditæ, non superstitiosè atque aniliter, sed graui constantiq́ue ratione.

Sunt itaque hi loci decem, in quibus argumẽta omnia Theologica delitescunt, eo scilicet discrimine in lucem eruenda, vt quæ ex septem prioribus locis eliciantur, ꝓpria ferè sint ea huius facultatis: quæ verò ex tribus posterioribꝰ, adscriptitia sint, ac velut exalieno emẽdicata. Nam cùm sint, vt suprà dixi, duo genera argumentandi, vnum per auctoritatem, alterum per rationẽ, cumq; illud propriũ sit Theologi, hoc Philosophi, confugiendũ Theologo est ad posterius, si vti ei non licet superiori. Quanquam licet aliquando vtrũq; simul argumentãdi genus adhibere, vt suo posteà loco demõstraturi sumus. De prima igitur operis parte, quoniam, vt à principio diximus, longa oratione non egebat, hactenus dictum sit.

Libri primi finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE LOCIS

THEOLOGICIS
LIBER SECVNDVS.

In librum secundum de locis Theologicis,

PROOEMIVM.

QVanquam plures in illa esse sententia video, qui orationis splendore illustrare cogitationes suas nesciat, eum si scribat, impudenter abuti & scientia & literis: ego tamen, si Theologus non afferat eloquẽtiam, tantum abest vt asperner, vt ne flagitem quidem. Nam de rebus obscuris atque ad intelligendũ difficilibus dilucidè dicere, nec sententijs solùm argutè, sed verbis etiã ornatè, adeò est operosum & arduum, vt iniquus futurus sit, qui voluerit efflagitare. Atq; id equidem paucis adhuc video cõtigisse, vt eidẽ vtroq; in genere laborarẽt, simulq; in Theologiæ cõtroversijs sequerentur, & elegans illud dicendi, & hoc argutum disputandi genus. Nos autem quantum in vtroque profecerimus, aliorum sit iudicium, vtrunque certè sequuti sumus. Flumen enim nobis inanium verborum displicet, quibus sententia deest, nec sententiarum subtilitate capimur, si orationis est siccitas. Ac de sermonis cultu nostra legens suo quisq; iudicio liberè vtatur, nihil enim impedio: in rerum autem earum tractatione, quas his libris

bris multas & graues, & vtiles, accuratè copioseque disputaturi sumus, magnũ, vt videmus, afferem⁹ adiumentũ Theologis nostris, vt non modò rudes, sed etiã docti aliquantũ fortasse adepturi sint, & ad disserẽdum, & ad iudicandum. Nec verò hoc arroganter dictum existimari velim, nam eloquendi scientiam concedens multis, quod est scholæ proprium, strictim pressèq; disserere, et quasi ad viuum omnia resecare, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, non sum (ni fallor) arrogans, si id iure quodam meo vendicarim. Nec vsque adeò ineptus ego sum, vt nõ verear me in rebus quoque ipsis sæpè etiam hallucinatum. Sed aliud est, nunquam falsum sentire, quod mihi non tribui; aliud, res tum grauissimas, tũ difficilimas via & ratione premere, quod vtique assumpsi iure, vt mihi videor, at falli possum, condonetur iniuria. Etenim quæ dixi, eò pertinent omnia, non vt rerum mihi sciẽtiam arrogem, quid enim à viro modesto alienius esse potest? sed vt nemo politioris literaturę cãdidat⁹ in scholastica disputatione orationem à me tersam postulet, nedum rhetorum phaleris adornatam. Scholam enim ego placare volo, scholæ propria verba, peculiaresq; loquendi formas submouere nõ audeo. Nam etsi disputare cupio ornatiùs, quàm solent nostri, at non debeo tamen labores duos afferre Theologis, vnum in rerum, alterum in verborum intelligentia. Breuiter lectorib. ego meæ mẽtis

tis fateor arcanum, qui per me formam in Theologia disserendi habiturus est, nolo vt is mea scripta difficulter intelligat, & ad Theologum cognoscendum, Grammaticum quærat interpretem. Sed de his satis. Iam enim tempus est, vt ea persequamur, quæ sunt deinceps explicanda. Quæ quidem vt magnum negotium nobis, ita quoque prolixam disputationem exhibebunt. Sed prolixitas vtilitate pensabitur. Nihil autem vtilius scholæ Theologorum tradi potest, quàm vt discant, quisnam locus argumenta firma, & quis contrà infirma subministret.

Qua re vel maximè Theologię nerui atque artus pressi solidique consistunt.

CAP.

CAP. I.

De sacrarum literarum solidissimo firmamento, & quatuor machinis, quibus illud impetitur.

AC primus quidem locus sine controuersia firmus est diuina, eademq; grauissima auctoritate. Nam libros sacros & Canonicos appellamus, quos spiritu sancto dictante sacri auctores excepe-runt. Quos igitur tales esse constiterit, eos dubio procul certissimos ac verissimos esse credemus. Quemadmodũ Augustinus li. de Ciuitate Dei. 11. ca. 3. & lib. confessi. cap. 15. & epist. 7. ad Marcellinũ. & epist. 19. ad Hieronym. & lib. 1. de doct. Chri. cap. 37. & lib. 2. de baptis. cont. Donat. cap. 3. & in proœmio 3. libr. de Trinita. docet, resumit, inculcat. Ac rectè ille quidem. Nisi enim fundamentum hoc fideliter ieceris, quicquid in Theologia superstruxeris, corruet. Corruetque adeò ciuitas illa Dei, cuius fundamenta in montibus sanctis, & in scripturis principum, qui fuerunt in ea. Quarum scripturarum auctor est nõ homo, sed Deus. Dominus enim narrabit in scripturis populorũ, & principium hórum, qui fuerunt in ea. Dominus itaque huius loci auctoritatem tuetur, tuentur & principes. Turris quippe Dauid est, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ. Quã omninò rem, quoniam in tertio decimo libro sumus latius explicaturi, satis hìc fuerit breuiter attigisse. Verũ enimuerò turris hæc tã alioqui munita, arietib. quatuor concuti solet. Primo, quòd homines à Deo aliquando deceptos sacræ ipsæ literæ prodidêre: fieri igitur potest, vt auctores sacri ab spiritu sancto fallãtur, ita quodcunque ex huiusmodi auctoribus argumentum sumas, incertum erit. Altero, quòd nondum videtur exploratum, quinam libri sint in canonem sanctarum scripturarum referendi: cùm ex veteri testamẽto septem, ex nouo totidem à viris & doctis, & catholicis reijciantur. Quocirca si argumentum inde Theologus promat, imbecillum erit, carebitque diuina authoritate. Tertio, quòd vt certo constaret, quinam essent huiusmodi sacri libri, non

Psal. 86.

Cant. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamē adhuc cōstat, an Latini codices Græcis Hebraicisque cōcordent, quapropter argumētatio ex Latino exēplari ducta, infirma erit, cū solius interpretis sensu intelligentiaq; nitatur. Quartò, quod vt perspicuum esset, quodnā exēplar potissimū sequendum sit: tamen an Apostoli, vel Prophetæ in testimonijs, quæ videlicet ex ipsis afferuntur, de spiritu Dei, an de suo loquātur, non perinde certū est: cùm auctores sacri nonnulla humano more citra diuinā reuelationē scribere videantur. Non itaq; omnia malorū canonicorum testimonia Dei auctoritatē habent, vt certā fidem facere possint. Nec verò in his argumentis explicandis eā copiam, quam possumus, persequemur: ne hoc vno in loco tota assumatur oratio. Sed quatuor hos arietes, quibus nostræ religiōis mœnia nonnulli quatere & diruere conantur, quanta maxima breuitate licebit, repellere curabimus. Nō enim materiam huc & farraginem multarū rerum conamur inuehere: sed formam Theologo disserendi præscribere. Quæ nimirum quò breuior, eò præstabilior erit.

CAP. II.

Vbi argumenta referuntur, suadere volentium, quòd Deus fallere aliquando possit.

Prima cōtrouersia.

VT aūt ab illa cōtrouersia ordiamur, quæ licet facilima, tamen caput est cæterarū, prima veniat in mediū iuniorū opinio, quæ pleriſq; notissima est, non omnium quidē, sed paucorum, asserentiū aliquādo Deum humano angelicoue ministerio homines fefellisse. Nā quod spiritus veritatis ipse per se quempiā fallat, ne impietatis inuidiā subeant, in dubium vocare nō audent. Quòd verò per alium decipere Deus possit, id persuadere se posse arbitrātur. Primùm, q; Abraham pueris mentitus est, inquiens: Expectate hic, ego & puer postquā adorauerimus, reuertemur ad vos. Et tamē illa erat prophetia diuinæ reuelationis: vt docet Ambr. lib. 1. de Abraham, ca. 8. in hæc verba: Prophetauit quod ignorabat: ipse solus disponebat redire immolato filio, sed dominus per os eius locutus est. Captiosè aūt loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut

Primū argumen. Gen. 22. Hoc Amb. testimonio Gratia. 22. q. 2. §. Abraham. mendacij culpa liberat Patriarcham.

aut gemitu obstreperet, aut fletu. Hominis ergo ministerio, homines Deus fallit. Alterum quoque eiusdē rei argumentum proferunt, q; Iacob patrem suum Isaac mēdacio etiā de industria cōficto decepit, dicens: Ego sum primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, surge, & comede de venatione mea. Et paulò pòst, cū Isaac interrogasset, Tu es filius meus Esau? respōdit Iacob, Ego sum. Mentitus est ergo Iacob, id quod agnouit pater, inquiens, Venit germanus tuus fraudulēter, &c. At ea omnia Iacob & fecit, & dixit ex diuina reuelatione, vt Innocentius tradit. Deus igitur per alium decipere potest. Ad hæc Esaias Ezechiæ: Cras, inquit, morieris, & nō viues. Esaias autē sine dubio suis ipse verbis assentiebatur, nec verò nisi lumine prophetico: agnoscebat enim reuelationem illā esse diuinā. Lumen ergo prophetię causa quandoq; prophetæ est, vt decipiatur. Non enim tunc temporis mortuus est Ezechias, sed cōualuit. Præterea cùm dominus aliquando interrogasset, Quis decipiet Achab? egressus spiritus, Ego, inquit, decipiā illum. Cui dominus, In quo? Tū ille: Ero spiritus mēdax in ore omnium prophetarū eius. Et dixit dominus, Decipies, & prēualēbis: egredere, & facita. Subdit verò Michæas: Num igitur ecce dedit dominus spiritū mēdacij in ore omniū prophetarum, qui hic sunt. & dominus locutus est cōtra te malum. Deus itaque per cacodæmonem administrū decipit. Id quod Aug. lib. 83. Quæ. confitetur. Quemadmodum enim iudex damnatum percutere, sua persona indignū & nefarium iudicat, eius tamē iussu hoc facit carnifex: ita quem Deus per se nō falleret, eum fallit Deo iubente cacadæmon. Libet nanq; similitudine eadē eisdemq; penè verbis, quibus Augustinus vtitur, huius rei argumentum facere. Item Iudæi domino prēcipiente Aegyptios decepêre. Fecerunt enim filij Israel, sicut præceperat dominus Moysi, & petierunt ab Aegyptijs vasa argētea & aurea. Dominus autem dedit gratiam populo suo coram Aegyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios. Deo igitur auctore homo hominem fallit. Nec mirum si hostem decipi dignum, decipere Deus iubet, quoniam hoc pertinet ad iustitiam & veritatē, vt dignis di-

Gen. 27. *2. Argu.* *De diuo. c. gaudemus.* *3. Argu.* *Esa. 38.* *3. Re. 22.* *4. Argu.* *Quæst. 53.* *5. Argu. Exo. 12.*

gnis digna distribuantur: quemadmodum idē Augustinus loco nunc citato argumentatur. Atque hæc testimonia non perinde vrgent, illa difficiliora sunt, quæ quoniam vnius modi sunt fermè, simul commemorabūtur.

6. Argu. Primum est illud: Qui immutat cor principū, & decipit eos: & errare eos facit quasi ebrios. Secundum illud: Homo, qui posuerit immunditias in corde suo, & venerit ad prophetā interrogans per eum me: Ego Dominus respōdebo ei in multitudinē immunditiarum suarū: & ꝓpheta cùm errauerit, & locutus fuerit verbū, ego dominus decepi prophetā illum. Tertium illud: Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis? Quartum est Apostoli dicentis: Sicut nō probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobū sensum. Quintum est etiā eiusdē Apostoli: Eò, quòd charitatē veritatis nō receperunt, ideò mittet illis Deus operationē erroris. Quibus testimonijs Augusti. manifestè doceri existimat Deum in cordibus hominum operari ad inclinādas eorum voluntates in malum, nedum mētes in falsum. Necab his ratio aliena est, cū enim error pœna sit, nihil obstat, quo minus Deus, qui pœnarū oīum auctor esse à ꝓphetis dicitur, errorē ipse efficiat in eo pręsertim, qui antecedētibus culpis cōmeruit, vt à iusto iudice in errorem inducerētur. Vita & mors, inquit, paupertas & honestas, à Deo sunt: sapientia & disciplina apud eum: error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. Cōfirmat aūt illud vel maximè, ꝙ cuiusq; motionis Deus est causa: in ipso. n. mouemur & sumus. Errorē itaq;, qui hominis errātis motio est, Deus efficere in hominē potest, poteritque proinde decipere. Cuius etiā rei argumētum aliud est, quod mendacium nō est suapte natura malum. Potest ergo Deus cuiquā præcipere, vt mentiatur. Illud verò primum ex eo ostenditur, ꝙ Ioseph mendacium etiā iuramento cōfirmauit: Per salutē (inquit) Pharaōis exploratores estis. Non est aūt credendum, ꝙ mendaciū iuramento firmatum vir iustus diceret, nisi diuinā haberet reuelationē, per quā à mortali peccato excusaretur. Deinde illud etiā probatur ex eo, quod Michæas ait: Vtinā vir essem non habens spiritum, & mendacium potius loquerer. Nō ergo est

Iob.12. *Ezec.14.* *Esai.63.* *Rom.1.* *2.The.2.* *De gra. & li. ar. cap.21.* *7. Argu.* *Amos.3.* *Esa.45.* *Eccl.11.* *8. Argu.* *Acto.17.* *9. Argu.* *Gen.24.* *Mich.2.*

go est intrinsecus malum, quod Propheta Deo instigante desiderat. Adde huc, quod Aristo. 4. Ethico. li. Mendacium in iactantiā & ironiā partitur, quæ est diuisio propria mēdacij, auctore D. Thoma. secun. Secund. quæ. 110. art. 2. At vsus eius, quæ dissimulatio Latinè dici potest, Grecè enim εἰρωνία dicitur, frequens in sacris literis est: vt ibi: Ecce Adā quasi vnus ex nobis factus est. Et alio loco: Iam saturati estis, iā diuites facti estis, sine nobis regnatis. Et 3. Re. 22. Ascende (ait Micheas) & vade prosperè. &c. Si igitur ironia mendacium est, Deus verò per sacros auctores ironicè interdū loquitur, nō est, vt videtur, cur negemus, Deū posse per alios mentiri. His testimonijs atq; rationibus, opinationē suam suadere poterant Theologi noui, & in sacris literis parū exercitati. Nam quibus ipsi argumētis vtuntur, ego data opera fileo: nè, qui hunc librum legerint, scholasticis illis auctorib⁹ inuidiā conflent: vulgiq; & imperitorū insciti academijs præferāt, cùm ea audierint, quæ nonnunquā differūtur à nostris. Sed de his hactenus. Iā quæstionē ipsam explicemus: diuinamq; veritatē (quod erit facilè) ab eiusmodi aduersarijs vindicemus. Deū namq; deceptorem credere, nefarium & impium esse, quis nō facilimè intelligat?

Cap.7. *Gen.3.* *1.Cor.4.*

CAP. III.

Ostendit Deum, nec per se, nec per alium fallere vnquam posse.

EA igitur explicata quæstione, quoniam breuis esse cupio, illud statim ponendum est, diuinæ potentiæ descriptionē esse duplicē. Nā & generalē quandam intelligimus, quæ, quoniam lege nulla etiā naturali cōstringitur, à Theologis absoluta vocatur. Et aliam huic subiectā, quæ spectat in rerum ordinē præfinitum, ideoque potentiā appellant ordinatā. Atq; illa superior definiri solet circa eas res, quas esse nō repugnat, quęue nō implicant contradictionem, sic enim loquuntur. Quæ autem potentia ordinaria subiecta illi priori quasi generi est, eam definiunt circa ea, quę esse possunt salua lege, statutisq; diuinis. Illud etiam ponere debemus, mentiri nihil aliud esse, quàm asserere falsum animo fallēdi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib.1.de men.ca.3. & 4. libr. Item de men.c.12. 22.q.2.ca. Beatus. Matth.13.

Sic enim Aug. ac Gelasius definierunt. Ex duobus itaq; mendaciũ conflatur, si falsum dicitur, & si eo animo dicitur, vt fallantur audientes. Sed & quis propriè dicatur fallere, explicãdum est antè breuiter, quò facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Non enim qui verum dicit, is propriè fallax existimandus est, licèt ille, qui audit, ex praua intelligentia veritatis in maximos incurrat errores. Impropriè autem, res à Deo creatæ dicuntur esse fallaces: dicuntur itẽ esse muscipulæ, sed pedibus insipientum. Ecquis igitur alium propriè fallit? Nẽpè, qui falsum asserendo causa alij est, vt fallatur. Alioqui si ex alieno errore & ignorantia fallacem quempiam definimus, ipsa quoque veritas erit nobis falsissima. His positis sit prima conclusio. Hæreticum esse asserere, quòd Deus de potentiâ ordinata mentiri possit. Est enim Deus verax, omnis aũt homo mendax. Et rursum, Si non credimus: ille fidelis permanet, negare seipsum nõ potest. Et alío loco tandẽ, Non est Deus quasi homo vt mẽtiatur. Atque hæc quidem conclusio adeò est apud omnes certa, vt eã testimonijs etiam apertis cõfirmasse, superuacaneum fuisse videatur. Quare illa breuiter posita pergamus ad reliquas. Secunda conclusio est. Qui existimat Deum ex ordinaria potentia per administrum posse vel mentiri, vel fallere, erat ille in fide turpissimè. Nã hæreseos notã huic inurere, ad ecclesiæ auctoritatẽ pertinebit. Atq; hæc quidẽ conclusio primũ ex eo colligitur, q̃ eiusdẽ est præcipere malũ, & facere malum: quisq; enim eius rei causa est, quæ eo imperante fit. At iuxta fidẽ catholicã Deus auctor peccati esse non potest, ergo ne mẽdacij quidẽ, q̃ iuxta potentiã ordinariam peccatum est. Non itaque Deo auctore, vel angelus, vel homo quempiam fallit. Deinde, cùm dominus per administros, vel angelos, vel homines nobis loquitur, ipse se loqui testatur: vt multis locis sacrarum literarum cõstat. Ita si Dei administri mentirentur, Deum quoque mentiri necesse esset. Quod quàm absurdum sit, quis non videt?

Rom.3. 2.Tim.2. Num.23.

Exodi.3. Esa.1. Hier. 1.2.3.4.5. Luc.1. Ad He.1. Vide Hilarium in Psa.118. in illum versiculũ. Declaratio sermonum tuorũ illuminat. &c.

Prætereà, sic opinantibus non cõstaret, an Deus nos per Apostolos & Prophetas fefellerit. Et cũ in sacris literis Deus ipse per se quidem rarò fuerit locutus, per angelos

gelos autem & per homines frequentissimè: si his administris falli à Deo possumus, certè sacrarum literarum firmitas corruet. Atque hæc quidem ratio tam magnum apud me momentum habet, vt non dubitem, ab ecclesia catholica errorem hunc hæresis nota damnatũ iri, si in consultationẽ referatur. Quippe qui aut prorsus euertit nostræ fidei fundamenta, aut certè nõ patitur firma cõsistere. Porrò sacris auctoribus fidẽ habere nõ tenebimur, si semel eam opinionem induimus, quòd Deus per alios decipere possit. Nec vlla Dei pollicitatio firma erit, nisi quam Deus per se ipse præstiterit. Id quod apertè cũ Apostolo pugnat. Nam cũ in epistola ad Hebræos in eam promissionem incidisset, quæ Abrahã, per angeli haud dubiè ministerium, facta est, volens (inquit) Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatẽ cõsilij sui, interposuit iusiurãdum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimũ solatium haberemus, qui cõfugimus ad tenendam propositã spẽ: quam sicut anchorã habemus animæ tutam ac firmã. Non esset aũt tuta & firma, si huic opinationi credimus. Efficitur itaq; Deum nullo modo posse fallere. Nec mihi dicas scriptores sacros iustos sanctosq; fuisse, spiritu enim sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Et rursum, Sicut locutus est per os sanctorum, &c. per huiusmodi autẽ viros Deũ nec velle fallere, nec verò posse: sed per improborum ministerium posse. Primùm enim si spiritu Dei inspiratus loquitur etiam impius, Deo verba illa tribuuntur, atq; adeò Dei authoritatem habent. Deinde si Dei vel cõsilio vel præcepto mentitur impius, certè eodem consilio præceptóue mẽtiri poterit. Non igitur Deus potest per alium fallere, id quod secunda cõclusione dictum est. Tertia conclusio. Deus etiam ex absoluta potentia nec per se, nec per alium mentiri potest. Cùm sit (inquit Aug.) omnipotẽs, mori non potest, falli nõ potest, mentiri non potest. Et rursum idem, Dũ de omnipotentia Dei (ait) tam multa dixerimus, si volũt inuenire quòd omnipotens non potest, habent prorsus: Ego dicam, mentiri non potest. Dominus autem id mihi manifestè videtur confirmare, cum ait: Cælum & terra

Heb. 6.

2.Pet.1. Luc.1. Ioan 11. Nu.23. Lib.1.de Sym.ca.1. Lib.20. de ci.Dei cap. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

transibunt, verba autem mea non transibunt. Vel: Concidat ergo omne cælum, omnisque natura, diuina tamē
Luc. veritas consistat necesse est. Prætereà & illud Apostoli testimonium, quod antè citatum est, idipsum ostendit. Est, inquit, Deus verax: omnis autem homo mendax. Quo loco Paulus non significat quidem omnes homines mentiri, sed eo esse ingenio, vt mētiri possint. De natura quippe agit, non de more. Nam reperire liceat viros aliquando, qui vel rationē rectam ducē sequētes, vel Euangelij gratia legeque adiuti ac moniti à mēdaceo abhorrent, virtutem amplectuntur. Sed quoniam humanitatis ea est imbecillitas, vt veritatē, quam tenet, destituere interdum possit, idcirco scriptura omnem hominem dixit esse mendacem. Ex quo intelligitur, in eo sensu Deum appellari veracem, quòd cum diuina natura mendacium pugnet. Id, quod nō modò probabili argumētatione, sed etiam necessaria Theologorum ratione concluditur. Nam quæ contrarietas est mali & boni, eadem est veri & falsi: Sed primæ bonitati repugnat facere malum, ergo & primæ veritati dicere falsum. Hinc
Psa.144. enim illa sunt: Fidelis Dominus in omnib. verbis suis,
Deut.32. & sanctꝰ in omnib. operibus suis. Et: Fidelis Deus, & absque vlla iniquitate. Tā alienus itaq; Deus est à falsitate, quàm ab iniquitate: & sicut nec per se, nec per alium iniquitatē facere, ita nec fallere quempiam potest. Quòd si quispiā Deo auctore falleretur, iam à fonte vt veritatis mendaciū emanaret. At non solum Euāgelista testante,
1.Io.2. sed natura etiam duce cognouimus, omne mendacium non esse ex veritate. At reuera (vt eò, vnde egressa est, referat se oratio) vtrūque, & malum facere & falsum dicere, cum natura stabili immobiliq; pugnat. Inde enim cū
Num.23. scriptura dixisset, Non est Deus vt homo, vt mētiatur, euestigiò subdidit, Nec vt filius hominis, vt mutetur. Mēdaciū quippe mobilis naturę nota est. Adde huc, quod si per alium Deus decipere homines potest, & per se quoque idem poterit efficere. Cætera siquidē mala, quę pœnam habent à culpa disiunctam, Deus dare & per ministros, & sine ministris per se ipse potest. Atq; vt semel finiā, si Deus mentiri posset, meritò etiam nos formidare pote-

poterimus, an fuerit aliquādo mētitus. At nullus est, inquies, formidandi locus, cùm ex potentia ordinaria cōstet, Deū non posse mētiri. Bellè id quidem: sed cùm hoc nisi per reuelationē constare nequeat, qui scire possumꝰ, an illa ipsa reuelatione Deus potētia sua absoluta fuerit abusus? Vt enim apud Augustinum est, quomodo credendum est ei, qui putet quandoque esse mentiendum? Nam & fortè tunc mentitur, cum præcipit, vt ei credamus. Petit ergo, ne ita sit, sacrarum literarum certitudo. Præterquàm quod apud Philosophos tam euidens est. Deū non mentiri, quàm esse tum optimum, tum sapientissimū, ac proinde nec fallere, nec falli posse. Nihil autem interesse, an per se ipse id efficiat, an per administros suos. Etenim nec purissima veritas est, cui quodāmodo est vel falsitas, vel fallacia permixta; nec summa intelligitur, qua maior rem aliam cogitamus. Veracior autē is esset, qui nec per se, nec per alium, quàm qui per alium fallere posset. Ita diuina veritate firmiter posita, ac rationum, ac testimoniorum certitudine coroborata, non aliud supereſt, nisi vt aduersariorum argumenta diluamus.

Li.cont. Mend. c. 4. & 18. Et de. Mend. c. 8

CAPVT IIII.

Vbi argumenta cap. secundi diluuntur.

AD primum igitur argumentū non est Theologorū vna & simplex responsio. Sūt enim, qui piè grauiterq; contendant, Abraham nō esse mentitum. Non enim, vt aiunt, contra id, quod mente gerebat, locutus est. Quin filium credidit protinus suscitandum: quē admodum Apostolus videtur in hæc verba tradere: Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: arbitrans quia & à mortuis suscitare potēs est Deus. Sunt alij cōtrà, quibus ergo vehementer assentior, qui admittunt quidē Abraham ea ratione fuisse mentitum, quòd contra mentem dissimulandi causa locutus est: prophetasse autē, quia dixit verū, quod tunc scilicet ignorabat. Id nanque Ambrosij verba præ se ferunt. De primo igitur argumento satis dictum est. Deinceps, vt erat propositum & de reliquis dicamus. Ad secundum Theologi

Gabr 3. d. 38. se. quut. est Au gust. serm. de immo. la Isaac. Est hic in n. 71. idē in serm. 72. Ad Heb. 11. Adrian quodl. 1. ad primū prin. Scot. 3. d.

38. Caie. in Gene. Quæ 74.

quidem non ignobiles respondent vtiq; Iacob mentitũ fuisse, sed matre consulente, non Deo reuelante. At nos, quibus in animo est sanctorum sensa pro nostra quidem virili tueri, multò aliter respondere debemus. Augustin. si quidē in quæstionibus super Genesim, Iacob à mēdacio excusat. Adducitque in hoc, quod de illo scriptura dixit, virum simplicem fuisse, hoc est, non fictum & sine dolo: vt 70. Interpretes conuerterunt. Sine dolo igitur erat, qui dolum fecisse videtur. Quapropter in eo loco, vt ait, spirituale mysterium cogimur intelligere. Et 16. li. de Ciuitate Dei, Quis est (inquit) dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Chrysostomus etiam hom. 6. in epist. ad Colo. & homil. 53 in Gen. sicut Abraham & Phinees ab homicidio, ita & Iacob (quoniam Deũ illi cooperatum esse credit) à mendacio excusat. Excusant etiam Ambro. lib. 2. de Iacob & vita beata, c. 2. & 3. Innocent. de diuor. ca. gaudemus. Magist. sen. 3. d. 38. Gratia. 22. q. 2. c. quæritur Alexan. Alen. 2. part. q. 139. mem. 6. D. Tho. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. Nec verò audiendi sunt, qui putabunt Iacob per reuelationem quidem excusari, nõ ne mentitus sit, sed ne peccârit mentiendo. Quod mendacium, vt aiũt, rectè nõ nunquã dici potest ex familiari cõsilio Spiritus S. Quos ego auctores non modò redarguerem, verùmetiã quam plurimis argumẽtis grauiter errasse mõstrarem, nisi D. Augusti. in eadem causa aduersum Pricilianistas accurate elaborasset, atque ita multa deseruisset, vt si labor idẽ rursum à nobis susciperetur, nihil aliud, quàm actor agere mus, & vetamur veteri prouerbio. Hos itaq; cum sua ista Theologia relinquamus, cũ doctores sancti non modò negent peccasse Iacob, sed astruant etiã & verũ dixisse, & verbis illis prophetâsse. Qua in re illud equidẽ animaduerto, maiores nostros, quod perspicuũ & exploratum erat, id latere non potuisse: nempè verba illa Iacob in sensu proprio esse mendacium. Nec esse tamen absurdum, si homo quamlibet iustus, semel aut iterum mentiatur.

Gabr. 3. d. 38. q. vni. ad. 2. Pet. Alia. 1. sen. q. 12. Nec Liranus ab hac sen. abhorrere videtur. In lib. de men. & in lico. men. Aug. con. men. c. 10.

Quamobrem cũ constanter astruerint Iacob nõ fuisse mentitum, existimãdi sunt peculiares, easdemq; graues causas

causas habuisse, quibus in hãc sententiam inducerẽtur. Porrò quemadmodum per legitimas allegoriæ rationes iustus figura iustorũ, iniquus iniquorũ est, ita & falsum absurdè in typum veritatis assumitur. Scio quæ contra hoc dici possunt, legi enim D. Gregorij Commẽtaria, in quibus huic regulæ nõ allegat expositionem suam. legi & Hiero. qui Abacuc 1. cũ spiritum malum per tropologiam conuertisset in bonũ, Tropologia, inquit, libera est, & hic tantùm legib. circunscripta, vt pietatem sequatur intelligentię. Sed hæc lõgior pugna est, nec huius temporis patitur angustias. Equidem abuti hac libertate nollem, sed mysticos sensus quibusdam potius terminis lineisque præscribere. Nec enim consentaneum est, nisi à rebus vicinis & similibus, vt metaphoram, ita & figuram imaginemq; rerum trahi. Quippè cùm rem, quæ alterius figura est, eius similitudinem gerere necesse sit. Nec Salomon in peccatis Christi typus erat, sed in pace: nec Iepthe in impietate aduersus filiam typus erat Dei, sed in zelo. D. Thomas. 2. secun. quæst. 88. articu. 2. ad 2, repugnat: videtur profectò. Verùm iam dixi, hic me non agere de liberis allegorijs, sed de his, quæ certa via & ratione premuntur. Quo sensu nec Hieronymus, nec Thomas locuti sunt. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? quod Christo cùm Belial, vt per mysticum sensum lucem quidem tenebrarum, Christum verò Belial figurã faciamus? Sed de his plura alio loco opportuniùs. Nunc, vt ad propositum reuertamur, nobis ad certã regulam diuinæ scripturę tractandæ sunt, nec iniquum in eo, quo iniquus est: nec mendaciũ in eo, quo mẽdax, aut iusti aut veracis typum faciemus. Quia ergo constat, Iacob tum etiam, cùm prępripuit fratri benedictionem, gentiũ fidem prənotasse, cõsequens fit, ex peculiari Dei procuratione ea omnia & dicta & facta futurę veritatis imaginem habuisse, ac proinde non fuisse mendacia. Quid ergo? verúmne illud est, Ego sum primogenitus tuus Esau? Nempè verũ est. Est enim primogenitus secundũ carnem, & primogenitus secundum ius: Nam & Apostolus duo filiorũ genera exprimit, inquiẽs: Nõ omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: nec qui semen sunt Abrahæ,

Ad Roma. 9. Abrahę, omnes filij: sed qui filij sunt promissionis, ęstimātur in semine. Et statim: Nō solùm aūt illa, sed & Rebecca ex vno concubitu, &c. & quia maior seruiet minori, &c. Paulus itaq; semen Abrahę vocat populum gentium, eundemque fratrem appellat minorem, cui maior erat seruiturus. Vt igitur sine mendacio gentium hic populus in fidem iam & hęreditatē Iudęorum suffectus dicere poterat: Ego sum semē Abrahæ, ita & Iacob, quoniā ius habebat ad primogenituRā, in quā Deo auctore fuerat substitutus, verè vtiq; dixit, Ego sum primogenitus tuus Esau. Quid, cùm Ioannes Baptista Elias à Domino vocatus sit, nō naturā quidē, sed pręcursoris officio: num & non ad eundē quoq; modum Iacob, qui hæreditario iure fratri successit, se esse Esau sine falsitate potuit asserere? Sed ais: Vnde ius hoc Iacob intellexit ad se pertinere? Certè vel Deo reuelāte, vel matre instruente, quā Dei familiare consilium habuisse Gen. 25. c. traditur. Atque in 2. argumenti cōfutationem satis multa diximus.

Matt. 11.

Tertium autē, quod ex Esaię testimonio nobis opponitur, D. Tho, 2. 2. q. 171. artic. 6. ad 2. confutat. Quæ quidem confutatio quoniam prolixa est, nos verò breuitati studemus, non est hic adscribēda. Nam & aliter responderi breuius potest, eiusmodi prophetias cōminatorias esse, sic enim scholastici vocant. Id quoniā prophetę intelligebant (nam intelligentia opus est in prohetia) minimè fallebantur. Quin potius fide quidem bona suo ministerio functi, existimabant tamen comminationes mutatis posse moribus cōmutari. Ob eam enim causam Ionas nolebat Niniue subuersionem prænuntiare, quòd diuinam putabat misericordiā Niniuitis pœnitentibus esse flectendam. Quocirca in simplicibus eiusmodi denūciationibus natura rerum vsusq; communis eò nos ducit, vt conditionem tacitam subaudiamus. Cuius rei insigne exemplum legitur Gen c. 20. vbi Abimelech regē corripiēs Dominus his verbis vtitur. Et morieris propter mulierem, quam tulisti. Postquam autem illo excusauit, in hunc modum Dominus locutus est. Nunc redde viro suo vxorem, & orabit pro te, & viues. Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris. Vides, vt primo e-

Dan. 10.

dicto

dicto vehementiùs animum eius concutiat, quò satisfactioni reddat intentum: secundo autem voluntatem liquidò suam explicet, qua pœnam denuntiando nihil aliud significat, quàm eos se monere, quibus vult parcere: nisi quod syllabatim non exprimit, quod intelligere tamen promptum est. Ad tertium itaque argumentum sic responsum esto. Ad quartū autem facilè respōdetur, Verbum imperandi non semper aut præceptum, aut consilium secum, sed aliquando etiam permissionem ferre. vt apud Ioannem: Quod facis, fac citius. & alio loco Dominus ad Balaam, Si vocare, inquit, venerint homines isti, surge, & vade cum eis. Cui tamen postea angelus dixit: Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua. D. Thom. de Malo. q. 3. artic. 1. ad 17. Sic igitur dictum est, egredere, & face: sitque omninō, Deum dedisse spiritum mendatij in ore omnium Prophetarum, concedendo scilicet, non iubēdo. In quem sensum illud etiam intelligitur. Et ne nos inducas in tentationem. & illud forsitan: Tu rex regum es, & Deus cæli regnū & imperium dedit tibi, &c. & illud: Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper. atque illud demum: Quod pater dicitur filium in manus impiorum tradidisse. Quia verò permissionem ipsam diuinam (redeundum est enim ad propositum) qua homo vel in errorē, vel in culpam inducitur, non ministri boni, sed mali exequuntur, ideo Augustinus asseruit, per administros malos Deum aliquando decipere. Ac quarto argumēto refutando hæc dicta sint modo: nam posterius illud apertiore fortasse via & ratione refutabimꝰ. Argumētationi quoq;, quę quarto loco posita est, ita respondeo: Deum non iussisse quidem filijs Israel, vt circumuenirent Aegyptios, sed vt vasa argentea & aurea peterent commodatò. Precipit verò postea, ne accepta vasa redderentur. Id quod facere ligitimè potuit, tum propter alia, tum his præcipuè causis. Vna, quòd Aegyptij operarum mercedem Iudæis nō reddiderant. Presserant siquidem eos operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, vt Exodi 1. cap. legitur. Itaque vel in pace mercedem ab inuitis rapere potuerunt, quando res alioqui debitas nulla alia

Ioan 3. *Num. 22.* *Matt. 6.* *Dan. 4.* *Ioan 19*

erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat via repetendi. Altera autem erat causa, quòniam in bello iusto res hostium victoriæ iure auferre poterant. Quemadmodum & Epiphanius in libro Ancoratus explicuit, & docuit antè Clemens Alexandrinus lib. 1. stroma. Certè vtranque causam è Sapientiæ cap. 10. colligere licet. Priorem ibi, Et reddidit iustis mercedem laborum suorum. Posteriorem autē ibi, Ideo iusti tulerunt spolia impiorum. Magist. verò sent. in 3. dist. 37. Iuda os affirmat viros optimos nullo modo peccasse: infirmis autem, qui cupiditate quadam Aegyptios sefellere, magis esse illud vt facerēt permissum, quàm iussum. Quod enim Augustinus dixit, Israelitas iussos esse hostem decipere, id ipse eodem prorsus loco ac quæstione correxit, inquiens: Factum est, vt iuberet Deus, vel potius p illorū cupiditate permitteret. Pertinet verò ad iustitiam & veritatem, vt is, qui meretur decipi, decipiatur à Deo quidem concedente, ab homine autem vel angelo malo efficiente. Quos iustitiæ suæ administros licet Deus seuerè sanè ad vindicandum proferat, non continuò tamen praui eorum operis causa est. Non enim mox, si quis ab vsurario pecunias petit, hominisque peruersi culpa vtitur, idem ipse vsurarum est auctor. Nec verò difficile videbitur, eadem opera ad Deum, Sathanamque referri: si in vno eodemque motu actionem & passionem res plane diuersas inspiciamus. Hę namque res duæ faciunt, vt in talibus longe alia sit ratio diuinæ, diabolicæque actionis In calamitate porrò sua Iob non solùm dæmonis, sed Dei etiam opus recognoscit: quem ea dicit abstulisse, quæ instigante impellenteque Sathana per Chaldęos fuerant erepta. Etenim, quia passio bona iusta erat, consilium quoq; Dei optimum finisq; sanctissimus: in prōptu viro Dei fuit, ibi inculpatam Dei operationem agnoscere, vbi hominum Sathanæque nequitia cum praua sua operatione se prodidit. Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictum à me esse paulò obscurius: sed experiar, & dicā, si potero, planiùs. In opere illo malo & culpa erat & pœna, actioq; praua rectæ iuncta passioni, Deus igitur illic non erat otiosus: sed eius erat omninò auctor, p in illo opere erat bonū: ab eo autem

tem alienus, quod in illo erat malum. Ita Deus viro sancto camelos abstulit quidem, at non iustè solùm, sed benignè. Abstulit & Sathan: at crudeliter, nedum impiè: Chaldæi quoque abstulerunt, at tum auarè, tum etiam iniquè. Nihil ergo est absurdi, si opus idem, quatenus pœna est, ad Deum: quatenus est culpa, ad Sathanam auctorē referamus: vt Sathan & in culpa agat, & in pœna: Deus in pœna agat quidem, at in culpa non agat, sed permittat. Atque hac eadem responsione sextum quoque argumentum refellitur. Non enim decipit Deus deceptionem ipsam faciendo, sed permittendo vt fiat. Qua etiam ratione corda & excæcare dicitur & indurare. Vt Gregori. 13. mo. lib. cap. 16. & Thom. 3. aduersus Gentes, cap. 162. docuēre. Et Clemens Alexandrinus, libro Strom. 1. explicans illud Matthæi decimotertio: Ideo in parabolis loquor eis, &cæt. Non dominus præbet ignorationem, inquit, hoc enim sentire est nefarium, sed ipsam, quæ inerat, prophetice arguit. Sic etiam homines tradit Deus in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ. Dimisit eos, ait, secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. Atq; hoc item sensu reliqua testimonia interpretanda sunt. Nam Augustini verba ipse idem Augustin. in lib. de præd. & grat. cap. 4. docuit, quomodo accipere debeamus. Non operatur, inquit, Deus in homine ipsam duritiam cordis, sed indurare eum dicitur, quē mollire noluerit. Sic etiam excæcare, quē illuminare noluerit: & repellere eum, quem noluerit vocare. Hactenus ille. Et in libro de articulis sibi falso per Pelagianos impositis, artic. 10. eorum opinionem detestatur, qui Deum prauæ cuiusquam aut voluntatis, aut actionis credunt auctorem, siue excitātem, siue suadentem, siue impellentem peccantium cupiditates. Deus quippe neminem tentat. Et rursum: Non dicas, ille me implanauit. Et iterū, Perditio tua Israel, tantum modò in me auxilium tuum. Et alio loco, Diligis omnia quæ sunt: & nihil odisti eorum quæ fecisti. At odio debet Deus cæcitatem cordis, errorem, obstinationem: cùm odio sint Deo impius, & impietas eius: Deus igitur nihil eiusmodi in homine propriè facit: sed tātùm iudicio

Iacob. 1. *Eccle 15.* *Osee 13.* *Sap. 14.* *Sap. 14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicio permittit. Nam obstinatio, error animi, ac cæcitas, peccata sunt: quæ scilicet in hominibus si proprietatem verbi sequi volumus, Deus nullo modo operatur. Nisi Melanthonis stultitia placet, qui æquè proprium Dei opus Iudæ proditionem, ac vocationem Pauli esse ait. Verùm hic error nō solùm scripturæ testimonijs, sed naturæ quoque rationibus manifestè refellitur. Primùm enim illa Augustini ratio expedita est: nullo sapiēte auctore aliquem deteriorem fieri. Tanta enim culpa est, quæ in sapientem quamuis hominem cadere nequeat. Multò igitur minus Deo auctore fiet homo deterior, cū sit Deus quouis homine sapiente præstantior. Illa item ciusmodi August. causa non est leuis: Quod, quæ me auctore, aut imperante fieri necesse est. Nullum autem Dei iustum rectumque de culpis iudicium futurum esset, si homines Dei voluntate, suasu, consilio, præceptoq; peccarent. Plato insuper in secundo de Rep. lib. modis omnibus pugnandum esse ait, ne Deus, qui bonus est, dicatur esse malorū causa: Aliqui secum Deū pugnaturum, qui suis legibus contrariq fieri mandauerit. Ita eos ciuitate extrudi iubet, qui verba illa nefaria dixerint: nobis vtiq; perniciosa, vt inqt, sibiq; ipsis malè cōsona. Sed alterius & loci & temporis est, hanc siue amentiam, siue insaniam refutare: Nunc reliqua prosequamur Nam & eis refellendis huius sexti argumenti testimonia, apertius explicabuntur.

In anno. epist. ad Ro.

Lib. 83. q. q. 3.

In Lib. de arti. falsib. per Pelim.

Ad septimum.

Cùm itaque septimo loco obijcitur: Deum esse omniū pœnarum causam, nos certè id negamus: sed earum verè ac propriè causa est, quæ solùm pœnæ sunt, non culpæ. Est autem interdum, vt ad Romanos & Thessalonicenses tradit Apostolus, vna culpa alterius pœna. Quo casu in pœnam occurrit impius Deo deserente, non efficiente. At verò Caietanus illud, Ecce ego suscito super te malum de domo tua. est sermo, inquit, non de malo culpæ, sed de malo pœnæ. Deus enim non est auctor peccati, vt sic, sed quatenus pœna est peccantis, vel alterius. Hactenus ille. Et in illud, Dominus præcepit ei, vt maledi ceret Dauidi. agnoscit, ait, maledictionem illam quatenus pœnalem sibi procedere à Deo. Efficit siquidem Deus per

Rom. 1.

2. The. 2.

2. Reg. 12.

2. Reg. 16.

per Semei maledictionem illam, non quatenus erat peccatum, sed quatenus erat pœna ipsius Dauidis. Quemadmodum superius etiam per os Nathan dixerat, Suscitabo malum de domo tua, non quatenus erat malum culpæ, sed pœnæ. Hactenus etiam ille. Ac posterior hæc sententia quidem faciliore ratione defendi potest, si ea distinctio repetatur, quæ quinto argumento diluendo posita est, in opere vno eodemque & actionem considerari & passionē. Cùm autem res temporariæ, salus quoque & vita auferuntur, passio non modò ex parte Dei iusta est, verùm etiam ex parte patientis est bona. Non vtilem patiendi dico, nam hoc quis dubitet? sed honestam ac meritoriā, si æquo animo patienterque feratur. Quia verò quo passio est, eo pœna est: ritè, ni fallor, dici potest Deus auctor esse operis mali, non qua est malum culpæ, sed qua est malum pœnæ. Cùm enim Aristoteli actio & passio idem motus sint, illud perinde est, ac si Deum auctorem dicamus esse non malæ actionis, sed bonæ passionis. Cæterùm, quando vnum peccatum alterius est pœna, res non ita facilè expediri potest. Tunc enim nec actio, nec passio honesta est: sed is, qui plectitur, & agendo & patiendo peccat. Vt cùm gentes, verbi causa, contumelijs affecerunt corpora sua in semetipsis, & relicto naturali vsu, turpitudinem naturæ inimicā operati sunt, mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, nihil omnino illic distinguere possumus, cuius Deum causam afferamus. Siue enim agentes, siue patientes, & quia agebant, & quia patiebantur, vtrinque omninò peccabant. Quamobrem Deus nec actionum ciusmodi auctor erat vllo modo, nec passionum. illud igitur, quod priore loco Caietanus ait, dilutius videtur esse, quàm vt consistere in vera Theologia possit, quę an argutias adeò formales recipiat, ignoro. Si enim Deus auctor peccati est, quatenus est pœna peccātis, omnium pœnarum absolutè causa erit, tum etiam, cùm peccantis culpa posterior culpæ prioris pœna est. Ita erit causa indurationis, cæcitatis, erroris, earumque passionum, quas ne nominare quidem per verecundiam licet. Et cùm causa moralis, de qua in præsenti sermo est, non

3. Physic. tex. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agat nisi per voluntatem mouens: Deo certè volente, atque adeò vel iubente, vel suadente, vel instigante, ea peccata prouenient, quæ in priorum pœnam accidunt. Quæ nimirum omnia & per se sunt falsa perspicuè, & inter se vehementer repugnantia. Intelligo autem Diuum Augustinum libro contra Iulianum quinto, longa oratione contendere, non permissionis tantùm aut patientiæ diuinæ esse peccata, sed etiam potētiæ: quùm priora videlicet per posteriora puniuntur. Adducit verò in hoc non ea modò testimonia, quæ nos in argu-
Psa.19. mentis attulimus: verùm illa etiam: Misçuit Dominus spiritum vertiginis in medio eius, & errare fecerunt Ae-
Ioſ.11. gyptum, sicut errat ebrius. Et Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & non mererentur vllā clementiam, sicut præceperat Dominus Moysi. Et, Non acquieuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum
3.Reg.12. Dominus, vt suscitaret verbum suum, &c. loco autem eius, quod nostra translatio habet, quoniam auersatus fuerat eum Dominus, 70. transtulerunt, ὅτι παρὰ Κυρίου ἦν ἡ μεταστροφή. Quæ verba Augustinus ita reddi-
Psal.104. dit. Quoniā à Domino erat conuersio. Ac rectè ille quidem, nam μεταστρέφω, propriè, cōuerto, est. Huic verò illud etiā simile est, Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerēt in seruos eius. Addit denique Augustinus & illud, quo vno causam videtur obtinere, In hoc ipsum excitaui te, vt ostendā in te virtutem meam: ac protinus, Quē vult indurat. Volens ergo indurat Deus. Et posterius, Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, &c. Potētiæ igitur diuinæ sunt eiusmodi peccata, quare Deus in his agit etiam, nedum permittit. Confirmat autem hoc, vel
2.Reg.16. maximè, quòd cùm Dauid increparet Abisai, qui caput Semei cuperet amputare, Dimitte, inquit, eum: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et paulò pòst, Dimitte eum, ait, vt maledicat iuxta præceptum Domini. In eam quæstionem, quam velis equisq;, vt dicitur, fugere conabar, volens nolens incurri. Ita enim coniuncta est huic, quæ præsenti loco versatur, vt illam ab hac

ab hac nō potuerim separare, quamuis in ea re diu multumq; elaborauerim. Cùm enim considero, quid ferat instituti operis ratio, occurrentes, consequentesq; etiā controuersias pro mea certè virili declino: magis à Deo eas, quas dignas esse video, vt & tractentur fusius, & explicentur accuratius. Hinc quippe volumen mihi grande displicet: inde autem molestè fero, res quàm grauissimas minus accurata diligentia expendi, quàm earū amplitudo requirat? Id quod in ea, quæ est nunc in manibus, accidat necesse est. Nam etsi multa dicentur, multa tamen prætereunda sunt: quæ huic argumēto plenè absoluendo erant valdè necessaria. Atque veteres patres, ne fenestrā impijs aperirent, duritiem, cæcitatem, erroresque suos, & peccata in Deum referēdi, in id genus locutionibus, quæ actionem Dei sonare videntur, solam permissionem agnoscunt. Quam sobrietatem vt exoscu-
Vide Damasc. lib. 4. ca. 14. vbi ait, morē esse diuinæ scripturæ, permissionem Dei, actionem eius vocare.
lor, ita minimè periculosum iudico, si permissioni non nihil addamus: quod nec actio propriè Dei sit, nec sola permissio. Ita enim, vt reor, scripturæ sacræ intelligentiam, germanam, solidā, expressamque tenebimus. Principiò autem illud intelligendum est, vim scripturæ & energiam in illius modi locis non satis per negationem explicari. Etenim, si eum Deus excæcat, quem non illuminat: eumque indurat, quem non emollit: omnes profectò, quicunque in peccato sunt mortui, excæcati à Deo sunt & indurati. Quod nec scriptura, nec ratio recipit. Quosdam siquidem peculiariter excæcatos à Deo & induratos legimus: in quibus iram, iustitiam ac potentiam suam insigni singularique vindicta Dominus ostenderit. Deinde id quoque certum nobis expeditumque sit, Deū propriè nec excęcare, nec indurare, nec decipere, nec hominum corda in odium conuertere, nec eadem facere, quæ in literæ superficie facere asseritur. Illa enim, quemadmodum antè constituimus, à natura Dei abhorrent omnia. Itaque Deo impropriè & figuratè tribuuntur: triplici, vt ego sentio, ratione. Primum enim, cùm sublato eius lumine nihil aliud, quàm caligo & cæcitas supersit: cùm ablato suauitatis eius spiritu corda nostra in lapides obdurescant: cum cessan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te eius directione in obliquitatem contorqueantur, excæcare eos, indurare, errare facere dicitur, quibus facultatem videndi, liquescendi, ad veritatem rectam ingrediendi adimit. Nam & qui lucem hanc oculis nostris auferrent, & qui columnam, qua firmatur & consistit ædificium, tollerent, ij verè ac iure & obtenebrare oculos, & diruere ædificium dicerentur. Cùm autem dicimus, Deum facultatem videndi auferre, cæteraque similia: id non ita accipiendum est, quasi homo arbitrij facultate priuatus, nec videre, nec mollescere, nec recta ingredi ipse possit. Sed ita demum intelligere oportet, vt quia sine lumine videri homo non valet, nec sine spiritus suaui oleo emolliri, nec sine Dei directione recta ingredi: idcirco qui illa iusto hominibus iudicio adimit, hic facultatem quoque ea exequendi quodammodo dicatur adimere. Altera est ratio, quæ propius ad verborum proprietatem videtur accedere, quòd ad exequenda iudicia sua Satana administro vtitur: ob idque ea dicatur efficere, quæ minister illius auctoritate roboratus efficit. Quemadmodum quæ iudicis administer, dum iustam eius sententiam exequitur, facit: ea suo modo à iudice quoque fieri sanè intelligimus. Tertiam rationem Hieronymus ad Hedibiam reddidit. Sicut enim vnus est solis calor, & secundum essentias subiacentes alia liquefacit, alia indurat: alia soluit, alia astringit: liquatur enim cæra, & induratur lutum: & tamen caloris non est diuersa natura: Sic Deus eodem omnino lumine malè affectum excæcare dicitur, benè institutum illuminare: eodemque prorsus beneficio indurare illum, hunc mollire. Videlicet miraculis eisdem editis emollitus Israel est, obduruit Pharao: eadem doctrinæ luce Apostoli viderunt, Pharisæi cæci facti sunt. Quoniam diuina lux tametsi per se quidem ad videndum editur, sed per occasionem tamen in eo cæcitatem efficit, qui prauè affectos habet oculos: in eo duritiem, qui prauo affectus est animo. Atque huic illud simile est, quòd hi seducere decipereque dicuntur, qui oratione dubia, vel obscura tenebras alicui offundunt. Hac enim ratione Dominus in parabolis turbas alloquutus, eas excæcasse dicitur,

Quæ.10.

citur, ac Hieremias, seduxisti (ait) me Domine, & seductus sum, quia enim in principio illud audierat, Prophetam in gentibus dedi te. & iterum: Ecce constitui te super gentes & regna: arbitratus est nihil se contra populum Iudæorum, sed contra diuersas in circuitu nationes esse dicturum: vnde & Prophetam libenter assumpsit. Cùm vidisset autem aliter sibi, ac existimauerat, accidisse, queritur à Domino se esse deceptum: non falsitate autem deceptus est, sed ambiguitate. Nihil autem refert, an (quod Hieronymus ait) inde Hieremias fuerit seductus, an ex illis potius verbis: Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te, &c.

His igitur tribus rationibus non illa solùm explicantur, quæ retro citata sunt, sed & illud simul intelligitur, quod DEVS ministros iræ suæ nunc sibilo euocatu rum se minatur, nunc eos instar nouaculæ sibi fore ad radendum caput, & barbam vniuersam, nunc sagenam & rete ad irretiendos improbos, nunc malleum ad feriendos, virgam denique, securim, serram, quam eleuet, in qua secet, quam trahat. Nam quod 2. Reg. 16. legitur, Domini præcepto Semei Dauidi regi maledixisse, id per figuratam dictionem vsurpatum esse, vel illud satis abundè magno argumento est, quod Ecclesiasti. 15. scribitur, Nemini mandauit impiè agere. Et re vera cum recta ratione pugnat, in eo peccare hominē, quod Deo præcipiente agit. At Semei sine dubio maledicendo peccauit. Præceptum igitur in libris sacris pro lege & ordinatione quandoque accipitur, siue sit lex obligans ex imperio, siue permissio, siue pœna præscripta, seu ordo etiam naturæ præfixus. Sic enim quod Matth. 19. dicitur: Ad duritiam cordis vestri permisit vobis, &c. Marc. cap. 10. dictum est: Scripsit vobis præceptum istud. Sic etiam Threnor. 3. Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Quem locum alij ita vertunt: Quis hoc dixerit? aliquid fieri, quod Dominus non præcipiat. Et iterum: Statuit ea in æternum & in seculum seculi, præceptum posuit, &c. Quod ergo ordine diuinæ iustitiæ fit, id diuino præcepto fieri dicitur. Iam illud fueram oblitus, quod Paulus ait: Quem vult, indurat. Sed

Esa. 5. & 7. Ezech. 12. Hier. 50. Esa. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat. Sed primum, voluntas etiam permissionis à Theologis ponitur. Vnde Augustin. in Enchir. c. 95. Non fit quicquam, ait, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Deinde, volente aliquo ea fieri dicuntur, quæ illo non inuito fiunt. Sic enim pater volens dicitur filium gignere. Ac de 7. argumento nimis multa dicta sunt.

Octauum aũt breuissimè refutabitur. Intelligendũ est enim causarum duo esse genera: naturale & morale. Vt qui imperat, qui consulit, qui suadet, qui impellit, is eius rei, quæ imperio, consilio, suasione, impulsu eius fit, causa moralis dicitur. Est autem Deus causa naturalis quidem omnium motionum. Nam generali naturalique concursu cum omnibus causis agentibus operatur. At causa moralis non est nec erroris, nec prauæ cuiusque actionis. Actus igitur ille, qui peccatum est, si in genere rerum naturalium consideratur, ad causas tantùm naturales referendus est. Sin consideratur in rerum moralium ordine, ad causas naturaliter agentis ineptè quidẽ & absurdè reuocabitur. Stultus quippe erit is, qui in cælorum motrices intelligen ias culpas, vel proprias, vel alienas retorserit. Quocirca, tametsi res atq; actiones vniuersæ, quatenus effecta naturæ sunt, Deum auctorem habent: sed cùm de peccatis agitur, quoniã mox in peccati nomine liber & moralis actus intelligitur, ineptissimi profectò erimus: quicunq; in Deũ errores peccataq; nostra regeremus. Ille enim, quemadmodũ diximus, in moralis causæ modum nec ad errorẽ mouet, nec ad prauam illam quamlibet actionem: hoc est, nec mentitur omninò, nec suadet, aut imperat malum. Quibus modis, ac similibus & deciperet propriè, & causa peccatorum haberetur. Sed hęc causæ partitio in relectione de Sacramentis in genere vberius explicata est. Nunc ad 8. argumenti explicationẽ diximus satis. At postremum facilè refellitur. Nego enim id, quod primo loco antecedit, cui scilicet suadendo tota illa argumentatio incumbit. Mendaciũ nanq; ita malum natura est, vt nulla ratione quisquã iustè mentiri possit, quod & Arist. 4. Ethic. tradit, & Augustin. in lib. de mendacio demonstrat. Ad primã verò rationem,

rationẽm, qua huius contrariũ suadetur, sunt qui respõdeant Ioseph fuisse reuera mentitum sed ioco tamen. Etsi obijcias, periurium omne esse mortale peccatum, argutè respondent, Ioseph nõ iurasse absolutè, eos esse exploratores: sed ex conditione. Ait enim, Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, donec probentur ea, quæ dixistis, vera an falsa sint: alioqui per salutem Pharaonis exploratores estis vos. At D. Augustin. in quæst. super Gene. totam assertionem à mendacio liberat: & verbum illud, Estis, accipit pro verbo, habebimini. Quæ verbi vsurpatio non est insolens. Nam 3. Reg. 18. Elias ait, Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus: hoc est, habeatur. In quã sententiam D. quoque Bonauentura iuit: adiecitque Ioseph illa verba tentando, & quasi inquirendo (quod iudices solent) sine mendacio dixisse. In iudicijs nimirum, enuntiationes loco interrogationum vsurpantur. Interrogantes autem non mentiuntur. Nihil enim censeatur asserere, sed vt veritatem eliciant, pertentare. Qualis illa interrogatio fuit, An ignoratis, quòd non est similis mei inscientia augurandi? Gratianus tamen docet ioco id esse dictum, quare non habendum pro mendacio: vt quod non animo fallendi dictum sit. *quæst. 39.* *22. q. 2. c. quod aũt.*

Ad secundam verò rationem respondeo, sermonem Prophetæ esse figuratum, vel ad exprimendam rei maximam certitudinem, vel ad desiderium vehemens explicandũ, vt si fieri posset, ea mala nõ acciderent: Quod vulgò apud Hispanos inculpatè dicitur, plega à Dios q̃ yo mienta. At tertiæ rationi hoc habeatur respõsum. Ironiã ab Aristotele ibi accipi pro cauillatione quadã turpi ac dissimulata, astuteq; parata ad decipiendũ. Verbum enim Græcũ, εἰρωνεύομαι, interdũ idem est, atq; cauillatoriè decipere. Atqui Socrates in omni oratione simulator, quẽ εἴρωνα Græci nominarint, nõ solum absq; vitio, sed etiam cũ laude fuit. Nam & ironia, illusio seu irrisio, est figura apud Latinos vsupata, vbi nullũ mendacium inest. Argumenta igitur omnia, quę à principio huius cõtrouersiæ posuimus, hoc qnidem pacto fuerint refutata. Occurri autem nobis potest, & quidẽ à doctis & eruditis quærentibus, satisne prudenter agere videamur, *Ci. lib. 2. offic.*

qui cum in huius operis initio Dei veritatem, cui fides innititur, primum Theologiæ principium esse docuerimus, nunc tamen longè aliter doctrinam videmur instituere. Quoniã diuinam veritatem in quæstionẽ reuocamus, & rationibus etiã philosophiæ cõfirmare nitimur. Absurdũ est autem, vt Aristot. docet, de cuiusq; disciplinę principijs velle cum quouis homine disserere: & Basilius in Psal. 115. In quolibet studio, inquit, quod ordine in finem procedit, impossibile est, primorum subiectorũ demonstrationes inquirere. Sed necesse est omniũ artiũ q̃ probatione nituntur, principijs sine vestigatione aut ratione positis, reliqua, quę deinceps sequuntur, cum ratione ostendere. Sic & Theologię mysterium ex fide minimè rationibus probata ædificium quærit. Hactenus Basilius. Atque Hilarius in lib. ad Cõstantium Augustum, Fides, air, non in quæstione philosophię est, sed in Euangelij doctrina. Cùm ergo & Theologia & fides eo tanquam summo principio adnitãtur, quod omnia in scripturis à Deo reuelata vera sint, stultũ videtur esse, id aut in dubium vertere, aut philosophię argumentis velle finire. Quasi fides in quæstione philosophię sit, & nõ magis oporteat, cum in alijs doctrinis, tum in hac maximè discipulum addiscentem credere. Ac reuera quẽadmodum prima philosophiæ principia quibusq; non omninò rationis expertibus animo antecœpta sunt, nec nisi absurdissimè in quæstionem vocarẽtur. sic omnes Christiani istam siue anticipationem, siue prænotionẽ nullo argumento intercedente habent animo quasi insculptã, Deum esse natura veracem, neminemq; proinde ab eo posse falli. Quamobrẽm imprudentię nomine, vt dictũ est, accusari à viris etiam eruditis possumus, qui de re, quę controuersia esse nõ debet, controuersiam fecimus, & primum fidei ac Theologiæ fundamentum non testimonio solum, sed etiam ratione constituimus. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ij, quorũ vagetur animus errore, nec habeat vnquam quid sequatur. Quæ enim ista esset Theologia, vel quæ disciplina potius, principiorum ratione sublata? Quæ prorsus tollitur, si perinde atque conclusio, principium

pium quoque in controuersiam veniat. Quoniam autẽ mihi interdum videor differre nõ cum perfectis Theologis, pleneque sapientibus, sed cum ijs, quibuscum prę clarè agitur, si insunt simulacra Theologiæ, nonnullos lapides ego moueo, quos scilicet non mouerem, nisi quorundam imprudentiam veritus, qui, dum iuniores passim Theologos sine iudicio legunt, in eas opiniones incurrunt, quas refellere, vt videtur necesse est, vt Theologiæ fundamẽta & doctis & indoctis pariter iaciamus. Itaque concedendum nobis est, si imperitorum causa quędam præter differendi artem differimus. Nec prudentiam nostram ibi desiderare oportet, vbi doctor tãtò prudentior est, quantò sese magis indoctorum ingenijs & imperitiæ accommodat. Porrò autem, vt viris doctis nonnihil etiam respondeamus, disciplinarum principia non eandem rationem vniuersa subeunt. Quędam enim sunt tam nota atque perspicua, vt qui ea in quæstionem vocent, hi non sint verbis, argumentis, & disputatione philosophorum, sed verberibus, vinculis, & carcere fatigandi. Vt, Quodlibet esse vel non esse: omne totum esse maius sua parte. Alia verò sunt eiusmodi, vt et negari ex ignorantia quandoque possint, & rationibus etiam illustrioribus comprobari. Sic enim Aristoteles tradidit Dialecticen ac Metaphysicen eos coarguere, qui aliarum disciplinarum principia inficiantur. Atque ipse idem, sæpè ex effectis manifestis causas rerum minus manifestas persuadet, quibus causis tamẽ philosophiæ principia cõtinentur. Sed & duas esse cuiusque disciplinæ partes exploratum est: Vnam, in qua principia ipsa tanquam fundamẽta ponimus, statuimus, firmamus: Alteram, in qua principijs positis, ad ea, quæ sunt inde cõsequentia, proficiscimur. Atque in hac quidem posteriore, si quis principia negarit, quę nimirum in scientia supponũtur, non est cum eo contentiosa disputatione certandum. Si enim Theologo suas conclusiones ex principijs colligere volenti neget quisquam Deũ esse, stultus erit, si aduersum eiusmodi disputationem Theologicam velit instituere. In illa verò, quam priorem esse diximus, licebit vtique non solùm obscura perspicuis illustrare, sed etiã minus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nota principia, ex his, quę sunt nobis notiora, ostendere. Ferè autem fit, vt causæ rerum, quę sunt suapte natura manifestę, sint nobis obscuræ. Quemadmodum oculo Nictycoracis radij solares tenebræ sunt: ita si viro sapienti nygaretur Deus esse, licet primum sit Theologiæ principiū, daret tamē ille operam, vt via aliqua & ratione Deum esse constitueret. Non igitur mirum esse cuipiam debet, si hoc sanè libro, vbi de principiorum Theologicorum firmitudine agimus, ipsa nos principia non modò explicemus, verūm etiam cōstituamus. Aliter autem vrbium fundamenta inimicus concutit, qui conatur euertere: aliter artifex, qui nititur nō solū iacere, sed etiam confirmare. Sed iam ista omittamus, & ad ea, quę propriùs ac validius vrgent, sustinemus. Nam prima illa quidem machina, non erat adeò instructa, vt ad eam deturbandam aut longior aut acrior futura esset oratio. In illam verò alteram, vt quam aduersarij maiori arte & viribus instruxerint, maiori quoq; nos studio & acriori disputationis videremus incumbere.

CAPVT V.

Vbi quatuordecim libri è sacris Biblijs numerantur, quos quidam vel ambiguè esse canonicos, vel certè à canone reijciunt.

2. controuersia.

IN dubium itaq; & olim & nostra hac tempestate vocatum est, an septē illi libri veteris testamēti, Baruch, Thobias, Iudith, Sapiētia, Ecclesiasticus, duoq; Machabæorum, sint habendi canonici. Ex nouo quoque testamento, quæstio fermè eadem exstitit de Epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Iacobi, de secunda Petri, duabusque posterioribus Ioannis, de epistola Iudæ, & libro Apocalypsis. Sunt enim Theologi & fuerunt, atq; in his quidem & nobiles veteres, longeque principes, & quidā iuniores docti & graues, qui multis magnisq; rationib. adducti negârint eos libros oportere in canonicis cōputari. Alij verò auctores, ipsi quoque præstantissimi, contrà asseuerant hos omnes esse canonicos. Atque ad eam rem confirmandam plurimis etiam maximisq; argumētis vtuntur. Ita addubitare cogit doctissimorum hominum

num de maxima re tanta dissensio. Ego autem quò cōtrouersiam hanc manifestiùs explicem, diuidam omninò totam istam de libris canonicis quęstionem, in quatuor partes. Primùm illud ostendam, ad cuiusnā auctoritatem spectet definire, quis liber sit canonicus. Deinde eos libros, qui nunc in dubium veniunt, sacros esse demonstrabo. Tum adducam argumenta, quæ verisimilitudine homines alioqui & doctos & pios fallere potuerunt. Postremò eadem argumenta diluam. Hęc enim omnia ad hanc quæstionem referenda sunt.

CAPVT VI.

Continet argumenta eorum, qui suadere conantur, scripturam sacram non egere ecclesiæ approbatione.

ET quidem, quod ad primam partem attinet, Lutherani aliquādo asseruerunt, scripturam nō egere ecclesiæ, aut alterius cuiusq; approbatione, sed iudicium de scriptura ex ipsis scripturis esse faciendum: seu potius per ipsas scripturas cætera omnia iudicanda, eas verò per se quidē cuiq; habenti Spiritus sancti, & fidei lumen, esse manifestas. Quòd si ab illis roges, ecquis nobis fidē facit hæc à Deo prodijsse? ecquis salua & intacta ad nostrā vsq; ętatē peruenisse certiores reddat? Ecquis persuadeat librū hunc reuerenter excipiendum, illū verò numero expungēdum? Aiunt, pærinde esse ac si quis roget, vnde discemus lumen discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro, non enim obscuriorē veritatis suæ sensum scripturā prę se ferre, quàm coloris sui res albas ac nigras, saporis suaues & amaras. Sicut etiā apud philosophos p cōmunes animi conceptiones (sic enim vocant) reliqua omnia probantur, cum ipsę probatione nō egeant. Ita existimant Lutherani, diuini verbi cognitionem, q est doctrinę catholicæ cōmune principium, vsq; adeò in prōptu esse, vt nulla hominū approbatio sit necessaria. Atq; hic idem perniciosissimus error olim apud Vuiclessistas inualuit, vt Thomas Vualdensis auctor est, lib. 2 doctr. fid. Anti. c. 19. ne quisquā existimet à Luthero hāc primū hęresim pdijsse. Suadent aūt in principio, ex eo, quod Dominus apud Ioan. dicit; Ego non ab homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iotm.5. ne testimonium accipio. At siue summus Pontifex, siue
1. Argu. consiliũ, seu etiã ecclesia tota homines sunt: non igitur
ab his Christi Euãgelium, aut reliquę scripturę partes ac
cipiunt testimoniũ. Idem rursum ex illo confirmant, q̃
2. Argu. Ioannes Apostolus ait: Non necesse habetis, vt aliquis
1. Ioan. 2 doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus,
& verum est. Tertio loco argumentãtur ex eo verbo Do-
3. Argu. mini: Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet
Ioan 7. ex doctrina vtrum ex Deo sit. Cui simile est illud, Oues
Ioan. 10. meæ vocem meã audiunt, alienũ autem non sequuntur.
Quo testimonio Lutherus quasi re confecta gloriatur,
& nondum collata manu tanquam ferox victor insul-
tat. Apertè enim (vt ait) Euangelium testatur, ipsas per se
oues habere idoneã discernendi scripturas facultatem.

Argu. 4. Quartò illud Ioannis afferunt, Si testimonium homi-
1. Ioan. 5. num accipitis, testimonium Dei maius est: qui credit in
filium Dei, habet testimonium Dei in se. In omnibus igi
tur, quæ ad fidem pertinent, non ad externa hominũ te-
stimonia recurrere debemus, sed ad id, quod Deus intra
Deut. 18. nos testimonium præbet. Addunt etiam huc illud ex
Deuteron. Qui verba Prophetę, quæ loquetur in nomi-
ne meo, audire noluerit, ego vltor existam. Propheta au
tem, qui voluerit loqui in nomine meo, quę ego nõ præ-
cepi illi vt diceret, interficietur. Quòd si tacita cogita-
tione respondeas, Quomodo possum intelligere verbũ,
quod Dominus non est locutus: hoc habebis signum,
&c. Quòd si in nomine Domini propheta ille prędixe-
rit, & non euenerit, hoc Dominus nõ est locutus, &c. Ec-
ce quemadmodum discernendis verbis Dei à verbis ho-
minum non remittitur fidelis populus ad Pontificem
aut sacerdotem, non ad hominum concilium, sed ex ip-
sa rerum euidentia, vt discernat, instituitur.

1. Ioan. 4. Eodem quoque pertinet illud Ioannis, Charissimi, no-
lite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo
sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mun-
dum. In hoc cognoscitur spiritus Dei, &c.

1. Cor. 2. Confirmant præterea idem ex illo Apostoli testimo-
nio: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus
Dei, spiritualis autem iudicat omnia. Rursum ex eo, Pro
phetæ

phetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent: & pau- 1. Cor. 14.
lò pòst. Si quis videtur esse spiritualis, cognoscat quæ scri
bo vobis, quòd Domini sunt mandata. Quicũque igitur,
in quo est spiritus Dei, cognoscere verba Domini, eaque
discernere iure suo potest. Proferunt etiam alia testimo-
nia, quæ quoniam eodem spectant, eodemque modo re-
felluntur, non est necesse ea hoc loco proferre: sed ratio-
nes illas addere, quibus etiam vtuntur in sui erroris con
firmationem.

Si Ecclesia, inquiunt, de diuinis scripturis iudicium
ferret, tum inferior in superioris legẽ auctoritatem v-
surparet. Id quod absurdum planè est. Nam, vt Augusti-
nus inquit, nõ licet iudici de legibus iudicare, sed secun-
dum ipsas. distin. 4 cap. istis.

Præterea, quæ securitas (aiunt) nobis erit æternæ vi-
tæ, si, quæcunque de ea in sacris literis extant promissio-
nes, solo hominum iudicio fultæ consistant? Rursum, fi-
des nostra quantum apud homines in suspicionem voca
bitur, si credatur hominum beneficio non secus, ac pre-
cariam habere auctoritatem? Et cùm Apostolus asserat,
fundamẽtum ecclesiæ esse catholicam & Apostolicã do-
ctrinam, suam huic certitudinem antè constare oportet,
quàm illa extare incipiat. Nã si Christiana ecclesia Pro-
phetarum scriptis & Apostolorum prædicatione funda-
ta fuit, vbicunque reperiatur ea doctrina, ecclesiam cer-
tè præcessit eius approbatio, sine qua nunquam ecclesia
ipsa extitisset. Vanissimum ergo commentum est (1. cap.
institut. Caluinus ait) scripturæ iudicandæ potestatẽ esse
penes ecclesiam, quasi ab huius nutu illius certitudo
pendeat.

Prętereà, si scripturę sacrę veritas ab hominũ testimo-
nio penderet, ex eoq; comprobaretur, tunc vltima fidei
resolutio in ecclesiæ auctoritatẽ fieret. Credimus enim
Christum fuisse filium Dauid: Quoniam Deus Prophetis
& Apostolis reuelauit. Quod si Deum reuelasse ex eccle-
siæ auctoritate teneremus, iam fides nostra nõ in Deum
tandem, sed in homines reuocaretur. Quocirca ratio fi-
dei formalis non diuina, sed humana veritas esset.

Postremò, vt Aristoteles docuit. 1. lib. Post. cap. 2. Pro-
pter

pter quod vnumquodque tale,& illud magis. Si igitur ſcriptura canonica eccleſiæ auctoritate comprobaretur,plus hominibus,quàm Deo crederemus. Cõſtat verò nullam auctoritatem maiorem eſſe diuina:qua videlicet ſacræ literæ pollent. Non ergò ſcriptura ſacra per eccleſiam confirmabitur, & ab illius approbatione pẽdebit. His, atque alijs argumentis errorem ſuum Hæretici ſuadere poſſunt, perſuadere non poſſunt. Errant enim vehementer, cùm in aſſerendis ſcripturis eccleſiæ auctoritatem labefactare conantur. Quã de re nunc breuiter, & ad hanc ſolùm de libris canonicis cauſam diſputabimus. Propterea quòd & à pleriſque viris catholicis cõtra hæreticos de eccleſię auctoritate accuratiſſimę diſputarum eſt. Et hanc nos quoque in vniuerſum poſtea aſſerere & confirmare debemus.

CAPVT. VIII.

Docet ad cuius auctoritatem ſpectat de libris canonicis iudicare.

SIt igitur, quod ad præſentem locum attinet, prima propoſitio. Iudicium de ſcripturis per ſcripturas ipſas, nullo pacto idoneum eſſe poteſt. Nam, vt de pluribus alijs taceamus, quorum ſimilis omninò cauſa eſt, certè libros Ruth, Eſter, Iob, eſſe canonicos, nullo modo ex ipſis ſcripturis comprobabitur. Ergo ſi res hæc in controuerſiam veniat, aliundè, quàm ex ſacris literis petenda probatio eſt. Deinde, quoniam hoc idem amplius vrgere volumus, ſi in controuerſia ſit, an ambo Teſtamẽta nouũ & vetus Deo auctore ſint edita, per nullã alterutrius Teſtamenti auctoritatem hæc diſceptatio componi poteſt. Qua enim ratione de toto volumine dubitabitur, eadem quoque de qualibet particulà voluminis ambigetur. Neceſſe igitur eſt, huius quæſtionis aliquem præter ſacras literas iudicem conſtituere. Præterea Baſilides Prophetas neſcio quos produxit, Barchabam Barchob, aliosque id genus, qui re vera prioribꝰ ſæculis nũquam extiterint, vt auctor eſt Euſebius lib. 4. Eccl. hiſto. cap. 8. At huiuſmodi prophetarum libri per ſcripturas ipſas refelli non poſſunt. Diceret namque Baſilides præter quatuor maiores, & quartuodecim minores, alios itẽ

Prophe-

Prophetas in veteri Teſtamento fuiſſe, idq; eiuſdem teſtamenti teſtimonijs confirmaret. Nec his rationibus alia exempla deſunt. Nam quidam Hæretici reiecerunt Euãgelia, quòd Chriſtus Dominꝰ nec ſcripſerit aliquid, nec ſcribendum præceperit: vt Auguſtinus 2. retra. c. 16. refert. Alij omnes Epiſtolas Pauli reſpuerunt, apud Euſebium li. 3. hiſt. Eccle. ca. 27. Irenæ. lib. 1. cap. 26. & Orig. in 82. Pſal. referente. eodem Euſe. lib. 6. cap. 28. vide Irenæ. c. illo 26. & 29. Alij vniuerſam Moyſi legẽ atq; adeò oẽs inſtrumenti veteris ſcripturas abnegarunt, vt Aug. cùm aliàs ſæpè, tum in lib. contra Fauſtũ, & Euſe. 5. li. ca. vltimo auctores ſunt. Nos verò hos libros in vniuerſum recepimus. Itẽ, quæ Nicodemi & Bartholomæi nomine ab Hæreticis proferũtur, euãgelica cõtẽnimus. Marci euangeliũ veneramur. Ac nos quidẽ harũ rerum cauſam reddimus: illi verò eius, quod vniuerſa tenet, tenuitque ſemper eccleſia, rationẽ reddere nullo pacto queũt. Imò viuorũ iudicũ auctoritate ſublata, nihil illis ſupereſt, niſi vt totum ſacroꝝ Bibliorũ codicem de medio tollant. Adde quod ſcriptura Iudex eſt mortuus, qui nec litigantium vtrinq; rationes audire, nec ſentẽtiã ipſe eloqui valet. Accedit, quòd ſi in humana aliqua repub. talis iudiciorũ eſſet forma præſcripta, vt nulli eſſent iudices viui, ſed ſolis exaratis literis controuerſia quęcunq; de illius reip. ſcripturis exorta finiretur: præterq; quod forma iudicandi ſtultiſſima eſſet, nullus etiam eſſet litigãdi finis. Ei enim, qui neget inſtrumẽtum, nulla vis inferri queat, ſi viui iudices nulli habeãtur. Ita Deut 17. nõ ad ſcripturam diſsidẽtes hominẽs referũtur, ſed ad viuorũ examẽ iudiciumq;. Et Malach. 2. c. Labia, inquit, ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiã, & legẽ requirẽt de ore eius. De ore eius, ait, nõ de lege ipſa. Et Acto. 15. non ad ſcripturã appellauerũt, Antiocheni, vt intelligerẽt, an verba Pauli diuina eſſent: ſed ad Apoſtolos & ſeniores, q erãt Hieroſolimis. Nec Apoſtoli & ſeniores ſcripturam iudicem, ſed ſemetipſos & Spiritum ſanctũ poſuerunt. Viſum eſt, inquiũt, nõ ſcripturę, ſed Spiritui ſancto, & nobis. Sãctus quippe ſpiritus nõ habitat in litera, ſed in ſpiritu: nõ in ſyllabis, ſed in cordib. Quòd ſi ij, q Paulo aduerſabãtur, ſcriptu-

ræ in

Universidad de Deusto
Biblioteca

ræ in causa illa iudicium peterent, quæstio hodie maneret ambigua. Secunda propositio. Iudicium de scripturis canonicis ad priuatos reip. Christianæ ciues non pertinet. Primò, quia in humana repub. eiusmodi iudicia non permitterentur priuatis hominibus, nisi legislatores desipuissent. Vterque enim eorum, qui dissidium habent, hanc sibi iudicandi pari ratione vendicaret auctoritatem: sicque nullus esset dissidiorum finis. Priuatas ergo cuiusque vel reuelationes, vel opinationes velle sequi, idque in quæstione facti necessaria, stultum erit. Pro sua etenim factione quisq; definiet, & quæ ipse existimauerit, ea sibi asseret à Deo reuelata. Quid? quòd nullus homo priuatus certam habet in ecclesia auctoritatem, nullus apud reliquos fideles exploratam & solidam veritatem? ita iudicium quocunque ab eiusmodi priuato ciue profectum infirmum erit: & scripturarū proinde fides incerto & imbecillo fūdamēto nitetur. Quid? quod Deuteron. 17. quæstiones graues non ad priuatos iubentur deferri, sed ad eos, qui habent publicam in ecclesia potestatem? Quid? Nū Antiocheni priuati homines iudicium sibi assumpsêre in illa controuersia, qua dubium erat, Paulí ne verba Dei essent, an non? Minimè verò. Sed miserūt ad Apostolos & seniores, qui erant in Hierusalem. Actor. 15. Adde huc, quod cum quidam viri doctissimi negārint epistolam ad Hebræos esse canonicam, alij auctores quoque ipsi non ignobiles Apocalypsim Ioannis excluserint: & nō posset ex cuiusq; priuati hominis sensu ea doctissimorum virorum controuersia componi. Vide Originē, homil. 7 in Ezech. Gregor. Nazianzenum in Apologe. Hieron. in Ezechie. cap. 13. & in Hiere. cap. 23. vt intelligas, quàm purum sit deferendū in huiusmodi rebus priuatorum hominum præiudicijs, Sed de his multa posterius. Nunc reliqua persequamur.

Tertia propositio Ab Ecclesia est determinandum, quisnam liber sit canonicus, & illius auctoritas certa regula est, ad libros vel in sacrorum numerum recipiēdos, vel etiam ex eo numero reijciendos. Hanc tenuit Irenęus, lib. 3. aduersus Hæreses. ca. 2. 3. & 4. & Aug. li. contra Faustum 13. c. 4. & lib. 28. cap. 2. & 4. & secundo libro de doctri-

de doctrina Christiana, cap. 8. Denique in libro contra epistolam Manichæi, cap. 5. vbi illa est omnium sermone trita sententia; Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ moueret auctoritas.

Hæc eadem definitur à Concilio Toletano primo, in hæc verba: Si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas esse canonicas, præter eas, quas ecclesia catholica recipit, anathema sit. Ecclesiæ igitur catholicæ auctoritas certum argumentum exhibet ad libros sacros, vel recipiendos, vel reijciendos, id quod multis magnisque rationibus comprobatur.

Primum enim, si huiusmodi res in contentionem veniat, cùm nec ex scripturis ipsis, nec ex priuata cuiusuis opinatione sit censura ferenda, ex aliquo hanc loco petere necesse est. Non est autem vnde commodius atque constantius eiusmodi iudicium censuramque petere debeamus, quàm ab Ecclesia, quæ est columna & firmamētum veritatis. Ad Ecclesiæ igitur tribunal est hæc quæstio referenda: & eius decretum Lydius lapis erit ad explorandum, qui liber canonicus sit. *1. Time. 3.*

Itē, vt D. Augustinus contra Faustum Manicheum argumentatur, in libris Ethnicorum nō alia ratione magis veros auctores exploramus, quàm ex cōmuni cōsensu & testimonio eorum, qui fuerūt ante nos. Vnde enim Platonis, Aristo. Ciceronis libros nouimus, nisi ex corū, qui nos ætate anteceſserūt cōtinuis testimonijs? Si ergo in cæteris omnibus hæc via tutissima, & certissima est ad cognoscendum cuiusque libri auctorem, cur hęc eadem non erit certa & explorata viro catholico ad intelligendum hunc librum esse Matthæi, illum nō esse Thomæ, hanc epistolam esse scriptam à Paulo, illam à Paulo scriptam non fuisse? Ecclesiæ itaque testificatione libri sacri sunt admittendi. Quod videtur Ioannes Euangelista significasse, cùm ait: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus quia verum est testimonium eius. Ioannes ergo testimonium perhibet euangelij, & Ecclesia probat, inquiens, Et scimus, &c. Alioqui, quorsum illa numeri tam subita & inopinata mutatio? Apostolus quoque Paulus id manifestè docet in epi- *Lib. 33. c. 6.* *Ioan. vlt.*

stola ad Gala. ca. 2. Nam cùm accepisset Euangelium per reuelationem Iesu Christi, & mansisset cũ Petro & Iacobo diebus quindecim, ascendit rursus Hierosolymam secundum reuelationem: & contulit cum Apostolis & fidelibus Euangeliũ, quod prædicabat in gentibus: seorsum autẽ ijs, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vanum curreret aut cucurrisset. Quod si ecclesiæ probatio non esset necessaria, certe non fuisset solicitus Paulus, vt ascenderet ad conferendum Euangelium, ne fortè, &c. Atque (vt Augustinus contra Faustum ait) si Apostolus Paulus non inueniret in carne Apostolos, cum quibus conferret Euangelium, ecclesia illi omninò nõ crederet.

Lib. 18. c. 4. Et Hieronymus in epistola ad Augustinum, hæc Apostoli verba pertractans. Ex his (inquit) ostẽdit se nõ habuisse lecurnatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cũ eo erant, fuisset sententia reprobatum. Est autem hæc epistola etiam in tomo operum Augustini secundo, nu. 11. Et Tertullianus li. 4. aduersus Marcionem, propterea, inquit, Paulus Hierosolymam ascendit ad Apostolos cõsultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset. Nõ enim sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum Denique vt cum auctoribus contulit, & conuenit de regula fidei, dexteras miscuere. Igitur si ipse illuminator Lucæ auctoritatem antecessorum & fidei, & prædicationis suæ optauit, quãto magis eam Euangelio Lucæ expostulem, quæ Euangelio magistri eius fuit necessaria? Hactenus ille.

Idem quoque habetur Actorum 15. Cùm enim apud Antiochiam dubitaretur, an Paulus & Barnabas verè sentirent & docerent de cessatione legalium, statuerunt fideles, vt ascẽderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem. Non ergo vnusquisque per se cognoscit, an doctrina ex Deo sit nec ne, aut ipsa statim doctrina, cuiuis sese esse diuinam manifestat: sed Ecclesiæ opus est approbatione. Quod Lutherani tandem in comitijs Augustanis confessi sunt, habere scilicet Ecclesiam auctoritatem ad discernẽdum verba Dei à verbis hominum. Atque Lutherus in lib. de captiuita. Babylon. vbi de ordinis Sacramento agit, cõfitetur

fitetur quidem Ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominum, sed non proinde tamen iudicem esse verbi Dei. Quemadmodum Augustinus ait, quod veritate ipsa sic capitur anima, vt per eam de omnibus certissimè iudicare possit, sed veritatem iudicare non possit, dicere autem cogatur infallibili certitudine hanc esse veritatem iudicata magis, quàm iudicans. Ita & in Ecclesia talis, inquit, est sensus, illustrante spiritu: in iudicandis & approbandis doctrinis, quem demonstrare non potest, & tamen certissimum habet. Sicut enim apud Philosophos de communibus conceptionibus nemo iudicat, sed omnes per eas iudicantur: ita apud nos de sensu spiritus, qui iudicat omnes, & à nemine iudicatur. Sed nos hoc sanè loco de verbis certare nolumus.

Tantum definimus, id quod iam Lutherani, vel inuiti concedunt, ex Ecclesiæ auctoritate certum argumentum sumi, vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos, qui sacri non sunt.

At verò non parua quæstio se offert, an nomine Ecclesiæ significemus hoc loco Ecclesiam, quæ fuit tempore Apostolorum, an fidelium congregationem, qui modò sunt, an potius vniuersam collectionem Christianorum, à baptismo Christi per Apostolos & cæteros successores eorum, vsq; ad hæc tempora propagatam. Durandus enim in 3. Sententiarum, distinctione vigesimaquarta, quæstione prima, & Gerson de vita spirituali animæ, lectione 2. corollario 7. huiusmodi auctoritatem sacros libros approbandi, vel etiam non sacros reprobãdi ad Ecclesiam referunt fidelium, qui cum Apostolis extiterunt. At Ioannes Driedonis libro primo de Ecclesiasticis scripturis & dogmati. capitulo 1. & Thomas Vualdensis libro 2. doctrinal. fide. antiquæ capitulo 19. & 20. hanc auctoritatem existimant referendam ad seriem patrum omnium, & fidelium ab Apostolis succedentium. Quæ eadem profectò videtur fuisse sententia Irenæi lib. 3. cap. 3. & libr. 4. capitulo 63. aduersus hæreses, & Tertulliani libro 4. aduersus Marcionem; & Augustini, libro 33. contra Faustum Manichæum, & in lib.

2.capitulo 6.cõtra Iulianum Pelagianum, & libro 2. de doctrina Christi,capitulo 8.Epistola 63. Sed & alij tamẽ hanc auctoritatem huius etiam temporis ecclesiæ tribuunt:quæ videlicet eadem est cum antiqua, habetque eundem veritatis spiritum assistentem.

Ego verò primùm sentio ad Apostolos pertinuisse libros sacros probare,non sacros reijcere. Nec enim alios libros canonicos habemus siue veteris, siue noui testamenti,quàm quos Apostoli probauerunt,atque Ecclesiæ tradiderunt.

Existimo deinde huiusmodi traditionem Apostolicã non alia ratione melius innotescere,quàm per patres & doctores Ecclesiæ post Apostolos succedentes. Quemadmodũ non alia via certior atque expeditior est,ad Christi & Apostolorum reliquas traditiones cognoscendas, quod suo posteà loco demonstrabimus. Atque horum quidem neutrum opus est, exquisitis rationibus cõfirmare,tantùm satis est admonere.

Illud verò demonstrandum est, Ecclesiam fidelium nunc viuentium,non quidem scribere canonicũ librum posse,sed definire, an liber,de quo disputatio est, canonicus sit an non. Quia definitio dubiorum,quæ circa fidem modò exoriũtur, ad præsentem ecclesiam pertinet. Oportet enim iudicem viuum in ecclesia esse, qui fidei controuersias decidere possit.(Siquidem Deus in necessarijs Ecclesiæ suæ non defuit.) At librum esse canonicum nec ne,fidem maximè tangit. Ad ecclesiam igitur huius temporis huius rei iudicium pertinebit. Nam si errores, qui sanæ doctrinæ aduersantur, ecclesia,quę nũc est, condẽnare nequit, profectò iudicibus de medio sublatis, huius sæculi hæretici impunè viuere, atque adeò regnare possunt.

Rursum, tempore Hieronymi dubitare catholico licuit,an Apocalypsis Ioannis sacra & canonica esset. Nũc autem, vt suo loco ostendemus, id non licet in dubium vertere. Ergo post tempora Hieronymi ecclesia auctoritatem habuit illam quæstionem profligandi.

Quamobrem cum nostro tẽpore quidam in dubium vocent, An Baruch & Machabæorum libri, ac cęteri, de quibus

quibus quęstio in manibus est, canonici sint, nec ne,hãc certè ambiguitatem præsentis Ecclesiæ iudicium explanare poterit.

Præterea, Ecclesia quæ nunc est, in fide errare nõ potest. Ergo si crediderit aliquem librum esse canonicum, ex eius testimonio idoneum firmumq; sumetur à Theologis argumentum. Nam & Ecclesia præsens docere eos, qui fidem susceperint, suo iure potest, quæcunque fidei sunt,& sacros libros, quos per traditionem veterũ accepit,posteris suis ipsa tradere. Qui quidem posteri fidem proximè habeant ecclesiæ præsenti necesse est: vt præsentes credidimus proximè antecedentibus, & illi superioribus, serie quadam & ordine vsque ad Apostolos. Quibus fideles tunc viui proximius crediderunt.

Sicut enim in disciplinis duo principiorum genera cernimus,vnum remotum,alterum proximum:hoc postremum, illud primũ, nec cõclusiones ad prima initia, nisi per postrema referũtur: sic nec fides succedentiũ ad eos,qui nos ætate antecesserunt, nisi per nos referri potest,donec ad Apostolos, & inde ad Christum peruenitur, vbi tanquam in primo fundamento catholica fides consistit. Quemadmodum etiam vtraque disciplinarũ principia firma sunt, vtraq; itẽ conclusiones certo probant,licet altera mediata, altera immediata sint: ita & ecclesia, quæ nunc est, certum argumentum dogmatis Christiani exhibet, quãuis ipsius demum fides ad Christi & Apostolorum sit doctrinam referenda.

Qua in re videtur mihi falsus Thomas Vualdẽsis. Etenim, vt paulò antè iudicauimus, aliud est quærere, quid ecclesia præsens definire possit, & quousq; habeat cõtrouersias decernendi auctoritatem, aliud verò inuestigare, quánam via & ratione ad rectã & firmã harum rerũ definitionẽ valeat peruenirí. Ac nos quidẽ ingenuè fatemur, nõ esse nunc nouas reuelationes expectãdas siue à summo Pontifice, siue à Concilio, siue etiam ab ecclesia tota: sed inquirenda potius maiorum documenta, ac sanctorum scripta, Apostolicas rursum traditiones, sacras etiam literas consulendas, atque per huiusmodi conquisita media quæstionem de fide propositam de-

cernendam. Nam & Apostoli & seniores congregati in Concilium Hierosolymitanum, magna facta conquisitione, tum ex rebus anteactis, tum ex scripturis prophetarum, sententiam de re proposita atque in quæstionem vocata, tulerunt.

Fallitur & in alia re, nisi fallor ego, Thomas Vualdensis, cùm asserit testimonium laicorum fidelium etiam huc pertinere. Sed ideò ad eos non esse opus recurrere, quia nescierunt, inquit, fidem suam congruis vocabulis atq; ab omni intricatione liberis successione propinare memorijs. Nã quæ ad fidem spectant, sunt in duplici differentia. Altera, quæ omnes fideles explicitè credunt: vt filium Dei humanam naturam susceptisse. Altera verò sunt, quæ videlicet soli maiores credere tenẽtur explicitè, populus autem implicitè in maiorum fide: vt patrem & filium esse vnum principium Spiritus sancti. A populo igitur rudi in rebus fidei, quæ sub priori genere continentur, iure forsitan testimonium postulaueris: quòd earum fides æquè ad maiores ac minores pertinet. At in his, quæ altum genus spectant, si qua quæstio exoriatur, ineptissimum erit, vt imperitum vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus, consulatur: idq; maximè, si non ad ecclesiam præsentem, sed ad eã, quæ superiorum fuit temporum, huiusmodi quæstiones sint referendæ. Quod fieri oportere Thomas ipse Vualdensis asseruit. Cùm igitur fideles de numero canonicorum librorum explicita, non popularium sit, sed maiorũ, ad quos vtique spectat, qui nam sint sacri libri cognoscere, fateamur necesse est, in huiusmodi quæstione, quã modò versamus, testimonium à plebe non esse requirendũ, sed à doctoribus ecclesiæ, quibus & plebs rudis debet credere ad quosque similium rerum iudicium pertinere, vt iustum, ita quoque certum est. Quo fit, vt si omnes sancti & doctores Ecclesiæ asseruerint aliquem librum esse canonicum, id pro certo habendum sit, perinde ac si tota ecclesia asseruisset. Quod vberius alio loco explicãdum est, de tertia igitur propositione satis est dictum.

Quarta propositio. Ad conciliũ vniuersale præcipuè pertinet definire, qui liber sit canonicus. Quam quidem propo-

propositionem æquo animo paterer ab hæreticis nõ admitti. Sed illud tamen doleo vehementer, quod eam nõnulli fideles inficiantur, in quibus Thomas Vualdensis esse videtur, lib. 2 doctrinalis fidei antiquæ, cap. 19.

Probatur tamẽ illa manifeste, quia proponere fidelibus ea, quæ sunt diuinitùs reuelata, ad ecclesiæ pastores maximè spectat, tum quia tota ecclesia huiusmodi reuelata proponere & docere non valet: tũ quoniã vt posset, non deceret tamen, vt tota ecclesia docendi officium assumeret: tum quia pascere oues in scientia & doctrina, proprium munus pastorũ est, vt Hieremiæ 3. dicitur. Tũ quoniam aliquãdo inter ipsos catholicos cõcreatio est, an hic, aut ille liber canonicus sit. Ad dirimendũ igitur huiusmodi disceptationẽ, oportet in ecclesia iudices esse, quorum sententiã fideles debeant sequi. Iudices aũt in doctrinę fidei non alios cõuenientius accipimus, atque episcopos & doctores, quibꝰ fidelium institutio demandata est, quosq; si de medio tollas, ecclesię vniuersalis iudicia protinus aufers; cũ tota ipsa ecclesia, hoc est, fideles ômnes, conuenire ad iudicandum de proposita quæstione nec debeant, nec verò possint.

Præterea, concilium est certa regula in his, quæ fidei sunt, vt posterius ostẽdemus. Cùm igitur hæc quæst. de libris sacris atque canonicis ad fidem attineat, concilij testimonio. abundè poterit definiri. Id quod Antiochenos intellexisse constat. Non enim quæstionem delegalibus ad fidelium plebem, sed ad Apostolorum & seniorum synodum retulêre. Nec post concilij sententiam vllus relictus est dubitandi locus, Acto. 15.

Quinta propositio. Ad summum Pontificem pertinet definire, qui nam liber sit canonicus. Primò, quia maiores ecclesię causæ ad Summum pontificẽ referendę sunt, vt Innocentius probat, de baptismo ca. maiores: nosq; idem etiam sumus demonstraturi. At hæc de libris canonicis causa maxima est, ad summum itaque Pontificem est referenda. Deinde quia contigit esse dissidium inter patres in concilio cõgregatos. Quod si non esset iudex in ecclesia, qui hanc contentionẽ litemq; dirimeret, certè nõ esset ecclesia à Deo, quisum in rebus necessarijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prætereà, quia Summus Pontifex quoties de fide pronunciat, errare nequit, quod suo postea loco etiam cõmõstrandum est. Ipsius ergo Pontificis testimonio tanquam certo iudice probare poterimus, quis liber sit canonicus, quis contrà non sit.

C. si Romanorũ, 19. dist. Postremo, id ostenditur argumento Nicolai Papę. Nã quod verè sedes Apostolica probauit, hodie tenetur acceptum: & quod illa repulit, hactenus inefficax prorsus habetur: Ita opuscula doctorum, quę approbauit, ecclesia probat: quæ contrà reprobauit, ecclesia reprobat. Sũmorum ergo Pontificum de hisce rebus testimonium, ipso etiam perpetuo rerum experimẽto firmum ac certum habere cõpellimur. Nã & Euangelium, quod Paulus prędicabat in gẽtibus, vt antè ex Tertulliano, Hieronymo, & Augustino monstrauimus, non fuisset ab ecclesia receptum, nisi Petri auctoritate fuisset roboratum. & *In Marc.* vt idem Hier. in lib. de viris illustribus ex Clemẽte in 6. ὑποτυπώσεως scribit Marci Euangelium, cùm Petrus audisset, probauit: & ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit. Idem verò Eusebius libro 2. ecclesiasticæ historiæ, c. 15. non solùm Clementis, sed ex Papię testimonio confirmat. Constat autem qui Petro succedit, hunc eandem potestatem habere in illis sanè, quæ sunt Ecclesiæ necessaria. Ad summum ergo Põtificem huiusmodi de libris canonicis iudicium pertinet. Nam & si qua similis quæstio in veteri lege exõriretur, ad Põtificem eius definitio pertineret, vt Deut. 17 legimus. Hactenus quãta fieri potuit breuitate à nobis ea dicta sunt, quę præsenti loco satis erant, vt pius lector intelligeret, quib. authorib. in libris canonicis cõstituendis fidẽ habere oporteret. Nã si quæ horum maiori vi & argumẽtis indigẽt, vt in vniuersum probentur omnibus, ea suis postea locis confirmabuntur Nunc verò illud agendum esse puto, vt argumentationes hostium veræ religionis, quàm breuissimè etiam possumus, refellamus.

CAPVT VIII.

Vbi confutantur argumenta capitis sexti.

Ad

AD primum igitur argumentum sic respondeo, Si Christus ab homine testimonium nõ accipit, vbi nã illud est, Fuit homo missus à Deo, vt testimoniũ perhiberet de lumine? Vbi rursus illud, Vos testimonium perhibetis de me, quia ab initio mecum estis? Vbi deniq; illud (ne omnia repetamus) Eritis mihi testes in Hierusalẽ &c. Sensus igitur est. Ego hominis testimonio nõ egeo quidem: sed affero tamẽ testimonium Ioannis propter vos. ideoque subiungit, Sed hæc dico, vt vos salui sitis. Quòd autem ipse humanum testimonium non quærat, quo videlicet ipse minimè egere credendus est, probat subiungens, Ego habeo testimoniũ maius Ioannis, &c. Et reuera conuincit, vt qui diuinum testimonium habet, ipse quidem propter se non accipiat ab homine testimonium: sed oblatum tamen propter aliorum vtilitatem non repudiet. In eundem quoque sensum deinde subinfert, Claritatẽ ab hominibus non accipio, cùm tamen Petrus dictus sit sua morte Deum glorificasse. Ac de primo quidem argumento satis.

Ioan. 1. *Ioan. 15.* *Actor. 1.* *Ioan. vlt.*

Ad secundum verò facilè respondetur, Apostolum ibi non cum imperitis, sed cum doctis habere sermonẽ. Ait enim, Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatẽ, sed quasi scientibus eam. Sapiẽtibus ergo ecclesię magistris vnctio interior sufficit ad ea, quę fidei aduersantur, refutanda: at ignorantibus opus est etiam externa doctrina, eorum maximè, quos Deus constituit in ecclesia pastores & doctores. Intelligendum est etiam doctrinã fidei singulis hominib. necessariam, vnicuiq; per se fortè innotescere, si spiritum manentem in se habet. At verò quæ sunt in fide, non singulis quidem necessaria, sed ad Ecclesiæ communem vtilitatem permanentia, nõ ea statim à bonis viris cognoscuntur, quamlibet spiritum Dei & vnctionem habentibus. Si enim simplici mulierculæ ꝓponatur, an accidentia in Sacramento altaris sine subiecto sint, quamuis sancta sit & iusta, nõ est opus ea de re ab vnctione doceatur. Sed si illud ab ea inquiras, num Christus pro peccatis nostris sanguinem fuderit, id profectò ab vnctione docebitur, quoniam prędicanti quod in se est, Deus fidem ad salutem necessariam non negat.

Porrò autem cùm quæstio hæc de numero librorum Canonicorum non spectet ad singulos, sed ad doctos in ecclesia viros referenda sit, fit consequens, vt ad cognoscẽdum an hic liber, an ille sit Canonicus, non sit satis vnctionem habere. Non enim vnctio quemcunq; simpliciter docet de omnibus, sed quemq; de his, quæ sunt ei, propria & necessaria. Atque hęc satis abundè erant, vt secũdum argumentũ eluderetur. Sed vt ijs morem geramus, qui aliud prętereà quicquam in illius testimonij explicatione desiderant, tertia adhuc responsio adijcienda est. Non si quidem in Ecclesia primitiua tãtos habuêre & in virtute & in doctrina progressus, vt nullo doctore externo indigêrent, quippe qui spiritu docente nôssent omnia, idcirco gratia illam spiritus sancti nos & ad omnes, & ad hoc etiam tempus referemus. Alioqui si quis aut linguarum donũ, aut alia multa, quę spiritus à principio fidelibus impertiebatur, modò nõ habeat, non se arbitretur spiritum accepisse: nec vnctum sese existimet, nisi cum Antonio Monacho Aegyptio sine vlla sententia literarum diuinas scripturas intellexerit. Quod si etiamnum vnctio docet sine æterno doctore de omnibus, nõ doceant parentes paruulos suos doctrinam Christi, sed ne ad ipsum quidem euangelium audiendum atque discendum eat populus in ecclesias, quin etiam codices nullos legat, nec legentem explicantemq; hominem audiat: expectet vero rapi se vsque ad tertium cælũ, & ibi omnia Christianæ doctrinę mysteria percipere. Caueamus, Augustinus ait, tales tentationes superbissimas, magisq; cogitemus & ipsum Apostolum Paulũ, licet diuinis & voce & spiritu instructum, ad hominem tamen missum esse, vt ab eo disceret, quid se oporteret facere. Act. 9. Et Cornelium cogitemus, quamuis & exauditas orationes eius, eleemosinasq; respectas ei angelus nunciârit, Petro tamen traditum imbuendũ, à quo quid credendum, quid sperandũ, quid diligendum, audiret. Act. 10. Ac de secundo argumento hactenus.

Vide Augustin. in proœmio lib. de doctr. Christian.

Tertium verò eludi primũ poterat eo rerum discrimine repetito, quod in superioris argumenti confutatione posuimus. Concedimus enim liberaliter, doctrinam cuique

que in sua vita & statu necessariam illi fore perspectã & cognitam, qui fecerit volũtatem Dei. Sicut enim gustus bene affectus differentias saporũ facilè discernit, sic animi optima affectio facit, vt homo doctrinã Dei ad salutem necessariã discernat ab errore cõtrario, qui ex Deo non est. Quę verò ecclesiæ sunt communia, nec ad iudicium & fidem spectant singulorum, ea nõ à quouis discerni & iudicari possunt, quantuncũq; is Dei faciat voluntatem. Huiusmodi autem sunt, quæ versantur in hac controuersia de librorum diuinorum numero. Nec illarum etiam rerum iudicium adeò perspicuũ est cuiuis, vt statim ac sine doctore in promptu sit. Erant enim quidam verbum Pauli cùm auiditate suscipientes, & quotidiè tamen scrutabãtur scripturas, si hęc ita se haberẽt, Actor. 17. Et cùm quidam docuissent sine circunciſione neminem posse saluari, non protinus cuilibet exploratũ fuit, num ea vox ac doctrina ex Deo esset, an non: sed relata est potiùs ad Apostolos & seniores quæstio, & adhibito concilio, magnaque prius facta disquisitione, finita, Acto. 15. Quòd, si quæ in huius argumenti refutatione dicta sunt, cuipiam adhuc non esse illa satis videantur: habeat & hoc respõsum. Christum non dixisse quidẽ, Qui fecerit voluntatem Dei, hunc per se & sine magistro veram omnem prophetarum, Euangelistarum, Apostolorumq; doctrinam posse à falsa discernere, aut oues sine doctore externo vocem Christi internoscere, contrariumq; alieni refutare. Sed id docuit, cùm adest fidei magister idoneus, qui rem credẽdam aptis loco & tẽpore, solido pondere, ac certa auctoritate proponat, tũc auditorem, si bonus est, Dei doctrinam accepturum, sin malus, repudiaturum. De se quippe Christus suaq; doctrina peculiare loquebatur, quem quoniam pater signauerat Deus, ducem ac præceptorem mundo dederat, omniq; testimoniorum genera comprobârat: ei tot, tantisq; argumentis Euangelium annuncianti, ei, vitæ, doctrinæ, miraculorum gloria prętanti, ei humana atq; adeò diuina auctoritate pollenti fidẽ nõ habere nemo sine peccato poterat. Abeat nunc Lutherus, & quasi ecclesię fidem validissimus arietibus cõcusserit, vanissima exultatione bac-

bacchetur. Nos verò intelligamus potiùs illum, quem diximus esse verborum Christi sensum cùm ex alijs Euãgelistæ testimonijs, tum verò præcipuè ex ipso eodem, q̃ ex cap. 10. Lutherus aduersus nos citat, Opera, inquit Dominus, Quæ ego facio in nomine patris mei, hęc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Et statim, Oues meæ vocem meam audiunt. Nam certè si nõ audirent, eę oues Christi non essent, vt quæ ad vocem proprij pastoris tam exploratam & certã, clausis auribus obsurdescerent. Quæ ex re patet, quàm ineptè à Luthero, illa Domini testimonia in hac causa, de qua nunc disserimus, referantur. De tertio igitur argumento tantum.

Quarto priùs quàm respondeo, operæprecium mihi facturus videor, si strictim quędam attigero, quò facilius non hoc solùm argumentum diluatur, verùm etiam ea, quæ deinceps differenda sunt, explicari queant.

Primùm ergo id statuo, iuxta communem legẽ, aliqua exteriora & humana incitamenta necessaria esse, quib. ad Euangelij fidem inducamur. Quomodo enim credẽt ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prędicante? Item. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. &, Si opera nõ feci̇ssem, q̃ nemo alius fecit, excusationem haberẽt de peccato suo. Non igitur solùm necessarium est, vt credituro ea, quæ sunt fidei, simpliciter ab homine proponãtur, quasi prima principia discipulo: verumetiam opus est exteriorem aliquam persuasionem, & humanum incitamentũ adhiberi: quomodo principia Geometriæ nonnulla à magistro & explicantur, & suadentur. Hinc illud est, quod cũ dixisset Moyses Domino, Non credunt mihi, Domin⁹ ei dedit potestatem signa faciendi. Hinc rursum illud, Prędicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Huc illa pertinent, Hic venit in testimonium, &c. vt omnes crederẽt per illum. Et Sergius Paulus vir prudens cùm vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini, Acto. 13. Et Centurio videns quod fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè filius Dei erat iste. Lucæ 23. Et cognouit pater, quòd illa

Ad Rom. 20.
Ioan. 15.
Exod. 4.
Marc. vlt.
Ioan. 1.
Ioan. 4.

illa hora esset, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit. & credidit ipse & domus eius tota. & paulò antè: Ex ciuitate autẽ illa multi crediderunt in eum Samaritanorũ propter verbũ mulieris testimoniũ phibẽtis. Quia dixit mihi omnia, quęcũq; feci, & multi venerũt ad Iesum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signũ fecit nullũ. Omnia autem, quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erãt. & Ioan. 20. Introiuit ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit. Nondum enim sciebat scripturã, qa oportuit eũ à mortuis resurgere. Philippus deniq; & Petrus non vtcũq; fidẽ Eunucho, Cornelioq; ,ppositere: sed & causas etiã adhibuerũt, &c. *Ioan.* 10. *Actor.* 8. *Actor.* 10.

Deinde id quoque statuendum est, auctoritatem humanam & incitamẽta omnia illa prædicta, siue alia quęcunque adhibita ab eo, qui proponit fidem, nõ esse sufficientes causas ad credendum, vt credere tenemur: sed præterea opus esse interiori causa efficiente: id est, Dei speciali auxilio mouentis ad credendum. Docent id D. Thomas, ad Roma. 19. lectio. 2. ac D. August. lib. 1. retra. c. 21. & alias sæpè. Quin sacræ literæ id quoque docent: Quàm specioſi, inquit, pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Item, Nolite murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Est scriptũ in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Et inferius, quibusdam discipulis dicentibus, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Propterea (inquit Dominus) dixi vobis, quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et alio loco, Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: vt sermo Esaiæ impleretur, Domine, quis credidit auditui nostro? & brachiũ Domini cui reuelatũ est? &c. Externæ igitur omnes & humanæ persuasiones non sunt satis ad credendum, quantumcunque ab hominibus competenter ea, quæ sunt fidei, proponantur. Sed necessaria est insuper causa interior, hoc est, diuinum quoddam lumen incitans ad *Ad Rom.* 10. *Ioan.* 6. *Ioan.* 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad credendum, & oculi quidam interni Dei beneficio ad videndū dati. Viderūt (inquit Moyses) oculi tui signa illa portentaq; ingentia, & nō dedit tibi Dominus cor ad intelligendū, & aures ad audiendum, nec oculos ad videndū. Hoc quoq; sua voce dilucidè cōfirmauit Christus Petro inquiēs, Beatus es Simō Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus, q̄ in cælis est. Certè Petrus audierat Ioannis Baptistæ testimoniū, quo aperta voce clamauerat, Christū esse filiū Dei. Multa insu per Christi miracula viderat, & tamē post hæc omnia nō aut testimonio, aut auctoritate Ioannis, non miraculis visis, fidei confessionē Christus assignat, sed diuinæ reuelationi. Et ad Thessalonicenses, Gratias agimus Deo, quoniā cū accepissetis à nobis verbū auditus fidei, accepistis illud nō vt verbū hominū, sed, sicut est verè, verbū Dei, qui operatur in vobis, q̄ credidistis. Sunt & alia pleraq; sacrarū literarum testimonia in huius rei cōfirmationem. Vt ad Corin. Nemo potest dicere, Dominus Iesus: nisi in spiritu sancto, & cætera q̄ sequūtur. Et rursum inter spiritus charismata Paulus enumerat fidē. & alibi: Non sumus sufficientes, &c. Et apud Lucā: Quædā mulier colens Deū, audiuit Paulū: cuius Dominꝰ aperuit cor intendere his quę dicebātur à Paulo. Et illud, Erigit manè, manè erigit mihi aurē. Dominus Deus aperuit mihi aurem, vt audiā quasi magistrū. Dies me deficiet, si oīa velim cōmemorare, q̄b. secūdū hoc fūdamētū stabilitur.

Ioan. 1.

1. Thes. 2.

1. ad Corin. 12.

2. Cor. 13.

2. Cor. 3.

Actor. 16.

Esa. 50.

Cui & tertium subijciendum est, rationē formalem nostræ fidei non esse ecclesiæ auctoritatem, hoc est, fidei vltimam resolutionem non fieri in ecclesiæ testimonium. Ipsæ scholasticę res formas dicendi scholasticas rapiunt, & quæ vocabula scholarum consuetudo diuturna triuit, ea Latini nobis condonare debent. Nec enim tam sermonis ornatum, quàm disputationis lucē sequimur. Sed ad rē. Eorū hic errorē dissimulare nō possum, q̄ asserūt, fidem nostrū eò, tanquam in vltimā credendi causam, reducendum esse, vt credamus ecclesiam esse veracem, cui prius (inquiunt) assentimur per fidem acquisitam, quàm per infusam. Quod si verum esset, prima ratio formalis infusæ fidei, non esset veritas increata, sed creata. Quare fides nostra non inniteretur tanquā suo fundamento diuinæ veritati, sed humanæ. Deinde cùm assensus conclusionis non sit certior principiorū assensu, vt Aristoteles 1. Post. lib. demonstrat. Si fides infusa si de acquisita niteretur, tunc Deum esse trinum, cui assentimur per infusam fidem, nō esset nobis aut firmius, aut certius, quàm ecclesiam esse veracem, cui iuxta horum sensum assentimur per fidem acquisitam, et per humanarum causarum incitamenta.

Vide sto. 3. d. 23. q. vni. & Durā. d. 24. q. 1. ar. 3. & d. 25. q. 3. et Gabr. d.

23. q. 2. ar 1. & 2. qui videntur esse in hoc errore.

Præterea, nunq̄ hominem quēuis ita per fidē acquisitam existimamꝰ esse veracē, quin formidemus, eū posse, vel falli, vel fallere. Quapropter si assensus catholicę fidei ex acquisita fide pēderet, firmus omnino esse nō posset.

Ad hæc, si omnes hi, qui me docuerunt, imò adeò angeli cælorum mihi astruent oppositum eius, quod fide teneo, nō ex eo fides mea labefactaretur. Iuxta Pauli Apostoli præscriptū illud, Licet nos aut Angelus de cælo euāgelizet nobis, &c. Nostrę igitur fidei assensio humanis causis, & incitamētis nō innititur, quæ scilicet fides acquisita sectatur. Quare ne mens nostra vacillet, altiùs petenda, quàm ab hominis vel ratione, vel auctoritate, scripturæ diuinæ auctoritas est.

Galat. 2.

Præterea, Apostoli, & Prophetę resoluebāt vltimò fidē suā in diuinā & auctoritatē & veritatē. Ergò nos in humanā ecclesię auctoritatē fidē nostram non resoluimus. Eadem enim fides est, idemq; proinde habet obiectum, rationemque formalem.

Confirmat autē hoc, vel maximè, q̄ ea, quę per accidēs cōtingūt obiecto alicuius habitus, non variat illius obiecti formalē rationē: sed articulos credendos proponi per hos, aut illos homines, per accidens omninò cōtingūt. Cùm ergo Prophetę & Apostoli assentiretur articulis fidei, q̄a Deus reuelauit: eande quoq; nos credēdi rationē habebimꝰ. Nisi forte fides nostra no est virtꝰ Theologica, cuius videlicet prima & formalis ratio, si his credimus, non diuina, sed humana veritas est.

Nec desunt sacrarum testimonia literarū in huius rei confirmationē, vt illud, Crediderunt Domino, & Moysi seruo eiꝰ. Nō dixit, Moysi & Domino, sed, Domino & Moysi.

Exod. 14.

Ioan.12. Moysi. Item, Qui credit in me, nō credit in me, sed in eum qui misit me, & cætera quæ sequūtur. & ad Thessal.

1.Thes.2. Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud non vt verbū hominum, sed (sicut est verum) verbum Dei.

His verò tribus certis stabilibusque sententijs illa etiam coniuncta est, vltimam fidei nostræ resolutionem fieri in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum mouentem ad credendum. Verbi gratia, huic articulo, Deus est trinus, & huic, Ecclesia non potest errare, & cæteris vniuersis doctrinæ Christianæ principijs assentio per infusam fidem. Non q̄ Ioannes dixerit, aut quis alius homo, sed q̄ Deus reuelauerit. huic aūt, Deus reuelauit, immediatè credo à Deo motus p̄ instinctū speciale. Itaq; ex parte obiecti ratio formalis mouēs est, diuina veritas reuelans: sed illa tamen non sufficit ad mouēdū, nisi adsit causa interior, hoc est, Deus etiam mouens per gratuitum specialemq́ue cōcursum. D. Thomas 2.2. quæst. 2. art. 9. ad 3. Augustin. 11. confess. cap. 3. Et licet fundamēto in hoc secundò iam iacto firmiter hæreat, subsistit tamen eo etiam testimonio, quod in argumento refertur. Hunc enim sensum habet, quod Ioannes Apostolus dicit, Si testimonium hominis accipimus, testimoniū Dei maius est. Atqui, vnde credemus, Apostole, id esse Dei testimonium? Qui credit, inquit, in filiū Dei, habet testimonium Dei in se. Quòd si rem hanc à capite arcessere, & vnde omnia manant, videre volumus: illud tandem intelligamus oportet, habitum fidei in ordine ad Theologiæ disciplinam se habere, vt habitus intellectus se habet ad humanas scientias & facultates. Quemadmodum itaque intellectus noster in discursu disciplinarum naturalium, primò cum principijs congreditur, deinde ad reliqua cognoscenda proficiscitur, quæ videlicet à principijs positis deriuantur: sic in cognitione supernaturalium rerum quædam sunt principia supernaturalia, et quorum fidelis animus ad cætera inuestiganda procedit. Accedentem (inquit) ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.

Ad Heb. 11.

Ad Heb. 5. & iterum: Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Et statim docet, quænam sint eiusmodi elementa, inquiens, Intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur: Non rursus iacientes fundamentum pœnitentię, fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Quibus rebus expositis, facilè (vt opinor) intelligi potest, vera esse, quæ paulò antè sunt dicta. Hoc est, oportere humana quædā & exteriora adminicula interuenire ad credendum: nec tamen ea esse idonea per se, nec fidei nostrę resolutionem in eiusmodi fieri, sed in interiorem causam diuinam, quæ excitet, & moueat, vt credamus. In assensum siquidem principiorum Geometriæ, vel Arithmeticæ multa veniunt quasi præambula & antecedentia, vt cognitio sensitiua, explicatio & suasio præceptoris, qui eadem principia non vtcunque proponit, sed explicat etiam vel per exempla sensibus manifesta, vel per effecta notissima. At ratio assentiendi formalis nō est quicquā illorum, sed sunt illa quasi determinationes, & veluti conditiones, sine quibus eiusmodi principia à discipulo nō intelligerentur. Ratio autem formalis, lumen naturale est existens, quo videlicet euidens ille assensus efficitur: vt lumen hoc exterius ratio formalis est, quę colores efficit euidentes. In hunc ergo modum, proponere credenda, suadere, miracula facere, determinant quidē intellectum vt credat, quasi cōditiones, sine quib. vis vnquam intellectus determinatur. At ratio formalis assentiendi, lumen fidei est: quod Deus infundit credenti.

Ad Heb. 6.

Iā si hæc, quæ diximus, sacris literis accōmodaueris, inuenies profectò, ea esse vsque adeò cōsentanea, vt obtinere à quouis aduersario debeam⁹. Huc enim pertinet illud Ioannis 4. Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scim⁹, quia hic est verè Saluator mundi. Vt illa alia prętereamus, quę retro sunt nobis cōmemorata. Nam quarto argumento refellēdo satis superq́ue dictum est. Vnde tamen tria postrema argumenta facilimè diluantur, quamuis enim respectu vnius aut alterius hominis, sacras videlicet literas reijcientis,

prior sit Ecclesiæ auctoritas, quoniã iure probamus illi hanc esse epistolam Pauli, illã Iacobi, per ecclesiæ auctoritatem: nõ tamen inde colligitur, quòd absolutè Ecclesiæ auctoritas sit ratio credendi formalis. Quomodo si neganti principi Philosophiæ naturalis ex effectis notissimis nitamur ea suadere: nõ quærimus causam, à qua principia philosophiæ pendeant, sed argumentum aliquod vel indicium certum eius rei, quæ in controuersiam venit. Ac ferè in omnibus disciplinis contingit, vt aduersus ignorantem causam vtamur effectu: & aduersus negantẽ effectum vtamur causa, propter vtriusque mutuam connexionem. Atque id quidem copiosè varijs multarum disciplinarum exẽplis monstrare possem, sed quæ perspicua sunt, lõga esse non debent. Adhibebimus ergo exemplum vnicum, generis eius, quod & facile intellectu sit, & positũ in vna re transferri per multas possit. Terram interijci inter Solem & Lunam, ex Lunæ defectu suadet Astrologus, nec affert tamẽ genus argumentationis ineptum. Præclarè enim est hoc vsurpatum à doctissimis, quorum auctoritate non vterer, si mihi apud aliquot agrestes habenda esset oratio. Cùm verò ad eos scribam, quibus hæc inaudita non sunt, cur egò simulem, me si quid in his studijs operæ posuerim perdidisse? Vsurpatum est igitur ab eruditissimis viris, quoddam argumentandi genus, quod à posteriori iuniores vocant, Aristoteles iuxta veterem interpretem demonstrationẽ quia est, nos ab effectis vocamus. Quæ quoniã suis sæpè causis notiora sunt, ad eas commonstrandas identidem inferuntur. Nec illico tamen effecta hęc causarum suarum formales rationes erunt. Non enim, vt in eodem versemur, si terrã interijci ex Lunæ defectu suademus, idcirco defectus ipse, ratio est interiectionis formalis. Quin econtrario, si rerum natura spectetur, ipsa terræ interiectio, ratio est formalis, cur Luna defectum patiatur. Quod igitur in cæteris artibus, idem quoq; in Theologia contingit, vt rerum ordo interdum humani ingenij causa perturbetur. Ita fit, vt contra negantes nouum testamentum aptissimè argumentemur ex veteri, atque ediuerso contra negantes vetus ex nouo. Etenim ab his

ab his, quæ notiora sunt nobis, ad ea, quæ minus nota sunt, quodam quasi naturæ ductu homines ferri non solùm Philosophus auctor est, sed nullo etiam philosopho auctore experimur. Quamobrem Iudæo, cui vetus testamentum certius est, nouum ex veteri suademus. Habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonẽ: cui bene facitis, attendẽtes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Et Actor. 17. Ij, qui cum auiditate verbum Pauli susceperant, scrutabantur quotidiè scripturas, an hęc ita se haberent. Contrà verò oportet, vt aduersus eum, qui nouum Testamentum recipit, ac reijcit vetus, ex nouo veteris auctoritatem colligamus. Ad eundem quoque modum auctoritas ecclesiæ cum sacrarum literarum auctoritate connexa est, & per legẽ connexorum vtranq; in alterius probationem sumimus. At si generaliter quęratur, vnde fideli constet ea, quæ fide tenet esse à Deo reuelata, non poterit Ecclesiæ auctoritatem inducere, quia vnum de reuelatis est, ecclesiam errare non posse, vt 1. ad Tim. 3. cap. habetur. Nec verus catholicus, quod nõnulli fingunt, assentitur huic, Ecclesia est verax, solùm per coniecturas humanas, quibus acquisita fides innititur. Ad quẽ modũ & Saraceni suis præceptoribus, & Iudæi suis Rabbinis, & Gentes suis Philosophis, & omnes denique suis maioribus inhærent. Non sic (inquam) Christiani: sed per interius lumen infusum à Spiritu sancto: quo firmissimè atque certissimè mouentur ad credendum, ecclesiam Christianam errare non posse; Saracenorum, Iudæorum, Paganorum, errare posse. Deinde responderi potest, q̃ etiamsi in vniuersum opus esset, ecclesia ea, quæ sunt credenda, proponeret: non tamen proinde colligeretur, vltimam fidei resolutionem in ecclesiæ auctoritatem fieri. Nõ est enim ecclesiæ auctoritas ratio per se mouens ad credendũ, sed causa, sine qua nõ crederemus. Quippe vt nos credamus iuxta præscriptã à Paulo legẽ, oportet, vt illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponãtur. Prouidit autem Deus, vt ecclesia esset, quę certo ac firmo iudicio ea, quę verè nobis sunt credenda, proponeret. Proponit enim ecclesia, 2. Petri. 1.

vt rem exempli causa illustremus, Euangelium Matthęi esse à Deo reuelatum: nec mihi proponere nisi verũ potest: Ego igitur non credo Euangelistam dicere verum, quia ecclesia eum dicat verum dicere, sed quia Deus reuelauit. Et tamen ecclesia proponens est causa, sine qua ego nõ admitterem illud Euangelium esse Matthei. Spiritu itaque S. ecclesiam afflatam certè credo, non vt veritatem auctoritatemue libris canonicis tribuat, sed vt doceat illos, non alios esse canonicos. Nec si nobis aditum præbet ad huiusmodi sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendũ est: sed vltra oportet progredi, & solida Dei veritate niti. Qua ex re intelligitur, quid sibi voluerit Augustinus, cùm ait, Euangelio non crederem, nisi me moueret Ecclesiæ auctoritas. Et rursum: Per catholicos Euangelio credideram. Videlicet negocium August. erat cum Manichæis, qui absq; controuersia suo cuidam Euangelio credi volebant, & Manichæorũ fidẽ astruere. Rogat igitur August. ecquid facturi sint, si in hominẽ incidant, qui ne Euangelio quidem credat: quoue genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi. Certè se affirmat, non aliter potuisse adduci, vt Euangelium amplecteretur, quàm ecclesiæ auctoritate victum. Non itaq; docet fundatam esse Euangelij fidem in ecclesiæ auctoritate, verùm simpliciter nullam esse certam viã, qua siue infideles, siue in fide nouitij, ad sacros libros ingrediantur, nisi ecclesiæ catholicæ vnum eundemque consensum. Id quod eiusdem epistolæ c. 4. & in libro de vtilit. cred. ad Honorat. satis ipse explicauit. Certum itaque argumentum in controuersia de vnoquolibet libro sacro ex ecclesiæ auctoritate sumitur, idq; Augustinus tradit, sed non ad hanc, sed ad diuinam auctoritatem fides librorum diuinorum referenda est.

Nec post hæc in postremis illis tribus argumentis eluẽdis lectorẽ amplius morari volumus, sed ad ea, quæ in medio relicta sunt, explicanda properare. Testimoniũ igitur ex Deuteron. illud, quo deinceps aduersarij vtuntur, pro eis nihil omninò facit. Quemadmodum enim, cum Dominus fideles monuit, vt à lupis attenderent, eosque ceu arbores non ex foliis, sed ex fructibus internoscerent:

noscerent: nõ statim excluditur, nec canum fide custodia, & ad discernẽdum lupos naturæ mira sagacitas, nec pastorum vigilans cura, & diligens omnium prouidentia: nam si isthæc desunt, ipsæ per se oues sibi cauere non possunt, quamlibet signum à Christo habeant, vnde lupi internoscantur. Sic Moyses discernendis prophetis falsis per rerum quidem euenta populum instituit, sed nõ proinde tamen sacerdotum in his iudicium negligit, ad quos scilicet causas omnes dubias esse idem paulò antè referri iusserat. Sæpè autem vsu venire poterat, vt difficile esset & ambiguum de prophera quopiam iudicium, & variæ, vt fit, discrepantesque sententiæ. Testimonium verò, quod affertur ex Ioanne, quoniam simile est, simili quoque ratione conuellitur. Aliud verò ex prima ad Corinthios epist. non ita facilè refelli potest: sed id constat, verba Pauli mirificè à Lutheranis torqueri. Nam si spiritualis homo, id est, in quo est spiritus Dei, sic enim illi interpretantur, iudicat in vniuersum omnia: quomodo Elisæus, anima, inquit, eius in amaritudine est, & Dominus cælauit à me? 3. Reg. 4. Quomodo Iob, cùm multa se ignorare argumentis certis cognouisset, ignorationẽ suã fatetur, inquiens: Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excedunt scientiam meam? Iob 38. 39. 40. 41. 42. Quomodo Apostoli non intelligebant, quæ dicebantur? Luc. 18. Quomodo Petrus & Ioannes nondum sciebant scripturam: Ioan. 20. Quomodo aperuit scripturas discipulis suis Christus, quę illis anteà erant clausæ? Luc. 24. Quomodo Petrus non iudicauit simulationem suam esse Euangelio contrariam? Quomodo rursus idem, absit Domine, inquit, quia nunquam manducaui omne commune & immundum? Hæsitauit enim intra se, quidnam esset visio, quã vidisset. Actor. 10. Expediant mihi, si possunt, Lutherani: cur Eunuchus, in quo sine dubio spiritus Dei erat, locum Esaiæ sine externo doctore expedire non poterat. Actor. 8. Explicent & id quoq;, quamobrem fideles, qui erãt in circunciſione, disceptabant aduersus Petrum, quòd ad Cornelium accessisset, si omnia viri iusti dijudicare possunt. Exponãt itẽ id, quod paulò antè in hac causa retulimus, quidnã Antiochenis

impedimento fuit, vt non discernerent doctrinã Pauli veram esse, aliorum vero falsam: sed in senatum Hierosolymitanum retulerunt, vt seniorum Apostolorumq; concilio illa quæstio dijudicaretur. Adderem è sacris libris huiusceemodi non pauca, nisi in promptu essent. Et ea etiã, quæ posuimus, satis sunt ad euincendã causam. Paulus itaq; non vult quẽuis hominem iustum posse de omnib. iudicare. Erant enim inter Corinthios ipsos paruuli quidam & imperfecti, quibus etsi spiritus ad iustitiam non deerat, deerat tamẽ ad ea discernẽda mysteria, quæ Apostolus perfectis cõmunicabat: Non potui, inqt, vobis loqui quasi spiritualib⁹. Tanquã paruulis in Christo lac potum vobis dedi, &c. Per viros igitur spirituales, perfectos intelligit, inter quos sapientiam ipse loquebatur, qui similes Paulo spiritum Apostolicum acceperãt, vt scirent, quæ ipsis donata essent, quæ & loquebantur non indoctis humanæ sapientiæ verbis, qui breuiter sensum Christi peculiari spiritus dono possidebant. Sed ne ij quidem simpliciter omnia dijudicabant, nisi velimus eos per spiritũ, & Geometras, & Physicos, & Astrologos fuisse. Atq; nec spiritualia vniuersa cognoscebant. Nam quædã sibi spiritus reseruauit: quædam priuatim vni, alia alij reuelauit. Est ergo distributio accommoda, vt ibi, Ille docebit vos omnem veritatem: & ibi etiam: Vnctio docet vos de omnibus. Spirituales igitur & Apostolici viri omnia discernũt, hoc est, supranaturalia, & naturalia, spiritualia & corporalia, non singula, sed ea omnia, quæ ad salutẽ fuerint necessaria. Quibus rebus intellectis, nihil est opus respõdere ad alterũ eiusdẽ epistolæ testimonium. At verò prima ratio hoc modo eluditur. Nõ decet veros graueq; Theologos verborum ambiguitate ludere. Nõ itaque hoc loco iudicium vsurpamus pro eius sentẽtia, qui re ipsa, quam iudicat, superior est. Alioqui si ea semper esset vocis huius significatio, cùm iuxta Paulum prophetæ duo aut tres loquuntur, & cæteri dijudicant: oporteret hos, qui iudicium ferunt, & Prophetis, & prophetia esse superiores. Asserimus ergo ecclesiã de scripturis earumq; sensu iudicare, id est, discernere humanam à diuina, verum à falso. Atq; ecclesia sine

sine vsurpata auctoritate, quemadmodũ antè constituimus, hanc habet à Christo facultatem, Spiritus, inquit meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, nõ recedent de ore seminis tui vsq; in sempiternũ. De qua re quoniam alio loco fusè disputaturi, nihil est nunc præterea dicendum. Rationes autem, quæ sequuntur, omnes iam sunt in quarti argumẽti responsione cõfutatæ. Pergamus itaque ad reliquas controuersias, & institutum ordinem persequamur.

CAPVT IX.

Ostendit illos libros, de quibus erat controuersia, habendos esse sine dubio pro canonicis.

IN secunda huius controuersiæ parte polliciti sumus nos quidem ostensuros, quatuordecim illos libros, qui in dubium sunt vocati, canonicos esse. Id vt fiat quàm breuissimè, sit prima conclusio.

Baruch à canone sanctarum scripturarum eximere, non solùm temerarium, sed etiam erroneum est. Erroneum verò hic appello (quoniã varia & ambigua est huius nominis significatio) id, quod hæresi proximum, hæresim non audeo vocare.

Hæc primùm patet ex concilio Florentino sub Eugenio 4. in Decreto super vnione Iacobinorum & Armeniorum, Vbi Baruch inter Prophetas & sacros auctores annumeratur.

Deinde synodus Tridẽtina sub Paulo 3. apertè librũ Baruch in canonicis censet. Erroneum igitur est, illum à canonicis excludere. Nam & Eusebius libro de demõ. Euangel. cap 19. Prophetiam Baruch diuinam esse non dubitat affirmare. Affirmat quoq; idem Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 3.

Deniq; in vigilia Pentecostes nomine prophetæ toti populo Christiano per omnes ecclesias legitur. Qua in re si ecclesiæ Christi fallerentur, pernicioſissimè fallerentur. Quid ita? Nempè simul atq; populus intelligeret se in re eiusmodi à sacerdotib. ludificari, nullam deinceps certam fidem haberet, aut prophetias, aut etiam euãgelia proponentibus: vt qui in simili causa atq; negotio iã

Universidad de Deusto
Biblioteca

& essent falsi, & fefellissent. Quod si hic plebis Christianæ fides vacillat & claudicat: certè ego non video, quo alio in loco possit firma cõsistere. Eorum autem, qui volunt plebem rudem non à sacerdotum auctoritate pendere, sed per seipsam exquirere, an liber, qui legitur, canonicus sit, iampridem explosa sententia est.

Fateamur ergo, ne in ecclesiæ doctrina grauiter erremus librum Baruch, quem illa nomine prophetæ à multis annorum centurijs legit, inter canonicos esse cẽsendum. Nec enim viro cuiq; pio persuaderi potest, Deum passurum fuisse, vt populus Christianus tot seculis in re adeò graui deluderetur.

Secunda conclusio. Thobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque Machabæorum libros à canone reijcere, multo magis erroneũ est, ne dicam hæreticum. Augustinus in primis hos etiã sex inter alios canonicos enumerat, lib. 2. de doctri. Christian. capitulo 5. vbi diuinarum scripturarum catalogum intexuit, ex communi ecclesiæ proculdubio sententia.

Isidorus quoque 6 etymolog. capit. 1. de his libris loquens ita, quod licet eos Hebræi intra suum canonem non recipiant, sed ecclesia Christiana inter diuinos honorat & prædicat libros.

Hanc præterea conclusionem definit Innocentius primus in epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopũ capite vltimo, quo loco sanctarum scripturarum libros inseruit.

Gelasius etiam Papa cùm concilio 70. Episcoporum id decreuit, asseruitque hos quoque libros sanctam & catholicam Romanam ecclesiam in ordine veteris testamenti suscipere ac venerari.

Hanc eandem conclusionem docet concilium tertium Carthaginense. Quod tamen si prouinciale fuit, confirmatum est tamen & à Leone quarto, 20. distin. cap. de libellis, & à synodo in Trullo celebrata. Nec mouere nos debet, & quod Trullana illa synodus conciliũ Carthaginense probasse legitur, non concilia. Quoniã apud Græcos Carthaginense vnicum est, quod Græcum vocatur, in cuius 24. c. hæc habetur sacrorũ librorum annumeratio.

tio. Tametsi patres Trullanę synodi nõ conciliũ Carthaginense probent numero singulari, vt Gratianus accepit, sed canones editos noua Carthagine.

Postremò. Hanc eandem cõclusionem habes apud duo concilia iam citata, & Florentinum sub Eugenio 4. & Tridentinum sub Paulo 3.

Tertia conclusio. Hæreticũ est, epistolam ad Hebræos inter canonicas nõ reponere. Primò, quoniam aduersatur definitioni omnium Pontificum & conciliorum sacros libros annumerantium. vt Innocentij primi, atque Gelasij, cõcilij tertij Carthaginensis, Florentini insuper ac Tridentini, denique Laodicensis. Quod vtique concilium manifestè confirmatum est à synodo Trullana. *Cap. 59. Cap. 2. 16. distin. c quoniam.*

Deinde probatur hæc conclusio, quoniam epistola ad Hebræos recepta est in concilio Niceno: vt auctor est D. Tho. in commentarijs super eadem. Rem verò adeò grauem vir S. non astruret, nisi compertum habuisset.

Præterea manifestè id ostenditur ex cõcilio Ephesino, cuius verba sunt: Pontificem & apostolum confessionis nostræ factum esse Christum diuina scriptura commemorat: Si quis ergo Pontificem & apostolum nostrũ negat esse factum ipsum Dei verbum, anathema sit. Hactenus concilium, Id autem nõ alio loco, nisi in epistola ad Hebræos Apostolus dixit. Diuina igitur scriptura est: ex cuius etiam solius auctoritate efficax argumentum trahitur ad hæresim reuincendam. *Cap. 10.*

Quòd si post tam præclara & summorũ Pontificum & conciliorũ testimonia sanctos auctores in huius sententię confimationem citare voluero, vereor mihi illud obijciatur, quòd afferam in re non dubia testes minimè necessarios. Atqui, non est leue argumentum, quod ex communi omnium sanctorum consensione ducitur. Atq; vt Græcos scriptores præteream, quorum omnium (vt Hieronymus ad Dardanum ait) manet ad vnũ firma cõsensio: vtque Latinos omittam reliquos, præter vnum Hieronymum (de quo, quid sentiam, postea differemus) D. Augustinus constantissimè vbique tenet, hanc epistolam esse canonicam. Nam in lib. 2. de doctrina Christiana in canonem sanctarũ scripturarum refert, & tertiò de Trinit. *Cap. 8.*

Cap. 11. Vide lib. 1. de bapti. par. c. 17.

nit. ita solidam credit huius epistolæ auctoritatẽ, vt ab ea (sicut ne ab alijs quidem diuinis scripturis) aberrare non liceat. Cumq; post Augustini tempora omnes sancti, omnes Theologi, omnes catholici, pro canonica eã epistolã habuerint, quid est, quòd Iuniores isti in meridianam lucem tenebras inferre conantur? Nisi volunt vniuersam Ecclesiam abhinc mille annos in summo errore, inque magna huius quæstionis ignoratione versatam: cuius videlicet vsu cunctis gentibus nomine Apostoli hæc epistola legitur.

Quarta conclusio. Hereticum est, epistolam Iacobi in canonicas non referre. Primò, quoniam Hieronymus in lib. de viris illustribus asserit hanc (licet aliquãdo fuerit dubitatum) paulatim tamen procedente tempore meruisse auctoritatem. Iam ergo vel D. Hieronymi ætate hanc epistolam ecclesia receperat.

Item quoniam Innocentius & Gelasius, conciliaque omnia, Carthaginense, Laodicense, Florentinum, Tridentinum, eam inter sacras reposuerunt. His adde sanctos antiquos, quos nominatim etiam postea commemorabimus, omnesq; iuniores, cum veteribus Theologis scholasticis, breuiter omnes catholicos. Vsu quippè ecclesiæ legitur vbiq; gentiũ pro sacra & apostolica. Abeat igitur Lutherus, & relictis grauissimis testimonijs, sibi soli fidem habeat, testi scilicet integro atq; incorrupto. Nos autem solido fundamento innixi, teneamus illam esse canonicam.

Atque si super hoc ecclesiæ fundamentum sanè ædificare volumus, secundam epistolam Petri, duas posteriores Ioannis, & illam aliã Iudę in canonicis numeremus, huiusq; contrarium dogma hæreticũ censeamus. Causæ enim omninò subsunt eędem, quas dixi paulò antè.

Prima. Quòd huius sententiæ fuit Hieronymus in epistola ad Paulinum: Augustinus 2. de doct. Christ. c. 8. Isidorus 6. lib. Etymologiarum c. 1. Damascenus 4. lib. cap. 1. ne omnes commemorem antiquos. E quibus nullus ex his epistolis tanquam diuinis testimonia non refert.

Altera. Quòd Innocentius, Gelasius, Concilium Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, illas

las communi consensu in canonicis supputant. Id quoniam constat inter omnes, fateamur opus est, has esse canonicas.

Postrema. Quòd diuersis annis temporibus has ecclesia vniuersalis nomine Apostolorũ apponit & legit. Qua in re (vt eundem locum frequentius vrgeam) si populus à sacerdotibus ludificaretur, nulla postea ratione posset adduci, vt suis pastoribus etiam in eandem sententiam concurrentibus fidem indubitatam haberet. Quo malo non aliud grauius in ecclesiam posset inuadere.

Quinta conclusio. Librum Apocalypsis à canonicis excipere, hæreticum est. Patet in primis, quoniam D. Hieronymo auctore in lib. de viris illustribus, & in epistola ad Dardanum, & in epistola ad Paulinum, & alijs quoq; locis, D. quoque Augustino referente 2. de doct. Christi. ecclesia librum Apocalysis pro canonico habet.

Item Epiphanius hæresi 51. quæ fuit Alogorum, tanquam Hæreticos eos refellit, qui Ioannis siue euãgeliũ, siue Apocalypsim scripturam sacram esse negãt. Et Clemens Alexandrinus lib. 2. pædago. c. 12. inter scripturas Apocalypsim censet. Et Dionysius libro Eccles. Hierar. cap. 3. euangelistę Ioannes esse comprobat. & Orig. apud Eusebium 6. lib. Eccle. histo. cap. 17. Ipse quoque idem Euse. in Chronicis. Ac Diony. Alex. per Dei spiritum sine dubio Apocalypsim esse scriptam affirmat, Eusebio auctore 7. lib. Eccle. histo. cap. 23. Et Iustinus martyr apud Euseb. lib. 4. Eccle. histo. c. 18. extat locus in dialog. cum Trypho. Et Irenæus lib. 4. aduersum hæreses. Et Chrysost. Suida referente. Et Damas. 4. lib. ca. 18. Nam recentiores prætereo, qui hunc etiam librum suis commentarijs illustrarunt, Bedam, Cassiodo. Rabanum, Rupertũ, Richar. à sancto Victore, &c.

Quamobrem verissimè Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem astruit, ordinem episcoporum ab Apostolis succedentium, hunc eundem librum Ioanni Euãgelistæ tribuere. Scriptura igitur sacra est, si ordini episcoporum ab apostolis succedentium credimus.

Præterea, Innocentius, Gelasius, Conciliũ Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, inter libros canonicos

cos habendam esse Apocalypsim definierunt.

Præterea, concilium Toletanum quartum, Apocalypsim, inquit, multorum conciliorum auctoritas, & presulum Romanorũ synodica decreta, inter diuinos libros recipiendam esse constituerũt: & quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem nõ recipiunt, si quis deinceps non receperit, excommunicationis sententiam habebit. Hactenus concilium.

Tandem, cùm vsu Ecclesiastico nomine Ioannis Euangelistæ, hoc est, tanquam sacra populo legenda proponatur: dubitare non licet, quin sit canonica. Quibus rebus & apertissimè expositis, & firmissimè corroboratis, satis docuisse videor id, quod secunda quæstionis huius parte promiseram, Quatuordecim illos libros veteris ac noui testamenti honore diuino cum sacris reliquis afficiendos, habendosq; post hac citra controuersiam pro canonicis.

CAPVT X.

Continet argumentationes aduersariorum contra ea, quæ capite superiori definita sunt.

NVnc tertia pars argumenta subijciet, quibus permoti esse videtur, qui aduersa dogmata temerè & incõsultè tenuerunt. Nã quòd Lutherus argumentatur, nullũ libr. veteris Testamenti à Christiano recipiendum, quia si accipimus Moysen in vno mandato, oportet Moysen totum accipere, circuncidi, & Sabbatũ obseruare, nihil est cur solicitari debeamus: cùm & Tertullianus libris quinq; aduersus Marcionem, & Augustinus triginta tribus libris contra Faustum Manichæum, non hoc solùm Lutheri argumentum, sed & multa alia copiosè docteq; refutauerint. Præter quàm quòd multas multorum obiectiones, dedita etiam opera in hoc libro dissimulamus, partim quòd friuolæ sint & nugatoriæ. Docuit autem prudenter, Aristoteles, quodlibet stulto proferente contraria, non decere solicitum esse sapientem, Partim, quòd sint aut curiosæ aut inutiles, nec in opere, quod ego & grauissimum & vtilissimũ fore cupio, expectandum est, dum de remo inflexo & de collo colũbæ respondeam.

Primum

Primum itaque argumentum, primã conclusionem prefiniram labefactare conatur. Quòd Baruch libellum illum nec Augustinus, nec Damascenus, nec Innocentius, nec Gelasius, nec cõcilium Laodicenum, nec Carthaginense in numero librorum canonicorum supputarunt. Imò Augustinus, cùm totum canonem scripturarum diuinarũ texere se profiteretur, libellum Baruch in numeratione prætermisit. Et Innocentius, cæteris præter hunc vnum supputatis, reliquos asseruit esse damnandos.

Confirmat autem huis argumenti vim procemiolum in hunc librum. Vbi quoniam in Hebræo canone nõ habetur, propter notitiam solùm legentium ascribi dicitur. Est autem desumptum ex procemio D. Hieronymi in commentaria Hieremiæ. Ob quam etiam causam, cùm Hieronymus reliquos omnes Prophetas suis commentarijs illustrasset, in hunc nihil prorsus commentatus est.

Secundum verò argumentum, secundam conclusionem infirmare nititur. Quòd D. Hieronymus in prologo Galeato, qui præmittitur libris Regum, & in epistola ad Chromatium & Heliodorum, quæ prouerbiorũ procemium est, sex illos libros veteris testamenti excipit à canone. Quos autem libros reijcit Hieronymꝰ, Ecclesia reijcit: vt ca. sancta Romana, 15. dist. Gelasius tradit. Nõ igitur sunt canonici.

Confirmatur quoque idem alia argumẽtatione non leui. Nam Cyprianꝰ in expositione symboli eosdem sex libros patrum auctoritate, à quibus se accepisse ait, à numero sacrorum eximit. Quod idem fecit Melito. Qui quidem ad Orientem huic rei scisciteandæ causa perrexit, vbi scilicet prædicationis nostræ cœpit exordium. Cumque diligenter de omnibus explorauerit, omni inuestigatione cõperit, hos libros esse à veteris instrumenti canone reijciẽdos, vt auctor est Eusebius, 4. Ecclesiasticæ historiæ libro, cap. 26. Origines etiam in Psalmum primum hos sex libros cum Hebræis à canone reijcit, qꝰ Eusebius refert lib. 6. cap. 18. Sed & idem Eusebius lib. 6. cap. 11. hos libros à sacris videtur eximere. Nec ab hac

sententa-

1.part.q.89 art.8.ad 2. sententia alienus est Damascen⁹ 4.lib.ca.18.nec D. Thomas de Ecclesiastico certus est,sed ne D. quidem Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda. Epiphan. quoque in libello de ponderibus & mensuris libros Sapientiæ & Ecclesiastici à canone reijcit. Eadem autem est ratio de alijs quinque. Non est igitur tam explorata ista conclusio,quàm volumus.

Confirmatur deinde huius argumenti robur. Quoniam in concilio Laodiceno ex veteri testamento ij solùm enumerantur,quos Hieronymus numerat. Nec vlla prorsus mentio de sex illis habetur. *Cap. vlt.*

Cõfirmatur præterea idẽ, Quoniam à Trullana synodo probantur octogintaquinque, capite, canonum Apostolorum: At capite 84. non numerantur inter canonicos nec Thobias,nec Iudith,nec Ecclesiasticus. Nõ ergo sunt canonici. Nã huiusmodi libros Apostoli Ecclesiæ tradiderunt: nec alios sacros habemus, quã quos ab ipsis accepimus.

Confirmat autẽ id postremò,quòd Synagoga in fide errare non poterat. Erat siquidem eadẽ tunc ecclesia,q̃ in gẽtes deinceps propagata est. Quocirca, eodẽ diuino spiritu continebatur, eundemq; Deum assistentem & gubernatorem habebat, sed Hebræi omnes sex illos libros à canone reiecerunt. Vt constantissimè non Hieronymus modò & Iosephus, verùm etiam Origenes in primum psalmum,& auctores reliqui perhibent. Non igitur illi sex libri canonici. *Iosephus l. 1. aduersus Apionem. vbi quæ volumina apud Hebræos in authoritate habeantur, secundũ maiorum traditionẽ docet. vt author est Eusebius l.3 Hist. Euang.c. 9.& 10.*

Tertium autem argumentum contra ambas conclusiones insistit,si enim esset erroneum libros illos veteris instrumenti à canone reijcere, profectò viri pij iuxta ac docti post Pontificũ conciliorumq; definitiones in damnatum errorẽ neutiquam incidissent. Nec enim verisimile est,eiusmodi viros latuisse, quid de hac re Summi Pontifices & concilia præscripserint. Constat autem, plurimos eosdẽq; doctissimos in cõtrariã sententiã ijsse: qui tamẽ semp in ecclesia catholici sũt habiti. Nã glossa in proœmium Hieronymi super oẽs diuinæ scripturę libros, Ioãnes item Driedonis primo lib.de Ecclesiasticis dogmatibus,negant Baruch esse canonicum. At Nicolaus Lira-

laus Liranus super Esdrã, cap.1.& super Thobiam, Abulensis super Matthæum cap.1. D.Antoninus 3.par. tit.18. Caietanus cùm alijs locis,tum maximè in fine commẽtariorum super libros historicos veteris testamenti, alios etiã sex sacros esse inficiantur. Quos oẽs si daremus à fidei definitione exorbitãsse,non in ipsos modò, verũ in reliquos etiã fideles essemus contumelioſi: vt in quibus zelus Christi ita obdormierit, vt nullus contra præscriptos auctores proclamauerit. Quod certè,vt nullum esset aliud,satis magnum argumentũ est, cur eos libros non esse canonicos confiteamur.

Porrò quartũ argumentũ peculiare est, vt Machabęorum libri è numero canonicorũ expungantur. Nã Gelasius Papa reiecit secundum librum,vbi supra commemorauimus, D. autem Greg.lib.mora.19. reijcit ambos, reijcit Eubsebius in lib. de Temporibus,& Ricardus li.2 exceptionũ,c.9.& Ochã 3. parte dialogorũ tractatu primo li.3.c.16. Ac D.August. contra secundam Gaudentij epistolam,c.23.docet ab ecclesia quidem esse receptos, sed non certa fide. *Cap 17.*

Nec deest hoc loco copia rationũ,q̃b.idẽ suaderi possit.

Prima est, quod priori libro dicitur Antiochus illustris regnãsse anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. Quem tamen anno centesimo quinquagesimo tertio regnum tenuisse compertum est, tũ ex annalibus Græcorum,tum ex Eusebio in sua Chronographia. Item eodem libro & capite abominationem desolationis,quę prædicta est à Daniele, ad idolum Antiochi detorsit auctor libri eius: Qua in re falsus est,vt Caietanus in cap Matthæi 24. ostendit. *Cap.1.*

Secunda ratio est. Quòd in 2 li. auctor culpam à lectoribus deprecatur: quòd alienum est à diuina auctoritate. Certè qui scripta sua indigere venia fatetur, is spiritũ sancti oracula non esse clamat, vt etiam Caluinus, c. 9. institutionis argumentatur. *C. vlt.*

Tertia ratio est. Quòd eodem libro statim à principio in epistola, quę priori loco ponitur, fit mentio de altera, quæ euestigiò subditur: dicitur autem scripta anno centesimo sexagesimo nono: cùm tamẽ scripta fuerit anno centesi- *Cap.2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

centesimo octogesimo octauo, quemadmodum in eiusdem epistolæ initio videre licet.

Quarta ratio. Quòd in ea, quæ secundo loco ponitur, cuius videlicet in superiori cõmemoratio fit, Iudas refertur esse viuus. Qui tamen non solùm anno centesimo octogesimo octauo, verumetiam anno centesimo sexagesimonono iam erat vita functus: vt primo Machabæorum libro cernere est. *Cap. 9.*

Quinta ratio. Quòd eodem libros secundo dicitur Antiochus membratim diuisus: At postea mors eius longè diuersa describitur. *Cap. 1. Cap 9.*

Sexta ratio. Quòd eodem libro secundo quædam apocrypha referuntur de arca domini, probanturque ea ex descriptionibus Hieremiæ, quæ tamen ne per somnium quidem Hieremias adumbrauit. Quin etiam contraria scripsisse videtur cap. 3. suæ Prophetiæ, inquiens, Non dicent vltra arcum Domini, &c.

Postrema ratio. Quòd vtroque libro referuntur Machabæi duces fuisse super Iudam, & Hierusalem. Quos tamen de Tribu Iuda non fuisse, sed de Tribu Leui notius est, quàm vt à me sit in præsentia confirmandum. Philo siquidem libro 2. de temporibus, ob eam causam, inquit, inimicias & simultates ortas id temporis fuisse, quod Machabæi ducatũ à domo Dauid surripuerint, id autem manifestè pugnat cum illa Iacob Prophetia, Nõ auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. Quæ singulæ rationes si nõ mouẽt, at simul omnes mouere possunt, nõ solùm indoctos, sed etiã doctos, vt libros Machabæorum non esse arbitrentur in canone. Atque hæ rationes vniuersæ quarti argumenti appendices sunt, vt secunda conclusio labefactetur.

An Philonis liber hic sit in certum est. Euse. certè lib. Eccl. hist. 2. c. 18. cum in dicẽ librorum Philonis diligentissimè scripserit, huius libelli non meminit, ita à plerisque reijcitur.

Nam quantum præcipuum argumentum cum conclusionibus quidem non pugnat: rationem tamen eam, quæ à nobis affertur, non satis firmam esse contendit. Nam concilium Carthaginense & Innocentius numerant quinque libros Salomonis, Prouerbia, Ecclesiasten, Cantica, Sapientiam, Ecclesiasticum. At hos duos posteriores non esse Salomonis inter doctissimos quosq; ferè con-

uenit: vt Augustinus etiam tradit de ciui. Dei 17. lib. ca. 20. Errauit igitur Innocentius, errauit quoque concilium. Quocirca nolebant quicquam de fide pronunciare, sed ex opinione loquebantur. Ita nullum aut ex Pontificibus, aut concilijs certum argumentum sumitur ad id, quod volumus, confirmandum.

Sextum etiam argumentum inuehitur in eas rationes, quæ duabus istis cõclusionibus cõfirmandis cõstitutæ sunt. Nã canonicus liber, Latinè dicitur regularis. Id verò bifariam esse potest. Vel enim regularis intelligitur ad firmandam fidem, vel ad instruendos mores. Ergo licet illi libri à Pontificibus & cõcilijs definiãtur esse canonici, non cogimur protinus credere canonicos esse ad fidei dogmata cõfirmãda: sed sat est, si canonicos posteriori significatione fateamur. Sancti quoq; auctores eadem religione testimonia ex quarto libro Esdræ referunt, qua ex his septem, qui à nobis approbantur: vt patet apud Ambrosium, lib. de bono mortis, c. 10. & super Lucam, c. 1. At quartum Esdræ librum, certum est nõ esse canonicum. Non igitur ex eo, quòd sancti ex huiusmodi libris testimonia tanquam sacra referant, satis ostenditur eos esse diuinos.

Septimum argumentum contra tertiam conclusionem est. Quòd D. Hieronymus ambigit, an epistola illa ad Hebræos sit canonica: imò asserit Latinos eam non recipere, vt patet ex lib. de viris illust. in Caio: & ex commentarijs super Esaiam: Eusebius item, libro 6. cap. 16. *c. 6. & 8.* Caius, inquit, vir disertissimus Pauli Apostoli tredecim esse epistolas asserit, eam, quæ ad Hebræos scripta est non commemorans, quæ & nunc apud Latinos putatur non esse Pauli Apostoli. Nõ igitur certum est eam esse canonicam. Dubitat etiam idem Hieronymus de auctoritate huius epistolæ in libr. de viris illustribus in Paulo: & in epistola ad Paulinum: & in commentarijs *Cap. 31.* Hieremiæ.

Ac ne omnia ad D. Hieronymi auctoritatẽ reuocentur, ratio hoc idem ipsa suadet. Prima Lutheri est, in prologis dicentis: Ad Hebræos epistola, nec Pauli est, nec vllius Apostoli. Nam durum habet nodum, quòd in 6. &

in 10. capite simpliciter denegat pœnitentiam peccatoribus post baptismum: & duodecimo capite ait, Esau nō inuenisse pœnitentiæ locum, quanquam cū lachrymis inquisiuerit eam. Quod est contra omnia Euangelia & epistolas Pauli. Hæc Lutherus.

Alteram quoq; rationem adijciunt viri quidā haud mediocriter in ecclesia catholica celebres: Quòd si Pauli hæc epistola fuisset, procul dubio, ad Hebræos ab Hebræo, sermone fuisset Hebraico cōscripta: At non esse, multis argumentis suadent. Tum quoniam auctor huius epistolæ, Melchisedech, inquit, interpretatur rex iustitiæ. Quòd si Hebraica lingua diceret, absurdum esset nō aliter ac si dixisset, Melchisedech interpretatur Melchisedech. Tum quoniam idem auctor Hebraica testimonia citat, non iuxta veritatem Hebraicam, sed iuxta translationem Septuaginta. Non erat igitur Hebræus Hebræa lingua scribens ad Hebræos. Tum quoniam epistola Hebraica nusquam gentium reperitur. Non est autem probabile, ex omnibus epistolis Apostolicis hanc vnam perijsse. Nam reliquæ in idiomate, quo ab Apostolo sunt scriptæ, apud nos seruantur.

Cap. 8. 9. & 10.

Tertia insuper ratione suadent auctorem huius epistolæ non fuisse Paulum. Quoniam ad probandum Hebræis Christum esse filium Dei, illo testimonio vtitur. Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem. Quod tamen in germano literæ sensu de Salomone intelligitur. Vt patet in 1. lib. Reg. & in 1. lib. Paralipomenon. Decebat autem tantum Apostolum in tanta re, idq; in principio epistolæ, Hebræis pertinacibus loquentem, argumento imbecillo vti.

Cap. 1.

Cap. 7.

Cap. 28.

Quartam adhuc rationē addunt: Quoniā auctor huius epistolæ asserit, se in doctrina Euangelica ab his, qui dominum audiēre, confirmatum. At Paulus ad Galatas clamat, se non didicisse Euangelium ab homine, sed sine homine per reuelationem Iesu Christi.

Cap. 2.

Cap. 1.

Quintam rursum apponūt, quòd huius epistolæ auctor loquēs propriè de testamento, qua ratione à pacto distinguitur: probat vetus quoque Testamentum morte ac sanguine cōfirmatum: probatq; Exodi testimonio, vbi

Cap. 9.

Cap. 24.

vbi tamen Moyses non de testamēto propriè, sed de pacto loquebatur. Non est igitur ille Paulus, vt qui minus aptè referat sacrarum testimonia literarum.

Postrema ratio est, quoniam eiusdem epistolę auctor astruit in arca fuisse vrnam mannæ, virgam Aaron, & tabulas: cùm tamen tertio libro Reg. expressè dicatur in arca non nisi tabulas fuisse. Nec igitur Pauli est, nec epistola canonica, vtpote, quæ cum libro canonico euidentissimè pugnet. Ecce quibus rationibus Erasmus Roterodamus, & hunc secutus Caietanus tertiam conclusionem moliuntur euertere.

Cap. 9.

Cap. 8.

Quartam verò conclusionē infirmare conantur argumentis eiusmodi.

Salutatio epistolæ, quæ Iacobi inscribitur, nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ pacisúe sonat: sed profano more salutem dicit. Non ergo sapit Apostolicū vsum & auctoritatē. Quare non videtur Iacobus auctor eius epistolæ, atq; adeo ne alius quidē Apostolus. Cuius rei alia cōiectura est apud Euse. li. 2. hist. Eccle. c. 23. de hac epistola differentem his verbis. Sciendū tamen est, quòd à nonnullis non recipiatur, nec facilè quis antiquorū meminerit eius. Nā quod Lutherus pingui Minerua argumentatur, hanc epistolā nullius Apostoli esse, quia cōtra Paulum tribuit operibus iustificationē, & à viris doctis prorsus contemnendum est, & à nobis dissimulandum, ne de fide & operibus παρέργως differamus.

8. argu.

Nonum argumentum, aduersus eandem conclusionē intenditur. Quòd stylus epistolæ secundæ, quę Petro tribuitur, longè alius sit ab stylo primæ, ac proinde nō sint ab eodem auctore cōscriptæ. Certum est autem, auctorem primæ fuisse Petrum Apostolum. Non igitur secunda à Petro Apostolo scripta fuit. Ob hoc enim argumentum, de illa secunda epistola in epistola ad Cyprianum Hieronymus dubitat. Atque Euseb. libro tertio, capit. tertio, de secunda Petri multis, inquit, incertum est, &c. cap. 25.

Cap. 25.

Decimum argumentum in eandem conclusionem est. Quòd Euseb. 3. lib. Eccles. histo. eorum sententiæ subscribit, qui asserunt duas posteriores Ioannis epistolas non

las non esse Euangelistæ, sed cuiusdam Ioannis cognomento presbyteri. Vnde & salutatio harū epistolarum huiusmodi est: Senior Caio, Senior electæ. Est autem idē senior, qui presbyter. Sed etiam Hieronymum in hanc Eusebij opinionem liquet descendisse in libro de viris illustribus, cūm & Ioannis Euangelistæ & Papiæ vitam operaque texeret.

Vndecimum, eandem item conclusionem labefactare contendit. Quod epistola Iudę testimonium refert ex libro Enoch apocrypho. Quamobrem multi eam meritò reiecerunt. Nam plerosque reiecisse Hieronymus auctor est. Euseb. item 3 Ecclesiast. hist. lib. *Cap. 25.*

Postremum argumentum cōtra quintam conclusionem multis coniecturis nititur, quas omnes congessit Erasmus in annotationib⁹ in Apocalypsim. Igitur quantum complector animo, nouem causas repetit, cur Apocalypsis non esse Ioannis Apostoli & Euangelistæ videatur. Vnam, quod Eusebius libro 3. hist. Eccles. asserit, Apocalypsim non esse Ioannis Euangelistæ. Alteram, quòd Dionysius Alexandrinus, grauis imprimis auctor, & qui candidissimè de hoc libro iudicauit, suspicatur opus ab alio quopiam Ioanne conscriptum. Tertiā, quòd Dorotheus Tyri episcopus ac martyr prodidit Ioannē Euangelium suum scripsisse in insula Pathmo: de Apocalypsi autem nullam omninò facit mentionem. Quartam, quòd Caius, vir sanè orthodoxus apertè negat, Apocalypsim esse Ioannis Euangelistæ, apud Eusebium libro 7. cap. 21. Quintam, quod Anastasius in suo catalogo, vbi sine controuersia de huiuscemodi rebus accuratissimè disputauit, non audet affirmare, hoc opus esse Ioannis Euangelistæ. Sextam, quòd Ioannes Euangelista nomen suum per modestiam in Euangelio tacet, auctor verò Apocalypseos suum contrà nomen frequenter inculcat. Septimam, quòd Græci hunc librum non receperūt, vt auctor est Hieronymus ad Dardanum, imò multi eruditissimi viri totum librum ceu fictum insectati sunt, quasi nihil haberet Apostolicæ grauitatis, nec in sententijs quicquam esset, quod Apostolica maiestate dignum videretur. Octauam, quòd stylus Euangelij & huius libri magnoperè discrepant. Nonam, quòd in Græcis codicibus non erat titulus Ioannis Euangelistæ, sed Ioannis Theologi, qui aliàs Presbyter cognominatus est. His coniecturis Erasmus vtitur, vt hunc librum Ioanni Euangelistę adimat. At Lutherus nec Apostolicam, nec propheticam existimat, quòd beatos dicat eos, qui seruant, quæ in ea scripta sunt, cūm tamen nemo sciat, an felix sit, an non sit: & propterea cùm humana intelligentia scripturam illam penitus non assequatur, tantundem (inquit) est, ac si eam non haberemus. Quippe diuini libri, quoniam ad populi vtilitatem accommodantur, ab humana intelligentia non sunt prorsus remoti. En argumenta, quibus fidei veritas impugnari quidē ab hominib⁹ potest, vinci certè, aut superari nō potest. Quod parte huius quæstionis vltima palàm fiet. Vbi eorum argumentorum, quantum quodque valeat, quantumque idoneum sit, vnumquodque videbimus. *Cap. 39. Euse. li. 7. cap. 23.* *Vide etiā eundē li. 3. c. 25.*

CAP. XI.

Vbi confutantur argumenta capite nunc proximo posita.

NOn ego catholica dogmata crassis istorum circumfunderem tenebris, nisi lumen possem accedere, quo quasi sole exoriente fugarentur. Alioqui in hæreticorum argumentationibus recitandis digitos ad fontes solùm intendere, ne videlicet lutulentæ illorum aquæ in nostra scripta deriuentur: Concilium amicorum quidem, sed (nisi me fallit amor) timentium vbi non est timor. Existimarant namque imperiti argumenta esse maiora, quàm vt à nobis refelli possent, si aut summatim & breuiter perstringeremus, aut certè omninò dissimularemus. Mucronem itaque aduersariorū ipsi, qui acuimus, retundemus.

Nam ad primum argumentum tametsi respondere possumus, non omnes libros canonicos esse simul ab vniuersa ecclesia receptos, quo fieri potuisse, vt quē priora concilia minimè recepissent, eum posteriora confirmarent: Respondemus tamen (idque verius) Baruch prophetiam tanquam partē quandam Hieremiæ fuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

à veteribus computatam. Quod (ne noſtrum videatur eſſe commẽtum) teſtimonijs antiquitatis roborandum eſt. Auguſtinus in primis tradit hoc 18. de Ciuita. Dei lib. hæc in verba, Prophetans autem de Chriſto Hieremias, hic Deus meus (inquit) & non æſtimabitur alter ad eũ: Poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Atque eueſtigiò Auguſtinus hoc teſtimonium (ait) quidam non Hieremiæ, ſed Baruch ſcribæ eius attribuunt: ſed Hieremiæ celebratius habetur. Et auctor lib. q. ve. & no. Teſt. q. 102. ſiue Auguſtinus, ſiue quiſque tandem alius is fuerit, Caſſio. etiam in Pſalm. 81. Chryſoſto. quoque idem teſtimonium nomine Hieremiæ citat, in homil. quadam de Trinitate. Sexta etiã Synodus ſeſſ. 8. refert ex eiuſdem Chryſo. altera homilia, cuius initium eſt, Profundam ſectionem, nomine Hieremiæ illud idem teſtimonium. Clemens item Alex. lib. 1. Pædago. c. 10. illud, Audi Iſrael mandata vitæ, &c. quod Baruch 3. nos habemus, Hieremiæ aſſignauit. & li. 2. cap. 3. referẽs illud, Vbi ſunt, &c. diuinam ſcripturam vocat. Et Baſilius 4. lib. contra Eunomium ſuper illud, Vt cognoſcant te ſolum verum Deum. Ambroſius item lib. 1. de pœnitentia, c. 8. & lib. 3. Exameron c. 14. & lib. 1. de fide, c. 2. ex eodem libr. ſub nomine Hieremiæ teſtimonia referunt. His adde Sixtum Papam in epiſtola ſua prima ad omnes Chriſti fideles. Felicem in epiſtola ad Petrum epiſcopũ Antiochenum in 5. Synodo condemnatum. Pelagium denique in epiſtola ad Vigilium. Ecce, qui libellus Baruch nomine nunc legitur, cum olim antiqui Hieremiæ tribuebant. Eſſetque difficile credere, niſi teſtes huius rei certiſſimos haberemus, quorum auctoritate primum illud argumentum, difficulter quidem, ſed abundè tamen eluſimus.

Cap. 33. Baruch 3.

Ad confirmationẽ aũt facilius reſponderi poteſt. Fateor enim tẽpore D. Hieronymi, quod nunc tenemus, id nõ fuiſſe adeò certũ. Sed quemadmodũ ante tẽpora Hieronymi, licet quidã aſſeruerint epiſtolam Iacobi ab alio ſub nomine eius editam, tamen paulatim (vt idem ait) procedente tempore, obtinuit auctoritatem, & epiſtola Iudæ, quam à pleriſque Hieronymus aſtruit fuiſſe reiectam, auctoritatẽ vſu meruit: ita & lib. iſte Baruch, quanquàm olim à quibuſdam non fuerit receptus, modò tamen dignus eſt habitus, qui ab eccleſia & concilijs vniuerſalibus reciperetur.

Secundũ quoq; argumentum facilè diluitur. Nec enim verum eſt, in libris canonicis decernendis eccleſiæ regulam eſſe Hieron. quod Caietanus perperàm, ne dicam perniciosè exiſtimauit. Hie. quippè (vt Ioannes Cocleus verè dixit) in enumeratione canonicorum librorum veteris Teſtamenti, Ioſephũ ſecutus eſt: qui in 1. lib. aduerſus Apionem ex maiorũ ſuorum traditione, vt inquit 22. lib. enumerat. Auctor eſt Euſe. li. 3. c. 9. & 19. At Auguſt. non Iudæos, ſed Chriſtianos in ea re ſequitur, & rectè hic quidem: Nam Eccleſia gentium columna eſt & firmamentum veritatis. Probatur verò à Gelaſio ſentẽtia Hieronymi non in canone ſanctarum ſcripturarum cõſtituendo, ſed in his auctoribus condẽnandis, quos Hieronymus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Atque ad ſecundum argumentum hæc ſatis dicta ſunt.

In principio Epiſt. ad Heb. & in reſpon. ad 16. art. Pariſijs dãnatos art. 4. In prologo Galeato. Hiſt. eccleſi.

Nam ad primã eius confirmationem reſpondeo (id & doctiores ferè credunt) lib. illum non eſſe Cypriani, ſed Ruffini. Certè D. Cyprianus in epiſtola ad Rogatianum Eccleſiaſticũ, & in libro de habitu virginum, Sapientiã, vt diuinos libros citat. Quod verò Ruffinus aſſerit, ex patrum traditione eos libros à canone reijciendos (pace lectoris dictum ſit) patrũ traditiones ignorauit. Tertium namq; Carthaginenſe concilium, quod hos inter canonicos numerauit, dicit ſe à patribus accepiſſe. & Auguſt. lib. 1. de prædeſt. Sanctorum, proximos apoſtolorum affirmat librum Sapientiæ tanquã diuinum citauiſſe. Atq; Dionyſius ex eodẽ libro magno præfationis honore teſtimoniũ allegat inquiens, In primis ſcripturarũ inſtitutionibus quendam de diuina ſapientia dixiſſe cõperies, Amator factus ſum formæ illius. Quid omnes cõmemorem? Hieronymus inprimum caput Hieremiæ vt librũ prophetę citat: Ambroſius autem 1. lib. de fide, Grego. 18. moralium. & concil. Sardicenſe in epiſtola ad omnes epiſcopos, vt diuinum librum Sapientiæ referunt. Concilium demum Toletanum vndecimum in confeſſione fidei

Cap. 14. 4. cap. de diuinis nomin. Cap. 4. Cap. 1.

fidei sanctam esse scripturam asseuerat.

Cap. 4. Quid Ecclesiasticum? Vt diuinum citat Clemens Alexan. 7. lib. Strom. Ambros. serm. 31. & lib. 4. de fide. Eu aristus papa in epistola prima ad Episcopos Aphricanos: Sixtus secundus in epistola ad Gratum episcopum. Vtrumq; aũt lib. diuinam scripturã esse tanquã rem certã in fide tradit Epiphanius hæresi. 76. Anomœorũ. Non igitur patrum traditione eos libros Ruffinus, sed suo potiùs sensu refutauit. At eo tempore, quo res nondũ erat definita. Qua etiã ratione & reliquos excusamus. Nam quòd D. Tho. in eam sententiam aduocatur, id ferendũ nullo modo est: vt ex 1. parte, q. 1. art. 3. colligere licet, & ex cõmentarijs in quartum caput de diuinis nominibus. Sed in illa quæsti. 89. nihil de suo dixit: quin ad verbum retulit Augustinum. Qui tamẽ quam haberet constantẽ firmamq; sentẽtiam, lib. 2. de doctr. Christiana, cap. 8. & lib. 17. de Ciuitate Dei, c. 8. & ad Horosium contra Priscilianistas, cap. 11. imò eo ipso libro de cura pro mortuis gerenda, cap. 17. manifestè declarauit.

Secunda aũt confirmatio, quæ ab auctoritate concilij Laodiceni sumitur, imbecilla est. Non enim conciliũ negat esse canonicos: licet inter canonicos noluerit annumerare: quòd nondum ea res satis erat explorata. Videlicet (quod sæpè iam diximus) non omnes simul libri canonici ab Ecclesia sunt communi consensu recepti.

Ad tertiam verò confirmationem (quoniam nihil in præsentia de auctoritate canonum, qui dicũtur Apostolorum, disputare volumus, nam hæc quæstio ab ea, quæ nũc in manibus est, separatur) dupliciter respondemus. Priùs, ne quis eiusmodi argumento nos velit vrgere, intelligat eodem cap. 84. tres Machabæorũ libros inter canonicos supputari. Quòd si Apostolorum hos octoginta quinque canones recipere cogimur, respondeãt hîc ipsi nobis, qui Machabęorũ lib. ejiciunt: sin autẽ (ne confiteantur hos esse canonicos) testimoniũ huius capituli contemnunt, iam profectò nõ est, cur pondere illius nos velint obruere. Sed hanc disputationem (vt diximus) in aliud tempus reseruantes, quod ad præsentem locum satis est, alteram responsionem subijcimus: Clementem, qui

qui eos canones dispersos in vnum volumen cõgregasse dicitur, non omnes libros canonicos collegisse, quos Apostoli verbo tenus Ecclesiæ tradiderunt. Non enim aliunde, vel concilia, vel patres Apostolorum proximi, hos esse sacros, quàm ab Apostolis didicerunt. Ait tamẽ Irenæ. lib. 3. c. 3. referturq; ab Euseb. lib. 5. ca. 6. Clementem, quoniam cum Apostolis vitam semper egerit, atq; ab Apostolis institutus fuerit, recentem gessisse traditionis eorum memoriam, & eorum formam semper in oculis habuisse. Ita si hęc responsio non placet, detur alia, non omnes illos canones à Clemente editos, sed nonnullos à Græcis adiectos esse.

Ad postremam deniq; confirmationem, huiusmodi habeto responsum. Vt cùm ijs liberaliter agamus, donemusq; eis Synagogam in fide errare non posse (quod tamen nõ perinde, vt de Ecclesia catholica certum est) negamus hos libros à Synagoga esse reiectos. Aliud est enim non recipere, aliud verò reijcere. Iudæi ergo intra suum canonem hos quidem libros publica auctoritate minimè receperunt: tametsi nonnulli etiam ex eis diuinos, & sacros esse crediderunt. Qua de re vide Cocleum in libello de canonicæ scripturæ & catholicæ ecclesię auctoritate. Cap. 11 De secundo igitur argumento hactenus.

Ad tertium autem pręcipuum argumentum respondetur ante id temporis nec rem fuisse tam expeditã, nec conciliorum lectionem tam assiduam, nec hæreticorum impudentiam tam procacem in libris canonicis vel infirmandis, vel etiam reijciendis. Quocirca, non fuerunt perinde soliciti fideles de huiusmodi quæstione: cuius definitionem sine iactura pietatis poterant ignorare. Quòd si argumentum idem contorquere in aduersarios volumus, nihil est, quod faciliùs efficere possimus. Nam (vt ex concilio primo Toletano didicimus) si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas pręter eas, quas ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas esse, vel venerandas, anathema est. Cùm ergo plerique (quod retrò ostendimus) hos libros tãquam diuinos venerentur, certè si ecclesia non reciperet, in anathema concilij Toletani pariter omnes incurrerent. Ne igitur hos audaciæ & temeri-

meritatis cõdemnemus, illos potiùs ignorãtia laborasse concedamus. Imò cum perniciosius ecclesiæ sit libros recipere pro sacris, qui reuera non sunt, quàm librum reijcere, qui aliàs verè sacer est (vt D. Tho. prima parte, quæst. 68. artic. 1. & de potentia quæst. 4. articu. 1, latiùs explicat) cùm concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, Innocentius, Gelasius, ac ferè sancti hos libros tanquam sacros Ecclesiæ tradiderunt, profectò si ij non essent, pernicio sissimè falleremur. De tertio igitur argumento satis dictum est.

Ad quartum verò argumentum primò dicitur, quòd Gelasius forsitan vnius libri nomine ambos complectitur: quod etiam in Esdra non ipse modò fecit, sed & Isi-

6. Etymolog c. 1 dorus & Hieronymus, qui Esdrã interpretatus, vnicum edidit, sequens Hebræorum consuetudinem, qua Esdræ primus & secundus liber in vno est, vt Origen. in primũ Psalmum docet, & Eusebius lib. 6. capitulo 18. Hanc autem mentem fuisse Gelasij, vel illud abũdè magnum argumẽtum est, quòd idem ipse probat lectionem scripturarum, quæ per anni circulum distribuuntur, librum autem Machabæorum pro dominicis Octobris: in quibus ambos ecclesia legit. Deinde respondetur, Gelasium de

Cap. 36. secundo libro ambiguam fortè sententiam tenuisse:

Cap. 1. coq; concilio in enumeratione eũ librum prætermisisse. At Augustinus 18. de ciuitate Dei, & Isidorus 6. Etymologiarum, vtrumque Machabæorum ab ecclesia recipi asseuerant. Quod & in procœmio horum librorum asseritur. Nec id modò in dubium vocare licet, quod D. Gregorio, Euseb. atq; reliquis licuit aliquando dubitare.

Iam ad primam rationem, quę in huius quarti argumẽ-

Annius hos libros Philoni tribuit, at docti negant. ti confirmationem affertur. Ioannes Annius in cõmentarijs super secundum librum Philonis de temporibus tradit, libros Machabæorum, qui absq; temporibus scripti erant, Iosephum adiectione temporum apocryphos reddidisse. Ostendit verò id argumento, quo nos vsi sumus: quo eodem Ioannes quoque Lucidus permotus est 4. suæ chronographię libro. Vnde autem Annius noster acceperit aut sine temporibus Machabæorum olim libros haberi, aut Iosephum adiecisse tempora (ingenuè fateor)

fateor) me præterit. Sed si id verum est, quemadmodũ mendum, quod in numeris facilimum est, non auctoribus, sed librarijs imputatur: ita menda, quæ Iosephi per incuriam inducta sunt, non auctori lib. Machabæorum, sed Iosepho tribuemus. Nec ob id libros hos apocryphos existimabimus. Tametsi Iosephum germanam veramq; catholicorum lectionem vitiasse viris ecclesiasticis omnibus dissimulantibus, atq; adeò conniuẽtibus, mihi quidem non sit verisimile. Nisi volumus mille quingentos annos, & eo ampliùs, ecclesia in vtramq; aurem dormitanti, inimicum hominem zizania superseminasse. Quamobrem, multò melius Euseb. Cæsariẽsis licet hos libros nõ crediderit in sacrorum numerum referendos, asserit tamen auctorem illorum nõ supputare Græcorum regnũ ab Alexandro, sed à Seleuco Ni-

Quinque annos inter gros: nam regnauit præterea et aliquot mẽses,

canore, qui regnauit in Syria, anno à morte Alexandri exacto vndecimo. Cui numero si addas quinque annos, quibus Alexander tanquam Monarcha imperauit Græcis, cõficitur numerus annorum exactus sexdecim. Quibus minor erat supputatio Monarchiæ Græcorum iuxta rationem Hebraicam. Nam Græci ab Alexandro supputabant. Igitur quod iuxta annalia Græca Antiochus regnasse dicitur anno cẽtesimo quinquagesimo tertio, & iuxta primum Machabęorum anno centesimo trigesimo septimo, verborum, nõ rerũ dissensio est. Quippè, si centesimo trigesimo septimo sexdecim adijcias, numerus centesimus quinquagesimus tertius cõficietur. Ioannes verò Lucidus in eo discrepat ab Eusebio, quòd

Li. 4. c. 3. scribit Alexandrum postadeptam Monarchiam annos septem regnâsse. Seleucum verò anno octauo post mortem Alexandri iam exacto. Sed quod ad prẹsentem attinet quæstionem, non admodum refert, vtrum ex his verum sit, cùm supputatio prẹcipua, de qua hic agimus, minimè varietur.

In huius verò confirmatione argumenti Ambrosius Catharinus Caietanum affirmat tot peccata admisisse, quot verba penè effudit. Sic enim ille loquitur: Nec aduertit homo ad carpendum prõptulus, se quoq; in reprẹhendendo Caietano sæpè ac multum erasse. Hoc certè

certè loco ter errauit. Sed istius errores coarguere nec meum est, nec huius temporis. Quid ergo? Nónne hic peccauit Caietanus? Peccauit sanè. Primùm in eo, quòd temerè & inconsideratè, ne superbè dicam & arroganter, auctorem libri Machabæorum ait intelligentia Danielis esse deceptum: quem constat Spiritus sancti afflatu eum librum scripsisse. Deinde falso existimat Caietanus, si auctor libri Machabæorum verba Danielis vsurpat, ideirco Danielem interpretari. Quasi non licuerit Bernardo verbis scripturarum passim vti: quas si quis arguat ab ipso malè intelligi, quòd verba nō in eum afferat sensum, qui scripturarū erat germanus & proprius, is stultus esse videatur. Certè Poetæ recentiores veterum versus etiam integros vsurparunt elegantissimè: nec tamen priorum illi versus à posterioribus in eandem sententiam capiuntur. Fallitur præterea Caietanus in eo, quòd putat, Danielis prophetiam non potuisse ad Idolum Antiochi referri: quia Dominus ad futura tempora referēdam declarauit. Eadem quippe scriptura & ad Luciferum pertinet & ad Nabuchodonosor, & ad Antechristum. Vanissimum ergo fuit auctorem libri Machabæorum reprehendere, quòd in idolo, abominatione, & desolatione Antiochi ad verba Danielis illuserit, vel ea certè in simili causa vsurpârit. Nam etsi in illum sensum Danielē adduxisset, id fecisset egregiè, quod & Paulus, & Apostoli cæteri sæpè fecerunt.

At secunda ratio duobus modis refellitur. Priùs enim nihil impedit, vt Spiritus S. scriptori assistat, qui in quibusdam tamen humano more ex modestia loquitur. Sic enim Paulus ait, Etsi imperitus sermone, nō tamen scientia. Et rursum, Vt minus sapiens dico, plus ego. Et iterum, Donate mihi hanc iniuriam. 1. Cor. 11. 2. Cor. 12.

Posterius, aliud est loqui de ipsius historiæ veritate, aliud de interpretatione in aliam linguam. Interpres ergo veniam petit, non falsitatis, quæ nulla erat, sed elocutionis, quæ ab homine erat. Secunda igitur illa ratio hac duplici responsione conuellitur.

Sed & tertia bis quoque confutari potest: & quia non est opus confiteri, epistolam, cuius in priori fit mentio, eam

eam esse, quæ vestigiò subditur: & quod si esse quis contendat, habet in promptu quid dicat: puncta librariorū incuria esse malè distincta. Illa enim verba, Annò centesimo octogesimo octauo, non sunt initiū epistolę sequentis, sed finis antecedentis. Vt subsequens epistola hoc principium habeat, Populus qui est Hierosolymis. Cuius rei illud est argumentū, quòd diem, annum ve, quo scribitur epistola, non ab initio statim, sed à fine ponere solemus: salutationem verò statim à principio. Tametsi vtrumque Constantinus & in epist. ad Donum papam, & in epistola ad Georgium Constantin. Patriarchā, coniunxerit. Quæ igitur secundo loco ponitur, hæc scripta est anno centesimo sexagesimo nono, vt in priori epistola dicitur. Quæ verò ordine quidem scripturæ antecedit, sed re ipsa tamen posterius missa est, ea scripta fuit anno centesimo octogesimo octauo.

Ita ad quartam rationem facilè dici poterat (quod antè monuimus) illam Epistolam non esse cuius prior meminit. Quare nec necesse est fateri, eam esse scriptā anno centesimo sexagesimo nono. Quin compilator illius secūdi libri, siue is fuerit Iosephus, vt Annio placet, siue quisque alius, quascunq; epistolas inuenire potuit à Iudæis scriptas, nullo seruato ordine, in initio libri forsitan collocauit.

Quòd si secundam illam esse admittimus, quam commemorat prima, dicere oportet, numerum non secundū Hebraicam computationem haberi, sed secundum Græcam. Potuit enim (nec id incommodè) fieri, vt qui eas literas dederint, ij Græcam monarchæ supputationē fuerint secuti: quam tamen is, qui librum illum dicitur in compendium redegisse, noluit immutare: sed exscribere numerum, vt scriptum reperit. In alijs verò secutus est semper supputationem Hebraicam. Iudas itaque mortuus est iuxta Hebræorum rationem, anno centesimo quinquagesimo secundo expleto: hoc est, anno centesimo quinquagesimo tertio. Quibus si apponas sedecim annos Græcæ supputationis, constat numerus centesimus sexagesimus nonus: qui idem est cum priori. Nam, quo anno Iudas mortuus est, scripsit epistolam. Ita non

est

l.1.10.de vict. verbi,c.15.

est necesse cũ Ruperto, libro de victoria verbi, aliũ à Machabæo Iudam diuinare, qui eam epistolam dederit.

Ad quintam, non desunt, qui existiment nõ Antiochũ membratim diuisum, sed ducem ab eo missum: sic enim videtur 1.cap. significari. Illum verò fuga elapsum morbo pestilenti interijsse, vt cap. 9. dicitur. Sunt etiam, qui contendunt in cap. illo 1. particulam, Et, adiectam esse librariorum vitio: lectionem autem veram hanc esse, Percusserunt ducem, & eos, qui cum ipso erant, diuiserunt membratim, &c. Scio autem verbum, Percutere, interdum significare id, quod occidere. Vt eo loco: Percussit Philistæum, &c. Sed non cogimur hîc vocabuli propria significatione deserta ad dictionem confugere figuratã, præsertim cùm Danielis 11. c. de Antiocho scriptum sit, Et venient super eum Romani, & percutietur. Quo loco Hieronym. Percussus, ait, dicitur esse, non quod interierit, &c. Et 2. Reg. 2. Serui Dauid percusserunt de Beniamin 360. qui & mortui sunt. Sed ne illud quidem huic expositioni repugnat, quod Lyrah⁹ obijcit Antiochum (vt hic dicitur) cecidisse. Non enim semper eo verbo mors significatur: sed qui victus est, cecidisse verè asseritur. Ceciderunt, inquit, per prona fugientes. Sed ne illud quidem obstat, quod ibi legitur, Cum ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum: Cum autem intrasset Antiochus, &c. Vbi videtur designari Antiocho concluso, nullum fuisse locum fugiendi reliquum. Non enim intelligendum est templum clausum post ingressum ducis: sed cùm milites essent intra fani ambitum, vt si exempli causa dicamus, in atrijs sacerdotes clauserunt ianuas templi. At contra, cùm milites Antiochi aditum templi occultum aperuissent, vt cognita res est, lapidibus sunt à Iudæis obruti. Potuit ergo dux ipse percussus, si ducis nomine Antiochus intelligitur, quo aditu aperto intrauerat, exire atque fugere. Ob quam fugam c. 9. dicitur, inhonestè ac turpiter de Perside rediisse. Sed ne rimulas quærere ad elabendum videamur, illa respõsio & planior & verior est, cui historicorum grauium consentit auctoritas, non eundem esse Antiochum, de quo primo capite, & de quo capite nono perhibetur. Sed ibi

Iosue 7.

ibi Antiochi magni mortem scribi, hic verò Antiochi Epiphanis. Cuius etiam finis primi libri capite sexto texitur. Nam illum Strabo libro 16. ait templum Beli expoliare conatum finitimos Barbaros interemisse.

Ad sextam, licet Rupertus omnia ea figuratè velit intelligi de arca noui testamenti, id est, humanitate Iesu Christi: ad literam tamen miraculũ illud vel iam factum est, cùm expulsis gentibus à Iudæa Hebræi ex diuersis locis, vbi erant dispersi, conuenerunt, vel fortè etiam in conuersione Iudæorum ante diem iudicij futura fiet.

Nec nostris coniecturis diuina promissio debilitanda est. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

Postrema demum ratione soluenda variè torquentur auctores. Alij namque fingunt, Machabæos per matrem à tribu Iuda originem ducere: eaque ratione defendunt, sceptrum de Iuda non esse translatum. Alij sequentes traditiones Thalmud, astruunt, Machabæis quoque existentibus ducibus, fuisse iudices quosdam ex tribu Iuda, penes quos summa decernendi atque imperandi potestas resideret. Qui Hebraicè *Zanedrin*, Latinè senatus, vt apud Romanos appellabatur. Vnde illud est, Populus qui est Hierosolymis, senatusque & Iudas, &c. Hos itaque cùm Herodes, qui primus ex alienigenarum genere ortus, regnum Iudaicæ gentis obtinuit, in odium Dauidici regni, de medio sustulit, tũc verè sceptrum de tribu Iuda dicitur abstulisse. Alij hunc nodum soluunt: affirmantes illam Iacob Prophetiam, promissionem fuisse ad legem comminationum intelligendam: quæ scilicet mutatis moribus commutetur. Et quemadmodũ sentẽtia aduersus Niniuitas post pœnitentiam translata est, ita quoque hæc diuina promissio, filijs Iuda peccantibus fuerit commutata. Quam quidem normam in expli candis tum comminationibus, tum promissionibus ex Ezechiele desumunt: apud quem Dei & comminatio & pollicitatio pro cõcursis, aut auersis hominum moribus transferuntur. Nos verò, quibus consilium est, alienas expositiones non inimicè, aut insectari, aut repelle re, faci-

Ezech. 33. vid. 2. Reg. 7. & 3. Reg. 9. de promissione throni

Universidad de Deusto
Biblioteca

Danidi fata.

re, facilius hunc locum expediemus, si ex primo Machabæorum libro intelligimus populum Iudæorum ducatum Machabæis tradidisse, non tanquam proprium & hæreditarium, sed ad legem depositi conseruandum: vt videlicet Israeliticâ plebẽ interea tuerentur, donec surgeret Propheta fidelis, vel qui eos instrueret, vel quem de tribu Iuda venturum expectabant. Qua ex re sceptrum de tribu Iuda nõ auferebatur: eò præsertim, quòd ipsa quoque tribus in hoc populi conditum sentẽtiamque à principio saltem creditur consensisse. Quartum ergo argumentum cum suis confirmationibus hoc modo fuerit confutatum. Nam quod argumentum Caietanus in Matthæi 24. cap. ponit auctorem libri Machabæorũ errasse in interpretatione Prophetiæ Danielis, quam ad Antiochum ille refert: cùm Lucas ad exercitum Romanorum perspicuè retulerit, id nullius momenti est. Eadem quippe littera, & ad Nabuchodonosorem & ad Antichristum spectare potest. Sic eadem & ad Antiochum, & ad Idolum Romanorum, & ad Antichristum pertinet. Quæ omninò res, quoniam nihil obscura est, nostra explicatione non eget.

At quintum argumentum refellimus. Nõ modò concilium Carthaginense, & Innocentius, sed pleriquè alij Sapientiam & Ecclesiast. Salomoni assignauerũt. Nam, librum quidem Sapientiæ nomine Salomonis citat Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum. Origen. super epistolam ad Romanos lib. octauo: Cyprianꝰ sermone quarto de immortalitate: Basilius lib. 5. cõtra Eunomiũ: Ambrosius sermone octauo in psalmum, Beati immaculati, & lib. 5. Exameron, ca. 15. & 4. li. de fid. c. 6. Euse. 11. lib. præparationis Euangelicę, ca. 5. Quin Eusebius ipse lib. 4. Eccl. hist. c. 22. asserit, Egesippum, Irenæum, & omnes antiquos librum Sapientiæ Salomoni tribuisse. Tribuerunt certè Euaristus in epistola ad episcopos Aphricanos, Felix primus ad omnes episcopos Galliæ, Felix secundus ad Athanasium & cæteros episcopos Aegypti, Epiphanius hæresi 76. Anomæorum. Damascenus quarto suæ Theologiæ libro; vbi Iodocus Clichtoueus multis argumentis contendit, librum illum non fuisse

Hilar. in Psal. 128. Cassio. in Psal. 88. et 89. et 9. Et 5. lib. hi. Eccle. ca. 8. Cap. 18.

fuisse Philonis, sed Salomonis. In quibus illud maximũ est, quòd verba, quæ auctor ca. 9. eiusdem libri de se dicit, non alij, quàm Salomoni congruere possunt.

Ecclesiasticum quoque auctores nobilissimi Salomonis nomine retulerunt: Clemens Alexand. lib. 7. stroma. Gregorius Nazãzenus oratione octaua, Basilius quarto libr. contra Eunomium, Chrysostomus, siue quis alius fuerit, homil. tertia imperfecti operis in Matthæum, Ambros. super 7. caput prioris ad Corinth. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastes, Cyprianus ad Rogatianum, & tertio libro ad Quirinum, & primo sermone de eleemosyna. Cassiodo. in Psalm. 55. & 66. & 93. Gregorius 10. libr. Moralium, & 1. quæst. 1. cap. non est putanda. Sixtus primus in epist. ad omnes fratres, Marcellinus ad Salomonem episcopum, Fabianus in epistola ad omnes Orientales Episcopos, Sixtus secundus ad Gratum, Damasius ad episcopos Italiæ, Ioannes papa ad Valerium episcopum. Quòd si post tot, tamque graues auctores libros illos Salomonis esse assecueremus, nihil erit profectò, cur timere debeamus.

Cap. 19.

Cap. 14.

Deinde librum esse huius aut illius scriptoris nõ admodũ interest catholicæ fidei, dummodo Spiritus sanctus auctor esse credatur. Quod Gregorius in procemio super Iob capite primo eruditè & tradit, & explicat. Nec enim refert, qua penna rex epistolam scripserit, si verè scripsit. Vnde nihil obstaret, vt in ea re, quæ ad fidẽ non pertinet, Innocentius, & concilium Carthaginense cõmunem antiquorum opinionem sequerentur. Nec proinde tamen in libris canonicis enumerandis errare potuêre, quippe quòd ad fidem attinere certum sit.

Vide ea, quæ in cõfutation. 6. argu. ex Hiero. referuntur.

Denique, vt has duas respõsiones prętermitteremus, habemus aliam multò potiorem: quam ex Euseb. libr. 11 præparationis Euãgelicę, Ioannes Driedonis expressit. Cùm enim Salomon iuxta scripturam, locutꝰ fuerit tria millia parabolarum, & carminũ quinq; millia, quæ non sunt in vnum aliquod volumẽ à Salomone coacta: fuerunt alij atq; alij, qui sentẽtias Salomonis sparsas collegerunt, vt patet Prouerbiorum capit. 25. Ita Augustinus Eugubinus secutus Rabbi Moysen & Thalmudistas, credidit

Cap. 5.

3. Reg. 4.

In cõmen. super Gen.

didit Esaiam libros Salomonis scripsisse. Quod equidē incertum habeo: illud verò exploratum, sententias librorū, qui Sapientales vulgò nuncupantur, à Salomone quidē fuisse primū excepti, sed non ab eodem auctore collectas. Vnde & Iesus Syrach in Ecclesiastico, non ait se protulisse, sed renouasse sapientiam de corde suo. Huius ergo rei Innocētius & concilium Carthaginense nō ignari, optima ratione hos omnes libros Salomoni dederunt. Ac de quinto argumento hæc dixerimus. Cap. 10.

Sextum verò argumentum Caietani est, in fine commentariorū super libros historicos veteris Testamenti. Pudet aūt virum alioqui ingeniosum & doctum, virum pium, ac nostræ familiæ columen, vano distinctionis nouæ commento argumētum firmissimum eludere voluit sc: atq; , vt leuiorem plagam repelleret, grauiorem accepisse. Cùm enim nomen libri canonici apud scriptores omnes, vno excepto Caietano, pro sacro atq; diuino sumatur, non modò cōprehendi animo, sed ne suspicione quidem potest attingi, Pontifices & Concilia omnia aliter vocabulum vsurpasse, quàm erat in vsu vniuersorum. Deinde, concilium Carthaginense, ne quis aliter inuerteret, quid nomine scripturarum canonicarum intelligeret, declarauit, inquiens: Præter scripturas canonicas, nihil in ecclesia legatur sub nomine diuinarū scripturarum. Sunt autem canonicæ scripturę, &c. Et Innocentius, hi libri, ait, recipiuntur in canonem sanctarum scripturarum. Et in concilio Florētino eodem spiritu inspirante illi omnes libri, quos suscipit, & veneratur ecclesia, & de quibus præsens disputatio instituitur, scripti à sacris auctoribus asseruntur. Præterea, cùm sub eodem cōtextu omnes illi libri nullo facto discrimine definiantur esse canonici, ridiculum est, vt partim in vna significatione, partim in alia, libros canonicos habeamus. Ac si hanc semel distinctionem admittimus, auctoritate conciliorum atque pontificum nullus liber sacer constare potuerit. Nā, pari cauſatione, si id quidem lubitum esset, hæretici dicerent, vnumquemlibet de cæteris non esse canonicum ad firmandam fidem, sed ad instruendos mores. Id quoniam absurdum omninò est, Cap. 39

retineamus potius eam rationem oportet, quā Caietanus voluit euertere: vir (vt sæpe iam dixi) cū primis eruditus & pius: sed qui in libris sacris constituendis Erasmi nouitates ingeniumque secutus, dum alienis vestigijs voluit insistere, propriam gloriam maculauit. Ac de sexto argumento hactenus.

Ad confirmationem aūt facilius responderi potest. Nō Ambrosium modò, sed & Cyprianum ad Pompeianum, & Augustinum 18. de Ciui. Dei, referre ex 3. & 4. libro Esdræ testimonia: sed nō tanquam ex spiritu diuino edita, quibus scilicet nefas sit refragari. *Arius negauit hanc epistolam esse Pauli, vt auctor est Epipha. hæres. 69.*

In septimo principali argumēto molestè fero, non alienos modò, verūm etiā nostrates (bona venia legetur) in tam nouam, ne dicam leuem sententiam incidisse, vt epistolam ad Hebræos Apostoli Pauli esse negauerint. Sed id multò molestius, vt si Pauli non sit, protinus non sit canonica. Nā, auctore incerto poterit epistola certò esse canonica. Siue enim Lucas, seu Barnabas (quod quidam sunt opinati) eam epistolam scripserint, canonica erit. Nam, & per Lucam & Barnabam Spiritus sanctus loquebatur. Sed ad rem. Cùm hæreticum sit, hanc epistolam à sacris scripturis excludere, certè temerarium est (ne quid amplius dicam) de huius epistolæ auctore dubitare. Quem Paulum fuisse certissimis testimonijs confirmatur. Origenes in primis libro primo commentariorum super Matthæum, & refertur ab Eusebio lib. 6. ecclesiasticæ historiæ, Ego dico (ait) quòd ipsa manifestissimè est Pauli Apostoli, & semper omnes antiqui maiores nostri eam, vt Pauli Apostoli susceperunt: & opinio vsq; ad nos peruenit, quod sermo eius est Græco sermone cōpositus, vel per Clementem Romanæ vrbis episcopum, vel per Lucam. Cap. 12.

Clemens item Alexandrinus apud Eusebium 6. Ecclesiasticæ historiæ libro, Manifestè (inquit) est Pauli, scripta quidem Hebræo sermone tanquam Hebræis: sed à Luca in Græcum interpretata. Cap. 14.

Eusebius quoq; in eandem sententiā iuit, 2. lib. historiæ ecclesiasticæ. Vbi cùm dixisset Clementem Romanum Episcopū in epistola ad Corinthios nomine Pauli Cap. 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

testimonijs huius epistolæ vsum, continuò subijcit. Vnde constat, quòd Apostolus hanc epistolam tanquã Hebræis mittendam patrio eam sermone conscripserit: & (vt quidam tradunt) Lucam Euangelistam, alij aũt Clementem interpretatum esse: quod & magis verum est. Quia & stylus ipse Epistolæ Clementis cũ hac concordat, & sensus nimirum vtriusq; scripturæ plurimam similitudinem ferunt. Hactenus Eusebius. Et c. 3. eiusdem libri, Pauli manifestè 14. sunt epistolæ. Dies me deficiet, si velim enumerare auctores Græcos, qui hãc epistolam Paulo tribuerunt. Nec minus si commemorem etiã Latinos. Quid enim referam Athanasium in epistola ad episcopos Aphricanos, & libro vndecimo de fide Trinitatis? Quid Cyrillum duodecimo libro Thesauri? Quid Chrysostomum infinitis prope locis? Quid Ignatium? Quid Irenæum? Quid Damascenum? Quid Anacletum in epistola de ordinatione Episcoporum? Quid Higinium in epistola ad omnes Christi fideles? Quid concilium Laodicenum? Quid tandem concilium Ephesinũ? Cùm omnes Græci scriptores (vt auctor est Hieronymus ad Dardanum) hanc epistolam Apostoli Pauli esse vna voce fateantur. Theophylactus certè miratur eorum impudentiam, qui hanc epistolam Pauli esse inficiantur. Affirmatque eos non secus peccare, quàm si à Paulo abesse Christum negarent. Quid Latini? Nempè fatentur etiam. Fatetur Ambrosius super Psalmum, Beati immaculati: & libro de his, qui mysterijs initiantur, cap. 8. Augustinus insuper 2. lib. de doctr. Christian. cap. 8. & sæpè alias. Item Gregor. quinto libro Moralium ca. 3. Gelasius cum concilio septuaginta episcoporum: Innocentius papa: concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum. Quid moror? mille quingentos ab hinc annos ecclesia legit hanc nomine Pauli Apostoli: & audemus nos in dubium vertere, quod omnes catholici tot retrò sæculis sine ambiguitate tenuerunt? Omitto quòd Petrus, nisi me valdè opinio fallit, testatur Paulum Hebræis epistolam scripsisse. Nã primam Petri Hebræis scriptam esse, salutatio ipsa adeò apertè docet, vt ne Caietanus ipse quidem negare potuerit. At secunda Petri

Cap. 9. Concilium Ephesinũ expresè docet Apostoli testimonio probari, quòd Christus est factus pontifex, & Apostolus cõfessionis nostræ. Conci. Ephesinum dixi, quia illa epist. licet Cyril. sit, præsidebat tamen Synodo, & est à Synodo approbata. Cassio. in Psalmũ 109. Adria. in

Petri eisdem quoque scripta est. Ait enim: Ecce iam vobis hanc secundam scribo epistolam. In huius verò fine sic Petrus inquit: Sicut & charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, &c. Vobis scilicet Hebræis, ad quos scribebat Petrus. Vnde facta distinctione subiungit, Sicut & in omnibus epistolis: vt non obscurè intelligeres, quod Paulus Hebræis de longanimitate & salute Christi, idẽ & in alijs epistolis scripsisse. Non est ergo, cur de auctore huius epistolæ quisquam dubitet.

epistо. ad Const. & Irenæum.

At, Hieronymus dubitat. Certè, vt dubitasset, nõ proinde nostram hanc certam indubitatamque fidem, ambiguam efficere potuisset. Sed negamus Hieronymum ancipitem hoc loco (quod illi falsissimè impingitur) habere sententiam. Nam, vt innumera loca silentio prætereamus, quibus refert Hieronymus ex hac epistola nomine Pauli testimonia, vt illud etiam dissimulemus, quod de viris illustribus in Paulo, cùm quorundã contrarium expressisset, eorum argumenta refellit: ille profectò locus Hieronymianæ sententiæ clarissimus testis est, qui habetur in epistola ad Dardanum de terra promissionis, in hæc verba: Vas electionis loquitur ad Hebræos fide, qui vocatur Abraham, &c. Nec me fugit, quòd perfidia Iudæorum hæc testimonia non susceperit. Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli, susciпi: & nihil interesse cuius sit, cùm Ecclesiastici viri sit, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos vtraque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui vtriusque testimonijs vtuntur, non vt interdum de apocryphis facere solent, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Hactenus Hieronymus. Et in epistolam ad Titum, Lege (inquit) ad Hebræos epistolam Pauli Apostoli, siue cuiuscunque alterius eam esse

Cap. 2.

putas, quia iam inter ecclesiasticas est recepta.

Ad primã igitur rationem, quoniam in relectione de pœnitentia accuratè sanè ac diligenter illa Apostoli loca explicata sunt, non est necesse modò respondere.

Ad secundam respondere necesse est, & quidẽ eo ordine, quo aduersum constituram veritatem obiectionis singulæ particulæ fuêre propositæ. Nam, quòd prima particula obijciebatur, facile diluitur: cùm contingere potuerit, vt interpres reliquerit quidem in textu verba Hebraica, sed in margine (quod fieri solet) addita fuerit interpretatio, quã librarius textui deinceps inseruerit. Quod etiã idẽ in Matthæo vsu fortasse venit in verbis illis, Eli Eli, &c. Quòd aũt, quæ expositor fortasse quispiã in margine apposuerit, ea scriptorũ vitio textui nõ nunquam inserantur, Nicolaus Liranus rectè 2. Reg. 8. animaduertit. Illa enim verba, de quo fecit Salomon omnia vasa aurea in templo, & mare æneũ, & columnas, & altare, in hunc modum & adiecta, & inserta esse cõstat. *Cap. 27.*

Potuit & alia ex causa proficisci: vt Apostolus vel Euangelista Hebraicè scribẽs, quorundam vocabulorum interpretationẽ adiecerit, quòd apud Iudæos erant verba quædam, vel Chaldaica, vel Syriaca, quæ potuerunt commodè in linguam Hebraicam verti: vt Golgotha, & epheta.

Ecce duas causas, quibus interim argumentum illud Caietani posset eludi. Quo ne librum quidem Geneseos Hebraico sermone scriptũ sibi Caietanus suaderet. Nã ibi legitur, Rachel vocasse filij sui nomen Benoni, id est, filium doloris mei: nomen verò ei à patre inditum Beniamin, id est, filium dextræ: & in Exodo, Est enim phase, id est, transitus Domini. Respondeant nobis isti, qui simili argutia negocium nobis exhibere volunt: & si non voluerint, tertiam causam nos reddemus. Videlicet, sunt nomina composita ex multis simplicibus, quæ nõnunquam integra in compositione manent, interdum corrupta, ea si alijs verbis eadem etiam lingua explicare voluero, nihil absurdum orietur, vt si verbi causa dicam Deicola, interpretatur, Dei cultor: paterfamilias, hoc est, domus gubernator & parens. Quod idem in nomi-

Ioan. c. 19. videtur astruere vocẽ Hebraeã esse. Sed quia voces Chaldeæ erant Hebræis quasi propriæ, ideo Euangelista dixit Hebraicè autem Golgotha,

nibus Benoni & Melchisedech, euenire potuit.

Sed ne ad hæc tanquam in aram cõfugiamus, illa causa & præstantissima & verissima est, Interpretem id iure suo facere potuisse: cùm videlicet necessum fuit Hebraica verba manere. Si enim interpres transtulisset, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, non fuisset à Latinis perceptum, quorsum astantes dixerint, Heliam vocat iste. Quare verba Hebraica retinere coactus, eorum interpretationem apposuit, quod facere eqùè poterat verbis Hebraicis non retentis. Certè Geneseos 35. & Exod. 12. in Hebræo nominum interpretatio non habetur: sed interpres adiecit de suo.

Quod si obijcias, illam particulã non esse sacram scripturam, si hoc verum est: vt quæ ab officina interpretis prodierit. Primùm conceditur conclusio: nec ego video cur perhorrescere debeamus. Deinde, negatur illa collectio. Si ab interprete proficiscitur, extra sacras literas est. Nam, particula quæ ad seruandam, vel congruitatem vel intelligentiam in sacrarum literarũ interpretatione additur, non censetur à sacris literis aliena. Vnde Hieronymus in cõmentarijs epistolæ ad Galatas, hanc consuetudinẽ, inquit, in pluribus locis scriptura cõseruat, vt Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat: Bartimeus filius Timei, Afer, diuitiæ, Tabita, Dorcas, & Mesech, vernaculus. Ecce scripturam Hieronymus vocat etiam eam particulam, quam interpretem addidisse compertum est. Atque id in epistola ad Hebræos vel maximè locum habet: cuius interpres fuit, vel Lucas, vel Clemens: quod Apostolo & viuente & vidente factum esse, ad veritatis similitudinẽ videtur esse propensius. Verum esse asseuerarẽ, nisi academiæ tẽperamentum in causa coniecturali placeret. Nihil ergo prima illa causa mouere nos debet, vt credamus hanc epistolã Hebraicè scriptam non fuisse. Sed ne secunda quidem causa mouet, eadem enim in Apostolum torqueretur, qui in Actorum lib. Iudæis loquens citat scripturam veterẽ iuxta translationem septuaginta. Itaque interpres aut Lucas, aut Clemẽs, licet Hebræos Hebraicè Paulus fuerit allocutus, versionem tamen septuaginta interpretũ

quemadmodũ si ego dicam, Hispane aũt Iualiẽ. Quã vocẽ punicã esse certũ est, pro apro ab Hispanis vsurpatã. Cap. 35 Exod. 12.

Cap. 4. in illud, Abba pater.

Acto. 13.

magis reddere voluit, ne Græci literę nouitate turbarentur. Quam etiam ob rem Apostolus Romanis scribens abutitur testimonio Abacuch iuxta translationem septuaginta: ne Romanis auribus insuetam orationem afferret: vt Hieronymus auctor est in commentarijs super Abacuch. *Cap.1.*

Iam verò, tertia illa causa, quæ in postrema huius rationis parte nobis opponitur, nulla est. Audiui equidem ab Hebræo, cui Hebræi Carpentoratenses primas ex suis hominibus deferebant, epistolam hanc Hebraicam hodie etiam, Matthæique Euangelium extare. Sed vt Iudæus ille nos irridere voluerit, aut etiam ex alicuius Hebræi versione illi habeāt nunc Hebraicam epistolam Pauli, Euangeliumque Matthæi, perierint verò ligitimum Matthæi ad Hebræos Euangelium, & epistola Pauli ad Hebræos, Iudæorum cura id verisimilimum est accidisse. *Cap.2.*

Ante paucos annos Sebastian. Munsterus dedit Euāgeliū Matthæi Hebr. & eius in Latinam linguā versionem.

Ad tertiam rationem, qua etiam id agitur, vt Paulus auctor huius epistolę non credatur, prius respondetur, testimonium illud in sensu literali ad Christum referri. Nec obstat, sensum etiam literalem ad Salomonē etiam pertinere: cùm eadem litera plura simul literalia sensa contineat: vt D. Thom. & ante hunc D. Augustinus tradidêre. Quemadmodum igitur nomine Dauid Christus interdum ad literam significatur, vt Ezech.34. Suscitabo super ea pastorem vnum, seruum meum Dauid & Hieremæ 30. Seruient. Domino Deo suo, & Dauid regi suo, &c. Sic & per nomen Salomonis Christum Dominum eo loco scriptura signauit. id ne nos præteriret, adiecit, Stabiliam thronum eius vsque in sempiternum. Quod apud Lucam Angelum ad Christum retulisse, notius est, quàm vt explicandum sit: Filius, inquit, altissimi vocatur, & super domum Dauid sedebit. Augustinus porrò auctor est, Psal.71. licet in Salomonem inscribatur, Iudæos tamen de Christo esse prophetiam inuictissimè defendêre, quia nonnulla ibi ita dicta sunt, vt in Salomonem conuenire non possint. Quæ eadem profectò causa, vt de Psalmo quadragesimoquarto idem sentiamus, cogit.

1.par. q.1. artic.10. 3.de doc. Christ.c. 27.& 12. confes.c. 26. 31.& 32.

Cap.1.

De vnit. eccle.c.8.

Poste-

Posteriùs, vt in sensu allegorico hoc testimonio Paulus abuteretur, nihil à suo more faceret alienum: qui cū sæpè aliàs, tum maximè in priori ad Corinth. epistola, ex sensu allegorico argumentatur. Aliud est enim ex sensu spirituali certum & efficax argumentum ttahi, quod Augustinus, Dionysius, Hieronymusque negārunt, aliud vero argumentum inde probabile duci, id quod nemo sanè doctus negare potest. Quod enim Rhetores argumēta vero similia certis & exploratis adiungūt, id Apostolus quoque facit. Potuit autem hoc loco multò & cōmodius & vehementiùs facere, vbi Hebræi intelligebāt ea, quę Dauidi in Salomone Deus promiserat, in Christo esse complenda. Intelligebant autem, eisdem sacris literis sæpius admoniti, vt Micheæ 4. Dani. 7. patet. *Cap.9.*

Augustī. ad Vincent. Donatistā epist.48. Dionys. in epi. ad Timum Hier. in 13. Mat. cap.

Ad quartam rationem non oportere respondere, si oratio Pauli colo & cōmate aptiùs distingueretur. Itaq; lectio in hunc modum habere debet: Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierūt, in nos confirmata est, vt illa verba, Ab eis qui audierunt, nō ad participium sequens, sed ad infinitiuum antecedens referātur. Sed cui hæc displicent, is tale habeat responsum: Quod Paulus ait, in nos confirmata est, nō ad se peculiariter refert, sed ad Iudæos generaliter, vt Glossa interliniatis admonuit. Prętерquam quòd Paulus non ait se accepisse doctrinam ab eis qui audierunt, sed salutis confirmationem: accepit enim & Sacramenta ab illis & doctrinæ confirmationem, tum quia Ananias dixit illi, quid oporteret eum facere: tum quia ascendit ad antecessores apostolos, ne fortè in vanum curreret, &c.

Ad quintam verò respondere oportet in hunc modū, nomen Testamēti apud Latinos interdum significare pactum, & promissionem, vt Hier. in Hiere. 31. ca. & in Mala. 2. ca. scripsit, & Innocentius in capite, Cum Marthæ, de celebratione missę, eruditè postea docuit. In quam significationem illud tradidit accipiendum, quod in canone dicitur. Hic est calix noui & æterni Testamenti, id est, nouæ ac æternæ promissionis, & illud etiam ad Hebræos, Noui Testamēti mediator est, vt repromissionem accipiant qui vocati sunt, hereditatis æternę, illud etiam *Cap.9.*

exploratum est. apud Græcos nomen, διαθήκη, interdū propriè testamentum, nonnunquam pactum, fœdus, & pollicitationē significare, vt ex Actorum Apostolicorū capite tertio Budæus in commentarijs probat. In quæ etiam posteriori significatione & Geneseos nono, & Psalmo 54, & 78, & 105. nomine διαθήκη legitur.

Berith. Vocabulum quoque Hebraicum *Berith*, quod Exodi 24. & Hieremię 31. habetur, licet frequenter pactum fœdusq; significet, quandoq; tamen ad testamēti significationem flectitur. Nam, & Hieronymus Zachariæ nono, & Psalmorum interpres Psalmo 44. nomē Berith, in testamentum, vertit. Imò licet Aquila nomē illud semper pactum interpretetur, at 70. tamen fere testamentum, vt Hiero. in 2. cap. Mala. testatur. In nomine igitur Hebraico Paulus ludere potuit Rhetorum more, & vocē à proprio ad improprium significatum flectere: quod idem, si aut Græcè, aut Latinè loqueretur, facere potuisset. Idq; eò magis, quòd instrumentum à sanis absignatum, testamentum dicitur: quamuis codicillo postea, vel mutētur aliqua, & aliqua inducātur, vel etiam totum omninò, q testamento semel cautum erat, antiquetur. Quocirca, & vetus illud legatum, testamentum quidem erat signatū à viuo: sed apertum moriente Christo, vt velum scissum ostendit: ac per euangelicam legem velut per codicillum abolitum. Id quod Lactantius de vera sapientia vi- Cap. 20. detur mihi intellexisse. Nihil igitur obstat, quo minus Exodum loquentem de veteri fœdere, loquens etiā propriè de testamento Paulus adducat. Quinimo consentaneum argumentum est, vt perfectum testamentum, licet nouum, sanguine confirmatum sit & morte testatoris. Quandoquidē imperfectum illud vetus non sine sanguine firmatū est: vt figura figurato cōgrueret. atq; hæc quidem responsio argumento Caietani satisfecit: etiam si nomen Hebraicum non testamentum propriè, sed fœdus solum significet. Quod & Hiero. in 31. caput Hiere. & Hebræi docti contendunt.

Ad postremam verò rationē is ipse, qui posuit, respondet: illa tria quidē in arca fuisse omnia, vt Paulus dicit: sed vrnam & virgam foris pendētes à latere: tabulas verò intus: vt 3. lib. Regum habetur. Rursum etiā fortè post illa Salomonis tempora, sacerdotes capientes virgam et manna in secretiori tutioriq; esse custodia, intra arcam cū tabulis posuerunt. Cuius rei Paulus nō erat inscius: nos sumus, qui Hebræorum traditiones ignoramus. Theoph. in epist. ad Hebræos, ca. 9. asserit Paulū optimè institutum in rebus Iudaicis, à Gamaliele ex traditione hoc habuisse, hodieq; Pharisæorū sectam assentire rem ita se habere. Admonuerat ferè idem prior Chrysosto. hom. 18. De septimo itaq; argumento, & huic adiunctis rationibus satis est dictum. Nam quod ex illis verbis, Celeriùs autem videbo vos, Caietanus argumentatur, alienum à ratione videri, vt postquam appellauerit Cęsarem, spondeat sē Paulus daturum Iudæis: adeò leue est, vt referre pigeat, nedum refellere. Cap. 8.

In octauo verò principali argumento, quo quarta conclusio coarguitur, Caietanus quidē non negat epist. Iacobi esse canonicā: sed auctorē asserit incertū esse. Eras- Or. 2. ho. in mus addit eam non sapere apostolicā auctoritatem. At, cùm Hier. de viris illust. Vrbanus papa in epistola de cō- Le. muni vita, Alexan. quintus à Petro in epistola ad omnes episcopos, Anacletus in epistola de oppressione episcoporum, Marcellus papa ad episcopos Antiochenæ prouincię, Gelasius cū concilio septuaginta, Innocētius primꝰ, cōcilium Mileuitanum cap. 7. concilium Laodicenum, Carthaginense, Florētinum, Tridentinū, hanc epistolā Iacobi apostoli, Iacobi, inquam, apostoli esse affirmauerint, idq; ecclesię vniuersalis vsu cōfirmante: temerariū est, ne dicā erroneum, huius epistolę certitudinem velle aut ex incerto auctore, aut ex stylo saluationis infirmare: idq; argumēto leuiori, quàm cui respōdere debeam?.

Ad nonum argumentum sic respondeo. Erroneum est, ne dicam hæreticum, secundam illam epistolam Petri apostoli esse, negare. Aduersatur enim in primis omnib. sanctis: Deinde Innocentio & Gelasio. Pręterea, cōcilijs Laodiceno, Carthaginensi, Florentino, Tridentino. Deniq; vsui catholicæ Ecclesiæ, quę legit eam in festo trāsfigurationis nomine Petri apostoli.

Cōtineret etiam aliquid falsi, si Petrus apostolus eius auctor

auctor non fuisset. Nam, licet argumentū ex salutatione ipsius epistolæ forsitan eluderetur, quod à falsario quopiam esset adiecta: at, quod capite primo illius epistolæ legitur illudi nulla ratione potest. Hanc vocem (ait) nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus in monte sancto cū ipso. Quòd si Petrus nō scripsit epistolā, Ioanni autem Iacobóue tribuēre, stultitiæ manifestarię est, falsum epistola continet. Quod est Hęreticum. Argumentū verò illud, quod Erasmum mouet, imò plerosq; olim ante Hieronymū (vt refert idem de viris illustrib. in Petro) infirmum est: cū eundem auctorem sæpè contingat, nō aliam modò, verū eandem quoq; sententiā stylo scribere differenti. Quod (vt reliquos prętereamus) in D. Gregorio videre licet. Cuius epistolas si cū alijs eiusdem operibus conferas, iudiciumq; feras ex diuerso dicendi caractere, ab alio auctore scriptas esse iudicaueris. Hieronymus tamē ad Hedibiam, q. 11. aliter respōdet, inquiēs, Duæ epistolę, quæ ferūtur Petri, stylo inter se & caractere discrepant, structuraq; verborū: ex quo intelligimus Petrum pro necessitate rerum diuersis fuisse vsum interpretibus. Ēn Hieronymus ex dissimili stylo non diuersos auctores colligit, sed interpretes differentes. Apostoli enim in aliena lingua malebant per interpretem scribere, quā dono linguarum abuti: quod non ad elegātiam & luxū, sed ad vsus necessarios acceperant. Nec me fugit, quòd Erasmus hunc locum Hieronymi detorquet: sed more suo facit, vt pro sua libidinè interturbet omnia.

Clemens Alexan. 7 lib. Strō. Glauciam tradit fuisse Petri interpretem.

Super epistolā, ad Cyprianū, & super epist. ad Hedibiā

Propter decimum argumētum Erasmus & Caietanus duas illas posteriores epistolas negant esse Ioannis Euāgelistę. Quam ego sententiā non temerariam modò, sed etiam erroneam esse crediderim. Quoniā si Ioannis, cognomento Senioris, asseruntur, non sunt profectò canonicę. Nec enim quisquam Ioannem presbyterū auctorem sacrum existimauit. Sunt autem sine dubio, vt antè à nobis demonstratum est, epistolæ canonicę: non ergo sunt Ioannis presbyteri, sed Euangelistę. Quod Origenes in 1. Psal. apud Eusebium 6. lib. Ecclesiasticę hist. cap. 18. Clemens lib. 2. strō. Damascenus 4. lib. Isidorus sexto etymolog. August. 2. de doctrina Christia. Hieronymus ad

cap. 8. Cap. 3.

ad Euagrium, Innocentius primus, Gelasius, concilium Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, Tridentinumque testantur. Sed & tempore paschali Ecclesia duas has epistolas nomine Ioannis Apostoli populo legit. Ecclesiæ autem, concilijs, & sanctis antiquis tutiùs nos committemus, quàm nouitijs istis auctoribus. Quorum argumentum cùm imbecillum sit, alia confutatione non eget.

Cap. 8. dist. 93. cap. legimus.

Vndecimum verò argumētum indignum esset, quod in aliorum numero censeretur, nisi ob illud Caietanus asseruisset, hanc epistolam minoris esse auctoritatis, quā alias, quæ sunt certò scripturæ sacræ. Nam huius epistolæ auctoritatem expressè negare non audet, ne quid inuidiæ subeat, aut criminis. Cum autem Hieronymus asserat, auctoritatem iam vetustate & vsu meruisse, & inter canonicas computari: miror equidem, cur Caietanus aliorum opinionem sub Hieronymi censuram non redegerit: quem pro certa regula sacrorum librorum habendum existimauit. Caietani igitur assertio hoc loco periculosa est, si vis comparatiui teneatur. Minoris (inquit) auctoritatis est ijs, quæ sunt certò scriptura sacra. Nō est igitur certò scriptura sacra: quod est erroneum. At quidam ante Hieronymum hanc epistolam non probarūt. Fateor, sed fuerunt nonnulla ante Hieronymum in cōtrouersia, quæ modò in dubium vertere, hæreticum est. At, citat librum apocryphum. forsitā apocryphus apud Hebræos nō erat. Quod si esset, vt & Hieronymo, & plerisque alijs placet, nihil mirum, si ab Apostolo Iuda referatur: cùm testimonia referat Paulus ex Arato, Menandro, Epimenide, ēthnicis prophanisque poetis. Vide Hieronymum in epist. ad Ephi. ca. 5. & ad Titum 1. At coarguit hoc responsum Caieta. Non abs re, inquit, hæc epistola à multis refutata est. Quoniam etsi citare apocrypha multò magis licet, quàm poetas: auctoritati tamen sacræ scripturæ derogat, vt apocrypha Prophetia, vt simpliciter & absolutè Prophetia inducatur. Hæc ille. Verū aliud est, totū librum apocryphū esse, quod Hieronymus ait: quia scilicet quædā in eo libro continerentur, quæ essent ambigua, Aliud, periculam illam, quā Iudas excitauit

Actor. 17. 1. ad Cor. 15. ad Tit. 1.

tauit apocryphā esse, quod nec Hieronymus, nec alius ex catholicis dixit. Nam licet ex alio loco non haberemus eam esse Prophetiam: at auctoritas Iudæ satis est, vt illam verissimè à Spiritu sancto extitisse sentiamus. Sicut credimus illa verba, Beatius est magis dare, quàm accipere, Iesu Christi esse, quia Paulus dixit. Sed stultus ego sum, qui huiusmodi argumenta conor refellere.

Ad postremum argumentum, vbi Erasmi Lutheriq; coniecturæ ponuntur, vt Apocalypseos auctoritas infirmetur, post ea, quæ diximus, non fuerit opus respondere: tantùm satis fuerit admonere discipulos. Manifesta enim percurrimus, vt in obscurioribus immoremur. Atque Franciscus Titelmannus in hac causa accuratissimè elaborauit, ediditq; peculiarem cōtrouersiam, vnde lector petere ea poterit, quæ huic responsioni nostrę deesse videbuntur. Nam ratio postulat, vt secundæ huius controuersiæ finem aliquando faciamus.

CAP. XII.

Vbi eorum argumenta ponuntur, qui suadere volunt, in sacrarum intelligentia scripturarum ad fontes Hæbraicum & Græcum recurrendum.

3. Controuersia.

IN tertia verò quæstione magna dissentio est, caq; nisi dijudicetur, in summo errore necesse est nos atq; in maximarum rerum ignoratione versari. An in sacrarum literarum intelligentia ad Hebraicum Græcumque fontem sit recurrendum, An potius editio ipsa Latina tam magnæ sit auctoritatis & ponderis, vt nec ab originali scriptura pendeat, nec per eam aut corrigi oporteat, aut limari.

Prior autē huius controuersiæ pars suadetur ante omnia D. Hieronymi testimonio, qui in libro aduersus Heluidium huius assertionis primus auctor esse creditur: ea ratione vel maximè, quod multò purior credenda sit manere fontis vnda, q̄ riui. Idē etiam in epistola ad Marcellam, cuius initium, Post Priorem, cùm fateretur aliqua esse in vulgata editione euangeliorum Latinorū emendasse, atq; ad Græcam originē reuocasse Latina, obtrectatores suos contemnens, si displicet (inquit) fontis vnda

Postrema 2. tomi. epistola.

vnda puriſſimi cœnoſos riuulos bibāt, & diligentiā, qua aulū ſyluas, & concharū gurgites norūt, in ſcripturis legendis abijciant. Idē confirmat in epiſtola ad Damaſum de verbo Oſanna, cuius initium eſt, Multi, & in commē- 5. Tomo. tarijs ſuper Zachariam dicens, Cogimur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis, quàm de riuulis quærere. Nempe, vt Cicero de oratore etiam ait, Cap. 8. tardi ingenij eſt, riuulos conſectari, fontes rerum non videre. Et in epiſtola ad Vitalem docet, ſe ad Hebraicā veritatem tanquam in præſidium & arcē ſolitum eſſe confugere. Huc adde Auguſtini teſtimonium ex 2. de doct. Diſt. 9. ca. Chriſt. ca. 15. & 18. de ciuita. Dei. Quibus locis Hieronymi ſententiæ ſubſcribit. vt veterū.

Præterea, Damaſus coegit Hieronymum, vt nouum teſtamentum ad Græcam reduceret veritatem: quemadmodum Hieronymus idem in præfatione ſuper quatuor euangelia teſtatur. Id verò Damaſus non iuſſiſſet, niſi intelligeret noui Teſtamenti veritatem è Græco fonte petendam.

Hieronymus quoque ipſe in commentarijs veterem interpretem ſæpè vellicat, vt qui interpretando frequenter errārit. Non igitur veteri editioni Latinæ fidem habere neceſſum eſt: niſi Hieronymum aut maleuolentiæ velimus arguere, ſi dedita opera, aut imperitiæ ſi ignorans ea q̄ benè conuerſa erant, reprehendit. Aliunde igitur, quàm ab editione Latina quærenda eſt ſacratum literarum firma intelligentia. Quid? quod Lauretius, Faber, Eraſmus, Eugubinus, alijq; nonnulli iuniores veteris interpretis nūc oſcitantiā, nunc negligentiā, nūc imperitiam, nunc ſuperſtitionē coarguere idoneis cauſam rationibusq; videtur? Nec animus eſt tamen omnia eorum argumenta referre, qui Latinā editionē, qua eccleſia vtitur, ſolent reprehēdere. His enim argumentis refutandis aliud & tēporis & operis dandum eſt. Illas ſolum reprehenſiones afferemus, quibus veterem editionem falſitatis accuſant. Primum autem Nume. vltim. c. Latinum aiunt interpretē ſenſum reddidiſſe non Hebraicæ modò veritati, verùm etiā ſacris omnino literis repugnantē. Illius enim editio præceptum nō obſcurū habet,

vt nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt nullus vir fœminâ ducat, nisi de tribu & familia sua; nec vlla fœmina viro nubat alterius tribus & familiæ. Id autem tantum abest à scripturæ fide, vt nihil illi magis possit esse contrarium. Moyses quippe primus hoc neglexit: nec vsq; de sua ille tribu duxit vxorem. Aaron vxorem accepit Elisabeth de tribu Iuda. Exo. 6 Soror regis Iudæ nupsit Ioiadæ pontifici. 2. Para. 22. & 4. Reg. 11. Elisabeth, cùm esset de filiabus Aarõ, cognata erat Beatæ Mariæ, quæ sine dubio erat à tribu Iuda. Dauid Michol duxit filiam Saulis de tribu Beniamin. Vndecim tribus non legem, sed iuramentum prætexunt, quo minus filias suas Beniaminitis collocent, cum interim tamen eos, qui non iurârant, nulla lege prohiberi apertissimè præ se ferant. Iudi. 21. Subditicium ergo est, adulterinum, & falsum, quod interpretis solũ auctoritate redditum est. Deinde Micheæ 5. Latina vetus editio hunc in modum habet: Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iudæ, ex te mihi egredietur, &c. At Matthæus contrario penitùs sensu verba eadem allegauit, inquiẽs, Et tu Bethleem nequaquam minima es. Præterea psalm. 7. vers. 12. nostra editio habet, Nunquid iratscitur per singulos dies? vbi Hebraica veritas contrarium sensum habet, cui Hieronymus omninò consentit, Contendit etiam Caluinus locum illum, Ecclesiastes 9. Nemo scit, vtrum odio vel amore dignus sit, mendosè esse ab interprete redditum, falsamque esse sententiam interpretis, cùm plerique sciãt se odio dignos esse, & nonnulli scierint se fuisse amore dignos. At sunt, qui credant interpretem Matth. 24. falsam reddidisse lectionem, dũ pro, Fulgore, reddidit Fulgur. Quod vtique non pertingit ab homine in occidẽtem, sed solis fulgor est qui pertingit. Atque illud quoq; vrgent, quod Ionę 4. vertit interpres, Dominum hederam præparâsse, vt esset vmbra supra caput Ionæ, &c. cum ipso quoque Hieronymo auctore *kikaion*, nec hedera sit, nec cucurbita, sed quoddam genus fruticis, Latinis & Græcis incognitum, quod Syris familiare est. Nõ ergo Dominus hederã præparauit, nec Ionas sub vmbra hederæ requieuit, quod interpres falso transtulit.

Danie. 13. Dani. 14.

In præfatio nibus super Dan. et Abacuch.

Ad hæc,

Ad hæc, si veteris latini interpretis editioni addicti esse debemus, compellemur adeò historiam Susannę recipere: atque etiam Bel, draconis narrationẽ: quã quoniam Hebraica veritas non habet. Hieronymus tabulã vocat, non eam sacris libris additurus, nisi apud imperitos (vt ipse ait) videretur magnam partem voluminis detruncasse. Item cogemur etiam Marci postremum caput accipere, quod Hiero. ad Hedib. q. 3 non credit esse necessarium, cùm in raris feratur Euangelijs, & omnibus penè Græciæ libris hoc capitulum nõ habeatur. Necessarium quoque erit historiam adulteræ mulieris venerari, quæ Ioannis 8. c. nunc habetur. Cùm eam tamen nec Eusebius cognoscat, nisi in Euangelio secundũ Hebræos, nec Hieronymus eam prorsus agnoscit: sed ne Chrysostomus quidem eam interpretatione sua dignatus est, quamuis illius aliàs fecerit mentionem. Atq; Euthymius licet eandem enarret, paulò tamen superius ait in exactioribus exemplaribus non haberi, eò, quòd illegitima videatur.

Rursum, si Latini interpretis sequenda esset editio, fateri oporteret, omnes esse resurrecturos, ac proinde morituros, iuxta id, quod in priore ad Corinthios epistola dicitur: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. At, huic sentẽtiæ stare nõ cogimur, vt D. etiam Tho. in cõmentarijs super eundem locum *Cap. 15* astruit. Quin probabilissima opinio est, homines, qui reperientur in die iudicij viui, nulla interueniente morte viuos esse iudicandos. Quod Apostolus certè videtur asserere in priore ad Thessalo. epistola. Adde huc, quòd interpres non erat Propheta, auctórue sacer: sed humano spiritu, & intelligentia, sacras literas ex aliena lingua in propriam transferebat. Errare igitur falliq; interpretando potuit. Quamobrẽ interpretis sensum nõ tenemur amplecti: sed ipsum textum, quẽadmodum ab auctore sacro, vel Hebraicè, vel Græcè traditus est. Aliud quippe fuerit (vt Hieronymus ait) vatem esse, aliud interpretẽ: ibi enim spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia, quæ intelligit, transfert.

Cap. 4.

In præfatione super pentateu.

Præterea, si non licet ab interpretis Latini transla-

 tione disce-

ne discedere, damnamus iuniorum omnium in vertendis sacris literis diligẽtiam, linguarumq; peritiam, tanquam videlicet otiosam ad sacras literas intelligendas. Nimirum, etiamsi alium sensum habeant verba vel Hebraica, vel Græca, hicscilicet contemnendus est: ille verò omni ratione tenendus, quem Latina vetus litera præferat. Nec his argumentis satis fieri ea responsione potest, quod Hieronymus, huius editionis auctor, multò fuerit linguarum peritior, quàm alius quisquã: ac proinde illius auctoritas, ingeniũ & eruditio, maiora sunt, quàm cuiusquam alterius interpretis iunioris. Hæc (inquam) responsio nõ facit satis. Primũ, quoniam præstat oculis tuis videre, quàm alienis. Satis igitur erit, vt quisque linguas ipsas callcat, & videat ipse potius, quàm credat interpreti. Deinde etiã, quoniam cùm septuaginta interpretes, viri doctissimi, atq; Hebraicæ Græcæq; linguæ peritissimi interdum lapsi interpretãdo fuerint: nõ est, cur existimemus, vnum Hieronymũ nusquã à vero dum interpretaretur errasse. Vt illud prætereamus, q editio hæc vetus an Hieronymi sit, an alterius, summa virorum doctissimorum dissensione certatur. Nouum certè testamentũ (vt de veteri taceam) aut Hieronymus non vertit: aut si vertit, eius versio nõ extat. Quòd si extaret, manet semper integrum argumentum, quod modò posuimus: Hieronymi vtiq; sensum, vt qui sacer auctor non fuerit, non oportere semper amplecti.

Hieronymus in epist. ad August. cuius initiũ, Tres simul, & de viris illustribus, in fine emẽdationem agnoscit, non interpretationẽ.

Præterea, in Clementina prima, titulo de magistris, Viennense concilium statuit, in vniuersitatibus Bononiensi, Parisiensi, Salmaticensi, parandos esse trium linguarum doctores, qui earum peritiam studiosa institutione in alios transfundant. Id quod nisi esset ad sacras literas intelligendas magnoperè necessarium, nulla ratione synodus statuisset.

Insuper non videtur hoc diuinæ scripturæ negandũ, quod humanis scripturis omnibus cõcedere necesse est: vt cùm de aliqua scriptura scilicet ambigitur, ad archetypum, vnde transiata est, recurratur.

His argumẽtis, & ijs quidem non leuibus, sed (vt plerique iudicant) sanè firmis, nouarum rerum studiosi sibi primùm

primùm persuaserũt, ad veritatem noui ac veteris testamenti cognoscendam, duarum linguarum Græcę & Hebraicæ peritiam esse necessariam. Inde rursus in eã opinionem descenderunt, vt non se existiment sacras literas exponere, si interpretationem Latinam vulgarẽ sequantur. Id enim (inquiunt) est, nõ auctorẽ scripturę sacræ, sed eius interpretem explicare. Denique & eò progressi sunt, vt asserant non oportere Latini interpretis auctoritatem amplecti: sed ipsius textus Hebræi in veteri testamento, Græci autem in nouo. Quo fieri, vt Latina editio nostra per exemplaria Hebraica & Græca sit omninò limanda ac corrigenda.

Hanc verò persuasionem, Lector optime, si forsitan induisti, exue rogo tantisper, dum tibi, quæ sunt veriora certioraque, proponimus. Nos siquidẽ hanc sententiam à plerisque receptã refellere tentabimus. Refellemus aũt (vt spero) illo ferente opẽ, cuius tueri causam cupimus, aduersum impugnatores veritatis. Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi ad hãc potissimùm disputationem me applicui, nõ modò stultitiam meam: sed etiam mores & ingenium condemnandum puto. Nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumniã coërcetur. Ego ne, de maximis, & quæ ad ecclesiæ vnitatem continendam magnoperè pertineãt, aut certare cum alijs pugnaciter, aut frustrari cùm alios, tum etiã me ipsum velim? Causa igitur veri reperiendi disputare cupientes, controuersiã hanc quatuor conclusionibus breuissimè definiemus.

CAP. XIII.

In quo veteris vulgatæ editionis auctoritas demonstratur, & quòd non est nunc ad Hebræos Græcósne recurrendum.

PRima conclusio, quæ maximè rem, causamq; continet, nam cæteræ sunt quasi consectariæ, editionem hanc veterem atq; vulgatam, quam post tempora D. Hieronymi Latina ecclesia vsurpauit, fidelibus esse retinendam in his omnibus, quæ ad fidem & mores spectabunt.

Secunda. Si qua morum & fidei qnæstio inter catholicos exoriatur, eam definiri oportere per Latinam hãc veterem editionem : cuius videlicet si aliquod testimoniũ alterã quæstionis partẽ confirmauerit, ea sit catholicis amplectenda: sin contrà reprobauerit, reijcienda.

Tertia. In fidei ac morum disputatione non esse nũc temporis ad Hebraica Græcáue exemplaria prouocandum, nec exijs certam controuersiarum fidem essefaciendam.

Quarta. In his, quæ ad fidem & mores pertinent, non esse Latina exemplaria per Hebraica, vel Græca corrigenda.

Primum, siue axioma, siue pronunciatum, seu propositionem scholastico more vocare velis, Concilium Tridentinum sessione 4. in hęc verba definit: Sacra synodus cõsiderans non parum vtilitatis accedere posse ecclesiæ Dei, si ex multis Latinis editionibus, quę circũferuntur sacrorum librorum, quęnam pro authentica habẽda sit, innotescat; statuit & decreuit, vt hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authẽtica habeatur, & quòd eã nemo reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat. Hactenus Concilium.

Ne aũt Concilij solũ auctoritate aduersarios obruamus, causas, cur id definierit, subijciem: nec enim synodo rationes deesse potuerunt, quibus ita iudicauerit.

Primũ enim, vel in hac scriptura Latina aliquod falsum cõtinetur, quod ad fidẽ moresq; pertineat: vel ecõtrariò verum est, quod nobis vbiq; tradit. Si verum est, id confirmare nitimur: sin falsum, iam ecclesia Romana atq; Latina, in qua vel sola nunc temporis fides catholica perseuerat, circa ea, quæ fidei sunt, grauiter aberraret. Falsam enim aliquam scripturam tanquam ab spiritu sancto reuelatam nomine vel prophetæ, vel Apostoli, vel Euangelistæ proponeret. Qua vna re auctoritatem sibi adimeret in reliquis proponẽdis. Quo nihil aut absurdius, aut incommodius posset accidere.

Deinde, vt exempli causa ponatur aliquid, quod latius

tius pateat, si fortè modò vocetur in dubium, An historia mulieris adulteræ vera sit, neget autem quispiã veram esse, tunc aut hic error satis exploditur ex codicum Latinorũ vnanimi consensione, & id profectò est, quod quærimus: aut non satis exploditur, impuneque licet eã historiam contemnere, quæ Latinorum omnium consensu celebratur, quæq; noĩe Ioan. Euangelistæ quotannis in ecclesia legitur, & in Romanæ, Latinęq;, ac catholicæ ecclesiæ fides & auctoritas infringitur, violatur, eneruatur: dum errare in cæteris posse simili ratione existimabitur. Quod, quoniam absurdum penitus erat, iure idem Cõcilium Tridentinum eadem sessione decernit, vt si quis libros ipsos canonicos integros, cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habẽtur, pro sacris non susceperit, anathema sit. Conficitur itaq;, editionem Latinam tot annorum centenarijs vsu ecclesiæ comprobatam in his, quæ ad fidem & mores attinent, esse inconcussè tenendam.

Prætereà, cùm scholastici auctores abhinc ferè quadringentos annos in dogmatis theologicis cõfirmandis, aut etiã in hæresibus refellendis, solam Latinam editionem tenuerint: id peto, An quicquã in suis disputationibus cõfecerint, necne? Quòd si nihil certi confectum est, ô miseros homines, qui ter centum annos, atq; eò amplius, & oleũ & operã perdiderunt Quippe linguę Græcæ atque Hebraicæ nõ habuerunt peritiã: sed solo interprete Latino cõtenti, scholæ quidẽ dogmata confirmabant: reijciebant aũt vniuersa, quæ illis aduersarẽtur, Romana atq; adeò Latina ecclesia tacente, videnteq; probante. Sin verò confectum est à Theologis scholasticis quippiam, credendum est certè, suis stabiliendis conclusionibus tutos sese Latinæ editioni commisisse. Ea igitur editio est à fidelibus retinenda.

Postremò, Hæreticæ prauitatis inquisitores in refutandis hæreticis atq; puniẽdis, rogo, an hanc editionem Latinã sedulò tenere debeãt, an potius necesse est illis, ad Grecã & Hebraicam, quam minimè nouerunt, recurrere veritatẽ? Quòd si indignũ est, à re prorsus incognita

Lutherani de peritia linguarum superbientes, mox veteres Theologos cõtempsere. Quòd si quis nouitatib. eorũ contradiceret, præten debant sa tim lectionem Græcã, vel Hebraicã, & continuò in Græcarum & Hebraicarum literarum ignaros plenis conuitiorũ plausibus inuehebantur, Cochleus auctor est.

grauissimi tribunalis pendere iudicium, si absurdum, à nostratibus ad alienos, id est, Hebræos & Græcos appellare: si impium, ad Iudæorum & scismaticorum senatum referre catholicæ fidei consultationem, haud equidem intelligo, quorsum Theologus huic errori consentiat, vt non existimet, editioni Latinæ certam fidem habendam. Intelligo aũt nostra hæc dilẽmata versutos homines & impudentes cum plausu etiã elusuros. Nam & irridentscholæ vniuersos auctores, & totum negocium cognitionis fidei cauillantur. Sed nos his argumetis sanè nolumus hæreticos petulantes tanquam aduersarios cõuincere, sed Theologis modestis veritatem suadere.

Enimuerò, qui hãc nostrã editionẽ infirmare cupiũt, videntur mihi nihil aliud moliri, nisi quoddã occultum hęreticorum patrocinium. Nẽpè, inquisitores despiciẽt, qui scripturam Latinã tanquã certam regulam teneãt, cùm veritatis Græcæ atq; Hebraicæ ignorantia teneantur. Scholasticos auctores despicient, qui vulgari Latino interpreti fidẽ suam alligârint, cuius tamen (vt aiunt) intelligentiã sequi non cogimur. Despicient sanctos etiã priscos, qui Hebraicæ linguę peritia caruêre. Nã, ex Grę cis Dorotheum, Origenem & Eusebium Hebraicas literas legimus calluisse, ex Latinis aũt, præter Clementẽ & Hieronymum, vix alius quisquam Hebræas literas nouit. Quocirca, ferè sanctos in veteri testamento hallucinari necesse erat, imò adeò ciusdẽ instrumenti sacramẽta omnia cæcis oculis attrectare. Ea si Christianæ aures meritò perhorrescunt, consentiamus prorsus Latinam vulgatam editionem à fidelibus esse tenendam. Sanè (quod frater Franciscus Titelmannus, vir literis & eruditione præcipuus, moribus & pietate insignis, prę clarissimè dixit) dum prouidam Dei dispensationẽ aduertimus, facilè videmꝰ, quemadmodũ cùm fidei rectitudine cõnexa semper fuerit scripturæ veritas, & cùm illa solita fuerit emigrare. Donec enim apud Iudæos solos firmitas perstitit rectæ fidei, apud eos quoq; solos scripturarũ soliditatẽ cognoscimus latitasse. Posteà verò quàm veritas à Iudæis repulsa, à gentibus suscepta est, digna ecclesia gentium est habita, quę proprio suo idiomate, id est,

id est, Græco, quod & vulgatissimum erat inter eos, qui ex gentibus credidérant, & latissimè cognitum, scripturã noui testamenti acciperet, in stabilimentum fidei salutaris. Porrò autem, cùm ad Latinos deuolui iam fidei veritas cœpit, Grę cis maxima ex parte vel ob innatam leuitatem, vel ob contentionis studium ab ecclesiæ corpore disiunctis, certè dignam aliquam, diuino munere, scripturę stabilitatem Latinos accepisse cõsequens fuit. Nec quoq; pacto illud fieri verisimile potest, Latinã ecclesiam, apud quã iam inde à multis annis Christianę fidei veritas fuit, nullam adhuc scripturã Latinam habuisse: cui suis stabiliendis dogmatis tutò inniti, suæq; fidei aduersarios condigna posse auctoritate reuincere.

Aliud quoq; grauissimum incommodum in ecclesiam mihi videntur inferre, qui Latina editione postposita, aliunde censent puram firmamq; veritatem hauriendã: Quòd Latini fideles Græcas videlicet Hebræasque literas ignorantes, cùm scripturam sacram in suo idiomate Latino legerint, semper ancipiti sententia pendebunt. Siquidem nesciunt, num, quę Latinè legunt, sic an aliter apud Græcos & Hebræos habeantur. Vacillabit itaque omni loco legentium fides, nec poterit alicubi firma cõsistere. Quo quid perniciosius esse potest? Latinam igitur vulgatam editionem tutam esse legentium fidelium anchoram, sine dubio teneamus: eisdemq; argumentis etiam secundum conclusionem: quæ (vt antè diximus) huius primę, quam modò cõfirmauimus, corollaria est.

Tertiam verò primùm ostendimus, ex eo, quòd plures scripturæ particulæ nobis subtrahentur, quæ scilicet in Grę cis aut Hebraicis huius temporis exemplaribus non leguntur: vt Historia puerorum & Sulannæ apud Danielem: & historia mulieris adulterę apud Ioannẽ: imò & illud egregium de Trinitate testimonium: Tres sunt qui testimoniũ dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus, &c. ex Grę corum mendis ante aliquot annos nobis fuerat detractũ: vt & Marci extremã coronidem, atque alia item multa ex Latino exẽplari noui isti interpretes expunxerunt. Non igitur in Græca, vel Hebraica exem-

Danie. 3. & 13. Ioan. 8. 1. Ioan. 5.

Medibiã q. 3. asserit hoc caput in raris exemplarib. haberi. Ad Ro 3. In cõmen. super eoist. ad Ro. In proœm super 6. li. cõment. in Esaiam. Caietanus in illum Psal. homo vt sol, ad scribendi licentiã liber, nos omnes tanquam ignorantes & confidẽtes dãnat.

plaria fidei cõtrouersia resoluenda est: alioqui, eas scripturę partes reijciamus oportet, quas concilium Tridentinum, atque adeò ecclesia vna voce & consensu recipit.

Deinde tertia illa cõclusio hoc etiam argumento mõstratur, quod si est ad Græca exemplaria veritas expendẽda, in Psalm. 13. octo versus nos habemus, quos Hebraicus textus minimè habet. Ita, meritò à nobis expungerẽtur: cũ eos tamen auctoritate Apostoli nos habeamus.

Huic verò argumento nec Origenem, nec Hieronymum tecisse satis, ecclesia demonstrauit, quæ vsque ad hoc temporis octo illos versus in Psalmo 13. seruando credidit: non seruatura, si (quod illi asserunt) errore ignorantium fuissent inserti.

Item Hebræorum doctores, nostri videlicet inimici, multo studio contenderunt textũ Hebraicum corrũpere, vt vetus testamentũ nostris exemplaribus facerẽt esse contrariũ, vt Euse. li. 4. eccle. hist. c 18. refert. Græci quoq; eadẽ contentione multis locis, vt scripturã ad suum sensum traherent, nouũ testamẽtum violarũt: vt Tertul. 5. li. aduersus Marcionẽ testatur, & Euse. li. 5. eccle. hist. ca. vlt. & Iren. aduersus hære. lib. 1. c. 29. & Basilius li. 2. contra Eunomium, D. quoq; Ambrosius in cõmen super epist. ad Roma. & in proœmio primi li. super Lucam & Hiero. in proœmio super epistolam ad Philemonium, & Origenes in cõmentarijs super epistolam ad Romanos. Nam in plerisque Græcis exemplaribus deest tota illa clausula, Et autem qui potius est, &c. Quam ne Theophylactus quidem habuit. Nec in sacris literis solùm, sed in sanctorum codicibus fecẽre idem. Nam & in sexto Cõcilio Constantinopolitano Macharius, eiusque discipuli conuicti sunt, quod in confirmationem sui erroris sanctorum testimonia aut truncarint, aut deprauarint. & in 7. Syno. Act. 4. ostẽditur, Iconomachos ex testimonio Beati Nili deprauata nonnullis imposuisse, & Act. 5 ostensi sunt synodo libri quidam ab Hęreticis deprauati. Quin sub nomine Vigilij Romani Põtificis duos libellos, productos, & epistolam nomine Menæ ad eundem Vigilium scriptam, titulos emẽtitos & supposititios habuisse, eodẽ concilio palàm factum est. Et Leo in epistola

Actions. 8.

la quadã ad Palesthinos queritur epistolam, q̃ ad Flauianum scripserat, à Græcis deprauatam. Atq; hunc Græcorũ morem fuisse, Nicolaus in epistola ad Micha. Imperatorem testatur. Existimat Gregorius epistola decima quarta 5. lib. Chalcedonensem Synodum, sicut & Ephesianam, esse à Græcis deprauatã. Vnde monet Narsum, vt non nouis codicibus passim credat. Romanos autem codices veriores esse affirmat, quàm Græcos. Dionysius quoq; Corinthien. episcopus apud Euseb. lib. 4. cap. 23. Quid autẽ mirum, inquit, si dominica verba sanctę scripturæ falsare conati sunt, qui vilia hæc, quæ nos scripsimus, corruperunt: Hęc Dionys. cũ quereretur suas epistolas esse ab hæreticis adulterinis detractionib. additionibusque corruptas. Extat epistola Cyrilli ad Successum Diocæsarien. episcopum, vbi refert se sciscitatum à Budo, Emesenæ ciuitatis episcopo, an cõsentiret epistolę Athanasij ad Epictetũ Corinthiorum episcopũ, respõdisse. Si hęc apud vos scripta nõ sunt adultera, nam plura ex his ab hostibus eccle. deprehendũtur esse deprauata. Et cũ contulissent epistolam cum antiquis exemplaribus, deprauatã inuenerũt. Quo loco admonendi sunt omnes boni, vt à Caluini, Philippi, ac cęterorum similiũ fraude cauendũ intelligant, quoties sanctorũ veterum sentẽtias ad causam suam accõmodabunt. Id verò tũ magis, cũ nec librum, nec locũ annotauerint, ibi enim eorũ fides in veterum sentẽtijs proferẽdis suspectior est. Proferrem aũt multa huiusmodi loca, nisi esset lectori molestum, nec nunc alias res nos ageremus. Non igitur ad Hebraica & Græca exemplaria, vt quę deprauata sint, est recurrendum. At Hier. in Esa. 6. ca. non credit esse verosimile, vt Hebræi scripturam suam deprauarint. Quid Hierony. ætate fuerint, ego non disputo: quamuis Iustinus Triphonem euicerit, quòd à Iudæis multa Prophetarũ loca detruncata fuissent. Illudq; inter cætera refert, Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. E quo versu illa verba, A ligno, detracta fuisse contendit. Post ea certè tempora à Iudæis scripturas contaminatas Hieronymus, si viueret, non negaret. Præterea, qui Hebraicis exemplarib. adhærescunt, necesse est eos sequi

sequi Rabbinorum expositiones, & non catholicorum. Nam catholici vel septuaginta interpretum, vel Latinam editionem exposuêre. Indignum autem est, vt nũc denuo ab Hebræis nostræ fidei oracula petantur. Christiana quippè veritas ab Ecclesiæ viris quærenda est, nõ à Rabbinis Synagogæ.

Ad hæc, vt ex multis vnum aut alterum exemplum in medium proferatur, Geneseos octauo capite, nostra editio Latina habet, quòd coruus à Noe dimissus egrediebatur, & nõ reuertebatur. Sic Hieronymus habet in dialogo contra Luciferianos, & in epistola ad Oceanũ. Sic Cyprianus in epistola ad Nouatianum hæreticum, quod lapsis non est spes veniæ deneganda: sic Ambrosius de Noe & Arca, cap. 17. sic Augustinus tractatu sexto in Ioannem: sic Isidorus & Chrysostomus in commentarijs super Genesim: sic Euseb. in chron. sic breuiter omnes doctores catholici tam Græci, quàm Latini, tum vetusti, tum iuniores ex 70. interpretibus habuêre: contrà nunc Iudæi legunt, Coruum egredi & reuerti. Quos sequuntur noui interpretes Lutherani Pelicanus & Munsterus. Quibus ergo putas potius credendum esse? Num Iudeis hostibus Christi? Num hæreticis inimicis ecclesiæ? Nónne magis septuaginta interpretibus? Nónne magis Hieronymo? Nónne magis sanctis antiquis, viris ecclesiasticis? Qui omnes inter se concinentes eadem asserere nullo modo possent, nisi vno diuino spiritu continerentur, Symmachi, Theodotionis, Aquilę translationes, quod vel Iudaismo infecti, vel hæreseos nota essent infames, parum auctoritatis habere Hier. non semel testatur. Irenæus etiam apud Euseb. lib. 5. Eccle. hist. cap. 8. argumento Theodotionis & Aquilæ translationem infirmat, q Iudæi essent ambo & Proselyti, eosque Hubionitæ sequerentur. Et nos Iudæos atq; hæreticos Iudæorum interpretes, & in errore socios admittemus? ità ne omnia exemplaria nostra tã Græca, quàm Latina, tam antiqua quàm noua in librarijs corrupta sunt, sicque mille annis permanserunt? minimè verò gentium. Quod si recẽtiores aliud sentiunt, quàm veteres Hebræi, quis non malit veterum sententiæ subscribere, quàm horum magis adhærere,

In præfatione super Iob, & in prologo Esdræ.

hærere, præsertim cum tot exilijs agitati, tantaque cæcitate sint percussi, vt amissa suæ linguæ & omnium bonarum disciplinarum cognitione, nullam in Deum fidem, hominum verò vix cõmunem sensum obtineant. Quo loco mirari satis non possum, Augustinum Eugubinum, virum alioqui egregiè doctum & pium, maluisse Iudæis & hæreticis, quàm catholicis cõsentire. Nam Caietanus eisdem semper vestigijs inhærendo, per omnia in veteri testamento Hebraicos, in nouo Græcos codices prorsus amplectitur: vix vlla Latini interpretis habita ratione. Non est autem vel à seipso admonitus, qui cũ in Lucę 3. cap. scriberet, consentaneum rationi esse dixit, vt potius noui textus Hebræi manci & corrupti sint, quàm vt 70. interpretes, viri boni & insignes, studuerint commento & mendacio fingendo. Hęc nimirum apud viros doctos vehemens idoneaq; ratio est. Nam quas illi ratiunculas addunt ad cõpurgandam incredibilem nouitatem, nõ est quidem diei loci huius refutare. Satis enim modò est aduersarios suis quoque argumentis refellere. Quoniam his de gradu deiectis, abundè sententiæ nostrę veritas comprobatur. Vt igitur eò, vnde digressa est, recurrat oratio, si vocetur in quæstionẽ, an coruus reuersus fuerit ad Arcam, rogo an impunè liberęque à catholico negari possit, etiam si in Hebraicis omnib. exemplaribus (quod isti dicunt) cõtrarium habeatur. Si negari potest, profectò euicimus Hebraica exemplaria nec firma, nec apta esse ad catholicas cõtrouersias finiẽdas. Si non potest, iam dicito, si ita libet, nec Hieron. nec Ambros. nec Cypria. nec Aug. nec Chrys. nec reliquos huius ordinis viros catholicos esse, nos verò hæreticos etiam dicito, coruũ nanq; ad arcam reuersum, inficiamur. Hoc dicere quoniam insolẽtissimę vesaniæ est, illud dicamus, potiùs, Hebræorum noua ista exẽplaria in Theologiæ quæstionibus nihil virium habere ad faciendam fidem.

Paginam quoque Iudæos nouos

Præterea, magna est dissensio sępenumerò Græcorum codicum, qui nunc habentur in manibus. Vnde, & qui nostris temporibus ad Græca dicunt se expendere Latina, haud rarò inter se dissident, non in verbis modò, sed in sententijs quoque. Quid, quòd interim eadem exemplaria

plaria nouiisti interpretes non eodē sensu interpretā-
tur: Nam versum quartum Psalmi 109. aliter Lutherus,
aliter Pomeranus, aliter Pelicanus, aliter Bucerus, aliter
Mūsterus, aliter Zuinglius, aliter Felix, aliter Pagninus,
traduxerunt, vt iam mihi videātur Theodotionis, Sym-
machi, Aquilæ, quinta, item sexta & septima editio, ac
vulgata quoq; septuaginta numero paucissimæ, si ad ho
rum innumeras conferamus. Quid, quòd Erasmo cum
seipso non cōuenit? Extat enim quinta, extaret & sexta
editio, nisi vel inconstātiæ notam sibi inferendam me-
tuisset, vel morte fuisset interceptus. Ac certè hęc varie-
tas versionū, semper fuit hæreticis quasi gentilis & pro-
pria. Id enim Actę monitis olim à viris ecclesiasticis ob-
iectū est, quod nę ipsa quidem exemplaria sibi ipsis con-
cordarent, si priora cum posterioribus conferrent: Sē-
per, inquit, emendant, quibus semper displicet quod e-
mendant, & noua quęq; perquirunt, cum eis, quę in vsu
Euseb. l. 5. Eccle. hist. cap. vlti. sunt, videbuntur aduersa. Et Lutherus primūm quidem,
noui Testamenti veterē editionem, Germanica sua ver-
sione mutauit, quo persuaderet populo scilicet: maiores
nostros vsque ad id temporis verum Euangelij textum
non habuisse. Ipse tamen idem non post multos annos
suam editionem ita correxit, vt ex solo Matthæi Euange
lio annotauerint viri docti triginta & eo ampliùs locos
immutatos. Itaque homines leues non tam ex fontibus
sacras literas vertunt, quàm circa fontes ipsi vertuntur:
doctrinisq; varijs & peregrinis adducti, paruuli fluctu-
ant, & circumferuntur omni vento doctrinæ. Et re vera,
cùm nouitas quęlibet quasi nouus ventus ebullit, statim
cernitur frumētorum grauitas & leuitas palearū, tunc q;
sine magno molimine id excutitur ab area: quod nullo
pondere intra aream tenebatur. Quorsum hęc (inquies)
tam lōgo repetita principio? Nēpe, vt intelligamus, noui-
tios istos interpretes vel exemplariū, vel interpretatio-
nū discrepantia, varietatem in ecclesiā inducere magno-
perè suspectam, & pijs omninò mentibus formidādam.
Ac nouitas ipsa quidem primùm timenda est, quæ sine
Reip. perturbatione esse non potest, ob eam enim cau-
sam Hebræis regem petentibus, si Gregorio credimus,
Domi-

Dominus succensuit: quòd omnem in Republ. nouita-
tem habeat exosam. Metuenda quoque rerum mutatio
est, nam & parua momenta tantum valent ad commu- *Cicero 2. de legibus.*
nem statum ciuium perturbandū, vt mutatis, quod Pla-
to ait, musicæ modis, & Reip. morum q; necesse sit muta
tionem fieri. Quamobrem, qui grauissimos legis diuinæ
modos, nouis alijs, acutis illis fortasse quidem, sed leui-
bus tamen cōmutare pergunt, videant illi, num religio-
nis cæremonias, sacramenta, sacerdotium, versionum
prætextu simul inuertāt. Adeò hæc enim inter se cōnexa
copulataq; sunt, vt ex his nullū à cæteris nec diuelli nec
distrahi possit. Ita qui vnum horum quodlibet versarit,
reliqua etiam verset oportet. Id quod Lutheranorum
exēplo didicimus, qui nouis inuentis vniuersa illa pari-
ter mutauerūt. Porrò autem varietatem, vt antè dixi, ac
multò etiam magis respuere ac formidare debemus, quæ
nimirum constantiæ atq; vnitatis inimica est. Quas ec-
clesia virtutes habere nequit, si scripturæ non est vnitas
eadem & consensus. Qua in parte feliciora nostra secu-
la sunt, quàm antiqua. Nam, olim tot penè vulgabantur
exemplaria, quot codices. At verò nunc sancti Spiritus
sine dubio peculiari prouidentia, Damasi solicitudine,
Hieronymi summis laboribus, ecclesia sancta concordē
scripturam vnitatem accepit, omnisque sublata de me-
dio varietas est, vnica Latina editio omnium consen
sione recepta. Quapropter qui ad Græca exemplaria
nos reuocant, tandem varietatem inferre volunt, à qua
olim Hieronymus libros nostros asseruit: imò eandē fal-
sitatem, à qua ille codices nostros expurgauit. Nā varie-
tas codicum, facilis deprauationis occasio esse solet. At-
que vt nulla deprauatio sit, ipsa tamen varietas noxia
est. Nec enim potest vnquam verum asseri, quod diuer-
sum est: vt Hieron. ad Domnionem, & Rogatianum scri-
psit, & ad Damasum: Verum, inquit, non esse quod va-
riat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si e-
nim Latinis, ait, exemplaribus fides est adhibenda, re-
spondeant ij, quibus tot sunt exemplaria penè, quot co-
dices. Varietas igitur exemplarium Latinorum, quæ tūc
erat, fidem eiusmodi exemplaribus derogabat. Atque
huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius quidem argumenti tanta vis & efficacia fuit, vt vel refractariam illam Lutheri procacitatem retuderit. Cap. 11. Is siquidem (referente Cochlæo in libro de Canonicæ scripturæ auctoritate) sic ait: Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruãdam fidei vnitatem concilij decreta recipiamus. Prouidentissimè igitur à sacra synodo Tridentina constitutum est, vt ex multis Latinis editionibus sacrorum librorum, vna vetus & vulgata editio, longo tot seculorum vsu recepta, in publicis disputationibus pro authentica habeatur. Non est itaque nunc temporis in fidei ac morum disceptatione ad Hebraica Græca ve exemplaria prouocandum. Quippe cùm fidei dogmata per discrepantes aut Hebræorum, aut Græcorum codices malè confirmari possint, aut ecclesiæ vnitas contineri. Atque eisdem ferè argumentis quarta illa postremaque conclusio persuaderi potest. Nec enim sunt Hebræorum aut Græcorum codices modò emendatiores, quàm Latini, imò plerunque aliter habent, quàm ratio ipsa & veritas postulant, quemadmodum frater Franciscus Titelmannus & in collationibus super epistolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri interprete, doctissimè copiosissimeque disseruit. Vnde duo solùm ex innumeris loca desumere placuit, vt in his Theologi discant, quàm parum nouis istis interpretibus sit fidendum.

Vnus locus est ad Roman. 12. Vbi enim nostra editio habet, Domino seruientes, noui ferè interpretes reddunt, Tempori seruientes, & tamen nostra litera præferenda est. Quam & olim Græci emendati codices habuerunt. Chrysostomus siquidem, & Theophylactus non legunt τῷ καιρῷ δουλεύοντες, sed τῷ κυρίῳ. Quam etiã lectionẽ habuit Origenes: Atque adeò Hieronymus in epistola ad Marcellam, cuius initium est, Post priorem epistolam, cum lectionem aliam reprehendisset, asseruit, secũdum Græcam veritatem legendum esse, Domino seruientes.

Alter habetur prioris ad Corinthios septimo. Nam, vbi nos legimus, Qui cũ vxore est, solicitus est quæ sunt mundi

mũdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. isti ex Græco (vt aiunt) fonte, sic vertunt: Qui cum vxore est, cogitat quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, diuisa est vxor & virgo. Quam posteriorem lectionem D. Hieronymus in priori aduersus Ioninianum libro, docet non esse Apostolicæ veritatis. Quodque fatetur se aliquando illum locum in eum sensum disseruisse, &c. Sic igitur quadam exemplaria, tum Hebraica, tum Græca, olim Hieronymus nactus est, multò emendatiora quàm ea, quibus iuniores interpretes & expositores fidem suam alligarũt. *In præfationẽ super Iob.* Cumque nobis opponunt codices quosdam ante annos sexcentos aureis literis descriptos (hos enim fontes appellant) Hieronymus pro nobis illis respondet, inquiẽs, Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel vncialibus (vt vulgò aiunt) literis, onera magis exarata, quàm codices: dummodo mihi meisque permittant pauperes habere scedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Quamobrem hominibus his, qui nouandis rebus student, illud sæpè accidit, vt dum codicum, vel Hebraicorum, vel Græcorum, quos penes se habent, exempla sequuntur, nihil aliud agant, quàm ex non correctis emendata corrigere.

Quo quidem in loco Isidorus Clarius ferendus non est, cuius emendatio nihil est aliud, quàm interpretis veteris reprahensio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam: posteà verò quàm pollicitatione hac depellit inuidiam nouitatis, multa inserit, adijcit quædã, nonnulla mutat: vt lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris interpretis errorem, aut veterum codicum deprauationem. Quàm bellum, erat potius nouam editionem confiteri, quam veterem, emendatam: ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur. Nota sunt eiusmodi plurima loca apud Isidorum Clarium & in veteri & in nouo Testamento: proferremq; illa, nisi ad alia properaret oratio. Illud tantùm admoneo, huiusmodi vel mutationes, vel detractationes, vel additiones, quę curiosos homines sępè delectãt, parentibus nostris, si nunc viuerent, futuras esse

Cap. 10. esse molestissimas. Id quod ex primo libro historiæ, quã vocant Tripartitam, colligere licet. Cũ enim (vt ibi dicitur) multi Episcopi conuenissent, & quidam eorum rogatus esset, vt faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio & sapientia præditus, ille locus venit in mediũ, Tolle lectum tuum, & ambula: vbi pro, lecto, Cubile dixit. Tũc Spiridion Cypriorum episcopus vir sanctissimus indignatus in eum, & exiliens de cathedra sacerdotali, Tu melior es (inquit) eo, qui, lectum, dixit, quia eius verbis vti confunderis: Hoc autem fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum, qui eloquij supercilio prærumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum, cùm esset venerandus, & operibus gloriosus, simulque presbyter æuo atque sacerdotis officio. Quid hic faceret, si Isidori Clarij, quid si Erasmi, quid si Caietani, quid si reliquorum tam varias & multas versiones & inuersiones audiret? Quo putas animo ferret, cùm in alijs libris, tum maximè in Dauidicis Psalmis, Caietani lectionem & textum vsque adeò à nostro discrepantem, vt vix possis agnoscere, an idem liber sacer, an alius sit? Quid Hieronymus? Psalmósne ad verbũ translatos pateretur? Qui in libro de ratione interpretandi Horatianum præceptum illud, Nec verbum verbo curabit reddere fidus interpres, etiam in sacris literis interpretandis magnoperrè commendat? Et in epistola ad Augustinum asserit. Hieronym. sensuũ potius veritatem, quàm verborum se ordinem conseruasse. Et ad Suniam & Fretellam boni interpretis regulam ponit, vt non verba verbis quasi paria & de mensa respondeant, sed sensus sensui. Quid, quòd Cicero in lib. 3. de finibus ait, verbũ è verbo exprimere indisertos interpretes solere? Fallitur ergo præ cæteris Caietanus, qui huius præcepti immemor, Psalmorum versionem dum fidam voluit reddere, reddit ad Ecclesiæ quidem vsum prorsus inutilem.

CAP. XIIII.

In quo argumenta capitis duodecimi refutantur.

AC primum quidem, cùm Hieronymi auctoritas nobis obijcitur, haud difficile erit respõdere. Duabus

bus enim ex causis tunc erat ad fontes recurrendum. Vna, quòd non tam turbidi fontes erant, nec primariæ scripturarum scaturigines conturbatæ. Altera, q̃ tunc varietas Latinorum codicum & dissonantia magna erat. Nec tolli commodè poterat, nisi ad exemplaria Græca atque Hebraica Latina referrentur. Has vero causas fuisse Hieronymo, vt in eam sententiã induceretur, manifestè patet ex procœmio super quatuor Euangelia ad Damasum, & ex epistola ad Suniam & Fretellã. At modò cùm exemplarium Latinorum vnà apud omnes concordia sit, potius Græca variantia per nostram Latinam editionem sunt limanda, atque in pristinam vnitatem reducenda. Saniorisque consilij est, limpidam aquam è lacunulis defæcatis, quàm ex turbato fonte liquore obscœnum bibere. Porrò, vt ab scholastica disputatiõe interim excurrere annuente lectore liceat, nos, qui Abraham secundum promissionem filij sumus, puteos fodimus in aliena Palæsthinorum regione. At verò Palæsthini alienæ felicitati inuidentes, puteos inuentos conãtur obstruere. Quos tamen Isaac multa diligentia refodit, ac repurgauit: donec aqua viua reperta est. Ibi pastores Geraræ cum pastoribus iurgantur Isaac, dicentes, Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei Isaac, ex eo, quod acciderat, vocauit Calumniam. Profectus inde fodit alium puteum: pro quo non contenderunt: itaq; vocauit nomen eius latitudo. Fodit in hunc omninò modum ecclesia Romana atq; Latina puteos aquarum viuentium: hoc est, sacrarum literarum: inuenit autem aquam sapientiæ salutaris: venas vitæ (inquam) inuenit: sed in aliena veluti regione Iudæorum & Græcorum. At, illi puteos oblimare, obstruereque nituntur. Quin etiam iurgantur contra nos, & inquiunt, Nostra est aqua: fons noster est. Qui Hebraicus Græcusque nõ fuerit, in alieno solo fodere non debet. Nostro idiomate, aiunt, locutus est Christus, locuti Prophetæ, Apostoli, & Euãgelistæ. Vos Latini hospites estis: & has literas à nobis emendicare debetis: nostra opera, nostraque castigatione restituendi sunt in genuinam veritatem vestri codices. Sic puteos nostros Iudæi, hæretici, curiosi nouarũ

Gen. 26.

rerum amatores humo opplere contendunt, certantque nobiscum: sed mera calumnia est. Qui enim sunt alieni à corpore, quo pacto illustrabunt ipsum? Qui sensum Christi non habent, quomodo sensa Christi interpretabuntur? Qui aduersum nos pugnant, num arma nostra sunt instructuri? nequaquam. Fodiamus igitur alium puteum, quem latitudinem nũcupemus: ecclesiam scilicet longè lateque dispersam, pro quo nulla controuersia excitetur. Est enim ecclesia columna & firmamẽtum
2. Tim. 3. veritatis: est ciuitas Dei, quam fluminis impetus lætificat. Hæc potauit filios suos mille ab hinc annis huius
Psal. 45. fluminis aqua. Hanc nos aquam & probare & tenere debemus, nec alios fontes veritatis exquirere. Sed prima argumenta vidimus, iam reliqua videamus. Nam, quòd Augustini ac Damasi auctoritas obijcitur, post ea, quæ dicta sunt, nihil ponderis habet. Siue enim Augustinum, seu Damasum nobis opponas, de suo tempore ambo loquuntur. Innocen. vero 20. dist. cap. de quibus, quẽ nonnulli etiam nobis aduersum esse volunt, quid sibi velit, equidem non intelligo, nisi locus deprauatus sit. Existi-
Lib. 5. c. 5. §. 3. mo enim non Græca, sed Canonica esse legendum. De qua re alio libro fortasse latius. Nã illud quidem, quod Erasmus grauissimè vrgere existimauit, leuissimum est. Multa siquidem, quæ Hieronymus primum & in noui testamenti editione veteri, & translatione 70. errata esse crediderat, ea post maiori diligentia perpendens, aut etiam vel ab amicis, vel certè ab inimicis admonitus, coperit, non esse corrigẽda, id quod Franciscus Titelmannus in Apologia declarauit. Certè Hieronymus in Hebraicis quæstionibus 70. interpretes notat, quòd contra Hebraicam veritatem, pro, Amico, Opilionem verterint. Et ipse tamen posteà 70. secutus est. Nec me præterit Augustini Eugubini sententia. Sed eam esse commentitiam patet. Quid enim ineptius dici potest, quàm 70. interpretum errorem, vitio librariorum in Hieronymi editionem irrepsisse? Quid rursum improbabilius, quam 70. interpretes viros clarissimos in re apertissima, quæ vulgo facilis erat, fuisse hallucinatos? Iam verò quam indignè à Laurentio, Fabro, Erasmo, vetus editio

editio passim reprehendatur, in vna epistola ad Romanos Franciscus Titelmannus liquidò ostendit. Ex qua re satis intelligitur, quantum fidei Aristarchis istis sit habendum.

At illud primum, quo falsitatis nostra vetus editio insimulatur, Osiandri est in Harmonia Euang. argumentum. Atque eandem antè notam veteri interpreti inusserant Nicolaus Lyranus, Iudicum 10. & Burgen. Num. 36. Sed Hieronymus secutus est 70. Quibus consentiunt Damascen. lib. 4. cap. 15. Euseb. lib. 1. eccle. histor. cap. 6. Epiphan. Hæres. 78. Ambro. libro 3. comment. in Lucam. Niceph. lib. 1. cap. 11. Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Quorum libentius ego æmulor negligentiam, quàm istorum obscuram diligentiam. Igitur, cùm in lege ratio finis habeatur, lex intelligenda est de fœminis illis, quæ ex defectu masculorum paternã hæreditatem sortiuntur. Quæ causa fuit D. Thomæ, 1. 2. quæst. 105. art. 2. ad secundum, & 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. ad quartum, vt filiabus Aaron, liberum matrimonium concederet: in quibus scilicet ratio huius legis deerat. Et Leuit. 21. iubetur pontifex ducere vxorem virginem de populo suo: non de familia aut tribu sua. Et Iudicum 10. constat, Tholaa & Abimelech consanguineos fuisse, quorum alter fuit ex tribu Isaschar, alter ex tribu Manasses. Et vir Leuites de sorte Ephraim, vxorem duxit de tribu Iuda, Iudi. 19. Iosephus libro quinto, an. cap. 6. Non ergo falsa est editio nostra, sed est tamen litera sanè interpretanda. Quid ergo (nam hoc dicet aliquis) pertinet ad Dominum generationis ordo deductus vsque ad Ioseph? Certè pertinet multum. Nam quando Euangelista scribebat, Iudæis erat exploratum, Ioseph ex eadem tribu esse, ideo enim ambo in Bethleem censentur, vt de vna videlicet stirpe generatis. Ac beatam Virginem nullos fratres habuisse, historiæ omnes consentiunt. Itaque viro contribuli nupserat. Quod ergo populo tunc Iudaico notum erat, non erat opus, vt Euangelista scriberet, id docuit, Ioseph a Dauid descendisse. Qua vna re & seruauit consuetudinem scripturarum, qua mulierum in generationibus ordo non texitur: & verè docuit id, de

quo poterat esse cõtrouersia. Nam, quòd Maria ex eadẽ familia esset, vt quod eo tempore plebi notissimũ erat, non putauit Euangelista admonendum.

Argumentum etiam alterum eiusdem Osiãdri est in Harmon. Euang. vbi tradit Hebræos in dictionum inflexionibus neutrum genus non habere. Ex quo effici, vt voce masculina vel fœminina pro neutra aburantur. Vt vbi nos dicimus, Nõ est bonum hominẽ esse solum, imperitus interpres redderet, Non est bonus esse Adam solus. Ad eundem quoq; modum, loco eius, quod Hieronymus vertit, Paruulus es, perspicuè & verè conuertendum est, Parum esse, vt sis inter Chiliarchos, seu principes Iudæ. Cuius axiomatis causa apertissimè redditur, Exte enim, &c. Quæ ratio ineptissima est, si ad præcedẽs pronunciatum iuxta Hieronymi versionem accommodetur. Quòd autem posterius mẽbrum prioris ratio sit, sermonis natura prodit, sensus cõmunis iudicat, & Spiritus S. per os Euangelistæ testatur. Hactenus Osiandri verba retulimus. Sed miranda est hæretici insolentis impudentia. Chaldæa paraphrasis, recẽtiores Iudæi omnes, 70. interpretes cum Hieronymo consentiunt, & hic vnus sibi solus sapit. Sed cùm Hebraicus textus coniunctionem non habeat, potest quidem sic tota oratio accipi, vt secundum membrum causa sit primi. Quem sensum pontifices & scribæ habuerunt, quorum verba fide, qua oportuit, Matthæus retulit. Potest autem sic etiã accipi, vt posterior pars quasi aduersatiuè intelligatur, quo sensu accepit Hieronymus, vt paret ex commentarijs in Michæam. Ac si rem ipsam diligẽtius animaduertas, parum certè interest, vtro modo accipiatur oratio. Quocirca ridiculus est Osiander, qui in re nihili tantas tragœdias excitet.

Illud est facilè, quod tertio loco additur. Nã Codices 70. interpretum interrogandi notam habuêre: ita conuerterunt, Nunquid irascetur per singulos dies? Et Augustinus quidem, licet sine interrogatione legerit, nostrum tamen sensum expressit, inquiens: Longanimis & non iram adducens per singulos dies. Itaque 70. interpretes optimè sensum illius versiculi videntur expressisse, si

sisse, si antecedentia consequentibus hærere debeant. Quod verò Caluinus cap. 5. institut. obijcit, frigidum id languidumque est. Tum quoniam, vt quibusdam placet, de amore & odio prædestinationis & reprobationis loquitur Salomon: idque suaderi putant ex eo, quod subiungitur, sed omnia in futurum seruãtur incerta. Tum, quoniam secundum communem legem loquitur, atq; ad communem etiam loquẽdi formam orationem accommodat, qua cùm ignorat homo an morte dignus sit, verè dicit; Nescit homo, vtrũ odio vel amore dignus sit. Tum, quoniam, vt aliàs in eo libro sæpè, argumentantis locum assumit, atque personam, non definientis. Itaque eo capite argumentatur à principio statim, multa mala consequi ex eo, quòd omnia æquè eueniant iustis & impijs in hoc mundo. Vnum autẽ ex absurdis, quę proponit, est, quòd sint in domo Domini serui differentes, alij boni, alij praui, & tamen Dominus nõ declaret, quem amẽt, quem odio prosequatur: sed ita benignè se erga impium, vt erga pium gerere videatur; nec minus grauis & seuerus sit erga bonos seruos, quàm erga improbos. Omnia enim bona malaque huius vtriusq; sunt communia. Nihil ergo falsi nostra editio continet, siue primum, siue secundum, siue tertium hunc sensum amplectamur.

Nam quòd suspicantur quidam Matthæi 24. interpretem falso pro, Fulgore, Fulgur reddidisse, ideò quòd non fulgur exit ab oriente, & protenditur vsque in occidentẽ, sed fulgor: perridiculum argumentum est. Primũ enim, si quis hoc in loco error inest, hunc non interpretis, sed librariorum fuisse, ad veritatis similitudinem videbatur esse propẽsius. Voces quippe illæ, Fulgur, & Fulgor, vsque adeò similes sunt, vt procliue sit vnam pro altera substituere. Quare parum æquè ea in interpretem culpa reijcitur, quam librarijs assignare æquius erat. Deinde interpretis peccatum hic nullum omninò esse potuit: vbi Græca omnia exemplaria & vetera & noua cõsentiunt, nec alium, quàm ἀστραπὴ legũt: quæ vtiq; vox non fulgorem, sed fulgur sonat. Sed ne de fulgore qui dem accidi potest, etiamsi Græca vox vtrunq; sonaret.

Origenes à fulgure, de quo

primũ locutus est, ad fulgorem deinde labitur. At nec Græcũ nomen idẽ vtrunque significat, nec voces, quæ Græcis fulgur fulgorẽque designant, similes cognatæque sunt, sed valdè diuersæ.

Sol namq; paulatim oritur, eiusq; aduẽtus diu præsentitur, antequam appareat. Illius itaq; fulgor nõ inexpectatus aduenit. Dominus autem sine dubio significat, aduentum suum subitum & inopinatum fore. Id quod fulguris similitudine apertissima exprimitur, quod priusquã expectes, iã emicuit & abijt. Et quanquam fulgur non pertingit ab oriente vsq; in occidentem, si ad Philosophiæ rationem expendas, sed ad exprimendum subitum & inexpectatum quidem, sed conspicuum omnium oculis aduẽtum Christi, satis est accommodare id, quod oculis nostris apparet. Alioqui arguatur D. Thom. quasi perspectiuæ facultatis indoctus, qui explicaturus, quẽadmodum res diuinæ in humanis eluceant, exemplum ponit speculi, in quo, vt ait, rei imago cõspicitur. Quod licet re vera ita non sit, nobis tamen ita videtur. Quin etiam arguatur Moyses tanquam Astronomiæ imperitus, qui duo luminaria magna posuit, cùm sint alia multo maiora. Sed sensui nostro illa duo maxima apparent. Nec alienum est à sacris scripturæ auctoribus sese populo rudi attemperare, loquique vt vulgus solet. Hisce verò rebus exempla plura ego adiungerem, nisi de hoc argumento satis superque esset dictum. Heliu certè iuxta hanc rationem illud dixit, Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus: Iob trigesimo septimo. Ad eundem modum Propheta ait: Qui fundauit terram super aquas: quasi aquæ inferiores sint, cùm tamen emineant, vt decimo tertio libro ostendemus. Simili quoque lege tres angeli, qui Patriarchæ apparuerunt, comedisse dicuntur, non quòd re vera comederint, sed quòd comedere visi sunt. Quanquam Iustinus figuratè accipit, perinde vt ignis deuorare & exedere dicitur, quia consumit. Est autem locus in dialogo cum Tryphone. Iam verò illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimârint interpretes, non oportere semper easdẽ omninò res, quæ in Hebræo sunt significatæ sermone, in Græcum, Latinumque transferri: sed satis esse quandoque, si proximæ atque similimæ ponerentur. Illud enim in sacris etiam literis conuertendis præ se tulerunt, quod de lege interpretandi est à Cicerone

Cicerone dictum, verba non numeranda esse, sed põderanda: sensumque sensui ita reddendum, vt, quoad fieri posset & liceret, verborum quoque interdum neglecta cura lectoris intelligẽtia iuuaretur. Id vero tum vel maximè licere sibi arbitrati sunt, cùm Hebræi auctores similitudine vnaqualibet, aut animalis, aut arboris, aut fruticis, aut herbæ, aut rei deniq; alius vsi essent, quæ esset Græcis ac Latinis incognita. Vt Esai. 1. vbi Latina editio habet, Cũ fueritis velut quercus defluentibus folijs, Hebraicè habetur, Ela, quæ vox, si 70. interpretib. ac Hieronymo etiam ipsi in cõmentarijs credimus, Therebinthum, magis quàm Quercum sonat. At quia Therebinthus arbor est peregrina & incognita, soloque apud Latinos nomine celebrata: non incongruè Therebinthi loco Quercus posita est, arbor omnibus & linguis & gentibus manifesta, Psalmo item 101. pro Peleco in Hebræo habetur *Lika*, pro Nictycorace autem *Kekom*. illud alij Monedulam, alij Onocrotalum, alij Pelicanum: hoc, partim Bubonem, partim Cuculum, partim Noctuam reddiderunt. At 70. interpretes quidem vocem Hebræam, quam Hieronymus in Onocrotalum perpetuò vertit, nunc in Pelicanum, nunc in Auem, nunc etiam in Leonem transtulerunt. Nec verò ita id factum est ab illis quòd voces essent multiplices & ambiguæ: sed quòd cũ apud Hebræos animantium præsertim plantarumque vocabula penitùs ignorata sint: nihil referre existimarunt, vnamquamlibet ex rebus similibus poni, si idem omninò sensus remaneret. Solitudo enim ibi quæritur, in qua res omnes illæ conueniunt, non alia quæuis propria specialisque natura. Quemadmodum etiam cùm apud Latinos prouerbialiter dicitur, In præsepio cãis: si Hispane quispiam verteret, El perro del ortelano, holitoris canis, optimè profectò interpretaretur. Quoniam sub re & voce diuersa vnus idemque sensus esset lectori insinuatus. Quamobrem illa Caietani religio nimia fuit, qui Es. 1. vocem Ela, noluit in Latino exẽplari mutari: quasi periculum esset, si aut Quercum, aut Therebinthũ, aut aliam quãuis similem arborem legeremus.

Universidad de Deusto Biblioteca

Non nego omnia illa esse Hier. Credo enim in quosdam Psalm. eũ commẽtaria edidisse.

Ex eadem quoq; re illorũ error coarguitur, qui quoniã vbi Hieronymus Onocrotalum reddit, ibi fere septuaginta reddunt Pelicanum, eandem esse auem existimarũt. In quo errore auctor etiam commentariorum fuit, quę Hieronymi titulo in Psalmos circumferuntur. Ea vero Diuo Hieronymo tribuere, manifestariæ ignorantiæ esse velex hoc vno apertè cõuincitur. Ait enim hic auctor Pelicanũ, Latinè dici Onocrotalum. Ecqua autem ignoratio maior esse potest, quàm vocem Onocrotali Latinã existimare? Sed de his hactenus. Nunc illud etiam atque etiam asserimus, in huiusmodi cõparationibus transferendis, nihil omninò interesse, an res eadẽ in eisdem, an in similes & proximas conuertantur: si sensus non diuersus, sed idem est.

Quid? quod cum Latinis res ipsa Hebręa & nomenclatura deest: si interpres ex re ágnata & vicina, rem nobis aliàs incognitã nominauit nihil prorsus absurdi fecit? Quin rem tẽtauit interpretibus vniuersis aut ex auctoritate, aut ex vicinitate cõcessam: vt aut nomen Latinũ ad significandum imponeret, aut certè ad rem similẽ vel proximam insinuandã transferret. Cùm itaq;, Ionæ c. 4. alij Cucurbitã, alij Hederam conuerterũt, vsi sunt illi quidẽ iure suo, nec verborum religione astricti debuerũt committere, vt illo in loco nullã omninò rem nec Græci intelligerẽt, nec Latini. Non est autẽ huic illud dissimile, q̃ Danielis prophetię obiecit Porphyrius: confictam esse scilicet, nec haberi apud Hebræos, sed Grę. i sermonis esse commentum: quia in Susannæ historia contineatur. ἀπὸ τῦ πρίνυ πρίσαι καὶ ἀπὸ τῦ σχίνου σχίσαι. Quam etymologiam Græco magis sermoni cõuenire, quàm Hebręo. Cui, quoniam id quod Euseb. Appollinaris, atque Hier. respondẽrunt, ab ecclesia reprobatum est; multò nos verius respondemus, hoc interpretem Græcũ facere potuisse, ac iure potuisse quidẽ, quod Latinus interpres reformidauit. Nõ enim necesse erat, easdem arbores eo loco reddi, quas lingua haberet Hebręa, quoniam si eædem redderentur, non solùm etymologia seruari non poterat, sed nec prophetiæ festiuitas, nec ratio sententiæ. Alias ergo vel similes, vel proximas vertit, in quibus

bus iudicij prophetici & acumen seruaretur & causa. Præterquã, quòd arbores illę, à propheta Chaldęo sunt nominatæ sermone: nec opus est, solicitos nos esse, sin Hebræo nec illæ, nec similes habeantur.

Argumentis igitur, quibus editionis nostrę veritas impugnari solet, abundè, ni fallor, responsum est. Quanquàm nõnulla de industria prętermisi, quæ scilicet faciliora visa sunt, quàm quibus refellendis deberent autoleum, aut operam sumere. Quale illud est, quod Faber Stapulensis ait, Ecclesiã interpretis errore versatã impiè pro Deo angelos legere. Nam lectionem illam impiam credit, Minuisti eum paulo minùs ab Angelis. Qua in re quàm indoctè & incõsultè, quàm temere & insipienter errauit: non esset difficilè ostendere, nisi ante nos Erasmus magna argumentorum vi eandem causam euicisset.

Certè interpres epistolę ad Hebræos, vel Clemens, vel Lucas fuit, quemadmodum authores grauissimi prodidère. Horum vtrumlibet impietatis insimulare, piaculũ est. Ecclesiam quoq; accusare, quę eam probárit epistolã, in qua error impius est, an sine impietate fieri possit, ignoro. Sed de his satis. Iã reliqua persequamur. Enimuero cùm historiam Susannæ post ea tẽpora ecclesiasticus vsus approbárit, & Danielis prophetæ nomine populo legerit, cumque Tridentinum Concilium sua quoque id definitione firmauerit, ea certè historia nũc à fidelib. recipienda est. Aphricanus quidẽ Origeni obiecit, quòd historia Susannę ficta videatur, & aliena à scriptura prophetica, vt Euseb. testis est lib. 6. cap. 23. At illi tamen, vt idem Eusebius ait, Origenes manifestissimè rescribens asserit, nequaquam Iudæorum commentis & fraudibus auscultandũ, sed hoc solùm pro vero habendum in scripturis diuinis, quod 70. interpretes transtulissent. Nã id esse solum, quod authoritate Apostolica confirmatũ sit. Hæc Euseb. idem verò refert Hierony. in catalog. de Iulio hoc Aphricano loquens, & Hieron. ipse lib. 1. Apolo. aduersus Ruffi. quæ in præfationibus dixerat, ea purgat, inquiens: Quod autẽ refero, quid aduersus Susannæ historiã, & hymnum trium puerorum, & Belis draconis fabulas,

bulas, quę in volumine Hebraico non habentur. Hebræi solebant dicere, Qui me criminatur stultum, se sycophantam probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contrà nos dicerent, explicaui. hactenus Hieronymus.

Ad aliud ergo argumentũ, quoniam nolumus esse longi in singulis explicandis, breuiter respondetur, eum locum ex priori epistola ad Corinthios bifariam apud Græcos legi: & vt vulgata habet editio, in hũc modum: Omnes quidem nõ dormiemus, sed omnes immutabimur. Cuius rei auctor est Didymus, & Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum. Neutra autem lectio à viris ecclesiæ reprobata est. Quin admonuêre semper lectionem dubiã & variam esse: nec alterutram ex eis vt certam & exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur: quia neutram partem doctores ecclesiæ tanquam exploratam & catholicam asseruêre. Quod idem in alia particula qualibet Latinæ editionis fieret, in idem penitus contigisset. At vbi doctores catholici vnam & eandem lectionem sine varietate tenuerunt, nec ancipitem assertionis librauêre sententiam, nobis non licet Latinam editionem in quęstionem vertere. Sed ne in hoc quidem loco, Erasmi, Fabri, & Caietani sententia probari potest: qui in re, vbi nihil intererat, vtro modo diceretur, eam lectionem deligere maluerũt, quàm nouitatis ratio redderet plausibiliorem. Id quod genrile his est, qui curiosa sectari volunt magis, quàm solida. Nos autem Origenẽ, Didymum, Athanasium, Augustinum, Cyprianum, Tertullianum, cõmunemq; Latinorum consensum sequi malumus. Nam & Acatius Cęsariæ ciuitatis episcopus apud Hieronymum in pluribus Græcis exemplaribus lectionem nostrã haberi dicit, aliã vero in paucioribus. Nec me tamẽ illud præterit, quod Chrysostomus & Theophilactus in commentarijs, Hieronymus quoque in epistola quadam ad Marcellã scribere. Sed, quod ante dixi, me malè habet, in rebus, quę in vtramq; partem cõtrouertantur, noua delectare Theologos magis, quàm vetera, eaque vsu parentum nostrorum comprobata. Ac de 5. argu. satis.

Ad id vero, quod sequitur, hoc habeto responsum. Magnus

Lib. 10. de ciuit. Dei, c. 20. Ad Mineri. & Ale. initiũ epist. est, Magnis nos prouocas Iambli chi. Pythagoræ doctri nam ait, quoniam diuinitus

gnus error corũ est, qui sine spiritus sancti peculiari dono scripturam sacram existimãt se posse vel intelligere, vel interpretari. Quod vtique donum, quanto magis sacris literis intelligendis atq; interpretandis opus est, tanto rarius & difficilius cõtingit. Nam eruditionem, verborum copiã, multarum linguarum peritiam, hominũ diligentia præstat: At si spiritus quidã peculiaris, non tam ob ipsius, qui percipit, quã ob ecclesiæ vtilitatẽ, gratuita Dei miseratione donatus, sacrorum librorum interpreti desit, ieiuna erunt & frigida omnia, quamlibet elaborata, & diu antè excogitata & inuenta fuerint. Imo falsa erunt in interpretatione pleraq; humano sensu intelligẽtiaq; traducta. Nam interpretationem scripturę prophetiã. & inspirationem Dei credit Clemẽs Alex. lib. 1. Stroma. & Apostolus in priori ad Corinthos epistola, inter reliqua Spiritus sancti dona cõmemorat: nec philosophiam, sed prophetiam, vocat. Videlicet, quod sacris literis explicãdis eodem spiritu opus sit, quo ipsę sunt cõditę, diuino vtiq; atque prophetico. Id q̃ Petrus posteriori sua epistola confirmati inquiens, Habemus firmiorẽ propheticum sermonem: cui benefacitis, attendẽtes tãquam lucernæ lucenti in caliginoso loco: hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non sit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Hoc autem, quemadmodum ante nos viri clarissimi intellexerunt, eum habet sensum: Benè quidem facitis prophetis attendentes: sed id primùm intelligite, diuinas prophetias humana & propria interpretatione non intelligi. Spiritu enim sancto locuti sunt sancti Dei homines, & animalis homo non recipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quis enim cognouit sensum Domini? Atque id ipsum Esaias significauit inquiens, Dominus dedit mihi linguam eruditã, vt sciam sustẽtare eum, qui lapsus est, verbo. Erigit manè, manè erigit mihi aurẽ, vt audiam quasi magistrum. Et apud Lucam, aperuit Dominus discipulis sensum, vt intelligerent scripturas. Quo testimonio probat Hilarius in Psal. 115. scripturarum intelligentiam donũ Dei esse.

tradita fuerit, non nisi quopiã Deorũ interpretante intelligi posse. Itaque inuocandũ esse Deum à discipulo, cũ Deorum auxilio egeat.

Cap. 1.

Esa. 50.

Luc. vlt.

Quod

Quod si scripturarum intelligentia donũ Dei est, scripturas autẽ interpretari, nemo, nisi qui intelligit, potest: conficitur vtique sacrarum literarum in aliam linguam versionem sine Dei peculiari gratia, nemini posse contingere. Alioqui si D. Hierony. sufficere existimat verborum copiam, eloquentiam secularẽ, trium linguarum peritiã, rerum multiugam cognitionem, cũ his omnib. abundè se nouerit instructum, cur in epistola ad Desiderium deprecatur alienarum orationum adiutoriũ, vt eodem spiritu, quo scripti sunt libri in Latinum eos possit trãsferre sermonem? Cur item in epistola ad Paulinum scripturas sanctas interpretatur⁹, Reuela, inquit, oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua? Lex enim spiritualis est, & reuelatione opus est, vt intelligatur. & rursum: Quanti, inquit, hodie putant se nosse literas, & tenent signatũ librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clauẽ Dauid. Et in illud ad Galat. 1. Sunt aliqui, qui vos cõturbant, & volunt conuertere euangeliũ Christi: Omnis, ait, qui euangeliũ alio interpretatur spiritu, quàm scriptum est, credẽtes turbat, & conuertit euangelium Christi: vt id, quod in facie est, post tergum faciat, & ea quæ post tergum sunt, vertat in faciẽ. Si quis tantùm literam sequitur, posteriora ponit in faciem: Si quis ludæorum interpretationibus acquieſcit, post tergum mittit ea, quæ ex natura sua in faciem constituta sunt. & posterius eodem quoque cap. in illud, Notũ vobis facio Euangelium, quia non est secundum hominem, & cætera. Marcion & Basilides, ait, & cæteræ Hæreticorum pestes, non habent Dei Euangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo, humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: nõ in sermonum foliis, sed in radice rationis. Hactenus Hiero. Qui si vera dicit, cogit nos profectò credere, aut veterem interpretem Spiritus sancti peculiari dono sacras literas cõuertisse, aut ecclesiam Latinam multis retro seculis non Dei habuisse euangelium, sed homini. Cùm igitur obijcit, interpretem non fuisse prophetam: Sanè verò propheta nõ fuit, habuit

1. q. 1. *Marcion.*

habuit tamen (vt Titelmãnus rectè asseuerat) spiritum quendam Prophetico vicinum & proximum: qualẽ necessarium esse ostendimus sacris literis interpretandis. Imò qualis erat necessarius, vt ecclesia Latina editionẽ sacrorum librorum habet, quã tutò in fide & moribus sequeretur.

Iam ad postremum argumentum facilè respondemus. Quòd si Latinorũ ad Græca Hebraicaque collatio à nobis negligeretur, exemplo D. Ambrosij tueri nos vtcunque possemus. Qui cùm Græce sciret, & commentarios in sacras literas ederet, sæpè tamẽ non est dignatus Græca consulere, etiam vbi diuersitatem aliquam lectionis esse constabat. Videre hoc est in commentarijs super caput duodecimum epistolæ ad Romanos. Quòd si interpretum etiam magis varietate turbaremur, quàm iuuaremur, Sophronij nos excusaret exemplum, qui id de se apud Hieronymum fatebatur. Nos verò nec versiones nouorum interpretum, nec linguarum peritiam, nec ad Græca & Hebraica exemplaria, Latinorũ collationem damnare volumus: quin potius magnopere commendamus. Nam si Augustinus de doctri. Christ. lib. 2. cap. 11. vulgarium etiam & parum doctorum interpretũ versiones plus adiuuare, inquit, intelligentiam, quàm impedire, ego varias doctissimorum hominum editiones iure reprehẽdere nec possum, nec debeo. Atq; , vt inuidiam eorum deprecer, qui nos aut miseros & barbaros, bonorumque literarum expertes, aut etiam laborum alienorum inuidos reprehensores calumniari possunt. Ego in linguarum cognitione plura etiam commoda ad sacras literas intelligendas esse fateor, & id quidem peringenuè, tantum abest, vt linguarum peritiam insecter.

Hierony. in epist. ad Sophronium.

CAP. XV.

De linguarum Hebraicæ & Græcæ vtilitate.

PRincipiò enim sunt linguæ vtilissimæ, vbi disseritur cum infidelibus: vel etiam vbi fideles alienę linguæ ad fidem instituuntur. Quæ causa, vel sola redditur in illa Clementina 1. de Magistris, propter quam linguæ sunt in academijs perdiscẽdæ. Alioqui, quorsum attinebat

In præfatione super Laurentij annotationes.

attinebat Arabica lingua, quę ibi doceri præcipitur? Quæ de re, leuiter motus videtur Erasmus, vt Clemētinæ huius argumēto assereret, ad sacras literas intelligēdas, Hebraica, Græcamque linguā esse necessarias. Altera linguarum commoditas est, in his dictionibus explicandis, quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos & Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet. Huiusmodi dictiones multas cum in Hebraicis quæstionibus, tū in commentarijs annotauit Hieronymus. Nos vnam aut alteram exempli causa ponemus. Vt Mar. 6. interpres reddidit, Et cum dimisisset eos, vbi verbū tamē Græcum ἀποτάσσεσθαι nō significat simpliciter, dimittere, sed dimittere benignè ac gratiosè, quēadmodū amicis celebrato cōuiuio beneuolè valedicimus. Qua in re Euāgelista Græcè scribens, Iesu Christi etiā erga rusticos summā comitatē & gratiam commendauit. Id quod Latina voce exprimi vix potest. Et in Epist. ad Ephesios, pro eo, quod nostra editio habet, A constitutione mundi, Græcè habetur καταβολῆς. Cuius vocis emphasim Hieronymus in commentarijs explicare volens, Non idipsum (inquit) καταβολή, quod constitutio sonat: vnde & nos propter paupertatem linguæ & rerum nouitatem, & (sicut quidam ait) quòd sit Græcorum sermo latior, & lingua felicior, cōabimur non tam verbum transferre è verbo (quod impossibile est) quàm vim verbi quodam explicare circuitu. καταβολή, propriè dicitur, cùm quid deorsum iacitur, vel cùm aliquā res sumit exordium. Vnde & hi, qui ædium futurarum iaciūt fundamenta, καταβεβλημένοι dicuntur: volens itaque Paulus ostendere, quòd Deus vniuersa sit machinatus ex nihilo, non conditionem, non creaturam atque factura, sed καταβολήν, idest, initiū fundamenti ad eū retulit. Hactenus Hieron. Et 1. libr. aduersus Iouian. tractans illum locum 1. Cor. 7. Non vt laqueum vobis injiciam, sed & proprietatem, ait, Græcam Latinus sermo non explicat. Quibus enim verbis, quis possit dicere, &c. vnde & in Latinis codicibus ob translationis difficultatem hoc penitus non inuenitur

uenitur. Cuiusmodi sunt & alia exempla plurima, quæ nos causa breuitatis omittimus. Legat multa qui volet apud Hilarium in expositione psalmorum, pluribus in locis asserentem, Latinum sermonem plenam Græcę literæ intelligentiam non reddere. Ambrosius quoque in explanatione Psal. 118. Latinos, ait, nō posse in omnibus vim Græci sermonis exprimere. Quod in Græco pleniorem sit vis & pōpa sermonis. Qua in re plurimū Theologos iuuare possent, Erasmi in nouum testamentum annotationes: nisi eas tā multis errorib. aspersisset.

In psal. 69. et in illum versū Psal. 118. Omnis consummationis vidi finem: et in illum, Viā mendacij remoue a me, et lege tua miserere mei. In illū, Deduc me in semita mādatorū tuorum.

Est alia quoque vtilitas, ad accipiendos plures sensus catholicos ex eadē scriptura, præsertim cū apud Græcos & Hebręos est æquiuoca. Sic enim dictiones polysemas & ambiguas dialectici nostri vocare solēt. Nā interpres vnam solam vocabuli significationem reddere potuit. Vt Eccl. 2. vbi nostra editio habet, Cogitauit abstrahere à vino carnem meam, alij vertunt, Trahere in vinū carnem meā, alij Attrahere in vino carnem meā. Cuius quidem contrarię omninò versionis cōtrarius verbi Hebraici significatus causa fuit. Quod & Hieronymus ipse in commentarijs admonuit. Atq; 1. lib. Apologiæ aduersus Rufinum, tractans illud 2. Psalm. Apprehendite disciplinam: pro quo ipse interpretatus est, Adorate filiū, vel etiam, Adorate pure, Nisi (inquit) & prolixū esset & redoleret gloriolam, iam nunc tibi ostenderem, quid vtilitatis habeat magistrorū limina terere, & artē ab artificibus discere: & videres quanta sylua sit apud Hebręos ambiguorum nominum atq; verborum, quæ res diuersæ interpretationi materiā præbuit, dum vnusquisq; inter dubia quod sibi cōsequentius videtur, hoc transfert. Hactenus Hieronymus. Ambrosium item vide, in Psalmum secundum de verbo, Beresit. Ambiguitas etiam in aliena lingua festiuum quandoq; vocis vsum lusumque præbet, qui in nostra non solum conseruari nequit, sed ne sensus quidē germanus sine magna licentia reddi. Vt Hieremię primo, pro eo, quod nos habemus, Vigilantē, in Hebręo est vocabulum, Soced, quod ambiguū est, nucemque & vigilias significat. Vt Hieronymus ibidem & in Ecclesiastes c. vlti. differit. Cùm itaque Prophetæ in

visione

Universidad de Deusto
Biblioteca

visione virga nucea seu amygdalina fuisset ostensa, rogatus à Domino quid videret, Hebræa lingua virgam Soced se videre respondit. Tunc ergo Dominus sermonis occasione ludēs, Benè, inquit, vidisti: quia vigilabo ego, &c. Ita quanquam Hieremias in vna significatione nomen acceperit, at Dominus ad alteram flectens, fecit ex sermonis ambiguitate concentum sententiæ elegantissimum. vt si sydus quoddam cæleste videns, Canem se videre diceret, scitè illi diceretur, bene vidisti, Canis enim lacerabit te &c. Iam verò si interpres Latin⁹ Soced in nuceam transtulisset, quod 70. fecerant, absurdè sanè subiungeretur, Bene vidisti, quia vigilabo, &c. vnde coactus fuit noua insolitaq; interpretādi licentia, virgā vigilantem Latinis auribus reddere. Quæ ego asserere non auderem, nisi auctor grauissimus Hieronymus astruxisset.

In 12. cap. Eccles. & in 12. cap. Hiere.

Quarta vtilitas in linguarū eruditione est ad cognoscenda idiomata, phrases &, prouerbia linguæ alienæ: vt sunt illa, Ne respicias post tergum: &, Neminem salutaueritis in via: Quibus maxima quædam itineris celeritas quasi prouerbialiter & figuratè significatur. Illud etiam per prouerbialem figuram apud Hebræos atq; Hispanos dicitur, Omni habenti dabitur, ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Sic apud Ecclesiasticum de consiliario infido & traditore dicitur, A consiliario serua animam tuam, ne fortè mittat sudem in terra, & dicat tibi, Bona est via tua. sic Hebræa phrasi, filij excussorū robusti & expediti dicūtur. Qua de re Hieronymum lege in epistola ad Marcellam, cuius initium, Beatus Pamphilus, Sic filiæ carminis, Ecclesiastes 12. aures intelliguntur. Sic Saul filius vnius anni dicitur, cum regnare cœpisset, id est, innocens. Nisi, quod Eucherio visum est, ita intelligas: Saulem electum à Samuele vno anno domi tacuisse, & explero anno cœpisse regnare. Sed de hoc exemplo alias. Nam vitio scribentum fortè per 21. anni vnius anni inducitur. Sic Nemrot robustus venator corā Domino, id est, sub cælo, quasi robustissimus omnium hominum, qui sub cælo erant, Scio quosdam ita interpretari, vt venator coram Domino dictus sit,

Genes. 19. Luc. 10. Hispanè, No seas vydo ninguna mora facias. Al rico todos ledan. cet. al pobre nō loquetiene lequit an. Cap. 37. Hablacō vos, y cogepiedras contos pies

sit, quasi Dei venator: quo significaretur ciuilem vnius monarchiæ potestatem vindictam esse à Deo approbatam, vt quæ Dei administra sit. Sed id, quod prius dixi, Hebræorum doctissimis placet. Vel certè venator coram Deo vocatur, id est, sub dio. Homines enim ferarum more palantes in agris ad ciuilem societatem coegit.

Sic pluisse Dominum à Domino Hebraismum esse quidam existimant, id est, desuper, sed filium à patre intelligunt, Euseb. lib. 1. Ecclesiast. histo. cap. 1. Hieronym. Oseæ 1. Irenæus lib. 3. cap. 6. Basilius lib. 5. contra Eunomi. Marcellinus ad Salomonem episcopum, Conci. Syrmien. cano. 15. Ac certè, vt alios libros veteris Testamenti prætermittamus, Salomonis Prouerbia, nisi habita ratione Hebraicæ cōsuetudinis & sermonis, vix vllo pacto explicari queunt. Nam quod apud Hebræos prouerbiali figura dicitur, id apud Latinos nullum quandoq; prouerbium est, quod plerique ignorantes in prouerbiorū expositione, aut ad allegorias cōfugiunt, aut varia etiam deliramenta confingunt: multoque melius fuerat, simpliciter insciti am confiteri, quàm imperitiæ suæ alios hæredes facere. Horum ego Latinorum errata facilè commemorarem, nisi aliud huius temporis ratio postularet, & nos aut reuerentiæ, aut beneuolentiæ causa neminem hic certo nomine volumus lacerare. Illud constat, Parabolas aliud in medulla, aliud in superficie polliceri, neque hoc sonare, quod scriptum est. Ex quo, vt Hieron. Ecclesiast. ca. vltimū ait, manifestum fit, Prouerbiorum librum non, vt simplices arbitrantur, patentia habere præcepta: sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castaneārum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis diuinum sensum altius perscrutandum. Id quod sine Hebræę linguæ peritia difficulter, ne quid amplius dicam, faciemus. Iuuaret aūt Hieronymus vehemēter Latinam intelligentiam, si cōmentarios in libros Prouerbiorum edidisset. Nam, qui circumferuntur, quanquam Hieronymo in Decretali, tit. de consti. tribuuntur, Hieronymi tamen non esse liquidò deprehenditur.

Quinta commoditas est ad menda ea corrigēda, quę

ex incuria videlicet typographorum, aut eorum, qui exscripsêre, imperitia obrepserunt. Vt Iosue 11. c. Non fuit ciuitas, quæ se non traderet: vbi secunda negatio superfluit, vt ex consequẽtibus manifestè colligitur. Sed quia fortasse 70. interpretes negationem illam in exemplari habuerũt, coacti sunt, verbũ, Tradidit, adsuppositũ aliud referre, & pronomẽ, Se, vel expungere, vel omittere. Itẽ Psa. 26. Vt videã voluntatẽ Domini: pro, Voluptatẽ, Grę cè τερπνότητα. Et in titulo Psal. 62. Idumęę: pro, Iudęę, vt Græca omnia Hebræaq; exemplaria demonstrant. Et Psa. 65. Et exultaui sub lingua mea. pro, Exaltaui, id quod tam ex Gręcis, quàm ex Hebręis manifestum est. Sũt qui putẽt, etiã subesse mendum Psal. 19. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: pro, Obliquati sunt: sic enim Hieronymus vertit, Incuruati sunt, & consentiunt cæteri interpretes. Ac Psal. rursum 124. Declinantes autem in obligationes pro, Obliquationes. Hieronymus reddidit, prauitates; Felix, peruersa; alij, Iniquitates. Consentit hic Titelmanus. Verũ hęc duo loca incorrupta sunt. In priore siquidẽ Gręcè habetur συνεπεσθησαν. ζυμποδίζω autẽ est, obligo, nexu impedio & implico. In posteriore verò Grę cè legimus σφαγγαλιὰς, quæ vox Latinis est, obligatio, nodus, & nexus implicatus. Quemadmodũ & Nazanzenus in orat. vsurpauit. Ac Hieronymus in Isaiæ caput 58. obligationes nobiscum legit. Vnde & nodus gutturis, & locus strangulationis, σφαγγάλη, Gręcis dicitur: & σφαγγαλίω, strangulo, suffoco. Illud sanè corruptum est in Psalm. 106. Effusa est contentio super principes: pro, Contemptio. Græcè, ἐξουδένωσις. Quam eandem vocem, Psalm. 122. In despectionem vertit interpres. Ruffinus autem libro 7. histo. eccle. cap. 1. illud ita conuertit, Effusa est cõtumelia super principes. & Iob. 19. Vel celte sculpãtur in silice: pro, Certè. & Lucæ 10. Suspiciẽs: pro, Suscipiens, ὑπολαβών, tametsi auctor libelli de vera & falsa pœnitentia, qui nomine Augustini circumfertur, communem errorem secutus est. Et Lucę decimo quinto, Euertit: pro, Euerrit, σαροῖ. & primæ ad Corinthios 2.

Vi. Iob. 12.

Spiri-

Spiritualiter examinatur: pro, Examinãtur, ἀνακρίνεται. & capitulo 10. Oẽs, qui de vno pane, pro, Omnes quidẽ & ca. 15. Quotidie morior propter gloriam vestram: pro, Per gloriã. Iurat quippe ibidem Apostolus, & particula νή, aduerbium iurantis est apud Græcos. Et ad Hebræos cap. 5. Interpretabilis sermo, pro, Ininterpretabilis, hoc est, ineffabilis, explicatuq; difficillimꝰ, quemadmodũ ex Hieronymo in epist. ad Euagrium liquet. Atq; idẽ Hieronymus in quęstio. Hebra. Genes. 3. legendum ait, Ipse conteret caput tuum, non Ipsa. Cùm enim apud Hebrę os neutro genere ad semen referatur, interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit, Ipse. Quod imperiti non intelligentes, vitiumq; scriptoris existimantes, substituerunt, Ipsa. Vt illa prętereamus, quæ Augustinus Eugubinus cõmemorat, Sicut ceruus desiderat vmbrã: pro, Seruꝰ. &, Solis ardore: pro, Salis. &, Sitiuit anima mea ad Deũ fontem: pro, Fortẽ. Et, Interfecta est terra à sanguinibus: pro, Infecta. Nã & Psal. 10. pro eo, quod nos habemus, Qui diligit iniquitatẽ, odit animã suam, D. Hieronymus legẽdũ credit, Anima sua, hoc est, ipsius: refertur enim, anima sua, ad Deũ, non ad peccatorẽ. Sensus aũt mirificè cõuenit, vt Deus scilicet intelligatur, vtrunq; quidẽ interrogare, & iustum & impiũ: sed impiũ tamẽ reprobare, odiũ enim Dei reprobatio est. Nos aũt Gręca 70. interpretũ exẽplaria, quę nũc quidẽ extãt, sequi possumus, Nõ enim illa habet, τὴς ψυχὴς, sed, τὴν ψυχὴν. Atque fortassis hinc illud apud Tobiã acceptum est, Qui autem faciunt iniquitatẽ, hostes sunt animę suę. Similiter & in epistola ad Suniam & Fretellã, pro eo, quod in Psalm. 5. legitur, Dirige in conspectu tuo viam meam, legendum contendit, Dirige in conspectu meo vitam tuam. Sic enim ipse vertit, Dirige ante faciẽ meam, viam tuam. At in hoc etiam nos Græcorum exemplaria sequimur: & vulgatam lectionẽ, cum fieri sanè potest, approbamus. Simile illud est ad Philippen. 3. Qui spiritu Deo seruimus, vbi, spiritui, legendum esse credit Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 6. Nec solùm in Latina lingua huiusmodi errores accidunt: sed eos etiã

Iob. 7. Deut. 29. Psal. 41.

Cap. 12.

In Hebraica & Græca deprehendimus. Deprehendit Caietan. ac verè ille, meo iudicio quidem, 2. Regum 21. vocem Michol, falsò ab Hebræis pro, Merob, fuisse substitutam: vt patet 1. Regum 12. Deprehendit quoq; Hieronymus in psa. 131. septuaginta interpretes non χήραν, id est, viduam, sed θήραν, id est, venationem transtulisse, sed propter vocum similitudinem pro, θήρα, id est, venatione, χήραν, id est, viduam, esse suppositam, maximè, quia in sequenti versiculo, Pauperes, sequebantur. Nisi fortè Latinus interpres Victum, aut Venationem, reddidit, & error obtinuit, vt, Vidua, legeretur. Nam vox Hebraica nullo modo viduam, sed venationem, victum, viaticumque significat. Huiusmodi menda graui ratione, prudentique consilio corrigi possunt. Nam illos quis ferat, qui, sicut est apud Quintilianum, dum librariorũ insectantur inscitiam, produnt suam? Et dum libros sacros mendis (vt aiunt) scatentes purgare volunt, contaminant. Fateor siquidem procliue fuisse & facile indocto, & negligenti librario, præsertim in verborum & rerum nonnulla similitudine, ea, quæ recta erant, explodere, & quæ erant deprauata, substituere. Fateor etiam tantam fuisse olim in sacras literas reuerentiam, vt quæ menda quãlibet dilucida semel irrepserant, religio fuerit attingere. Sed video quoq; huius tẽporis improbam temeritatem, quæ adeò nihil non audet sacris codicibus corrigendis, vt Manichæi olim parum in hac re immodesti fuisse videantur, quos Augustinus ad Hieronymum scribit, multa diuinarum scripturarum loca vitiata esse cõtendere solitos, nõ ab scribentibus Apostolis, sed à quibusdã, nescio quos, codicum deprauatoribus. Verũ hæc hactenus. Illud tamen nõ est prætereundũ, quod D. Hieronymus in 40. c. Ezechielis scribit, omnia propè verba Hebraica & nomina, quę in Latina trãslatione sunt posita, nimia esse vetustate corrupta, scriptorumque vitio deprauata: Vt igitur hæc emendenter, Hebraicæ linguæ cognitio necessaria est. Nam etsi nomina adhuc integra & illibata manerẽt omnia, sed ipsæ tamẽ nominũ interpretationes, quibus multa scripturę sacrę mysteria

Augustin. 2. de doct. Christ. c. 13.

Vide Aug. lib. de bono perse. ca. 21.

aperiuntur, sine huius linguæ peritia non habentur. Vt Augusti. 2. de doct. Christ. ca. 16. auctor est. Quo etiam loco illud agnoscit, non parum beneficij eos Latinis hominibus contulisse, qui Hebraica nomina separatim interpretati sunt.

Sexta vtilitas fuerit ad intelligẽda quædam loca, scilicet quæ vel apertius ab interprete reddi poterant, vel etiam quæ sine linguarum cognitione nequeunt explicari, vt apud Ioannẽ: Erat quidã regulus: pro quo Græcè, βασιλικὸς, hoc est, de aula regia, seu Palatinus, vt Hieronymus in Esaiam annotauit. Videtur interpres Græcè legisse, βασιλίσκος. Græca verò exẽplaria habẽt omnia βασιλικὸς, id est, regalis, seu regius. Qua ex re coniectura fit, interpretem, Regalẽ, vertisse, sed à sciolo, Regulum, esse suppositum. Et Ioannis primo: Qui post me vẽturus est, ante me factus est: quod euidentius verteretur, Mihi præpositus, seu, antè latus est, vt August. super Numeros, q. 51. & super Ioannẽ homil. 3. subnotauit, & Act. 27. Cũm nõ esset tuta nauigatio, cò, quòd ieiunium iam præteriisset: pro eo, Quòd vltra tẽpus sustinuissent inediã, & ad Ro. 12. Nõ vosmetipsos defendentes: pro, Vlciscentes. Nã numerũ bestię, qui Apoca. c. 13. scribitur, sine alphabeti Græci secundum ordinẽ arithmeticum intelligentia, aut vix, aut certè nullo modo exponere possumus. De qua re 13. libro fusius disseremus.

Cap. 4.

Cap. 65.

Septima vtilitas, ad euitandum errorẽ ex Latini sermonis amphibologia. Vt, filius hominis in Euãgelio dicitur Christus. Vbi cũ genitiuus apud Latinos cõmunis generis sit, apud Græcos articulo masculino definitur: nõ, filius virginis, sed, filius Adam intelligatur. Filius siquidẽ hominis iuxta Hebraicã phrasim dicitur, vt filius terræ, homo obscurus & cõtemptibilis, qua vtique nomenclatura Dei filius identidem in Euãgelio gloriatur. Tanta fuit verbi incarnati modestia. Quanquã, vt Augusti. ait, cõmendat Christus frequenter nobis, quid misericorditer dignatus sit esse, p nobis. Huiusmodi etiam exẽplum est ad Romanos vltimo: Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersæ ecclesiæ. Vbi, Vniuersæ ecclesiæ,

easus gignendi est, non nominãdi, vt Caius intelligatur, non Paulum modò, verùm etiam totam Ecclesiã hospitio excipere. Et Lucæ 11. Quod supereſt, date eleemosynam. Vbi Latinus sermo anceps est. Potest enim intelligi, Quod supereſt, pro eo, quod vnũ illud vobis restat, seu reliquum est: vel, Quod supereſt, id est, qd superfluum est, Quam vtranque intelligentiam Latinus quidem sermo recipit: Græcus tamen excludit. Habetur enim, τὰ ἐνόντα, id est, quæ insunt, seu quæ habetis, vt & Theophylactus, & Cyrillus lib. 2. in Leuiticum, & Aug. super Psal. 125. & Chrysostomus homil. 33. ad populum, & super epist. ad Hebræos hom. 9. exponunt. Nam hunc postremum sensum Græca lectio habet, primum & secundum non videtur habere: tametsi secũdus ille D. Thomæ placuerit: qui quidem in ea re & Bedam sequitur super Lucam, & Gregorium in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum: referturq, 12. q. 1. cap. Quia tua.

Alia deniq; vtilitas est, ad quædam vocabula, vel Hebraica, vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis seruãdam authoritatem, vel quia in linguam alienam trãferri commode non potuerunt, quod Augustl. lib. 18. de ciuitate Dei, ca. 11. tradit. vt Matthæi 11. Pauperes euangelizantur: id est, bonum accipiunt nuncium. Cũ enim in humano principatu regum mysteria secreta ad pauperes per diuites deriuentur, in Christi regno ecõtrario nuncia cælestia ad diuites per pauperes sunt delata. & 1. ad Corinth. vlti. *Anathema, Maran atha.* Quorum illud prius Græcum, hoc posterius non tam Hebræum, quàm Syrũ est. Qua de re Hieronymus disserit in epistola quadam ad Marcellam, cuius initium est, Nuper: & in epist. ad Damasum de verbo Osanna, In qua Hilarium notat, quòd ob linguæ Hebraicę imperitiam, verbum illud male fuerit interpretatus. Sunt & aliæ forsitan in peritia liguarum vtilitates. Nec enim ego omnes enumerare potui: sed quæ satis erant, ne huius rei inuidia labefactaretur disputatio mea. Isthæc autem melius ab alijs copiosiusque tradentur, qui linguarum patrocinium fortè susceperint. Qua in causa quæ volent, omnia poterunt dicere, ac nos quidem libẽter audiemus, si intra prescriptos modò religionis modestięq; terminos se cõtinẽat: nec aut veras linguarum vtilitates fallaci vanitate, aut etiam veterem Latini interpretis editionem nouis alijs quasi elegantioribus melioribusq; permutẽt. Sunt enim nonnulli, quibus, quoniam noui testamenti antiqua versio parũ elegans & culta est, placeret maximè, vt illa sum mota, in illius locum Latinior illa succederet. Scilicet artis coloribus Dei volunt sapientiam pingere, & quasi puellã rhetorum floscułis exornare. At illa modesta cum sit, non ambit ornatũ: cum sit grauis, fucum ignorat: cũ virilis, mundo muliebri non capitur. Sine phaleris est, ait quidam, omne quod dictat affectio. Amor itaq; phaleras nescit. Dicendi ornamenta, alius inquit, non sunt negotij, sed otij: nec militię sunt picta verba, sed quietis. Igitur quę bellicũ canit, quę exultat quasi tuba vocem suã, quę irruentes hostes, mortẽ præsentem intonat, ea horridũ nescio quid & barbaricum sonat, non tanq̃ lyra citharaue carmen musicũ suaui dulciq; sono canit. Quid Theopompo acciderit scriptura sacra rhetorum more ludenti, memoriæ proditum est. Sed dimittamus externa, ad nostra veniamus. Non in persuasibilib., ait, humanę sapientię verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Et rursum: O Thimothee, deuita, inquit, prophanas vocũ nouitates. Si ergo vitanda est vocũ etiã nouitas, tenẽda est antiquitas: & si prophana nouitas est, vetustas sacrata est: quemadmodum Vincent. Lirinen. dixit. Item Eloquia domini, eloquia casta, argentũ igne examinatũ. Scilicet ab spiritu puro & simplici, pura simplexq; oratio expectãda erat. Nec fœminã grauẽ, honestam, seniorẽ, decębat, nisi castus ornatus. Vide Aug lib. de doct. Christi. 4. ca. 6. Quamobrẽ, ingenuè dicam, ne illos quidem probare vnquam potui, qui paraphrases quãlibet Latinas & elegantes in sacras literas ediderant. Cùm enim personam Christi Paulíue loquentes assumunt, quò elegantiùs nitidiusq; eloquuntur, eò minus illorũ spiritum & maiestatem seruant, atque adeò rei quodãmodo fiunt læsi spiritus, & maiestatis. Certè, quod olim puer magno assensu virorum sapientium dixi, Si aut Christus, aut Paulus

Euse. de præparat. Euang. li. 8. c. 1.

1. Cor. 2. 1. Tim. 6.

Paulus istorũ mihi lingua loquerentur, nec Christus mihi, nec Paulus essent. Nõ est nitidulus Christus, mihi crede, nõ est comptulus, non elaboratè ornatus. Paulus verò non scientia illa quidẽ, sed sermone imperitus est tamen. Permitte Christo igitur linguã suam, linguam suã permitte Paulo: vtraq; enim calamus est scribę velociter scribentis, nõ ad singula verba & apices elaborãtis. Noui ergo testamenti vetus editio, id nanque agebamus, quamuis simplex & inculta sit, nõ est propter hoc minoris facienda. De tertia igitur quęstione satis dictum est.

CAPVT XVI.

Vbi ponuntur argumenta eorum, qui sunt opinati, sacros auctores in libris Canonicis, non semper diuino spiritu fuisse locutos.

Controuersia 4.

QVarta consequens sit, An auctores sacri in libris Canonicis spiritu interdum humano sine diuina & supernaturali reuelatione loquantur. Fuerunt enim viri Ecclesiastici nõnulli (vt Hieronymus in proœmio super epistolam ad Philemonem testatus est) qui crederent, non semper auctores sacros spiritum in se loquẽtem habuisse. *1. Argu.* Quia nec humana imbecillitas vnum tenorem sancti Spiritus tam longo orationis decursu ferre potuisset: Nec dignum est (inquiunt) vt ad huius corpusculi naturales & euidentes necessitates Spiritus sancti maiestatem sine causa deducamus. Adhibent verò huius rei exempla ex epistola ad Timotheũ 2. Penulam, quã reliqui Troadeapud Carpum, veniens affer tecũ. Et illud, Lucas est mecum solus: & Trophimum reliqui infirmũ, & alia huiusmodi, quæ passim in epistolis Pauli humanitùs scripta inueniũtur. Non igitur scriptores sacri Spiritũ sanctum semper manentem & in ipsis loquẽtem habuêre. Nã, & hoc Christo Domino peculiare fuit, vt Ioannis 1. ca. dicitur: Super quem videris (inquit) spiritum descendentem, & manentem super eum, & cæt. Confirmatur autem idem hoc argumento, maximè quod sicut Deus non deficit in necessarijs, ita non redundat in superfluis, quemadmodum Aristoteles demonstrauit. Ad ea verò, quæ naturali lumine nota erant, non

non erat supernaturalis reuelatio necessaria. Quæ igitur scriptores sacri viderant, & manibus attractaucrant, nõ diuino lumine infuso, sed humano locuti sunt.

Deinde, Apostolus in priori ad Corinthios epistola quędam ponit, de quibus asserit, quod domini sunt mãdata. Præcipio (inquit) non ego, sed Dominus. Mox verò subdit, Cæteris ego dico, nõ Dominus. Quòd si Paulus ex interna reuelatione Spiritus sancti omnia scriberet, profectò non diceret, Ego dico, non dominus. Quoniam eiusmodi consilia, quæ Deo reuelante dantur, Domini sunt: Quemadmodum quæ à prophetis per reuelationẽ dicebantur, Dei verba erant. Non enim Prophetа asseruisset, Hoc ego dico, non Dominus. *2. Argu.*

Hanc verò argumentationem non leuiter, sed haud scio an grauissimè Basilius confirmat lib. 5. contra Eunomium capite penultimo, in hæc verba: quæcunque spiritus loquitur, Dei verba sunt: & propterea omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis est, quam locutus est spiritus. Nam verè id monstrat, spiritũ non esse creaturam: Quoniam omnis rationalis creatura est, quando ea, quæ Dei sunt, loquitur: vt cum dicit Paulus, De virginibus autem præceptum non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus: his autem, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, nõ ego, sed dominus. Et propheta, O domine, iudicia, loquar ad te. Quid, quoniã impij prosperantur? Et rursus, Heu me mater, vt quid me peperisti? Nonnunquam autem dicit, Hæc dicit dominus. Et nonunquam Moses, Ego sum tenuis voce, & tardæ linguæ. Aliquando verò is ipse, Hæc dicit Dominus, emittas populum meum, vt mihi sacrificet. Spiritus autem non sic. Non enim aliquando sua, aliquando quæ Dei sunt, loquitur: id nanque creaturæ est: verùm omnia spiritus verba, Dei verba sunt. Hactenus Basilius. Sed & Origenes humilia 16. super Numeros, Sermo (ait) qui apud Ionã scriptus est, & non est factus, à Iona potius, quàm à Deo prolatus esse videtur, Non enim semper ea, quæ per prophetam dicũtur: quasi à Deo dicta suscipiantur oportet. Nam per Moysen multa quidem locutus est Deus, aliquãta tamen

Nititur Origenes illo testimonio: Quod si in nomine domini prophetа.

quicquã p- tamen & Moyses propria auctoritate mandauit. Quod
dixerit, & Dominus in Euangelijs euidentissima distinctione secer-
nõ euene- nit, cùm dicit de repudio mulieris, interrogatus, Ad du-
rit, hoc ritiã cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere vxo-
Dominus res vestras: ab initio autem non fuit sic, &c. ostendit hæc
non est lo- & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam Domi-
cutus. Mat. nus dicit, & non ego. & de alijs, Hęc autem ego dico, nõ
26. Dominus. Et iterum in alijs, Præceptũ Domini non ha-
1. Cor 7. beo, consilium autem do. Et iterum, Quæ loquor, nõ lo-
2. Cor. 11. quor secundum Deum. Vnde similiter etiam in cæteris Prophetis aliqua quidem Dominus locutus est, & non Prophetæ, alia verò Prophetæ, & non Dominus. Hactenus Origenes. Quę eandem quoq; sententiã in procemio commẽtariorum in Ioannem amplexus est. Et Ambros. lib. 8. in Lucam, c. 16. explicans illud, Ad duritiam cordis vestri, &c. Ostẽdit, ait, locutus hic, quę propter fragilitatẽ humanam scripta sunt, non à Deo scripta. Vnde & Apostolus: Denuntio, inquit, non ego, sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere. Et infra: Cæteris, inquit, ego dico, non Dominus: Si quis, &c. Hic Apostolus negauit legis esse diuinæ, vt coniugium qualecunque soluatur. Tantum Ambrosius. Cùm igitur Basilius, Ambrosius & Origenes viri clarissimi, nõ in eo modõ sententia fuerint, ve rumetiam scripturę sacræ testimonijs cõfirmauerint, nihil erit absurdi, si nos etiam asseramus, non omnia, quæ sacri auctores scripsere, Spiritus sancti afflatu scripta fuisse. Adde quod Aposto. in posteriore ad Corin. epistola, affectum se pœnitentia dicit, quòd illos prioris epistolæ reprehensione vexarit. Rei autem semel scriptæ, non alium pœnitere potest, nisi eũ, qui scribendo crediderit se errasse. Non igitur Paulus, quæcunque ad Corinthios scripsit, diuino ea spiritu se scripsisse existimauit. Adde rursum, quod in hac etiam epistola posteriore. In quo quis audet, inquit, in insipientia dico, audeo & ego. Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) pius ego. Ac blasphemum est, verba Spiritus sancti in insipiẽtia dicta affirmare. spiritus igitur hominis Paulus ibidẽ locutus est. Adde etiam quòd in eadem epistola, cum dixisset Apostolus, se plus omnib. laborasse, correctione mox adhi-

3. Argum Cap. 7.

Cap. 11.

adhibita, docet parum se cautè fuisse locutũ. Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum. Præterea, si quęcunq; Apostoli præscripserunt, ex diuina auctoritate ac reuelatione existunt omnia, certè illud Pauli preceptum, quo iubet, vt Episcopus sit vnius vxoris vir, diuinum esset, non humanũ. Ita fieret, vt summus põtifex in ea re nõ posset. Nam, vt Aug. ad Ianuariũ ait, quæ Christus præscripsisset, ea nemo auderet variare. At, vt qui bigamus fuisset, is fieret episcopus, summus pontifex orbe etiam probante aliquando fecit: Non ergo Apostoli decreta omnia Spiritu sancto auctore præscripta sunt. Mat thæus insuper memoria lapsus est, nam ꝓ Zacharia Hie remiã posuit. & Marcus item, cùm in Esaia scriptum affirmet, quod in Malachia scriptũ est. Et cùm rursum hora tertia narret Dominum crucifixũ, qui hora ferè sexta à Pilato iudicatus est, vt Ioan. ca. 19. dicitur. Qua ex re fit, vt nõ semper in omnibus Euangelistæ scribẽti Spiritus sanctus affuerit. Præterea, Lucas capite Euangelij tertio, dicit Cainam filium fuisse Arphaxad, Sale c autem filium Cainam. Constat verò Genes. cap. 11. Salec non Arphaxad nepotem fuisse, sed filium, nullãq; inter hos mediam generationem interceßisse. Superflua igitur est in genealogia, Christi vna generatio, atq; adeò non est instinctu Sancti Spiritus apposita. Lucas deniq; idẽ act. 7. multa refert, quę spiritu affluente referri nõ poterãt. Vt est illud primum, quòd Ioseph accersiuit omnem cognationem suam in animabus 75. At benè 46. & Exod. 1. septuaginta solũ animæ enumerantur. Nec verò dici potest, Stephanũ Iosephi eos etiã filios supputare, qui nati sunt postea. Et per anticipationẽ aut prolepsim hos cũ illis simul 75. dicere. Eos enim Iosephus accersire nõ potuit. Dicit autem Lucas, Ioseph 75. animas accersisse. Illud grauius est, quod deinde subijcitur, Iacob & Patriarchas translatos fuisse in Sichem, cũ Iosephus 2. anti. lib. c. 8. fratres Ioseph affirmauit cõditos esse in Hebrõ, qua in re non aliud scribere credendus est, quàm quod à maioribus per manus traditum vulgo etiam tenebatur. Prę terquam quòd Lucas hic apertè dicit, Patriarchas sepultos esse in sepulchro, quod emit Abraham. Atqui certum

Argu.

Epist. 118.

5. Argu. Matt. 27. Mar.

6. Argu.

7. Argu.

est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, Abraham in Hebron emisse sepulchrum Genes. 23. tertiũ verò multò difficilius est, quod rursum addit, Abraham sepulchrũ emisse à filijs Emor, filijs Sichẽ. Iacob siquidem à filijs Emor partem agri emit, vt Gen. cap. 33. scribitur. Abraham aũt non à filijs Emor, sed ab Ephron filio Sohar, spelunca emit duplicem, quod Gene. cap. 23. non obscurè traditum est. Quid? quod Emor Lucas dicit filium fuisse Sichem, cùm Gen. 33. contrà dicatur, Emor patrem Sichem fuisse, non filium. Frustra ergo, vt videtur, asserimus nihil in sacris esse libris, quod nõ idẽ spiritus afflatu scriptum sit. Verum à contraria parte illud facit, q̃ si in libris Canonicis aliqua humano more & spiritu, vel scripta, vel cõmemorata fuissent, nihil obstare videretur, quo minus in ijs aliquod mendacium esset. Iam si errorem aliquem in scripturis sacris agnoscimus, earum auctorem Spiritum S. esse quis credet?

CAPVT XVII.

Vbi ostenditur, singulas particulas librorum canonicorũ Spiritu S. assistente scriptas fuisse.

IN hac quęstione & controuersia nõ defuisse, qui priorem illam partẽ amplecterẽtur, auctor est Diuus Hieronymus non in eo solũ loco, quem paulò antè retulimus, sed in Commentarijs etiam super quintum Micheæ caput. Cuius erroris notam Erasmo quoque, vt alios dissimulem, inusta est. Is autem error quàm sit impius, illo primùm argumento demonstro: quod sacrarum scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas, si hęc opinio vera est. Nam vt Augustinus ait, si in sacro quouis libro vnaquælibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit. Quo vno argumento Augustinus de consen. Euangel. lib. 2. cap. 12. satis ostensum ac patefactum esse credit, Prophetarum & Apostolorum scripta nullam omninò habere falsitatem, nõ solùm eã, quæ mentiendo promitur, sed ne eam quidem, quæ obliuiscendo. Leuibus, inquiunt, in rebus & nihil ad salutem nostram pertinentibus, auctores sacri & falluntur, & fallunt. Ea igitur in dubium vocare possumus, quæ maxima & grauissima sunt. Nõ eadem, aiunt, causa est:

In anno. in cap. 2. Matt. & c. 1. Mar. Et rursus in c. 27. Matt. Epist. 8. & 19. ad Hieron. Dist. 9. c. Si ad scripturas & ca. Ego solus

Quo-

Quoniam si ecclesiam, cuius erudiendæ gratia spiritum sacri authores habuêre, spiritus ipse in paruis destituit, nõ destituit in magnis. Consentiunt enim Theologi grauissimi, ecclesiã errare in minimis posse, in maximis nõ posse. Quid igitur obstat, inquiũt, cur nõ ad eundẽ asseramus, Apostolos & Euangelistas in rebus parui momenti interdum lapsos, cum in rebus necessarijs lapsi nõ fuerint? Nam, si superis placet, huiusmodi errores in apostolis maximè & Euangelijs agnoscunt. Quod si dicimus, spiritus suggessit Apostolis & Euangelistis omnia. Aiũt, non omnia simpliciter: sed quæcunq; Christus dixisset illis. Hæc autem erant maxima. Si addimus, docuit spiritus eos omnem veritatem. Respondent. non absolutè omnem quidem, sed quæ esset ad salutem necessaria. Sic elabi conantur isti. Sed frustra conãtur tamen. Principio enim ecquid rogo isti facturi sunt, si cum homine disserant, qui multa Euangeliorum miracula commentitia esse, Euangelistasq; Herodoti, Xenophontis, ac Platonis exemplo, confictis narrationibus abusos dicat, aut Christi illustrandi gratia, aut fidelium in Christum affectus excitandi: Nempe hoc facere, vt homines, sine Dei spiritu potuêre.

Deinde quàm facilè erit cuique res vel graues, vel leues pro suo arbitratu ingenioq; æstimare? Iam hic dicet tibi, tres vnius substantiæ prædicari personas leuiculum esse, nec ad salutem nostram pertinere. Iam contendet alius, duas in Christo & operationes & voluntates è rebus esse non grauibus. Nã & spiritus à patre & filio procedentis vnicum esse principium, tanquam rem leuem quidem contemnendam arbitratur. Quin, quòd tertia die an quarta Christus resurrexerit, cum non valde ad salutem attineat, pro nihilo quispiam habebit. In his itaq; Euãgelistas, Apostolos, Prophetas, errare, labi, hallucinari potuisse. Porrò, vt reliquas scripturæ partes prætereamus, in sacris historijs distingui discernique nõ posset, quid ex Deo, quid ex homine sit: quid author ex reuelatione diuina, quid contra ex spiritu humano & ingenio proferat. Quocirca fluctuaret passim & legentium & audientium fides, dum ignorarunt, quonam spiritu,

ritu, hominis an Dei vnaquælibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta. Quæ est autem tam perfrictæ frontis, vt pro Euangelistis nonnihil humano more loquamur, vt si quid in publicũ scribere velit de rebus, quarum memoria sit recentissima, quasq; lectores fere suis non auribus audierint, sed conspexerint oculis: ea sponte inferat, quæ cùm ad rem nihil faciant, tum narrationem totam falsam & incertam efficiãt? Adeóne stulti erant Euangelistæ, vt ea, quæ omittere sine periculo poterant, aut affingerent, aut etiam pro certis asserẽt, cum manifesto discrimine causæ, quam persuadendam acceperant? Quòd si tales fuissent, certè Iudæi, quibus tanto erant opere inuisi, omni vi & arte cõtenderẽt, atq; adeò efficerẽt, vt huiusmodi vel figmẽta vel errtaa deprehẽderẽtur. Sed humana loquimur. Nã si in subitis cõcionib. Spiritus S. Apostolorũ linguas attẽperabat, quid in scriptis, quæ futura erant æterna? Et si noui testamenti idonei administri Apostoli & Euangelistæ facti sunt, illorum profectò sufficientia non ex illis, sed ex Deo est: illorum proinde error Dei est, nõ illorũ. Nos enim ab Apostolis, Christi testamentũ accepimus: & cùm illos audimus, Christum audimus: cùm eorum Euãgeliũ legimus, Christi legimus Euãgeliũ. Ac cùm lex Moysis, quod esset ministerium mortis, tam exacta diligentia scripta sit, vt iota vnũ aut vnus apex ex ea præteriri non possit, multò certè magis Euangeliũ Christi, quod est ministeriũ spiritus ac vitæ, scriptum erit tanta cura & Dei assistentis afflatu, vt non modò verbũ, sed ne apex quidem vllus sit, quod nõ sit ab spiritu diuino suppeditatus. Quid? quòd Apostolus officiorum mẽdaciũ, quodq; ad Dei laudem maximè pertinere videretur, penitus hortet, inquiens, Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra: inanis est & fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniã testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quẽ non suscitauit, si mortui non resurgunt. Quod si falsitas hæc, quæ cùm Dei potentiam commendaret, tum populum in officio contineret, à sacris auctoribus excluditur, certè quęcunque alia ac multò etiã magis reijcietur. Nulla enim in sacris

sacris literis leuis, sed grauis esset, per quam scripturæ auctoritas eleuaretur. Iam si in huius rei confirmationẽ arcanarum literarum nos testimonia referre velimus, verendum sanè est, ne, qui oppositum errorem tueri cupiunt, illa se ratione tueantur, quòd auctor scripturæ sacræ eo etiam loco, qui à nobis afferetur, non de spiritu diuino, sed de suo fuerit locutus. Ita fieret, vt vix vllum è sacris literis testimonium aduersum hæreticos firmũ esset. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone remoueamus, qui erronea sententia omnem scripturæ & vim minuunt, & eleuant auctoritatem. Ipsi verò fateamur, singula quæque siue magna, seu parua à sacris auctoribus Spiritu sancto dictante esse edita. Id à patrib⁹ accepimus, id fidelium animis inditum & quasi insculptum est, id itaque ad nos ecclesia præsertim ipsa magistra & duce retinere debemus.

CAP. XVIII.

Vbi refelluntur argumenta capitis sexti decimi.

COnfirmanda atque tuenda veritate ea rationum ac testimonium præsidia satis sint, quæ capite superiore sunt posita. Nunc verò argumenta ea confutãda sunt, quibus aduersarij contrà pugnarunt. Atq; à primo quidem argumento, quo veritas impugnabatur, facilis est & expedita defensio. Fateor enim, non singulas scripturæ particulas, vt sacris auctoribus scriberẽtur, propria & expressa reuelatione indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus sancti instinctu afflatuq; vere & iure contendo. Ille, Christus ait, vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcunq; dixero vobis. Aliàs etiam oblita suggeret, aliàs etiã vestris auribus audita suggeret, quæ aliàs natura sponteq; sua in mentem venire poterant, ea quoque suggeret, non supernaturalia modò sed & naturalia suggeret, & quæ aliàs humano more scriberentur. Omnia, inquit, quæcunq; dixi vobis. atq; Apostolus, Nos, ait, non spiritũ huius mundi accepimus, sed spiritũ qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sũt nobis: q̃ & loquimur, nõ in doctis humanę sapiẽtię verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualib. spiritualia

ritualia comparantes. Spiritualis enim iudicat omnia, sicut scriptum est, Quis cognouit sensum Domini? Nos autem sensum Christi habemus. Ecce Apostoli, in quorum nomine Paulus loquitur, ad doctrinam spiritus edendam spiritum accepere. per quē in Christi sensu omnia iudicabant. Nimirum animalia illa oculis vndique plena ad expressionem quatuor Euangelistarum posita per scriptores omnes sacros trāsferre meritò & optimo iure possumus. Nihil ergo auctores sacri cęcis oculis scribebant: sed scribentiū calamum spiritus ipse attemperabat, ne scribendo laberentur. Inde enim, cum in secunda ad Corinth. epistola quædam dixisset Apostolus, quę humano more ab ecclesię præfecto dici possent, subiecit protinus, an experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? Spiritu igitur sancto inspirati, quasuis scripturæ partes scripsere sancti Dei homines. Nolite, inquit, cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quod idē profectò sacris auctoribus præceptum erat, vt non cogitarēt scilicet, quomodo, aut quid scriberēt: dabatur enim illis, illa hora quid scriberent. Hoc verò Spiritus sancti donum toto vitæ decursu non habebant: sed tantisper dum lingua eorum calamus erat scribę velociter scribētis. At Christus nullum vnquā verbū locutus est, quod non idē ab Spiritu S. extiterit. Erat enim, vt scholæ verbis vtar, Christi Iesu sacratissima lingua perpetuū diuinitatis instrumentum. Et hinc apparet eius argumenti certa ruina, quo deinde contrariā partē cōfirmabamus. Non enim asserimus, per immediatam Spiritus sancti reuelationem, quæ quidem propriè reuelatio dicenda sit, quamlibet scripturæ sacræ partem fuisse editā. Quin Lucas, quæ ab Apostolis accepit, ea scripto ipse mandauit, vt in Euangelij sui procœmio testatur. Et Marcū, quæ à Petro didicerat, rogatum à discipulis scripsisse: auctores sunt Clemens in 6. dispositionum libro, apud Eusebium li. 2. eccle. hist. c. 15. & Papias apud eūdem eod. lib. &c. & li. 3. c. vlt. & Origenes lib. comment. in Matth. eodem Eusebio referente li. 6. c. 18. & Eusebius quoque ipse lib, cap. 4. & Hieronymus de viris illustrib. in Marco, & Ire-

Capit. 13.

Matth. 10.

& Irenęus, l. 3. aduersum hęreses, c. 1. Siue ergo Mattheus & Ioannes, siue Marcus & Lucas, quāuis ille visa, hi audita referrent, non egebant quidem noua Spiritus sancti reuelatione, egebant tamen peculiari Spiritus sancti directione. Primæ igitur argumentationi hoc modo satisfecerimus.

Secundę verò sic responsum est. Paulum Domini seu prȩceptum, seu consiliū eo sanè loco vocare, quod Christus Dominus ore proprio, vel præcipit in Euangelio, vel consulit. Nam, quòd consilium suum Paulus Spiritus sancti consilium existimaret, satis ipse indicat, dicens, Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autē quòd & ego spiritum Dei habeā. Huius verò argumenti confirmatio ex ijs maximè eliditur, quę primæ sunt argumentationi responsa. Etenim, quæ sacri auctores scripsêre, hæc in duplici sunt differentia. Quædam, quæ supernaturali solum reuelatione cognoscebant: & ea Basilius tradit à Spiritu sancto esse. Alia verò naturali cognitione tenebant, quæ scilicet, aut oculis viderant, aut manibus etiam attrectauerant. Atq; hęc quidem, vt paulò antè diximus supernaturali lumine & expressa reuelatione, vt scriberentur, non egebant, sed egebant tamen Spiritus sancti præsentia & auxilio peculiari, vt licet humana essent, & naturæ ratione cognita, diuinitus tamen sine vllo errore scriberentur. Hæc verò illa sunt, quæ iuxta Basilium Paulus & Prophetæ de suo loquebantur. Solent etiam nonnulli veterum, Origenis non sententias modò, sed verba referre, non aliter certè accipienda, quàm Origenes ipse acceperit. At Origenes eam rem significauit potius, quàm asseruit. Nec enim in ea sententia persistit. Sed & Ambrosius in priorem epistolam ad Corinthios, vbi locus proprius erat, nobiscum apertissimè sensit.

Ad illud verò, quod tertio loco obiectum est, breuis & non difficilis est responsio. Non enim ibi, pœnitere, resipiscere est, sed, tristari. Tristatur autem pater, cum filios dolentes videt: sed lętatur, cùm dolorem ad salutem fuisse intellexit. Nam quod additur, id facillimum etiā est, Quo enim modo Paulus sit intelligēdus, Paulus ip-

Universidad de Deusto
Biblioteca

se explicat, inquiēs: Quod loquor, non loquor secundū Deum, sed quasi in insipientia. Et paulò ante, Iterū dico, ne quis me putet insipientē esse, alioquin velut insipientem accipite me. Et capite eiusdem epistolę duodecimo, Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam. Et paulò pòst, Factus sum insipiēs, vos me coēgistis, Quid ergo, sapiens & insipiens? Nempè sapiens re vera, sed quasi insipiens: qui tanquam insipientis personā assumere, & seipsum iactare videretur. Laudare quippe se insipientis hominis nota est. Verū hæc, quę stultitia esse videbatur, Dei erat sapientia, vt Apostolus non sponte, sed coactus: non ex vanitate, sed ex charitate gloriebatur. Ab Spiritu igitur sancto erat huiusmodi quasi stulta gloriatio. Sed ne illud quidem est difficile, quod deinde subijcitur: Non enim, quod ait quidam, incautè Paulus fuerat locutus. Sed ne quis in ea laude aut arrogantiam aut vanitatem aliquam subesse interpretaretur, docet se non in se, sed in Domino gloriari. Non ego, inquit, sed gratia Dei mecum. Simile ferè illud est, quod cùm Dominus doctrinā Euangelij suam appellasset, subiecit protinus, Mea doctrina nō est mea, sed eius, qui misit me patris. Hunc igitur in modū cū Paulus verè dixisset, se plus omnibus laborasse, addit, & verè etiā addit, se non plus omnibus laborasse, &c.

Ad quartū verò argumentum sunt qui respondeant, ecclesię auctoritatem tantam esse, vt quædam etiam de scripturis sacris immutarit. Huius generis exempla ponūt, Sabbatum, esum suffocati, & sanguinis Baptisma in nomine Iesu, & quod Christ⁹ cęnatis dedit Eucharistiā, ecclesia ieiunis: Christus sub ambabus speciebus, ecclesia laicis sub vna, quod Paulus deniq; permisit dispares in fide coniuges, ecclesia improbauit. Ita quamuis lex scripturæ sit, vt is non ordinetur episcopus, qui duas habuerit vxores: ecclesia tamen eam legem poterit vel ex parte soluere, vel etiam omninò abrogare. Hoc autem responsum hanc quidem habet viam, quæ deducit ad cōuenientiam conseruationemque ecclesiasticæ auctoritatis, quam si sequemur, nunquam aberrabimus, sequemurque & id, quòd certum & tutum est, & id, quod ad fide-

liū consociationē accommodatū, & ꝙ vehemēs atq; forte. Sed cauendū sanè est, ne, si in argumentorū confusione ad ecclesiā tanquā in aram confugimus, rustici potius, q̄ theologi esse videamur. Mihi itaq; aliud responsum multò & doctius videtur, & verius, ꝙ duplici partitiōe subnixū est. Vna est huiusmodi: Scripturæ prę cepta quædam temporaria erant, id est, ad tēpus, ex loci, tēporis, personarum, aliarumue rerū & causarum ratiōe seruanda. Atq; huiusmodi ipsa ex se in præfinito tempore antiquabantur, nulla etiā ecclesiæ interueniēte auctoritate. Quod enim pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, debet cessare pariter quod vrgebat, l. q. 1. Quod ꝙ necessitate. Eius generis fuit Sabbatismus, & reliqua omnia, quæ propriè ad legē veterem pertinebant. Talis etiam lex illa fuit de immolatis, sanguine & suffocato. Talis quoq; vsus Apostolicus de baptismo in nomine Iesu. Alia verò præcepta æterna sunt, quorū seruandorum ratio non brevis & temporalis, sed perpetua & sempiterna est. Sempiternū aūt scripturæ more voco, ꝙ semper erit, non quod semper fuit. in hoc genere sunt omnia naturę præcepta, quæ tā in veteri, q̄ in nouo Testamento continētur. In hoc etiam lex illa, Nisi quis renatus fuerit, &c. & altera similis de pœnitentię sacramēto. Præcepta rursum Apostolorum, quæ in sacris literis scripta sunt, quædā à Christo ipsi acceperunt gentib. euulganda, iuxta illud, Baptizate omnes gentes, docentes eos seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Altera verò non fuerunt quidem à Christo Apostolis iuncta; sed ipsi post Christum in cælos assumpta ea populis tradiderunt. Quæ tamen Christi Deiq; præcepta dicuntur, non ob eam modò causam, quòd per acceptam à Domino potestatem lata sunt: verùmetiam quia Dei Spiritu peculiariter suggerente edita fuēre. Visum est, inquiunt, Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere, &c. Quæ verba Basi. 5. libro contra Eunomiū referens, Spiritui, ait, visum est quidem, à quo vt Domino ecclesiæ leges datæ sunt: Apostolis verò tanquā ministris, per quos decreta sunt edita. Quod autem præcepta hæc Christi quoque

Act. 15

Mat. vlt.

dici possint, Christus ipse docet, inquiēs, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Inter hęc autem scripturæ mandata non leue discrimen est, quod priora illa à Domino Apostolis tradita, vt propria sunt legis nouæ præcepta, ita ea ecclesia nec soluere, nec remittere vlli potest, sicut ne legem naturæ quidē. Cuius rei causam nos in relectione de pœnitentia dedimus, quod legis auctor Euangelicæ Christus Dominus non alia præcepta per se ipse edidit, quàm quæ essent summopere ad salutem necessaria. At posteriora mandata propriè quidem humana & ecclesiastica fuēre: quæ videlicet ab Apostolis ecclesiam gubernantibus edita sunt, non aliter atque alia fuēre, postea à præfectis ecclesię subsequentibus, disparitamen auctoritate. Nam Apostolorū nemo in præceptis suis errare poterat: sed ab Spiritu sancto peculiarissimè eorum quisque dirigebatur in ferendis ecclesiæ legibus. Posteriores verò antistites hanc peculiarem Spiritus sancti præsentiam non habent, nisi cùm in nomine Christi & ecclesiæ congregantur. Quod vtique fit in concilijs generalibus. Qua de re libro postea quinto susius disseremus. His autem præceptis, licet Apostolica fuerint, & in sacris etiam literis scripta, Summus Pontifex subditos suos liberare, vel ex parte, vel omninò potest. Quā etiam ratione, vt alia non esset lex illa Apostolica de abstinendo à sanguine & suffocato, per ecclesiæ potestatem abrogari potuit. Quanquam, vt diximus, ea lege admonitæ sunt gentes, ne sua libertate in fratrum offensionem abuterentur. Præscribunt autem Apostoli quatenus pro tempore expediebat, quibus illæ rebus in fratrum offensionem possint incurrere. Quia igitur lex à fine suo ęstimanda est, tunc hæc intelligitur abrogata, cum ab illis offensionibus ac dissidijs, quibus occurrere voluerunt Apostoli, nihil amplius periculi fuit. Quibus positis, facile, vt opinor, quartum illud argumentum refelletur. Nam Pauli præceptum de non ordinando episcopo, qui bigamus fuerit, secundi generis est, id est, humanum & ecclesiasticum: cuius proinde vinculum soluere ecclesia iure suo potest. Sed id tamen, nisi semel aut iterum, & graui etiam vrgente causa non fecit. Nec id

id nisi summo Pontifici permissum in ecclesia est, nam *De Biga.* episcopis contra Apostolū dispensare cum bigamis non *nō ordi.cā.* licet: vt Lucius & Innocentius tradunt. Diuus verò Au *super. et c.* gusti. de legibus primi generis loquebatur, quas si Chri *à nobis.* stus ipse tulerit, vt quæ verè & propriè diuinæ & euangelicæ sunt, nemo aut possit, aut ausit immutare. Quarto igitur argumento diluendo satis dixisse mihi videor. At quintum sic refellitur. Primum sunt qui velint, aut impiorum malitia, aut librariorum errore pro Zacharia Hieremiam scriptum esse. Cuius sententię fuit Eusеb. li. 10. demon. euan. demonst. 4. Id quod nec Origeni displicuit, & Caietanus vero simile existimauit. Nec Hieronymus certè ab hac opinione alienus est. Quin in Psal. 77. errore scriptoris dicit pro Zacharia Hieremiam esse suppositum. Sunt alij, qui opinentur, eandem sententiam & apud Hieremiam olim scriptam reperiri: sed non omnia Hieremiæ vaticinia nunc extare. Opinatur quoque August. lib. de cons. euange. 3. ca. 7. quoniam eodem spiritu Hieremias & Zacharias scripsêre, nihil referre, si vnius sententiam alteri tribuas: imò peculiari Spiritus sancti consilio id factum esse, vt ab eodem authore scripti libri omnes sacri credantur.

Illud verò, quod Marco Euangelistæ obiectum est, frivolum his videri solet, qui Latinā editionem passim ad Græca exemplaria expendunt. In quibus quoniam non legitur, Sicut scriptū est in Esaia, sed sicut scriptum est in Prophetis: argumentum esse firmum, aiunt, vt quod librorū deprauatiōe nititur. Huic verò sententię Theophylactum subscripsisse, facilè profectò suaderi potest. Non enim in Esaia, sed in Prophetis legit. Atque Hieronymus in comment. super 3. Matthæi caput, huic quoq; opinioni subscribit inquiens: Nos nomē Esaiæ putamus additum scriptorum vitio, quod & in alijs locis probare possumus, aut certè de diuersis testimonijs scripturarum vnum corpus effectum. Existimat ergo Hieronymus, siue hoc, siue aliud accipias, locum esse deprauatū. Id quod & de Psalm. 13. credidit. At Erasmus, tametsi fatetur Græca exemplaria omnia, quæ videre quidem ipse potuit, ἐν προφήταις habere: lectionem nostram pro-

bat tamen, Græcamq; asserit à Græcis fuisse immutatã. Hieronymus etiam ipse in epist. ad Pammach. de op. ge. int. solam hanc, quam habemus lectionẽ, probat: alteri' aũt eo loco ne meminit quidẽ. Et Porphyrius 14. li. Marcum Euangelistam eo nomine accusat, quòd homo imperitus & rudis, vel suas literas nesciat, idq; quasi ab vno eodemq; prophera scriptum referat, quod non ab vno, sed à duobus scriptum est. Cui calumnię Chrysostomus respondens nõ causatur, aut codices mendosos esse, aut certè ab impio locum depraua tum: sed planè consentit, eo prorsus modo lectum iri, quo Porphyrius in obiectione legit. Qua ex re perspicuum fit, ante Chrysostomi & Hieronymi tempora in editionem nostram oẽs & Græcos & Latinos codices consensisse. Vbi non possum nouitios istos interpretes non ridere, qui tãta facilitate & confidentia è prauis Græcis Latina emendat nõ praua. Nimirum enim patientur hic, si de ipsis ludimus: quib' in vsu est ludere de nobis. Imò patientur potius, vt quod hoc loco eorum anteſignanus Erasmus summo iure magnaque ratione facit: idem nos alijs quoq; locis faciamus, & Græcis exemplaribus posthabitis, Latinam editionem veneremur. Sed vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio, cùm argumentum illud non sit tam facile, quàm istis est visum: maiore omninò vi & arte refellendum est. Illa igitur verba, Sicut scriptum est in Esaia, non referuntur ad omnia ea, quæ sequuntur: sed ad id tantũ, Vox clamantis in deserto, &c. Illa verò, Ecce ego mitto angelum meũ, &c. tanquam de suo Euangelista addidit, quod facere iure potuit, quamuis eadem in alio propheta reperiantur. Nõ enim, si Aristotelem refero, opus est, sequentia verba omnia Aristotelis esse. Quin licet mihi nonnulla de meo adijcere, præsertim si ad explicatiõem Aristotelis conducunt maximè. Sic quoniam Euangelistę illa verba, Ecce ego mitto Angelum meum, &c. verborum Esaię erant expositio quędam: nihil Marci derogat fidei, si Esaię testimonium verbis eiusmodi adiectis & expoſuit, & ornauit. Nisi infidelis seruus est, qui apposito verborũ ornatu heri sui munus amplificat. Hoc respondet Chrysostomus. Hieronymus autem Euangelistas

In hom. de initijs euã. secundum Marc.

De opt. ge. int.

suisse ait nõ de verbis, sed de sensu solicitos: omnia verò illa, quæ in Marco sequuntur, ab Esaia scripta, nõ secundum verba quidem, sed secundum sensum esse. Qui enim vocem clamantẽ, &c. apertè dixit, is angelum eũdem esse sensit, qui viam Domino prępararet. Atq; hæc responsio à Beda vel maximè probatur in comment. super Marcum. Iam, quòd falsitatis etiã Marcus arguitur, qui Christum scripserit hora tertia crucifixum: de hac re quatuor video sententias ferri, quarum nulla est, in qua non maior adhuc probabilitas desideretur. Prima eorũ est, qui animaduertunt, Ioannem non scribere, Pilatum hora fermè diei sexta pro tribunali sedisse: sed paraſceues hora fere sexta. Aliunde vero diem, aliunde paraſceuen initium sumere. Nam Iudæos ante diei principium, hoc est, ante solis ortum præparationi paschali operam dare solitos, rationi consentaneum est. Si enim Christiani in huiusmodi festorum vigilijs multò ante diluculum incipiunt quędam necessaria præparare, Iudęi ac multò etiam magis idẽ fecisse credẽdi sunt, qui non modò azyma in multos dies, verùm complura quoq; alia erant paraturi, non solùm ad festum diem, sed ad vesperam etiã Paschæ. Sunt & alij, qui Augustinum secuti, putant, Marcum non de crucifixione militum locutum esse, sed de crucifixione Iudæorum. Hi enim vel maximè Christum crucifixerunt: quemadmodum Acto. cap. 4. illis Petrus edixit. Vt ergo ostenderet Euangelista Dominum Iesum nõ tam à militibus, qui simplex ministerium prędi prębuêre, quàm à Iudæis crucifixum: posteaquam militum ministerium expressit inquiens, Et crucifigentes eum diuiserunt, &c. tum verò ad vocem, quæ sanguinem iusti petijt, auctoresque flagitij crucem Domini reuocauit in hæc verba. Erat autẽ hora tertia, & crucifixerunt eũ. Horam quippè crucifixionis militum, vt quæ vulgo nota erat, non credidit exprimendam. Alij credunt huic se absurditati satis occurrere, si dicant, Christum intra horã tertiam & sextã crucifixum: & ab vtroq; extremo, quẽadmodum media solent, horã mortis Christi esse nominatam: ab vno videlicet tertiã, ab altero sextam. Sed hęc responsio patentem habet scrupulum. Quod enim hora

quinta fiat, hoc si quis vel quarta, vel sexta fieri ab vtroq; extremo dicat: quãuis impropriè id quidẽ dicat, sed ferri tamen vtcunq; potest. At quod in quinta hora fit, hoc in tertia vel secũda fieri, nec vsus profectò, nec ratio fert. Ponũt igitur alij hoc, q̃ quẽadmodũ nox in quatuor vigilias, ita dies in quatuor stationes & partes diuisus à Iudæis est. Quarũ prima incipiebat à diluculo, & durabat vsq; ad horam diei tertiam, vocabaturq; prima, cò quòd ab hora prima initium sumeret. Secunda aũt incipiebat ab hora tertia, & durabat vsque ad horam sextam: vocaturq; hora tertia, quòd ab hora tertia, principium haberet. Tertia verò diei pars incipiebat ab hora sexta, & durabat vsq; ad horam nonam: appellabaturq; similiter ab hora, vnde principium acceperat, hora sexta. Quarta demum statio, parsq; diei incipiebat ab hora nona, & durabat vsq; ad occasum solis, vocabaturque, vel hora nona, vel vespera. Quę si vera sunt, iam pulchrè cõsentient Euangelistę. Nam in secunda stationc, quæ hora tertia dicebatur, circa finem Christus crucifixus est, hora scilicet illa nondum elapsa. Aliquanto verò prius, in eadem hora tamen stationeque diei Pilatus pro tribunali sedet: nempè hora quasi sexta. Verè siquidẽ tertia erat, sed erat proxima sexta. Quæ nimirum opinio longè erit probabilissima, si proberur ad eum modum diem à Iudæis diuidi solitum. Atque in historia passionis quidem nominatim diluculi, tertiæ, sextæ, & nonæ horarũ mentio fit: de reliquis autem interfluentibus omninò tacetur. At parabola de patrefamiliâs operarios in vineam suam conducente, quam isti etiam asserunt in huius rei cõfirmationem, nõ solùm nihil iuuat, sed etiam officit. Quoniã ibi Dominus non tantùm primæ, tertiæ, sextæ, & nonę, sed vndecimę meminit. Id quod absurdum esset, si quarta diei pars, hoc est, hora nona reliquum omne eiusdem diei tempus cõplecteretur. Ac re vera, vt breuiter simpliciterque dicatur, qui vndecimæ horæ, quæ inter nonam & duodecimã interfluxit, expressam mentionẽ fecit, eum certò certiùs constat diem non ad eum modum in stationes & horas quatuor, sed, vt moris est nostri, in partes & horas duodecim diuisisse. Verùm vt hęc cũ-

cũque habeant, huic nos respõsioni libentissimè subscribemus, si illa diei in stationes quatuor partitio, illæque rursum ab initijs denominationes quatuor, aut idoneo testimonio, aut probabili ratione constant.

Nec enim desunt, qui existiment hæc à recentioribus Iudæis esse conficta omnia. Nam secunda diei statio, cũ tres solùm horas cõplecteretur: quartã, quintam, & sextam, non hora tertia, à fine scilicet stationis proximè elapsę, sed hora quarta ab initio stationis eiusdem nominã dã erat. Ecquis autem ferre possit stationẽ, quę à decima vsq; ad duodecimę finẽ protenditur, nonam horã appellari? Certè sicut prima hora, si verum est, quod isti dicũt, à principio suo nomen accipit, sic & stationes cæteræ à suis proprijs principijs nominarentur. Mihi simplicissima ratio huius loci explicãdi esse apparet, si cũ Theoph. & Caietano dixerimus, Marcũ ita scripsisse, ἦν δὲ ὥρα ϛ. id est, erat autem hora sexta. Sed indoctos oscitantésve librarios notam illam senarij ϛ. in y, quę est nota ternarij mutasse. Quod & hoc loco ob nonnullam literarum similitudinem facilè procliue fuit, & in his auctoribus, quorũ libri huiusce modi numeros & notas habent, sæpè fieri notius est, quàm vt indicãdum sit. Nec Theoph. solum & Caietani auctoritas, sed ratio quoq; me, vt ita tenerem, impulit. Nam sexta hora Dominũ verè ac propriè crucifixũ, vt omittam q̃ & vulgo Christianorũ persuasum est, & passim in crucis officio ac precib. celebratur, certè ex Ioannis Euangel. colligitur. Tradit enim Pilatum hora fermè sexta pro tribunali sedisse. Erat igitur propemodũ elapsa quinta. Alioqui falso hora ferè sexta diceretur. Incredibile autem est id, quod reliquum erat horę quintę, cũ esset breuę & perexiguum in sentẽtia ferenda, in suscipiendo Iesu & educendo, in cruce vsq; ad Caluariæ locũ baiulanda, non esse insumptum: Etenim nec locorũ intercapedo parua erat, nec tantum fuit celeritatis in via, vt non potuerit interea & Simon angariari Cyrinensis, & à Christo oratio haud momẽtanea ad mulieres haberi. Itaq; sine dubio si verè & propriè Marcus loqui voluit, cur autẽ noluerit, nulla est causa, nõ scripsit hora tertia, sed sexta Dominũ crucifixum. Id quod Hiero-

ronymus, si is tamē horum cōmentariorum est auctor. in Psal. 77. apertè docet. Sed quisquis illum Psalmum expoſuit, si non fuit Hieronymus, certè eruditus fuit. Atq; Erasmus in annotationibus super hunc Marci locum nomine Hieronymi hoc commentarium refert. Accidit quòd non alia ferè scribit Marcus, quàm Matthæus, idq; maxime in historia passionis Christi. Itaq; dum considero, Marcum in historia passionis non solùm eadem eodem ordine cum Matthæo, sed eisdem etiam penè verbis scripsisse: facilè adducor, vt sentiam ipsum non notam ternarij, sed senarij, vt est apud Matthæū, posuisse. Quod autem huic sententiæ obijcit auctor cōmentariorum in Marcum, quæ Hieronymi titulo circumferūtur, hoc facilimè refellitur. Si sexta, inquit, hora dominus fuit crucifixus, cum à sexta vsque ad nonam tenebræ suffuderint terram, non potuissent prætereuntes in eum mouere capita, quem per tenebras omninò nō cernerent. Cui ego respondeo breuissimè, Christum in sextæ horæ principio crucifixum. Hora aūt eadem labente, conuicia in eum iacta sūnt. Sed circa eiusdem horæ finem, tenebræ orbem circunfuderunt. Quod Marcus appositissimè significare videtur his verbis, Et facta hora sexta. Quid enim expeditiūs est, quàm factam intelligere, non incipientem, sed expletam? Id quippè factū, & vulgo, & Philosophis verè dicitur, non quod inchoatum, sed quod consummatum est. Qua ex re, velit nolit Osiander, satis planè intelligitur, omnia Euangelistę dicta cohærere: si legamus, Erat autem hora sexta, & crucifixerūt eum. Quæ hora interfluente quoniam ea gesta sunt, quæ Euangelista subijcit, idcirco ait tandem, Et facta hora sexta tenebræ, &c. vt expleta iā hora, nisi valdè essemus tardi, tenebras factas acciperemus. Ac de quinta obiectione satis abundanter, vt arbitror, disputatum est. Eam verò obiectionem, quæ sexto loco posita est, qua via Caietanus noster repellere tentauerit: inuitus quidem facio, vt dicam, sed dicam tamen, ne euangelij veritate tuenda nostris videar pepercisse. Significat certè ille primū, nam deinde in ea opinone non perstat, Lucam euangelistam 70. interpretum errorem in hac parte, sine proprio tamen errore secutum.

Id

Id quod ego non solùm intelligere, sed ne cogitatione quidem informare possum. Si enim euangelista imprudens 70. interpretes errantes in historia Euangelij sequitur, licet imprudens, sed errat tamen. Sin autem videns prudensq;, vt dicitur, fictam à 70. narrationem suo euangelio inserit, errat quoque, & eò magis, quò dedita opera euangelij synceritatem fabula commentitia contaminat. Breuiter, si Cainam non fuit filius Arphaxad, nec Salec filius Cainam, falsa est profectò euangelica historia, in qua nō obscurè dicitur, Cainā filius Arphaxad fuisse, Salec verò filius Cainam. Quod autem Lucas auctores habuerit grauissimos, quos in errore sequeretur, id euangelistā culpa liberare fortasse poterit, euangeliū certè errare non poterit. Quò magis Eugubinū reprehēdendum censeo, qui apertè, cōstanter, & sine vllo aut modestiæ, aut reuerentiæ tēperamento asserit, errasse 70. eosq; Luc. in errore secutum. Iam, quod Hiero. aduersus Heluidiū ait, Euangelistas opinionē vulgi quandoq; exprimere, quæ, vt inquit, vera historiæ lex est: id rectè dicitur, si ad voces spectes. Non solùm enim historici, sed omnes omninò sapientes, vt Aristot. monuit, licet aliter ac vulgus sentiant, cum vulgo sæpè loquuntur: nec loquuntur falso tamen. Sic scriptura eos fratres appellat, qui iuxta Philosophiæ regulas propriè & verè fratres nō sunt, sed qui vulgo, ac sine falsitate id quidē, fratres vocātur. Sic etiam Euangelistę Ioseph pātrem domini vocauerunt, nec re tamen ipsa falsam opinionē vulgi secuti sunt, quamuis sint locuti cum vulgo. Pater namque Christi Ioseph sine mēdacio dicebatur, & quia nutritius erat, & quia vir matris Christi erat, vtrique enim patres vocari solent. Quid, ergo facturi sumus, qui, vt in prouerbio est, lupum vtraque aure tenemus? Si enim veteris instrumenti versionem, qua ecclesia vtitur, asserere & vindicare nitimur: arguimus non solùm 70. interpretes cōmenti frigidissimi, sed apertissimi etiam erroris Euangelistam. Sin Lucam defendere tuerique volumus, versionem scripturæ sacræ ecclesiæ vsu decretoque probatam improbamus. Incidit in scyllam cupiens vitare carybdim.

No-

Universidad de Deusto Biblioteca

Nobis autem illud in primis vitandũ est, ne Lucã euangelistam, atq; adeò Christi euangeliũ sua, hoc est, diuina auctoritate fraudemus. Tucamur itaq; illam in genealogia Christi generationem, quam Lucas ex 70. interpretũ editione posuit. Etenim hanc quoque editionem ecclesia suo vsu probauit. Græci certè scriptores omnes hanc generationem cum 70. interpretibus agnoscunt. Et Augusti. 16. de ciuit. Dei cap. 10. nec quonam pacto sit vero simile 70. interpretes viros probos, vanè frigideq; generationem illam vnã confinxisse. Quid? quod vt Origenes ait, hoc pro vero habendum in scripturis diuinis est, quod 70. interpretes transtulerunt. Nã id esse, quod auctoritate Apostolica confirmatum sit. Nostra igitur testamenti veteris editio imminuta est, Exemplaria verò, quę Hieron. nactus, non fuerunt integra. Itaque sine culpa & errore potuit vnam generationem omittere. Nam & Euangelista Matthęus plures omisit, & sine errore omisit, quum Christi genealogiã texeret. Alioqui nostrã eos editionem à falsitate quidem omni, sed nõ ab omni imperfectione vindicamus. Nec me illud latet, quod ab Hertmanno, Ioanne, Nauclero, & Lucido dictũ est, Lucæ euangelium esse deprauatum, ac pro verbo, Fuit, particulam, Et, substituendam hoc modo. Qui fuit Sale, qui & Cainã. Vt Sale binominus intelligatur. Sed hi non videntur editionem 70. legisse: vnde Cainam nomen ab Euangelista acceptum est. In editione quippè 70. interpretum eundem fuisse Sale & Cainam ne fingi quidem potest. Sed & aliter, ac fortasse meliùs hæc controuersia dirimitur, si dicamus, exemplaria Hebraica vera & emendata nõ habere quidẽ generationem illam Cainam: sed à septuaginta interpretibus fuisse adiectam. Nec adiecta est falso tamen. Quin vel ex maiorum traditione, vel ex historijs fide dignis habitum est. Arphaxad genuisse Cainam, Cainã verò genuisse Sale. Septuaginta igitur interpretes non verè solum, sed fortè etiam prudenter illam vnam generationem posuêre: id videlicet metuentes, ne Ethnici, aut Hebręorũ antiquas traditiones, aut sacras certè literas falsitatis arguerent: si in his legerent, Arphaxad genuisse Sale: ex illis acciperent, non Arphaxad, sed

Euseb. lib 6. eccl. hist. c 23.

Id verò simillimus esse credit Caietan. in 3. Luc. C. Atque Hieron. in cõmẽt. ad Gala. 3. nõ cẽset esse absurdũ, si dicatur aut libros Hebraicos aliter ante passionem Christi habuisse, aut Hebræos post passionẽ aliqua vel detra-

sed Cainam Sale genuisse, Spiritus autem Dei occultã nobis ratione Moysis mentem manumque permouit, vt in ea patrum serie vnam illam generationem pręteriret. Quemadmodum diuino consilio Matthæus plures etiã in Christi genealogia prætermisit. Eandem verò causam Moysi Matthæoque fuisse, non absurdè hac coniectura assequemur. Matthæus vbi primùm Christi maiores recensuit, Omnes, inquit, generationes ab Abraham vsque ad Dauid, &c. vt ne quis suspicaretur, aliquem ex maioribus memoriæ lapsum, & non potius de industria fuisse silentio prętermissum. Et quanuis multas rei huius fortasse causas Euãgelista posset reddere: eam magis tamen in epilogo videtur præ se ferre, quæ tessara decadis commendationem habet. Ob id quippe tres generationum ordines numero æquales esse voluit, vt numerus 14. ter etiam in domini stẽmate cõsecratur. Quod Moyses vt fecerit, subest omninò causa eadem. Ab Adã enim ad Noe decem generationes attexuit. A Noẽ autẽ ad Abraham decem item alteras. vt in denario numero, in quem maiorum vtramque seriem redegerat, mysterium aliquod subesse intelligerem⁹. Cur aũt numerus quartus decimus ad legẽ euãgelicã, decimus verò ad naturę legẽ referatur, nõ est huius diei locũ; disserere. Vbi id tantũ dicim⁹, nec sine causa septuaginta interpretes Cainã generationẽ addidisse, nec sine mysterio eãdẽ Moysen prẽtermisisse. Vtrunq; verè, vtrunq; prudẽter factũ esse. Alterũ & verè & prudenter Lucam esse secutum. Nec verò quis tragœdias nobis excitare debet, quòd editionem nostrã imperfectã esse in quibusdam locis dixerimus. Possunt enim verba Hebraica nonnulla in medium adduci, quæ Hieronymus ipse in commentarijs fatetur significãtius & melius potuisse transferri. Quin etiam in Isaiæ caput 19. In eo, inquit, quod nos transtulimus, Incuruantem & refrenantem: possumus dicere, Incuruum & lasciuiẽtem. Nos autem verbum Hebraicum, *Akum*, dum celeriter quæ scripta sunt, vertimus, ambiguitate decepti, Refrenantem diximus. Quod significantius Aquila transtulerit στρεβλόυτα, id est, qui nihil rectè agit: sed omne peruersum. Hactenꝰ Hieronymus. Qui & cap. 9. eiusdem

xisse, vel addidisse.

In Zacharię 11. cap. proplaste Hiero. ait, atque fictore, statuarium olim interpretatus sũ verbi ambiguitate cõpulsus. cũ melius certè si gulum trãstulisset, quemadmodum apud

Pro-

Matth. 27. interpres vere conuertit.

Prophetę vocabulū idem in deprauantem vertereat. Ac certè nec sensus, nec verba Hebraica patiuntur, vt, Refrenantē, admittamus, quod alio loco explicādū erit. Nā de sexto argumento dictū est satis, vt arbitror, diligenter.

Ad illud verò, quod septimo demum loco sequitur, multa quidem & varia sunt virorum doctissimorum responsa, sed adeò tamen improbabilia, vt nec doctis, nec pijs faciant satis. Nam primam obiectionis particulam Augustinus Eugubinus ita repellit, vt in editione 70. interpretum, & Genes. 46. & Exod. 1. librariorum vitio dicat pro 70. animabus, scriptum esse 75. Eandem quoque corruptelam librarijs Acto. 7. accidisse. Vel etiam Lucā, vt qui Hebraicè nescierit, locum, vt se haberet ea tempestate, corruptum citasse, aut certe si 70. interpretes ita conuerterint, Euangelistam eorum editionem, quę vbique erat receptissima, fuisse secutum. At Hieronymus in quæstionibus Hebraicis librariorum negligentiæ nihil imputat: sed docet reclamare quidem Hebræam veritatem: 70. autem interpretes per Prolepsim, 75. animas posuisse. Lucam verò non debere contrarium aliquid scribere aduersus eam scripturam, quæ iam fuerat gentibus diuulgata. Maioris enim opinionis illo duntaxat tēpore 70. interpretum habebātur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus, & vilis, & non magnæ fidei in notionibus ducebatur: licet plerique, inquit, tradant Lucā Euāgelistam, vt proselythū, Hebręas literas ignorasse. Tantum Hieronymus. Principio autem, vt à capite exordimur, oīa exēplaria, tū noua, tum vetera, Græcaq; & Latina trib. simul locis fuisse corrupta, vix credibile est. Nullum verò auctorem ante Eugubinum, quū & in ea loca, & in hanc quæstionem incurrissent plurimi, rem apertissimam animaduertere potuisse, mihi quidem non fit verò simile. Atque si huiusmodi soluēdis nodis librariorum iniuria pro libidine abutimur, verendum sanè illud est, ne, dum alienam prodere conamur inscitiam, prodamus nostrā. Alioq; si ita placet, omnes ambiguas q̄stiones, & quę in scriptura sacra videntur esse pugnantia, ad istū modū explicemus. Id quod passim Eugubinus facit. Nam & postrema obiectionis parte pellenda affimat, scribentiū vitio pro, Iacob, positum esse, Abraham, &, Patris, positū esse, p Filij. Certè si D. Hieronymus, quū ipsi 70. interpretum obijcietur auctoritas, hac se defensione tueri posset, ea libentissimè abuteretur. Sed quum videret exemplaria vniuersa mirificè consentire, expositoresq; omnes vnum idemq; sonare: nō mendosos codices causatus est, sed confessus est planè 70. interpretes ita vertisse, quos Lucas Euāgelista sequeretur. At enim Lucam Euangelistam locum ex veteri testamento, vt ea erat ætate, deprauatum citasse: multò absurdius inuenio cùm ad veritatem cœpi reuocare rationem. Aut enim ignorantem facimus Euangelistā, si eū latebat deprauatio, aut timidū facimus, si diuina auctoritate pollens nō est ausus deprauata restituere, quod sine vlla auctoritate Eugubinus est ausus. Impiū est autem, quod Spiritus sancti consilio scripsit Lucas, id Hebraicarū literarū ignorationi tribuere. Cùm ergo singulas scripturæ particulas diuina inspiratione & afflatu scriptas esse causis necessarijs addixerimus, nulla earū profectò potest à linguarum ignorantia proficisci: nisi Spiritus sanctus, qui Euāgelistæ regebat & mentem & manum, Hebraicas literas ignorarit. Dicamus igitur, id quod præsenti loco satis est, 70. interpretes, 75. animas Gen. 56. & Exo. 1. posuisse. Id quod ex contextu manifestè colligitur. Cùm enim Genes. 46. filios Manasses & Ephraim, hoc est, Machir, Galaad, Sutalam, Taam, Edem, interpretes 70. annumerauerint, necesse fuerit, vt numerus 75. conflaretur. An verò Hebraica exēplaria, quæ 70. interpretes cōuerterūt nepotes illos Ioseph in illa genealogia supputarint, an potius ipsi 70. interpretes per anticipationem addiderint, incertū est. Illud certum quæ detraxerint, bona fide hęc, & prudenti fort asse consilio detraxisse: quę adiecerint, ea sine dolo adiecisse. Cōstat enim, eos nōnullis locis magis paraphrasim, q̄ interpretationē edere. Lucas verò ac cęteri Apostoli & Euang. 70. interpretū editione vsi sunt, quoniā eo tēpore illa erat prę̄stantissima. Nec alienū sequūtur errorē, quod nōnulli imprudēter affirmāt, sed in eo, quo illi verè locuti sunt, eorū testimonijs vtuntur. Nec me illud terret, quod quidam obijciunt,

scribendo

historia huius veritatem non nisi per figuratam dictionem defendi posse. Nam & editio nostra eadem defensione eget. Quum enim 70. animæ ingressę in Aegyptū dicuntur, necesse est quoque Ephraim & Manassem ad explendum numerum supputari, qui tamen ipsi in Aegyptum non sunt ingressi. Nec mirum est, si in 70 interpretum editione anticipatio sit. Cum etiain nostra admittamus postpositionem. Geneseos siquidē ca. 12. post mortem Thare præceptum Domini scribitur, quo iubet Abraham exire de terra ac cognatione sua. At Acto. 7. Stephanus non obscurè docet, præceptum illud datū esse in Chaldæa prius, quàm Thare moreretur, & veniret in Charran. Id quod & D. Augustinus acutè vidit 16. li. de ciuit. Dei. Et ratio quoque ipsa demonstrat. Cùm enim iubeatur Abrabā exire de terra & cognatione sua, Chaldæam cogimur intelligere. Quæ propria erat terra Abraham, vbi etiam habebat cognationem suam. Si
Cap. 13. autem de Charran iuberetur exire, certè, nec de terra sua exiret, nec de cognatione. Nā licet Charran pars Mesopotamiæ esset, non erat tamen Chaldææ pars, quod quidam parum doctè asseruerunt. Nec clam me est, Hieronymum in Ezech. 30. ca. scripsisse, in libris historicis præ-
Matth. 10. posteram narrationem nullam reperiri, sed in psalmis & Prophetis. Quod mirari magis equidem, quàm refellere debeo, cùm in euangelij cōstet anticipationes vsurpari. Qua de re alio loco diligentius. Sed ne illud quidē mouet, quod Ioseph dicitur 75. animas accersisse, eadem enim difficultas esset, si 70. solū animas posuisset. Cum Ephraim & Manassem nusquam omninò accersierit. Nō igitur, vt Hieronymus ad Pamma. de opt. ge. interp. rectè dixit, In scripturis verba non sunt consideranda, sed sensus. De prima ergo 6. argumenti particula hactenus.

Iam secunda, licet difficilior esse videatur, facilius tamen refelletur. Nam 12. Patriarchas sepultos esse non in Hebron, sed in Sychē, non solū ex Stephani narratione, sed etiam ex Hieronymi testimonio cognoscimus. In epitaphio nanq; Paulæ ad Eustochiam, quum Paulæ peregrinationem scriberet, sic ait: Transiuit Sychē, & circa puteum Iacob extructam intrauit ecclesiam. Atque inde di-

de diuertens, vidit 12. Patriarcharū sepulchra. Ad Pamma. aūt de op. ge. int. 12. inqt, Patriarchę nō sunt sepulti in Arboch, sed in Sychē. Quā eandē sententiam Beda sequitur, alijq; viri ecclesiastici. Quantū verò fidei Iosepho sit in historia habēdum, 11. postea loco demonstrabimus. Atq; de 2. arg. 6. parte tantum dictum sit.

Hie. de op. ge. int. proponit, et nō soluit.

Tertia verò, eademq; postrema, indissolubilē videtur habere quæstionē. Nā quod Augusti. Eugubinus & hunc secutus Aloysius Lippomanus dicunt, locum esse depravatū, & pro, Abrahā, legendum esse Iacob, pro, Filij, esse substituendū, Patris: cōsistere hoc nullo modo potest. Tū quoniā omnia exemplaria Greca atq; Latina iā inde ab Apostolorum ętate fuisse corrupta, non verosimile quidē est, Tum quoniā non est probabile, Hieronymum, Rabanū, Bedam, aliosq; item ecclesię auctores, qui in hunc locum & quæstionē incidēre, huiusmodi defensiōis præsidium neglecturos; si vel tantillum probabilitatis in ea ineśe existimassent. Nec viri prudētes & graues difficillimam quæstionē esse dixissent, quę minimo quidē negocio, vt iuniorib. istis visum est, explicaretur. Quid, quod in vocibus adeò dissimilibus nulla deprauatiōis occasio erat? Si enim librarij pro, Euertit, scribant, Euerrit: pro, Fortem, Fontem, vocum scilicet magna similitudine fallētur. At pro Iacob, Abrahā: ꝑ Patris, scribere Filij: in tāta nimirūnominū discrepantia nullæ deprauationis cautę fingi possunt, nisi librariorum aut ebrietas, aut amentia. Quid, quod in exemplari Greco nec Filij, nec Patris expressum est, sed post vocē, Emor, solus genitiuus τοῦ ζύχεμ scriptus legitur? Vbi Latinus interpres, quoniā propensius id erat, filium subintellexit, non patrem. Ad quē omninò modum Sanctus quoq; Pagninus interpretatur. Nec me fugit, in epistola ad Pamma. de op. ge. int. Patris legi, nō Filij. Sed Erasmi fortasse lectio illa est, nō Hieronym. Verū de voce patris nihil moror. Nam si Greca phrasis permittit, quod permittit certè, vt vel filij, vel patris nomen subintelligatur, Stephanus, qui Græcè locutus est, nihil patietur in hac parte calumnię. At in voce Abraham locum nō habet Eugubini responsum, pro qua si Lucas Iacob scripsisse dicitur, nihilo secius accu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sabitur. Iacob enim non pretio argenti sepulchrũ emit, sed centum nouellis ouibus: vt Iosue c. vlt. scriptum est. Scio autem, quæ nouitij interpretes hoc loco disserant: sed scriptura, quã ecclesia probat, editio quoq; 70. Centũ nouellas oues habent, non, Nũmos argẽteos centũ. Maneat igitur exẽplaria non esse corrupta. Et quoniã eadẽ facilitate reliquę aliorũ responsiones coargui possunt, nihil video esse causę, cur eis refellẽdis immoremur. Sed ne libenter quidẽ aliorũ sententias reprehẽdimus. Hoc igitur loco mihi Bedę opinio placet, cui & Rabanus assensus est. Verba illius in hunc modũ habent: Beatus Stephanus, vulgò loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionẽ. Duas enim pariter narrationes coniungens, non tã ordinẽ circunstantis historię, q̃ causam, de qua agebatur, intendit, &c. Eadẽ ferè Rabanus. Quibus verbis verecundè quidẽ ac modestè significarũt, Stephano, id q̃ vulgò ferè solet, accidisse: vt in longa videlicet narratione, eademq; præsertim subita, confuderit nonnulla & miscuerit, in quibusdã etiã memoria lapsus fuerit, in his duntaxat, q̃ ad rẽ parũ, aut nihil omninò attinerent. Nã causę, de qua potissimũ agebatur, erat intentus. Lucas verò historiæ veritatẽ retinere volens, ne iota quidẽ immutauit, sed rẽ, vt à Stephano narrata erat, exposuit. Nos aũt nõ Stephanũ ab omni lapsu, sed Euãgelistã vindicare debem⁹. Solis quippe Apostolis, prophetis, & euãgelistis hũc honorẽ deferre catholica fide docẽte didicimus, vt nullũ eorũ, vel memoria lapsũ esse credam⁹, nullũ nec in magnis, nec in paruis errasse. At Stephanus plenus erat Spiritu sancto. Fateor. At spirit⁹ loquebatur in eo. Et id equidẽ fateor. Sed aliter in Christo spirit⁹ loquitur, aliter in prophetis & Apostolis, aliter in Stephano & Ambrosio. Ac certè per hos oẽs loquebatur. Per concilĩ generale Deus ecclesiæ loquitur, p̃ ecclesię pastores, Deꝰ ecclesiæ loquitur, p̃ veteres sanctos, Deus ecclesię loquitur. Et hi oẽs tamen in paruis labi possũt, memoria præsertim, vbi lapsus facilior est. Scriptorũ ergo sacrorũ hoc priuilegiũ est, vt eorũ nullus in scribẽdo erret. Apostolorũ priuilegiũ est, vt nullus eorũ in docendo erret, Stephano priuilegiũ hoc nec ratio cõcedit, nec auctoritas. Nec verò

verò ab sacris auctorib. alienũ est, errantium quoq; verba referre. Sic.n. Iephthe Iudi. 11. trecentos annos possessiõis prętendit, cùm reuera trecenti nõ fuissent. Et sacer tamẽ historicus trecentos retulit. Sic etiã Mat. si Hieronymo credim⁹, prophetiã Michęę nõ vt à Michęa scripta erat, sed vt à scribis erat enunciata retulit: Scribere autẽ quã vanis & friuolis argumentis hanc Hieronymi sententiã Erasmus reprehenderit, nõ est huius aut loci, aut tẽporis. Illud dicendum est, Hieronymi & Augu. verba in eum torquere sensum, vt credantur asserere, Euãgelistas esse aliquando lapsos, nisi parũ prudenter fieri nõ posse. Cũm enim Hier. in epist. illa de op. ge. int. quædam loca à sacris auctorib. retulisset, quę lapsui memoriæ assignari possent, subdit: Hęc replico, nõ vt Euangelistas arguã falsitatis. Hoc quippe impiorũ est, Celsi, Porphyrij, Iuliani. Id tamẽ ita Erasmus accipit, vt falsitatis crimen abominetur in Euãgelistis Hieronymus: memorię lapsũ nõ itẽ. Quasi falsum nõ sit, nisi q̃ mendacio de industria cõficto scriptum est. Certè siue memoria, seu ignorãtia lapsi Euãgelistæ à veritate discesserint iure falsitatis arguentur. Cumq; etiã August. lib. de cons. Euan. 3. c. 7. non lapsui memoriæ, nõ errori tribuerit, quod Euangelista Mat. c. 27. nomine id Hieremiæ, citauerit, quod apud Zacharĩã reperitur: sed tribuerit Spiritus sancti consilio, directioni, constitutioni, præcepto, quamobrẽ cõtenderit illud sine falsitate esse factũ. At Erasmus errorẽ & lapsũ Euangelistæ, ex Augu. sententia interpretatur. Ea q̃ falso viris sanctissimis impingantur, facillimè iudicari poterit, cùm ex ijs ipsis locis diligenter euolutis, tum ex alijs eorundem auctorum testimonijs, quę nos capite superiore citauimus. Nam quartę controuersię iam tempus est, vt finẽ faciamus. Hic autẽ primus locus etiã concludetur, non paucis ille quidem (nam id fieri nõ poterat, q̃ amplissimus esset, & iusti voluminis copiosã materiã suppeditaret) sed quàm paucissimis fieri licuit, vt loci firmissimi auctoritas eo statu esset, quem neq; humani ingenij temeritas, neq; Hereticorum labefactaret iniuria.

In anno. in 2. Mat. c.

In anno. in 2. c. Mat.

In anno. 27 Mat. c.

Secundi Libri finis.

DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS, QVAE SECVNDO LOCO POsitæ sunt, Liber Tertius.

CAPVT. I.

Vbi eorum argumenta referuntur, qui Apostolicas traditiones impugnarunt.

BENE habet. Scripturæ diuinæ auctoritatem primo iam loco constituimus. Ad secundum deinceps aggrediamur: Apostolicarumq; traditionum quanta sit & vis, & auctoritas, via & ratione explicemus. Et quidem hunc locũ Lutherani imbecilliorem esse credunt, quàm vt ductis inde argumentis dogmata fidei confirmentur. Nam, quòd Ecclesiæ traditiones à Christo & Apostolis descenderint, existimant nullo modo posse probari. Nec enim adeò sunt stupidi, vt verba Christi, q̃ modò Christi esse cõstaret, infirmare pergant, quòd nõ fuerint ab Euangelistis scripta. Sed quoniam quid Christus, quidúe Apostoli fuerint locuti, eos solùm nosse putant, qui Christum & Apostolos audiêre: colligunt, apud nos nunc ne vnum quidem dogma posse traditione probari. Quin oportere omnes fidei & religionis controuersias sacrarum literarum testimonijs componere: finire verò nihil, nisi quod sacris literis sit expressum. Erasmus etiam cùm sæpè aliàs, tum in epistola nuncupatoria operum Hilarij, hoc demum asserit eruditionis veræ Theologicæ esse, nihil vltra, quàm sacris literis proditum est, definire: cætera omnia esse problemata in illud reijciẽda tempus, quum sublato speculo videbimus Deum de facie. Nec hi tamen aut primi, aut soli pestem huic loco afferre tentârunt. Tentauerat idem prior Vuicleffus, vt Thomas Vualden. scribit, li. dõct. fi. anti. 2. c. 19. Tentârant hoc alijs antè seculis hæretici quidam, quos Bernar. homil. 66. in cantic. commemorat. Sed & Arianis hanc hæresim tribuit Augustinus in conflictu cõtra Maximinum, Thom. Vual. referente libro de Sacramental. doct. 2. Ariani certè, qui in synodum Seleucianam conuenerunt, non obscurè testati sunt, se in fidei quæstione præter diuinas scripturas nihil omninò recepturos, vt auctor est Epiphanius hæresi 73. Qui & ipse Arianis hũc errorem assignat, hæresi 75. Basilius Eunomium dicit in eodem errore versatum. Tertullianus lib. de præscrip. hære. & Irenæus 3. lib. aduersus hæreses, cap. 2. his adiungunt Valentinum ac Marciõem. Basilius verò quidam Anciranus episcopus in confessione, quam exhibuit 7. Synodo Anathematismo 7. non solùm iconomachorum, sed Arij, Nestorij, Eutychis, Dioscori, sententiam hanc communem fuisse cõfitetur. Quanquam aũt error hic communis fuit hæreticis penè omnibus, Lutherani tamen quasi proprium vsurparunt, quantaque maxima potuêre vi astruere nisi sunt, nihil præter scripturas sacras apostolicam habere auctoritatem. Infidelis, inquiunt, est & incerta illa per manus traditio, quod is, qui accipit, vel non satis accuratè ascultat, vel morbi, ætatis, naturæque iniuria nonnunquam obliuiscitur, vel certè interdum moritur, antequam tradat accepta. Ea etiam, quæ de aure in aurem transeunt, aut in dies nota fiunt, aut non eadem profectò perseuerãt, sed mutatis auribus permutantur. Quin etiãm pereunt, nisi ea literarum monimenta conseruent. Pythagoræ quàm pauca extant? Druidarum ecquid est reliqui? Nempe traditionibus illi confisi, nihil ad memoriæ æternitatem literis prodiderunt. Quamobrem, quę Christus dominus ad salutem fidelium vidit esse necessaria, & quæ in ecclesia certa esse voluit atque perpetua, ea literis consecrari vel iussit, vel suggessit. Augustinus item testis est, multa quidem Dominum & fecisse, & dixisse, quæ scripta non sunt: electa verò esse, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent. Augustinus etiam idem docuit, quod vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum scripturarum certis clarisque

In Io. trac. 49. Lib. 2. de pecca. meri. et re. ca. vlt. Idẽ in epi. ad Optatũ de orig. anim.

risque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciēs in alteram partem declinādo. Et mox: Illud credo, inquit, quòd diuinorum eloquiorum etiam hinc clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. Nihil ergo creditu necessarium extra sacras literas est. *2.Tim.3.* Paulus quoque scripturam idoneam esse docet, vt per eam perfectius sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Si igitur quæ erant satis, vt fideles essent ad omne opus bonum instructi, ea scripta sunt omnia, quorsum istæ non scriptæ traditiones moribus formandis necessariæ finguntur? *Deut.17.* Quid? quod non iubemur credere quæcunque nos docuerint sacerdotes, sed quæ docuerint iuxta legem Domini? Si ergo quicquam illi præter legem docent, fidem eis habere non est necesse. *Hom. 49. in Mat.* Cùm enim ex ipsis veris ecclesijs frequenter exeant seductores, quod Auctor imperfecti argutè dixit, ne doctoribus quidem credendum est ecclesiarum traditionem quamlibet præferentibus, nisi ea dicant, quę scripturarū congruant veritati. Nam & Papias mille illos suos post *Euse. li.3. eccles. hist. cap.vlt.* resurrectionem futuros annos tanquam Apostolis tradentibus inferens, Irenæum, aliosque multos ecclesię viros non tam veritate disputationis, quā Apostolicæ traditionis auctoritate commonuit. Et Irenæus quoq; ipse Ioannis Euangelistæ, aliorumq; Apostolorum traditione docet Christum Dominum, quo die mortuus est, annos 40. fuisse natum. Quod tantum abest à veritate, vt nihil veritati magis possit esse contrarium. Ita Theophilus Alexan. scripsit, dæmoniaci spiritus esse, aliquid ex- *Li.1.c. 39. & 40.* tra scripturarum auctoritatem putare diuinum. Et Hieronymus dogmata condemnauit, quæ absque auctori- *Li.Pasc.2. In Aggæū c.1. In epist. ad Ti. c.3.* tate & testimonijs scripturarum ex traditione apostolica præferūtur. Et rursum: Sine auctoritate, ait, scripturarum garrulitas non habet fidem. Et iterum: Eorum sen- *In Mat. c. 23. Bas. de huma. Christi gene. &* tentiā, qui traditione veteris historiæ tenuerunt, Zachariā illum, qui occisus fuit inter templū & altare, patrem fuisse Ioannis Baptistę, ea solū ratione reprobat, quòd de scripturis nō habet auctoritatem. Vnde eadem facilitate cōtemni, qua probatur. Atque Origenes, Necesse est

est, inquit, nobis scripturas sanctas, in testimoniū vocare. Sensus quippè nostri & narrationes sine his testib. habent fidem. Cōfirmat autem hoc maximè oratio illa, quā in Nicæna synodo vsum fuisse Constantinum, refert Theodorius. In disputationibus, inquit, rerum diuinarum habetur Sancti spiritus doctrina præscripta. Euangelici enim & Apostolici libri, cum prophetarum antiquorum oraculis, plenè nobis ostendunt sensum numinis. Proinde sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum. Cui orationi, Caluinus ait, Nemo tunc fuit, qui refragaretur. Quod silentium perfidia non carebat, si verum est, præter scripturas sacras Euangelistarum, Apostolorum, & prophetarum traditiones esse tenendas, in fidei ambiguis quæstionibus. Cùm igitur Theodoritus sciibat, episcopos libēter amplexos esse id, quod dixit Imperator: constat nouum esse traditionum dogma illisq; sæculis omninò incognitum. Traditiones igitur istę seniorū parum valent ad dogmata fidei cōpro banda. Quin cum humanę sint, nō diuinæ, non sunt nobis magnifaciendæ: ne quod Pharisæis, idem nobis obijciatur, sine causa colunt me, docētes doctrinas & mandata hominum.

Orig. hom. 26. in Mat. In Hier. homil.2. Lib.1.hist. suæ Eccle. cap.7. *Matth. 15. Esa. 29. Cypri.li.2. epist.3.dist. 8. c.si solus Ioan. 18.*

Quid? quòd hæreticis semper gentile fuit, mysterijs & traditionib. suos discipulos imbuere? Id quod à Christi doctrina alienum est, qui palam locutus est mundo, & in occulto locutus est nihil. Ac si quid in tenebris dixit, profectò iussit Apostolis, vt dicerent ipsi in lumine, & quę in aurem audierunt, vt prædicarent super tecta. Non ergo habemus Christiani occultas mysteriorū traditiones. Quod si veterum traditionibus fidem & religionem nostram asserimus, id Pagani, id Iudæi, id Sarraceni faciūt: eoq; præsertim nomine sectas suas retinent, quòd quem admodum nos, ita ipsi quoque maiorum institutis inhęrent: eaq; longissimi temporis possessione tuentur, istūque pro illis bellum suscipiunt. Non est autem disciplina nostra Pythagorica, vt traditionibus quasi vestigijs insistamus, literis est Christi doctrina prodita, illas in omni fidei & religionis quęstione amplecti debemus. Hæc Lutherani argumentantur.

Matth. 10. Ire. lib.1. c. 23. scribit hæreticorū præceptum esse, non oportere mysteria eorū effari, sed in abscondito continueri. Iudic. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

Superuacaneam videri cum Lutheranis non de hoc solùm loco, sed de quibusque alijs disputationem.

EGo verò cum Lutheranis quotiescunq; me cõparo ad disserendũ, repentè à me auertitur cratio mea, & omnis statim mihi disputãdi ratio tollitur. Quo namq; consilio aduersum hos disputare aut debeam, aut possim, qui cũ omnia Theologiæ principia tollunt, tum vna ferè sola asseuerandi audacia vtuntur, quę illis perpetua est pro locis Dialecticis Theologicisque omnibus? Quid ego contra hos scribam, qui nullam in ecclesia legem esse volunt, per quã scripturę sensa siniãtur? Sed suo cuiq; ingenio esse vtendũ, nec id sentire oportere, quod alij senserint, sed quod ratio propria præscripserit. Quid autem stultiùs, quàm cum eo disputare, qui nihil admittit nisi scripturæ verba, sed huius interpretationem sibi vni reseruãs, reliquos omnes existimat miris modis hallucinari? Machumetus ne, si res esset via & ratione explorata, in malè suscepta causa cedere cogeretur, omnem disputationis aditũ lege suis edita præclusit. Et Lutherus disserendi principia suis vniuersa tollens, si disputationem instituat, nec aditũ, nec exitum poterit reperire. Perinde enim est, scripturas solas sine lege & pro cuiusque interpretatas arbitrio accipere: ac si nullum fixum certumq; disserendi principium acceperis. Quapropter miseri Lutherani, haud secus atq; Saraceni, nec suas, nec magistri possunt ineptias deprehendere: nec nos cũ ijs disserendo aliud possumus, quàm tempus & operam ludere. Qui tamen haberent ius suum disputãdi, si principiorum aliquem delectum reliquissent, vt ad veritatis inuentionem aditus esset. Nunc autem nulla principia relinquunt. Vana igitur cum eis erit & futilis disputatio. Omninò enim meminisse debemus, id quod ab scholasticis sæpissimè vsurpatum, iam quasi in prouerbij consuetudinem venit, Contra negantem principia, quoniam frustrà id fiat, non esse disputandum.

Accedit eodem, quòd paradoxa cum communi sensu pugnantia afferunt, quæ si vis argumentando refellere, res

tes minimè dubias argumentando dubias facis. Cùm enim illa, quę in syllogismo antecedunt, vt fidem aliquã faciant, certiora notioraque esse oporteat his, quę ex antecedentibus consequuntur, verendum sanè est, quando Lutheranorum placida coarguimus, ne res maximè absurdas minore euidentia refellentes, peccatum hoc ratiocinationis vitiosæ ineptæque peccemus.

Nec verò huius rei explicandæ gratia longè exempla petenda sunt, cùm habeamus in manib. Etenim, vt hãc, quam modò dixi, opinationem Lutherani tueantur, ponunt primò sacras literas nõ habere plures sensus. Falso autem illud ponunt, sed demus hoc eis liberaliter. Assumunt deinde, in scripturis sensum illũ vnum certissimè familiarissimeque doceri. Nec esse eas, velut cereũ quendam nasum, in sensum omnẽ flexibiles: sed potiùs esse per se expositas, & in promptu cuique sine magistro & docente patere. Quibus egregiè sciteque positis, iam facilè conficiunt, sacris libris intelligendis, nec veterum traditionem, nec ecclesiæ iudicium expectandum. Quæ omnia cùm & p se sint falsa perspicuè, & scripturis ipsis vehementer repugnantia, si contendam ego ex aduerso refellere, aqua mihi, vt dicitur, hærebit. Qui scilicet intelligam, quàm sit ridiculum confutare velle vanas cõmentitiasque sententias, portenta non differentium Theologorum, sed hominum somniantium, quàm stultum cuilibet opponenti contraria respondere, quàm inutilè facis in meridianam solis lucem inferre, quàm denique ociosum in re manifesta periclitari. Petrus ait, in Paulinis epistolis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti homines & instabiles deprauant ad suam ipsorũ perditionem. Hi verò contrà aiunt, omnes Pauli epistolas esse intellectu facillimas. Paulus perfectis sapientiam loquitur in mysterio absconditam, paruulis autem lac potum dat, quoniam ferre aliud non possunt. Isti sine discrimine omnes, ac si Deo placet, inter pocula vniuersa scripturæ sacramẽta deuorant, & solidum etiam cibũ struthionum more concoquunt. Sapientibus & prudentibus quædam pater abscondit, istis omnia reuelauit. Filius discipulis suis aliquãdo in parabolis est locutus, his

palàm ſemper loquitur,& prouerbium nullũ dicit. Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur, quem cùm dederis homini ſcienti literas vt legat,reſpondebit tibi, Nõ poſſum: ſignatus eſt enim. Et his lib. agnus aperuit, aperuit item oculos, vt videant, quę nos miſeri & cæci videre non poſſumus. Imò quæ Origenes, Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius non viderunt. Eunuchus ille auctorũ Apoſtolicorum tam religioſus, vt relicta aula regia de extremis mundi finibus veniret ad templũ,tam diuinæ legis amator,vt etiam in vehiculo ſacras literas legeret: non poterat Eſaiam intelligere,niſi aliquis eum doceret, & ab iſtis prophetæ omnes ſine magiſtro & interprete intelliguntur.Breuiter, vt Hieron. ait, nulla ars,ſine præceptore percipi poteſt, ſola ſcripturarum ſcientia eſt, quã hi paſſim ſibi omnes vendicent,præſumant,doceãt, antequam diſcant. Sunt in libris ſacris loca plurima,in quibus tanta difficultas & obſcuritas ineſt, vt poſt veterum omnium interpretum vigilias,ſtudia,operas,adhuc vix à doctiſſimis & optimis quibuſque intelligi poſſe videantur. Et multitudo imperita,in qua nec ratio ineſt, nec iudicium, vniuerſos ſcripturæ locos facilè expediet atque interpretabitur? Itáne facile eſt expedire, vt reliqua taceam,Hebræi ſermonis ambiguitatem,tropos vel vetuſtate obſcuriſſimos,phraſes alienas ab hiſce linguis, quibus aſſueuimus,noſtris inaudita,puerbia, parabolas peregrinas,tranſlationes interdum etiam longiſſimè petitas? Expone mihi facilè, ſi potes, puerbia Salomonis & Cantica:Ezechielis,Danielis,Eſaię,Hieremię prophetias:Dauidicos Pſalmos expone:& ſi expoſueris,tum verò libri ſacri,nec ſunt difficiles, neque obſcuri. Quis ſapiens, ait Oſeas,& intelliget iſta: intelligẽs,& ſciet hæc? Et Salomon: Quis talis,vt ſapiens eſt? Et quis cognouit ſolutionem verbi? Atque ſapientes ſunt omnes iſti, & ſumma facilitate difficillimas ſcripturæ quæſtiones ſoluunt.Quòd ſi ſcripturæ in variũ ſenſum torqueri flectique non queunt,quomodo hæreſes omnes ex parua intelligentia ſcripturarũ ortæ ſunt? At hoc ſolum tradentibus Hilario 2.lib.de Trinit.Hieron. ad Galát.1. Irenæo lib.

Vide Hier. ad Pauli-num & Aug. in præmio li. de doct. Chriſt.

Tertul. de reſu.car. Hæreſes, ait, eſſe nõ poſſunt,

lib.1.adùerſ.hęreſ.c.1.Auguſtino in Ioannem,tractat.18. Vincentio Lirinen. cõtra proph.noua. ſeptima ſynodo, acti.6.ſed manifeſto etiam experimento cognouimus. Vnde verò inter ipſos quoq; Lutheranos de rebus maximis,controuerſiæ, ſi ſcripturæ in varios ſenſus nõ flectũtur? Nam illa verba, Hoc eſt enim corpus meũ, alij propriè,alij per tropum accipiunt. Quę cùm ita ſint,alia ratione,atq; iſti dicũt,ſcripturę diuinæ inueſtiganda tenendaq; intelligentia eſt. Si enim ad priuatã hęc regulã dirigatur,vnde euincetur Heluidius de perpetua Mariæ virginitate? Vnde Arius de vera Dei in Chriſto natura? Imò verò vnde conſtabit,huius ne,an illius intelligentia vera ſit,ſi ſcripturas cuiq; liceat pro ſuo ingenio interpretari? Cùm enim varię erunt,vt fit,de eodem ſcripturarũ loco ſententiæ,quę certa ſit,eã nemo præſtabit. Jj enim omnes,qui inter ſe diſſentient,pari ratione ſuum quiſq; ſenſum tuebũtur.Hoc enim morbi ferè innatũ eſt hominum ingenijs,vt cedere neſciant, ſimul atq; res in cõtentionem vocata eſt. Quæ poſtquã incaluit,hoc cuiq; videtur veriſſimũ,quod temerè etiam tuẽdum ſuſceperit. Aut igitur ſenſum quiſq; ſuum certum habet,& redibit inſania veterum,quam Ariſt. 4.Metaphy.lib. manifeſtis argumentis exploſit: Aut nullius ſententia certa erit,& præterquã quòd diſſidiorum nullus erit finis, nullũ habebimus certum fidei Chriſtianæ iudicium, ſed ex ſua opinione quiſq; ſuam fidẽ ſibi affinget.Ita fides catholica nulla erit.Acre vera ridiculi Lutherani ſunt, qui poſtulẽt, vt ipſis ſacras literas interpretantib.ac nouo quidem mirabiliq; more interpretantibus,certa fides habeatur. Non eſt creditum Apoſtolis,vt falſe ridet Eraſmus, donec multa magnaq; miracula fidem adſtruxiſſent doctrinę,& nunc quiliber ſibi poſtulat credi, quod affirmet ſe habere ſpiritum intelligẽtię,cùm nullus eorum tamẽ ne equum quidem claudum ſanare potuerit.Multa præterunda ſunt,ne quid habeat iniucũditatiſ oratio:& tamen multa dicuntur,quę apertè horum inſaniã refutẽt, Sanè niſi Cochlæus in epiſtolis ad Germaniæ principes & ad Bernenſes anteuertiſſet, exemplis poſitis,periculũ facerem,& in illis variè in vtranque partem luderem,vt vel

ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent.

vel hoc ipso periculo compertum esset omnibus, quàm nō sit difficile vnumquodlibet thema è sacris literis aut probari, aut improbari, si pro suo eas quisq; ingenio interpretetur. Quanquam, fateor, nonnulla sunt scripturę loca, quę in alium atque alium sensum trahi, ne à cōtentiosis quidem possunt. Quis enim illud torqueat, quod
2. Cor. 12. Paulus ad Corinthios scripsit, alij per spiritum dari sermonem sapiētiæ, alij sermonem scientiæ, alij interpretationem sermonum? At isti omnia ecclesiastici corporis munia confundūt, istis totum corpus est oculus. Omnes siquidem spiritu doctore intelligunt scripturæ vniuersa mysteria. Sed bene habet, quod vel Lutherus ipse quędā
Ephes. 4. in Psalmis loca se nō intelligere confitetur. Benè habet, quod doctores in ecclesia Christus dedit, non omnes, sed quosdam, ad consummationem sanctorum in opus ministerij. Verùm de his & multa in secundo libro disserui, & plura adhuc in septimo differentur. Nō quò aduersum Lutheranos pugnam inire velimus, qui clausis,
C. 6. 7. & 8. cap. 3. cō clu. 5. & 6. vt dicitur, oculis more Andabararum pugnant. Sed quò videant catholici, cùm omnes locos ratione animoq; lustrauerint, nullum esse certiorem, nullum stabiliorē, nullum denique sacris literis exponendis magis necessariū, quàm is, quo ecclesiæ traditio continetur. Quò est detestabilior Lutheranorum impudentia, qui hunc locum labefactare, ac funditùs delere nituntur. Sed vt hac omnis quæstio semel hic, vbi proprius est locus, constituatur, aliquot fundamenta iacienda sunt, quæ Theologiæ fideique simul neruos, ac vires continent.

CAPVT III.

In quo quatuor fundamenta ponuntur, ad traditiones Christi & Apostolorum constituendas.

Primum fundamentum.

Ioseph c. 4. li. 1. anti. tradit Seth & posteros duas colūnas edi disse, vnā, ECclesiam esse antiquiorem scriptura, fidemq; ,pinde ac religionem sine scriptura cōstare. Nam vetustissimi illi primorū sæculorum patres, qui in lege naturæ ante Moysen viri Dei cultores sunt habiti, sacrificiorum ritum, veramq; de rebus diuinis sententiā non scriptis legibus, sed etiam re & instituto maiorūseruauê te. Circunciſionē quoq; à Deo primùm acceptā, Abraham deinceps familiæ prodidit. Proles verò illa hominum Hebræorum, eiusmodi sacramentum non aut mē-
branis, aut tabulis inscriptum, sed in animis consuetudine imbutis quasi impressum conseruauit: multosque annos in Aegypto citra vllam scriptā legem, vnius Dei veram fidem & religionem tenuit. Christus etiam Dominus librum nullum scripsit, imò, quantum legimus, ne præcepit quidem, vt scriberetur. Euntes, non ait, scribite, sed prædicate euangelium omni creaturæ. Mar. vlt. Et per Hierem. c. 30. Dabo, inquit, legem meam in viscera
ribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et Apostolus 2. Cor. 3. Epistola, ait, estis Christi, administrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Lex ergo euangelica, quæ lex spiritus est, non literæ, non est à principio literis exarata, sed in animis fidelium insculpta. Nam & cæteri Apostoli prius viua voce euangelium docuerunt, deinde mandarunt literis, vt testes satis gra-
ues & idonei sunt Irenæ. 3 aduersus Valentinum libro. Euseb. cùm alijs locis non obscurè, tum luculentius in 3. histor. Eccl. lib. cap 24. Chrysost. hom. 1. in Matthęum, Theophylactus in initio comment. in Matth. Hieronym. in catalogo scri. eccle. in Matth. & in Ioan. breuiter, ne omnes sigillatim enumerem, vniuersi ecclesiastici aucto
res. Nolo enim in apertis rebus multus lectori videri: eò maximè, quòd Lucas Euangelista huius rei certissimum testimonium præbet, inquiens: Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est mihi assecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt cognoscas eorū verborum, de quibus eruditus es veritatem. Constat igitur doctrinæ fidei iam vulgatæ scriptionem Euangeliorum accessisse. Accessisse, inquam, non præcessisse. Constat itē Christianam ecclesiam & religionem non literis primū sed traditione subsistitisse. Constat rursus fidei doctrinam

latericiā, ad teram lapidem, in quibus disciplinā rerum cælestiū inscripserunt, nec quæ ab ipsis inuēta erant, deperirēt. Sed de inuentis quitur, non de ijs, quæ à maioribus accepe rant: sed ne de his quidē, quæ ad mores pertinerēt. Has fortè vocat Iamblichus antiquas Mercurij columnas, quas Plato quondā & Pythagoras cùm lustrassent, Philosophiam cōstituerunt. lib. Eccles. hist. c. 1. 5. 3. lib. c. 4.

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Ecclesia primitiua non ab scripturis habuisse auctoritatem, sed contrà scripturas à traditione. Sicut tradiderunt, ait, nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Constat denique aliquando in ecclesia Christi fuisse catholica dogmata, quæ sacris nullis literis continerentur. Quare permotus Irenæus, ait, Quòd etsi Apostoli nullas nobis scripturas reliquissent, tamen & oportebat nos sequi ordinē traditionis ecclesiæ, quā fideles scilicet ante scriptum Euangelium sequebantur.

Secundum fundamentum.

Non omnia, quæ ad doctrinam Christianā pertinēt, esse etiamnum in sacris literis expressa. Nam perpetuā beatæ Mariæ virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum paruulorum, conuersionem panis & vini in corpus & sanginem Christi, processionem Spiritus sancti ex filio, trium personarum in vna substantia æqualitatem, earundemque per relatiuas proprietates distinctionem, non ita expressa in libris canonicis inuenies, sed adeò tamen certa in fide sunt, vt contrariorum dogmatum auctores ecclesia hæreticos iudicarit. Quēadmodum igitur articulus resurrectionis continebatur in illo, Ego sum Deus Abraham & Isaac, quod postea Christus Dominus minus intelligentibus exposuit: ita nonnulla per spiritum veritatis explicuit ecclesia, quæ in sacris literis habentur obscura.

Tertium fundamentum.

Multa pertinere ad Christianorum doctrinam & fidem, quæ nec apertè, nec obscurè in sacris literis continentur. Id primū Innocētius probat de celebra. missę. c. cum Marthæ. Verba enim quibus in calicis consecratione vtimur, quibusq; Christum dominum vsum esse profitemur, scilicet, Mysterium fidei, & æterni testamenti, in Euangelistis non habentur. Ac ne illud quidem, Leuatis oculis ad Deum patrem suum. Sententiam quoq; illam, Beatiùs est multò dare, quàm accipere, Christum dixisse nescieremus, nisi Paulus in Actis docuisset. Quēadmodū ergo nō omnia gesta Iesu Euangelica scriptura complexa est, ita ne omnia verba quidem, sed quædam per traditionem accepta sunt. Rursum, sanctorum Martyrum auxilium precibus implorandum, eorumq; memorias celebrandas, imagines venerandas esse, in sacrificio Eucharistiæ simul cum corpore sanguinem sacerdotibus esse & conficiendum & sumendum, sacramenta confirmationis & ordinis non iteranda, sacræ literæ nusquam fortè tradiderunt. At, eiusmodi atque alia plerraque id genus, ita firmiter ecclesia catholica retinet, vt si sacris codicibus fuissent inscripta. Quatuor demū euangelia, quæ nunc ecclesia recipit, quatuordecim epistolas Pauli, breuiter, vt in summa dicam, vtrunque & vetus & nouum testamentum, firmissimè retinemus: nec tamen ea tenere possumus scripturæ auctoritate. Multa igitur sunt fidei catholicæ dogmata, quæ sacris literis non habentur.

Cap. 10. Ioan. vlt.

Quartum fundamentum.

Apostolos maximis de causis alia quidem literis, alia autem viua voce prodidisse. Sed quæ illæ causæ sint, repetendum altiùs videtur. Morem porrò hunc tradendi quædam discipulis non scripto, sed verbo, olim quoq; scimus à Philosophis obseruatum. Pythagoram certè hunc in modum discipulos instituisse, posteriorum omnium scripta testantur. Qui & ipse, vt Strom. Clemens Alexan. refert, circunciſus fuit, vt adyta ingrediens Aegyptiorum mysticam disceret philosophiam. Galenus libro 2. de anatom. admini. veteres Physicos, ait, artes à maioribus quasi per manus traditas conseruasse. Cicero libro 1. de legibus, ferendos in Republica mores existimat, nec scriptis omnia sancienda. Et eodem rursus libro, sacra putat melius in Republica conseruari, si à patribus accepta deinceps familijs prodantur. Cæsar de bello Gallico libro 6. Druidas scribit disciplinæ præcepta nefas existimasse, vt literis mandarentur. Scribunt item non modo celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris Hilarius & Origenes Moysen non legem solùm, sed secretiorem legis enarrationem in monte diuini tùs accepisse: præceptum autem ei à DEO, vt legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Iosue, hic deinceps succedentibus sa-

Hila. in per. 2 psal. Orig. hō. 5. in Num.

sacerdotum primoribus, magna silentij religione reuelaret. Anatolius quoque apud Euse. lib. 7. eccle. histo. c. 28. 70. interpretes refert Ptolomæo regi percontanti, multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atque illud etiam auctor 4. libri Esdræ, ca. 14. non obscurè testatur, Enarraui, inquit, Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens, Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes. Quod idem præceptum Dominus Esdræ legem instaurãda dedit, inquiens, Quædam palam facies, quædam sapientibus absconse trades. Ad huiusmodi verò traditio
Psal. 43. nes Propheta videtur spectasse, cùm ait: Deus, auribus
nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis.
Psal. 77. Et rursum, Quanta mandauit patribus nostris, nota ea facere filijs suis. Ad similes quoq; veterum traditiones
Deut. 32. Moyses ipse reuocat, vbi dicit, Interroga patres tuos, & dicent tibi: maiores tuos, & annunciabunt tibi. Quædã igitur non scripto, sed verbo tradere, non philosophorũ modò, verùm Moysis, imò Dei etiam consilium fuit. Huius ergo optimi consilij rationem Iesus Christus vitæ magister habuit, habuerunt Apostoli. Multa enim à domino illis tradita scribere noluerunt. Quibus verò rebus adducti idipsum fecerint, breuiter explicandum est. Cæsar de bello Gal. lib. 6. duabus de causis Druidas instituisse dicit, ne disciplinæ præcepta literis proderentur: quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos, qui discunt, literis confisos minus memoriæ studere. Quod ferè plerisque accidit, vt literarum præsidio diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittãt. Nimirum, vt Ioanni Pico in Apologia placet, prior illa causa Pythagoræ ac Platoni præcipua fuit, vt mysteria quædam oc culta verborum traditione discipulis commendarent. Nec enim aliter existimarunt Philosophi dignitatẽ se posse tueri. Aegyptios, Clemens Alexan. 5. stro. refert, non quibusliber mysteria commisisse, nec rerum diuinarum cognitionem ad prophanos deferre solitos, sed ad eos solos, qui erant ad regnum peruenturi: & ex sacerdotibus ijs, qui iudicati fuerint probatissimi & educatione & doctrina & genere. Extat Lysidis Pythagorei epistola, in qua Hipparchũ reprehendit, quòd publi-

publicè, contrà ac magister instituit, philosopharetur. Nec enim fas esse, ea omnibus porrigere, quæ paucis & ijs quidem disertis & laborantibus communicãda sunt. Qui autem Pythagoræ præcepta passim vulgo traderẽt, æquè eos impios haberi, vt qui prophanis hominibus Eleusinarum dearum arcana patefacerent. Eis etiam esse similes, qui in præaltum puteum cœno plenum aquam puram atque nitentem effuderint. Quos nihil aliud, quàm cœnum turbare & aquam amittere. Nec solùm à Lyside Hipparchus reprehensus est, sed accusatus à discipulis alijs, & expulsus è scola, & propter ipsum tãquam propter mortuum facta columna est: quemadmodum Clemens Alex. 5. strom. scripsit. Non licet, inquit, quoq; Pindarus, apud omnes veterẽ aperire oratiõem, Præterquam fidelissimis silentij vijs, Amat enim natura *Li. 7. histo. c. 2.* cælari, vt Porphyrius scripsit, nec diuina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas. Aurum & gemmas in altissimas terræ latebras natura condidit. Ita magno habẽtur in pretio, vilescerẽt, si essent expositа. Basi. in li. de Spiri. sanct. c. 29. & Origenes homi. 5. in Numer. ob id asserunt Moysen non esse passum, vt omnia, quę erant in templo, omnibus essent peruia, quòd sciret res vsu tritas expositas esse contemptui: quod verò sepositum est, & rarum, huic coniunctam esse summam admirationem & reuerentiam.

Plato scribẽs Dionysio de quibusdam sacris mysterijs monet, vt epistolam euestigiò concerpat, ne in manus indigni vulgi perueniat: Tantę fuit olim, vel ethnicis curęę, disciplinarum mysteria, & à contemptu, & à prophano abusu defendere. Id verò maximè, si ad res sacras mysterium pertineret. Tarquinius rex Marcum Tulliũ duũvirum, quòd librum secreta sacrorum continentẽ huius fidei custodiæque commissum, Petronio Sabino scribendum dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit. Quod supplicij genus multò pòst parricidis irrogatum est: Ac *Val. Maxi. de seru. relig. li. 1.* iustissimè id quidem, vt Valerius ait, quia pari vindicta parentum, ac Dei violatio expianda est. Quæ videlicet causa Apostolis fuit, vt secreto quædam ex animo in animum solo intercedente verbo transfunderent. Con-

sentaneum enim erat, mysteria quędam prędsertim sacra clam populo rudi habere, perfectis & maiorib. seorsum cōmunicanda. Non iudicaui, inquit, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Sapientiam autē loquimur inter perfectos. Et rursum, Formā, ait, habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi, & quę à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Quòd si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibúsue ritibus administranda, aliaq; id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quā aduersus Christi legē sanctum dare canibus, & inter porcos spargere margaritas? Imò verò quid esset aliud, quā omnia mysteria Christianæ religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Hęc itaq; prima ratio est, cur Apostoli quædam sine scripto traderent. Nempè ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum. Secunda est, quoniam habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat, quemadmodum Hieronymus ad Paulinum ait. Indignum ergo erat, vt tota Euangelij doctrina, quę lex est spiritus & vitæ, mortuis vbique literis committeretur, nec vlla ex parte committeretur cordibus, cùm de ea peculiariter scriptum esset: Dabo legem meam in viscеribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Seruorum & rudium est, omnia ex præscripto agere. Iudęorum ergo sit scripta hæc lex, qua vniuersa etiam minima præfiniantur. At filij perfecti iam viri & in libertatem gratiæ vocati, habeant legem insculptam in cordibus. Quamobrem, qui Euangelium omni ex parte in characteribus & membranis includunt, nihil illius verbo, nihil cordibus relinquentes: hi Euangelio multum adimunt & dignitatis: & virium. Papias apud Euseb. Si quando, ait, aduenisset aliquis ex ijs, qui secuti sunt Apostolos, ab ipsis sedulò expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus, vel Thomas, quid verò Iacobus, Ioannes, Matthæus. Nec enim tantum mihi librorum lectiones

2. ad Th. 1. & 2.

Vide Hier. ad Gala. 4. in illud: Vellē apud vos modò esse, et mutare vocē meam.

3. li. eccle. hist. c. 39.

nes prodesse credebam, quantum viuæ vocis præsentisque magisterium. Hactenus Papias. Vbi verò gentium est verbum, quod tantoperè Lutherani iactare solent? Nam scriptū verbum, si verè ac propriè loqui volumus, non est verbum. Apud nos autem, qui Christi & Apostolorum oracula vocesque tuemur, verbum Domini verè & propriè manet in æternum. Verbum, inquam, viuum, quod ex doctorum ore in discipulorum transfusum aures fortius resonet. Verba, inquit, mea, quę posui in ore tuo, num recedent de ore seminis tui amodò & vsq; in sempiternum. Adde, quod ad confutandos hęreticos maior vis in traditione, quàm in scriptura est: Egesippus apud Eusebium refert, virginem mundam & immaculatam ecclesiam permansisse, donec discipuli Domini extiterunt, corruptoribus veritatis, si qui fortè fuerunt, in occultis terræ hiatibus delitescentibus. Vt verò omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce discessit, tum hæreticos nudato, vt aiunt, capite Apostolicam veritatem oppugnasse. Et Ignatius apud eundem ea maximè ratione docet, hæreticorum vitari contagia, si diligentius ac tenacius Apostolorum traditionibus inhæreatur. Tertullianus quoq; adhuc apertius monet, vt aduersum hæreticos magis traditionibus, quā scripturis disseramus. Scripturę enim in varios sensus facile trahuntur, traditiones non item. Nemo hæreticorū est, vt Hilarius ad Constantinum Augustum tradit, qui se non secundum scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Omnes scripturas sine sensu loquuntur. Et Iren. 1. lib. 1. c. Hæretici, inquit, scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videātur. Sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis, aut vrsi, figurā reddunt. Hactenus ille. Faciūt porrò hæretici, quod patrem suum feciſſe vident, vt Vincentius Lirinensis eleganter ait, & auctoris sui callida machinamenta sectantur. Nam quid ille non faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum maiestatis scripturarum testimonijs appetiuit? Si filius, inquit, Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, &c. Ita, quodcunq; dogma hęreticus proferat, statim ait, Scriptum est enim: &

3. li. eccles. hist. c. 32.

Mōtanꝰ primus traditiōi cōtraria noua q̄dā ingeſiſſe dicitur

hist. eccl. li. 5 c. 16. 3. li. eccl. hist. c. 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non vnum, sed mille testimonia: mille exempla parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo more interpretatis, sententiam suam approbare conatur. Quorsum hæc tam longo sermone repetita? Nempè, vt intelligas non modò aduersum hæreticos plus habere traditionem, quàm scripturam virium, sed etiam omnem fermè cum hæreticis disputationem ad traditiones à maioribus acceptas esse referendam. Nam cùm vtrique & catholici, & hæretici pro sua sententia quisq; sacras literas referant, in sensu & interpretatione discrimen est. Quis autem verus ac legitimus scripturę sensus habendus sit, nisi ecclesiæ traditione cognosci certo nõ potest. Quemadmodum & paulò antè docuimus, & 7. libro sumus multis magnisque argumentis demonstraturi. Atque hinc patet causa grauissima, cur traditiones Apostolicæ fuerint necessariæ. Sensus enim scripturarũ Apostolicarum, non erat ab Apostolis scripturis alijs explicandus, nisi ipsi in opera sua ederent commentarios, quod à viris grauissimis semper alienum fuit. Intelligentiam ergo scripturæ sacræ discipulis suis viua voce tradiderunt: vt illud Deus omni tempore in suis ecclesijs impleret, Dabo legem meam in visceribus eorum. Lex siquidem Euangelica, vt Hierony. in commen. ad Galla. scripsit elegantissimè, non in scripturis est, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: nõ in verborum folijs, sed in radice rationis. Ex quo magis emergit, per huiusce modi traditiones, ecclesiasticos ordines suo quenque loco diutius contineri: dum & maiores, qui regni cælorum claues habent, sacrosancta scripturæ sacræ mysteria, quibus quoq; & tempore & loco dignum visum fuerit, aperiunt: & minores ab ecclesiæ magistris libri clausi sacramenta percipiunt. Alioqui nulli essent ecclesiæ doctores, sed quiuis, quamlibet plebeius & rudis, earum per se rerum sine præceptore quæreret intelligentiam, quas Apostolorum interpretatione & literis obuias expositasque haberet. Nunc autem traditiones Apostolicę non quibuslibet commendatæ sunt, sed iuxta Paulum sapientibus & prudentibus, fidelibus quoque ac religiosis depositi sacramenti custodibus, qui etiam idonei sint

C. 3. conclu. 5. & 6.

Ad Ga. 1.

1. quæ 1. Marcion.

2. Tim. 1. & 2.

sint, & alios docere. Qua de re Dionysius Timotheum diligentius admonet, ne sancta sanctorum efferat, ea passim rudibus exponens, sed sanctis solùm sacrarum rerum intelligentias secretius pandat. Ob hanc enim causam primos illos nostros duces necessariò summa & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis, institutionibus, iuxta quod sacræ definiunt leges, tradidisse. Quid? quòd, vt Cic ait, suauius mores in rep. traditione seruntur? Ne si scripto sanciantur omnia, & molesta illa fiant, & legum, ac doctrinæ codex sua mola & magnitudine terreat. Quid? quòd hac via, vel maximè ecclesiæ commendatur auctoritas: quam vt sponsæ charissimæ, Christus tantoperè commendauit. Cùm enim sponsi sui non verba modò, sed sensum etiã in corde seruat: verè, quod Apostolus dixit, columna est & firmamentum veritatis. Et æquum erat, vt aliquis quasi lydius lapis in manu ecclesiæ relinqueretur, quo falsas verasque doctrinas exploraret: verumque item scripturę sensum à falso discerneret. Sed de causis hactenus. Nunc fundamentum illud confirmandum est, ostendendumque Apostolos Euangelij doctrinam partim scripto, partim etiam verbo tradidisse. Cuius rei primum testes sunt Dionys. lib. de eccle. Hierar. c. 1. Clemens Alex. in lib. de Pascha. apud Euse. lib. 6. eccle. hist. c. 11. Et in libris stro. 1. & 5. Origenes hom. 5. in Nume. Papias apud Euse. lib. 3. eccle. hist. ca. 39. Egesipp. eod Euseb. auctore li. 4. eccles. histo. c. 8. Ignatius eodem Euseb. referente, li. 3. c. 36. Irenæ. li. 3. c. 3. & 4. Quem etiam Euseb. retulit lib. 4. eccles. hist. c. 14. & lib. 5. ca. 6. & 20. Tertullianus in li. de corona militis, Cyprianus de ablutione pedum, Epiphanius de hæresibus cùm alias sæpè, tum ibi maximè, vbi Arianorum & Apostolorum dogmata coarguit, Hieronymus aduersum Luciferianos. Augustinus li. 2. de Baptis. contra Donatist. cap. 7. & lib. 4. cap. 24. & lib. 5. cap. 23. & 26. Damascenus li. 4. c. 13. & 17. Basi. li. de Spir. san. c. 27. & 29. Refert autem ex his vnum & item alterũ Gratia. 11. dist. c. ecclesiasticarum, & 12. distin. c. illa autem. Potest igitur quicquã verũ esse, quod sit huic taliũ virorũ choro cõtrariũ? Sed si tanta nubes testiũ hæreticorũ corda non mo-

De cæle. Hier. c. 1.

Iustinus martyr, q. 118. à gentibus posita.

Hære. 79. & 41.

uet, vel diuinis testimonijs moueantur. Quanquam, quod vno eodemque consensu tot tantique viri testati
2.Thessa.2. sunt, id non humanum, sed diuinum est. At supperunt etiam scripturæ diuinæ præclara testimonia. State, inquit Paulus, & tenete traditiones, quas accepistis siue
1.Cor.11. per epistolas, siue per sermonem. Et rursum, Laudo autem vos fratres, quòd, sicut tradidi vobis, præcepta mea
2.Tim. 1. tenetis. Et eodem cap. postea, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et paulò pòst, Cætera, cùm venero, disponam. Atque ad Timotheum, Formam habe sanorum verborum, ait, quæ à me audisti, bonum de-
2.Tim.2. positum custodi. Et deinceps: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Ac Ioannes in epistola 2. Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui. Quid multa? Duas Petri epistolas habemus, & credimus mutum annis 7. Antiochiæ sedisse, elinguem Romę annis 25. Num nihil aliud verbo docuit, quàm quod epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus, nónne sine scriptura solo intercurrente verbo ecclesias sibi destinatas & fundârunt in fide, & in religione continuerũt? Consentiamus igitur, quod negari non'potest, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.

CAPVT. IIII.

Vbi sternuntur viæ ad traditiones Christi & Apostolorum inuestigandas.

HIS igitur cognitis, restat illud explicandum, vbi totius orationis cardo versatur, quonam modo Theologo constare possit, hocaut illud dogma ab Apostolis esse traditum. Verbi causa ponamus aliqua, quæ pateant latius. Si in quæstionem veniat, Nũ minores ordines, Ieiunium quadragesimæ, Baptisma paruulorum, Imaginum veneratiõem, Symbolum fidei, ex traditione Apostolorũ habeamus: id nunc explicandum

dum esse dicimus, án ne sit via aliqua plana & expedita, qua ad certã earum rerum intelligentiam valeat peruenìri. Nõ enim sumus ij, qui Pharisæorum instar traditiones nostras velimus quasi diuinas & Apostolicas venditare, sed vbiq; gentiũ cupimus, vt vera à falsis, ita ab humanis diuina secernere. Eo verò in loco maximè, vbi de dogmatis fidei catholicę agitur. Quo in loco quidem rerũ illiusmòdi permixta confusio perniciosissima est. Sunt igitur vię quatuor apertæ, quas si sequemur, traditionibus Apostolorum vestigandis minimè aberrabimus.

Prima via ab Augustino aperitur cùm alijs locis, tum lib.4.cont.Donatist.in hæc verba: Quod vniuersa tenet *Cap.24.* ecclesia, nec concilijs institutũ, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Est autem ratio huius in promptu. Si enim consuetudinis cuiusquam diu in tota ecclesia obseruatę originem & principiũ, nec ad Summos Pontifices, nec ad cõcilia episcoporum referre possumus: sed ea consuetudo ad Apostolorum vsque tempora retro trahitur, conficitur planè illam ab Apostolis esse profectam. Vt si in dubiũ vocetur, An minores ordines, subdiaconatus, lectoratus, & ceteri, ex Apostolorũ traditione in ecclesia sint, hunc in modum perueſtigabitur. Si horum ordinũ initium, vel à Damaso sit, vel à Symmacho, vel ab vllo alio seu Põtifice, seu concilio, certè Apostolorũ traditio non fuit: Sin ante quemcunque Pontificem, ante quodcunq; etiam cõcilium, mentio huius rei apud priores habetur, donec ad Apostolorũ tempora peruentum est: tunc demum intelligimus, minores ordines ex apostolica traditione fuisse, vt & re vera fuerunt. Quoniã non posteriores modò, sed Ignatius epistola 8. ad Antiochenos, Dionysius 3. cap. Eccles. hierar. Clemens in epistola ad vniuersos, Anacletus in decretis suis, eius rei tanquam in ecclesia iam acceptæ meminerunt. Eadẽ quoque ratione docebis, Ieiunij legem traditionis Apostolicæ fuisse. Cuius videlicet mentionẽ fecisse constat August. ad Casulanum epist. 86. & ad Ianuarium epist. 118. & 119. Hieron. ad Lætam de institutione filię, & li. 2. aduers. Iouinia. & in Esaiam, ca. 58. Ambros. sermone 25. & 38. Chrys. ad

ad pop. Ant. homi. 3. & 16. Basilium cùm in alijs concionibus, tum in eius initio, quam in ebriosos habuit, & in posteriore de ieiunio, Concil. Nicæn. refertur q; 18. dist. cap. Habeatur, Cõcil. Laodic. multis capitibus, Sozomenum hist. trip. li. 1. c. 10. Origenem hom. 10. in Leuit. Irenæũ apud Eus. eccl. hist. lib. 5. c. 24. Telesphorum in epi. ad vniuersos, qui ieiunij nostri auctor falso à quibusdã existimatur. Quoniam in epi. 4 ad Philipp. eius rei prior meminit: atque habemus etiam Canonem Aposto. 68. probatum etiam à Trullan. Synod. Canone 9. & Canone 20. Quamobrem verè ac iure Theophilus Alex. libro Paschali primo & tertio, non solùm legẽ ieiunij à maioribus traditam esse præscribit, sed affirmat fuisse euangelicam traditionem. Et Epiphanius hæresi 80. vbi doctrinam ecclesiæ docet & fidem, quæ traditione ecclesiastica seruatur, cũ meminit ieiunij quadragesimę, tũ dixit apertè Apostolos tradidisse ieiunia 4. & 6. feriæ. Atque Leo Papa in concione de Pentec. cuius initium, Plenissimè, ieiunium quatuor temporum Trinitatis ab Apostolis dicit esse institutum. Hiero. autem ad Marcellam aduersus Montanum non obscurè tradit, quadragesimam nos secundum traditionem Apostolorum ieiunare. Quod verò in hoc exemplo fecimus, id facere per multa possumus: & hac eadem ratione paruulorum baptisma, cõsecrationem virginum, Monasticam professionem, lucernas in templis, cæreos q; lucentes, imaginum venerationẽ, & alia id genus, ab Apostolis tradita cõprobare. Sanè quod in morib. diximus, idem in fidei dogmata seruandũ est, si vnumquodlibet nouũ esse hæretici calumniantur. Cuius rei illustre exemplũ habes apud Eus. lib. eccle. hist. 5. ca. vlt. Sed nos pergamus ad reliqua.

Vide Eus. de temporibus

Fortè ant e hæc tempora ieiuniũ more ab Apostolis accepto seruatum est: à Telesphoro aũt primùm lege præscriptũ ac præceptũ est.

Secunda itaq; via huic proxima, & ea quidẽ expeditior, est: Si quod fidei dogma patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissimè tenuerunt, huiusq; contrarium vt hæreticum refutarunt, & tamen è sacris literis non habetur, id nimirum per apostolicam traditionem habet ecclesia. Exempla sint, Perpetua beatæ Mariæ virginitas, Descensus Christi ad inferos, vt animam Adę & reliquorum patrum, qui ibi tenebantur,

bantur, erueret, Certus euangeliorum numerus, & cætera id genus, quæ, ne longum faciam, non sunt annumeranda. Omnia siquidem fidei dogmata ab apostolis accepit ecclesia, vel scripto, vel verbo. Quoniam ij ministri fuere sermonis, nec vllas in fide nouas reuelationes ecclesia habet: sed eas seruat, quas Apostoli per Spiritũ sanctum fideli populo reliquerunt, quẽadmodum postea sumus demonstraturi.

Tertia via, si quicquam est nunc in ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessariò deriuatum est. Vt vota dissoluere, & remittere iuramenta, non erat humanę potestatis: tũ quia iure naturę vota nũcupata Deo reddere, & iuramẽta seruare tenemur: humana verò facultas ea, quæ iure naturę debita & cõstituta sunt, condonare ac tollere nõ potest: vt Gratia. 15. distinctio. statim à principio docet: tum etiam, quia in his, quæ superiori ex conuentione debentur, inferioris potestas nulla est. Eademque est ratio de matrimonij rati direptione per monasticum solenne votum. Cũ enim matrimonium etiam non consummatum ante Euãgelicam legem iure esset naturę indissolubile, nec esset in Repu. humana facultas vlla eiusmodi matrimonij dirimendi, consequens fit, hunc ecclesię morem ex Christi & Apostolorum instituto descendisse. Nec enim credi potest, ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter vsurpâsse in his, quę ad ius naturæ pertinerent; nisi quam Christo & Apostolis tradentibus accepisset. Iam enim hic error esset grauis in moribus, in quibus ecclesiam errare non posse, suo loco ostendemus. Nec me clam est, quòd Alexand. 3. aliter in postremo illo exemplo docere videatur. Cùm enim illi esset obiectum, non posse per solenne religionis votum matrimoniũ dirimi, quoniam scriptum esset, Quod Deus coniũxit, homo nõ separet: respondit, hoc scripturæ testimonium de matrimonio consummato esse interpretandũ. Quo videlicet responso significauit, matrimonium ratum, si consummatũ non esset. licere humanitus separari. Verùm vt omittam, quòd verba illa Adæ,

De con. cõ. ca ex publico.

Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. è quibus dominus colligit, quod cõiunxisset Deus, id hominem separare nec debere, nec verò posse: eo tempore fuisse in paradiso dicta, quo nondum erat matrimoniũ consummatũ: vtq; illud etiam præteream, quòd matrimonij ipse contractus adeo natura sua firmus ac perpetuus est, vt ne voluntate quidem contrahentium dissolui possit, quæ tamen hominum conuentionibus dirimendis, valere solet plurimum: Certè Theologis grauissimis semper absurdum visum est, matrimonium vllũ per hominem separari. Quantò grauiùs Innocentius tertius, alio rsum quidem, sed ad hunc etiã locum appositè dixit, non hominẽ, sed Deum id soluere, quod Summus Põtifex non humana, sed diuina auctoritate dissolueret. Nimirum quod Dominus Petro dixit, Quodcunq; solueris super terram, &c. quousq;, & quatenus, vel amplificandum esset, vel etiam cõstringendum, id ab Apostolis ecclesiam accepisse consentaneum est. Qui ejusmodi res ad ecclesię gubernationẽ necessarias sine dubio tradidêre. Atque tradunt nonnulli, Ioannem Euãgelistam iubente Christo ab sponsa sua Euãgelij gratia fuisse seiunctum. Hieronymus certè 1. aduersus Iouinia. lib. Ioannem affirmat & virginem fuisse, & maritum. Teclam quoq; Epiphanius hære. 78. tradit à Paulo nuptijs exsolutam, cum sponsum haberet primarium vrbis formosissimum: & virginem sanctam contempsisse terrena, vt cælestium potens efficeretur. Sed contra Alexandrum dicimus. Nam hoc fortè dicet aliquis. Minimè verò gentium. Nec enim statim Pontifici contrarius est, qui argumento, quo catholici vrgentur, aliam responsionẽ parat. De tertia igitur via dictum est satis.

De transla ti. epis. ca. quanto.

Proœmium in Ioan. Euangeliũ, quod Hieronymo nõnulli tribuunt.

Quarta via, eademq; & mollior, & tritior, est huiusmodi: Si viri ecclesiastici aliquod dogma, vel vnamquãlibet consuetudinem vno ore testentur nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, vt ita esse credamus. Vt imagines ab Apostolis esse traditas, patres in 7. Synodo generali, actione 6. dixerunt. Et symbolum fidei, quo vulgus fidem suam profitetur, ecclesiã Apostolis tradentibus habuisse, auctores sunt Rufinus in

in expositione symboli, Hieronymus ad Pammachium de erroribus Ioan. Hieroso. Ambrosius in sermone 38. de ieiunijs & quadragesima, Cassianus libro sexto ad Leonem Imperatorem, Isidorus lib. 6. Etymolo. cap. 18. Leo papa in epistola octaua & tertiadecima ad Augustã, Clemens in epistola prima ad Iacobum, si Clemens tamen illius epistolæ auctor est. Sed de his hactenus. Nam plura exempla ponere longum esset, nec ad rem, quam instituimus, necessarium. Satis autem fuerit, quatuor vias demonstrasse, quibus traditionem aliquam esse Apostolicam inuestigetur.

CAPVT V.

De varijs generibus traditionum Apostolicarum.

AT verò, priusquam huius loci auctoritatem cõfirmo, illud animaduertẽdum cẽseo, præcepta & instituta Apostolorũ esse in duplici differentia. Quædam enim temporaria fuêre, quorum ratio breuis & ad tempus fuit: Alia fuêre perpetua, vtpotè quæ causam habuêre sempiternam, vt in ecclesia seruarentur. Illius generis exempla sunt, de baptismo in nomine Iesu, de abstinentia à sanguine & suffocato: huius autem posterioris exemplum est, de aqua permiscenda calici. Atque etiam alia diuisio est Apostolicæ traditionis. Nam alteras Apostoli à Christo domino acceperunt, vt matrimonium, cõfirmationem, extremam vnctionem, esse sacramenta nouæ legis, quæ ipse quidẽ instituit Christus, suorum sacramentorum primus idemque solus auctor, sed Apostolis tradidit, Christiano populo administranda. Alteras verò traditiones Apostoli ipsi, Spiritu sancto suggerente ad Ecclesiæ vtilitatem ediderunt. Quas tamen eis Christus dominus, dum in terra degeret, nusquã edidit. Vt quadragesimę ieiunium, quod licet Hieronymus in secundum Ionæ cap. Ambros. concilio 36. Chrys. homi. 1. in Gene. ad Christum auctorem referre videatur, at re vera, vt equidem sentio, Apostolicum institutum fuit. Quod Christo tamen assignatur, vel quia ad Christi ieiunantis exemplum ab Apostolis institutum est, vel quia Apostolica edicta Christi esse censentur: qui per

Apo-

Universidad de Deusto Biblioteca

Apostolos ecclesię loquebatur, atque adeò per Spiritum sanctum Apostolis: iuxta illud, quod Ioannis 16. ca. scriptum est, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quęcunque audiet, loquetur, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Et Apostolus cum quoddam de suo consilium dedisset, Puto autem, ait, quòd & ego spiritum Dei habeam. Et rursum, An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? In his autem traditionum generibus illa eadem considerãda sunt quidem, quæ in superiore libro de scripturę etiã legibus admonuimus: sed discrimẽ illud maximè, quod de scripturarum præceptis ibi positum, transferri huc ad traditiones debet. Ex traditionum quippè vinculo, quas à Christo acceptas Apostoli fidelibus seruandas reliquêre, ecclesia fideles eximere non potest, nec illas cõtraria aliqua cõsuetudine abolere. Si enim, exempli causa, materias & formas sacramẽtorum confirmationis, ordinis, extremæ vnctionis, à Christo Apostoli, nos ab Apostolis accepimus: si ad eundem quoq; modum matrimonia non consummata, per solennem castitatis professionem dirimi, cõsummata verò p conuersionẽ ad fidem coniuge infideli discedente, Christus Dominus Apostolis, illi nobis edixerunt, in his tanquam in diuinis institutis ecclesia nihil habet potestatis. In quẽ sensum explicanda sunt duo illa capita, Sunt quidam, &, Contra statuta, 25. q. 1. Nec huiusmodi traditiones possunt per contrariam consuetudinem antiquari: sed tali aduersæ consuetudini iure obijciuntur, cap. Veritate, & cap. Si consuetudinem, & cap. Frustra, 8. distinctione. In alijs verò, quæ videlicet Apostoli constituerunt tanquam ecclesiæ pastores, poterit quidem summus pontifex, vt in cęteris ecclesiæ legibus dispensare, sic enim schola loquitur, poteritque item contrarius populi mos instituta huius generis abrogare. Vt trina immersio, quam ex Apostolica traditione in baptismi sacramento ecclesiam habuisse, Canon Apostolorum 49. ostendit, per contrariam consuetudinem abolita est. Eiusdem quoque ordinis

1. Cor. 7. 2. Cor. 13. Cap. 18. in respon. ad 4. ar.

De cõ. d. 4. cap. Si quis presbyter.

his est quadragesimæ ieiunium, ac pœnę rursum ab Apostolis pro criminibus præfinitæ, quæ 82. distinction. capit. Presbyter, ex Concilio Gangrensi referuntur. Ad hoc genus illud refertur, quod ex Anacleti prima epistola hæretici vrgere solent, Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus, sic enim Apostoli statuerunt. Quanquam de ministris, qui Episcopo sacrificanti in diebus solennioribus inseruiebant, Anacletus loquitur. Quare inde colligi non potest, omnes eos, qui missæ intererant, oportere etiam tunc communionem Eucharistiæ sumere, in his præsertim diebus, qui solenniores non essent. Sed vt antiquo more Apostolorumque instituto, communio totius etiam populi à principio statim nascentis ecclesiæ exigeretur, ætate tamen Chrysostomi præceptũ relaxatum esse constat, & communionem astantium voluntati permissam, ad quam eos diaconus alta voce inuitabat, non cogebat. Hæc enim, & alia huiusmodi, tametsi ab Apostolis tradita sunt, nõ suat tamen ita fixa, vt mouueri non queant. Cùm Christi ipsius præcepta & instituta, quemadmodum diximus, adeò stabilia rataque sint, vt conuelli nullius hominis auctoritate liceat. Cuius ratio loco superiore reddita, frustra hîc à nobis resumeretur. Atque illud de institutis ad gubernationem populi pertinentibus intelligi volo. Nam dogmata fidei siue Christus ipse per se Apostolis reuelarit, seu Spiritus sanctus post Christi ascensionem in cælum, mutari nõ possunt: sed firma hęc in veritate manent perinde atq; illa, quæ Christi sunt ore prodita.

CAP. VI.

De firmitate & certitudine traditionum Apostolicarum.

QVibus rebus expositis, non erit difficile ostendere, id quod in hac parte maximè quæritur ex Christi & Apostolorum traditionibus certissima posse argumenta elici, & ad ecclesiæ consuetudines, & ad fidei dogmata comprobanda. Si enim Apostolus Paulus ecclesiæ consuetudinem Corinthijs contentiosis opponit, cur nos itidem ecclesiæ morem ab Apostolis vsque receptum, totque seculorum vsu ac gentium consensione pro-

1. Cor. 11.

ne probatum, non opponemus hæreticis, cum à nobis scripturam in cuiusque rei confirmationem efflagitant? Certè Paulus, cùm & per scripturas, & per naturæ rationem satis dixisse videretur ad eius rei fidem faciendam, quam Corinthijs persuasam esse cupiebat, considerans tamen inter Corinthios fore quosdã, qui illiusmodi sorte & testimonijs & rationibus repugnarent: non aliud potius argumentum ad causam euincendã habuit, quàm si eos ad ecclesiæ morem reuocaret. *Si* quis, ait, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec ecclesię Dei. Quod dicit, tale est. Si quis adeò est durus & pertinax, vt argumentis positis non adducatur, sed adhuc contendat, fœminam aperto capite orare oportere: hunc ego non aliter refello, quàm quòd ecclesię Dei talem consuetudinẽ non habent. Tanta vis in traditiõe est, vt quos nec scripturę nec naturę ratio mouisset, eos Paulus existimârit, ecclesiarum more & instituto, refellendos. *Cap.6.* In priore rursum ad Timotheum epistola, *Si* quis, ait, aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus. *Cap.1.* Non dicit, Scripturis. Et ad Gala. *Si* quis, inquit, vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis; anathema sit. Quibus ex locis rectè Origenes in commentarijs epistolæ ad Titum definit hæreticum, eum, qui se Christo credere profitetur, & aliud de veritate fidei Christianę credit, quam habeat traditio ecclesiastica. Et lib.1.periar. Sicut multis, inquit, apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud omes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postquam credidimus filiũ Dei esse Christum, & ab ipso hãc discendam esse persuasi sumus: ita cùm multi sint, qui se putant scire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesijs permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. Hactenus Origen. Ignatius quoque in epistola ad Heronem, Omnis, ait, qui dixerit præter ea, quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat,

Hic comm. caremus, sed refertur locus in Apologia Pãphili.

faciat, tametsi Prophetet, lupus tibi appareat. Si igitur anathema, hæreticus, & lupus habendus est, qui ecclesiasticæ traditioni repugnat, ex illa profectò certissima argumentatio promitur, ad fidei dogmata & ecclesiæ mores comprobandum. Præterea auctores grauissimi apertè confirmant huiusmodi instituta etiam sine literis accepta eandem vim habere, ac si scripta ab Apostolis fuissent, Irenæus lib.3. aduersum hæreses, cap.4. & lib. 4. cap.43. Tertullianus item, quãuis ipse postea ab ecclesiæ traditione discesserit, in lib. tamen de corona militis eandem sententiam habet. Cuius verba libet in præsentia referre: nec enim solum quid sentiat, tradit, sed cur etiam sentiat. Antiquas, inquit, obseruationes ecclesiæ, si nulla scripta determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Et statim cùm quarundam traditionum meminisset, quarum in scripturis mentio nulla est. Istruã, ait, & aliarum disciplinarum si expostulas legem, nulla tibi legis traditio prætendetur. Auctrix est consuetudo, confirmatrix est, & fidei obseruatrix, idonea est testis traditionis veteris. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur: nec differt, scripturâ an ratione consistat. Hactenus Tertullianus. Ac præclarè ille quidem. Quoniam si legem ratio commendat: mos, qui ratione constet, non minus, quam lex habet commendari. Dist. 1. cap. consuetudo. Basilius insuper, in libro de Spiritu sancto, cap.27. ac magno quidem argumento eandem rem confirmat, inquiens, Dogmata, quæ in ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio occulto recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem. Nec in his quisquam contradicit, qui sanè, vel tenuiter expertus est. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam non multum habentes momenti, conemur reijcere, & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potius ipsam fidei prædicationẽ ad nudum nomen contrahemus. Hactenus Basilius. Cuius ratio, si auctoritas negligitur, certissimã rei huius faciet fidẽ. Cùm enim

enim scripturas ipsas ecclesiæ auctoritate recipiamus nec certiore argumento Euangelium Matthæi nomine inscriptum ipsius verè esse probemus, quàm quòd sicà patribus accepimus, simili profectò ratione ex reliquis institutis, quæ videlicet ab Apostolis retinemus, firma argumenta deriuabimus. Quòd si quis nouum librum sacrum ingerat, quem patres nostri minimè receperunt vt Basilides, qui prophetas sibi nuncupauit atq; constituit, is non alio certiore argumento refelli potest, quàm traditione maiorum: vt secundo iam libro latiùs explicatum est. Sic quippe apud Euseb. lib. 6. cap. 10, Euangelium nomine Petri ab hæreticis prolatum, Serapion grauissime exclusit. Atque, vt Basilius idem argumentatur, etiam in reip. iudicijs, vbi scripturæ deest instrumẽtum, testibus habetur fides. Et sicut in rebus humanis oculatos testes, ita in fide auritos accipimus, quia fides ex auditu est. Esset autem ridicula respublica, quę in iudicis scripto omnia, nihil sine scripto probaret. Scripturas enim propter litigiosos facimus. Alioqui boni viri solo verbo in veritate & officio continentur. Præterea, multa ad Christianos mores & doctrinam pertinẽt, quæ è sacris literis non habẽtur, vt antè nobis constitutum est, stultum ergo fuerit in omnibus scripturam postulare. Traditione itaq; opus aliquando est ad fidei dogmata comprobanda. Rursus, cùm traditiones non scriptas, Polycarpus, Tertullianus, Irenæus, Marcioni ac Valentino: Epiphanius Melchisedechianis, Apostolicis, Aerianis: Hieronymus Vigilantio, Augustinus Donatistis: denique (vt in summa dicam) omnes sancti aduersarijs Catholicę fidei fidenter obiecerint, earumque vi, perinde ac si fuissent scriptæ, hæreses sui quisque temporis deturbauerint: certè non minori efficacia per huiusmodi traditiones nos hæreticorum, qui aut nunc sunt, aut etiam sunt futuri, quæcunque dogmata refellere ac deturbare poterimus. Absurdissimũ quippe fuerit, vt Hieronymus aduersus Vigilantium colligit, vnũ Lutherum aut Oecolampadium in ecclesiæ angulo obloquentem audire, vniuersos autem maiores nostros vsque ab Apostolis contemnere. Quorum traditiones si ne-

Euseb. 4. lib. eccle. hist. c. 8. Cap. 7.

si negligamus, difficile dictu est, quantum religio detrimenti sit latura, quemadmodum distin. 11. cap. Ecclesiasticarum, dicitur. Qualis enim rerum omnium facies erit, qualis præsertim erga Deum pietas, cultus, cæremoniæ, non in ecclesia dico, cuius & mysteria, & sacramenta maxima ex parte constant, sed in vna qualibet republica, vel mediocriter instituta, si mores illi, qui à principio statim cum rep. adoleuerunt, contemnantur, labefactentur, euertantur. Longiores hoc loco sumus, quàm necesse est. Quis enim est, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à quibusdam commemorantur? Commemoratur ab his Augustinus in epistola ad Ianuarium, & in altera quoque ad Casulanum, in quibus scripsit insolentissimæ insaniæ esse disputare, an eiusmodi consuetudines seruandæ sint: nec minus esse eos coercendos, qui has contempserint, quamuis humanæ aliquę illarũ sint, quàm si diuinas leges præuaricarentur. Commemorare & alios auctores possumus, sed vtemur in re nõ dubia testibus non necessarijs. Paulus enim vnus abundè rei huius facit fidem in 2. ad Thess. epistola, c. 2. inquiẽs: Tenete traditiones, quas accepistis siue per epistolam, siue per sermonem. Parem ergo vim habent Apostolica dogmata, pariterque retinenda sunt, siue scripto, seu verbo ad ecclesiam peruenerint, vt D. Basilius in lib. de Spirit. sancto cap. 29. ex hoc ipso apostoli testimonio argumentatur. Quin Apostolus ipse ad Hebræos, & ex scripturis, & ex traditione argumentatus est, quemadmodum Chryso. homil. 18. in epist. ad Hebræos admonuit. Ex quibus omnibus multisq; alijs perspicuum est, qui traditiones contempserint, eos tanquam hæreticos iure ac merito ab ecclesia fuisse semper explosos. Ita enim hæretici illi sunt habiti, qui solennia quadragesimę ieiunia ab Apostolis accepta pro nihilo habuêre, vt apud Augustinum de hære. c. 53. & apud Conci. Gangren. in epist. ad episcopos Armenię videre licet. Ita qui distinctionem episcopi & presbyteri negarunt, etiam hi hæreticos sunt damnati: vt apud Augusti. eodem lib. & cap. & apud Epiphan. lib. 3. cap. 75. & apud concil. Constantiẽse reperies. Ita breuiter, siue Vuicleffistas, siue Lutheranos,

Dist. 11. c. in his rebus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ranos, siue alias quascunque antiquiores pestes non minus exhorruit ecclesia in eo, quod huiusmodi traditiones inficiati sunt, quàm in eo, quòd scripta dogmata reiecerunt. Inde adeò venit, vt septima Synodus generalis act. 7. doctrinam nostræ orationi maximè consentaneam ediderit in hæc verba: Fatemur nos ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio. Catholicæ igitur ecclesiæ traditionem obseruantes, definimus sanctas imagines venerandas. Qui ergo aussi fuerint aliud sentire, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contaminare, si episcopi fuerint, deponuntur: si laici, communione priuantur. Et in fine eiusdem sessi. Si quis, aiunt patres, traditiones ecclesiæ siue scripto, seu consuetudine valentes non curauerit: anathema. Et concil. Trident. sessio. 4. idem definit his verbis: Sacrosancta Trident. Synodus prospiciens veritatem Euangelij salutarem, & morum doctrinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus ipsius Christi, quæ ab Apostolis acceptę, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt: traditiones ipsas tũ ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel ab spiritu sancto dictatas, & cõtinua successione in ecclesia catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia cum libris sacris, suscipit ac veneratur. Et posterius: Si quis autem traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit. Ne plura. Referri enim decet ad ea, quæ capite 3. posui fundamẽta, ex quibus, vt nihil aliud adijceremus, id ipsum, quod hoc nunc capite persequimur, satis exploratum esset. Verùm vt singula persequi, est operis infiniti: ita quædam explicare fusiꝰ, est necessarium. Nec tamẽ quæ huic loco explicando dedimus, nimis multa videri debent. Quò enim huic loco vis ab hæreticis maior infertur, eò nobis magis elaborandum erat, vt is, quam diligentissime & explicaretur & muniretur. Atque quemadmodum supra diximus, ex decem partibus, in quas loci Theologici naturam vimque diuisimus: secunda hæc, quę

quæ in traditione consistit, maximè Theologiam & fidem attingit. Et res tanta paucis absoluenda non erat. Sed iam argumenta ea tandem diluamus, quæ capite primo aduersum traditiones opposuimus.

CAPVT POSTREMVM.

In quo referuntur argumenta Cap. primi.

Ad primũ.

ILLVD verò argumentum, quod est à principio positum, non est difficile refutare. Ridiculum est enim credere, Apostolicas traditiones non eadem fide ac diligentia posse in fidelium cordibus asseruari, ac si in papyro scriberentur. Nam nec scriptura Spiritus Dei viui facilius quàm atramenti deletur, & sunt pleræque traditiones, quas more & vsu facillimè videas retineri. Quòd si Christi prouidentia ecclesiæ Christianæ deest, tum verò nec traditiones asseruatas ego defendo, nec certam scripturæ auctoritatem. Vtraque enim iuxta res sine Dei procuratione non constat. Quam si rollas, neque traditio, nec scriptura vindicatur. Sed si Christo curæ ecclesia sua est, iam non erit ambiguum, quin quemadmodum Euangelium illa in sensu potius, quàm in litera custodit, ita & cæteras custodiat traditiones, quas ei Apostoli tantoperè commendârunt. O Timothee, inquit Paulus, depositum custodi, deuitans prophanas vocum * nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Quem locum miror à Caietano de gregis commissi depositio, non de commissa doctrina esse intellectum: præsertim cùm alterum simillimum in posteriore ad Timotheum epistola non de grege, sed de doctrina interpretetur. Debuerat autem Caietanus admonere Paulum de verbo Dei fuisse locutum ex ijs, quæ euestigiò subdidit, Deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Vtraque enim harum traditioni Apostolicę aduersa est, & vocum prophana nouitas, & falsi nominis scientia. Traditio quippe vetustate commendatur: & si quid audieris in ecclesia noui, tum verò id scias esse, vt antiquitati, ita quo-

1. ad Ti. 6. κενοφωνίας, nonnulli legit interpretes, quẽ admodũ et Amb. & Chrys. legisse videtur. Certè Latina ecclesia, Nouitates legit: nõ Inanitates. Sic etiam Basi. vbiq; legit, vt aut flor ẽ The. 2. Tim. 2. in illud, Prophana aũt et vaniloquia deuita, et in hũc locum 1. Tim. 6.

quoque Apostolicæ fidei contrarium. Cùm autem legis, voces esse vitandas, non tibi vocum sonus veniat in mentem, sed vocum significatus. Dogmata enim sententiasq; nouitias vitare iubet Apostolus, nō verborum sonitus inanes aut nouos. Tametsi nouitia quoque verba, quoad licebit, vitare in fidei morumque disciplina debemus. Scientiam verò falsi nominis, vel Sophisticen, vel artem Cabalisticam intellige. Nam traditionibus Apostolicis occultæ illæ Cabalistarum traditiones non aliter opponuntur, ac fabulosa veris, sacris superstitiosa. Quanquam aduersus Gnosticos Apostolus differens, vt vere Theophylactus affirmat, falsam illorum scientiam traducit, quam tamen illi rudi plebi magno pretio vendebant. Quòd si nihil est tam contra tradita ab Apostolis antiqua dogmata, quàm opiniones in ecclesia tum nouæ tum prophanæ, vetera enim eademque sacra mysteria fides Apostolica probat, aspernaturq; contraria, nihilq; tam est secundum Apostolos, quàm non recedere ab his; quæ olim accepimus, nimirum de verbi, nō de gregis depositō Apostolus loquitur. Itemq; si falsi nominis scientia, vel Sophisticè intelligitur, vt quibusdam placet, vel Cabalistica, vt etiam Caietano est visum, vel illa Gnosticorum, vt Theophylacto, mihique etiam probatū est, necesse est, cùm veræ falsa scientia aduersetur, contrarium eundem esse sermonem. Quæ quanquam ita sunt in promptu, vt res confirmatione non egeat, sunt tamē nobis Vincentij Lirinen. viri grauissimi auctoritate cōfirmanda. Depositum, inquit, id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentū: quod accepisti, nō quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinę: nō priuatę vsurpationis, sed traditionis publicæ: rem ad te perductam, nō à te perlatam: in qua non auctor esse debes, sed custos: non instituror, sed sectator: non ducens, sed sequēs. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subijcias. Custodi propter inimicos, propter fures. Custodi etiam diligēter, sedulò, fideliter, vt suo tempore, cum oportuerit, quibusq; oportuerit, reddas. Deuitans prophanas vocum nouitates, id est, sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contrarię. Nulla quippe hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore remersit. Nec quisquam hæresim instituit, nisi qui sē prius ab ecclesiæ catholicæ & antiquitatis consensione discreuerit. Hoc ergo apud omnes hæreses legitimum fuit atque solenne, vt prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant. Contrà verò, Catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum Patrum & cōmissa seruare, damnareque prophanas nouitates. Ita enim in concilio Ephesino omniū patrum vna fuit vox, vt, quod erat antiquitus traditum, teneretur: quod adinuentum nuper, exploderetur. Hactenus Vincentius. Huius verò Apostoli testimonij tanta vis aduersum Hæreticos fuit, vt Clemens Alexan. 2. strom. lib. scribat, Hæreticos, quoniam eo testimonio euincebantur, epistolas Pauli ad Timoth. explosisse. Vt eò igitur, vnde digressa est, se referat oratio, non fuerunt maiores nostri in re tam necessaria negligentes, sed quod Apostolus Timotheo, & in illo magna cura commisit omnibus: sed magna etiam illi cura seruarunt. Itaque in primo illo argumento Lutherani haud secus ratiocinantur, ac si non diuinitus res ecclesiasticæ gererentur. Quod si ita pergunt, pari ratione suadebunt, nec canonicos libros quidem eosdem mansuros semper, sed, si placet, etiam perituros. Nam quot libri tineas pascunt blattasq; diserti? Quot auctorū monumenta hominum incuria interciderunt? Nimirum enim Pythagoras quoque ipse, vt Lysias Pythagoricus ad Hipparchum scribit, cōmentariolos quosdā Damæ filiæ testamento reliquit: qui tamen, ac multò etiam magis, quā traditiones, interiere. Quæ cùm ita sint, verendum non est, ne Apostolorū institutа, quæ digito Dei non in tabulis lapideis, sed in ecclesiæ visceribus scripta sunt, humana obliuione deleantur. Ac de primo quidem argumento satis multa diximus, vereor etiam ne nimis multa.

At secundò ita respōdeo. Non vult Augustinus, dicta factaque Iesu ab Euangelistis scripta, ad salutem fideliū & doctrinam esse satis. Alioqui epistolę apostolicę, apostolorum acta, liber Apocalypsis, totum etiam legis veteris instrumētum, superuacanea esse, non necessaria vide- *Ad secūdū.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentur. Sed hoc vult, non fuisse opus ad fidelium salutem, vt ex dictis factisque Iesu alia scriberentur, quàm quæ scripta sunt. Hæc enim scribere satis fuisse, reliqua ab Euangelistis sine culpa prætermissa. Nam quod rursum nobis Augustinus obijcitur, facilis est & prompta defensio. Quæ enim vsu & more ecclesiæ tenemus, ea non modò non sunt obscura, sed adeò sunt aperta, vt de ijs disputare insolentissimæ insaniæ esse idem Augu. existimarit. Cùm ergo, ait, vbi de re obscurissima disputatur, &c. satis indicat, se de his loqui nullo modo, quæ ecclesiæ instituto & traditione constant. Alioqui illud nobis aduersarij expediant velim, quòd Augustin. idem li. con. Cresco. 1. ca. 33. diserte tradit in hęc verba: Quamuis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis teneretur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. Vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, eandem ecclesiam cōsulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.

In epist. ad Casula.

Ad tertiū. Iam verò Apostoli testimonium peruersè nobis opponitur. Nam hominem Dei, ecclesiæ doctorem hìc Paulus appellat, qui per literas sacras ad omne ministerij sui opus instruitur. Quatuor quippè sunt res, quas verbi sacri administer præstare debet: nempè docere, arguere, corripere, erudire. Quæ vtique omnia doctoribus Euangelij scriptura diuina suppeditat. Quòd si quisquam cōtendit, generaliter hunc locum intelligendum, huic nō maximo equidem opere repugnauerim: concedat mihi modò, scripturas non singulatim & in specie semper de rebus vniuersis præcipere. Si enim specialiter scripta sunt omnia, quid illud est, Cætera cùm venero, disponam? Quid illud rursum, Plura habēs vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui? Scriptura itaque diuina non de ijs solùm instruit, quæ scripta sunt: sed de ijs etiam, quæ non sunt scripta. Tenete, inquit Paulus, traditiones quas accepistis, siue per epistolas, siue per sermones.

1. Cor. 11.

Ioan. in 2. epist.

2. The. 2.

Et

Et in hoc ipso tertio capite posterioris ad Timothe. epistolæ, cuius nos testimonio impetimur, cùm dixisset Apostolus, Tu autem assecutus es meam doctrinam & institutionem, quibus verbis vtrumque genus disciplinæ complexus est, & quod scripto, & quod instituto cōtinetur, mox subiungit: Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi. Didicerat enim sacras literas Timotheus, vt ibidem tradit Apostolus, & præterea mysteria Euangelicæ doctrinæ concredita acceperat, vt ca. 2. dictum erat, & cap. 6. prioris ad eundem epistolæ. Non ergo eo loco traditiones excludit Apostolus, sed potius commendat.

Sanè verò quod argumentum ex Deut. 17. cap. Lutherus addit, hoc nullius propemodum est momenti. Legem enim nos non in chartis solùm papyraceis scriptā accepimus, sed eam magis, quæ in visceribus inscripta est. Nec adeò rudes sumus, vt apud nos lex verbo tenus tradita legis nomen minus habeat, quàm ea, quæ literis editur. Fatemur ergo sacerdotes non esse audiendos, nisi docuerint iuxta legem domini. Sed qui instituta Apostolica ecclesię tradunt, ij vel maximè docēt nos iuxta legem domini. Qui verò cōtra ecclesiasticas traditiones pugnant, hos cū lege domini pugnare cōtendimus. Qua ex re Caluini calūnia facilè obteritur. Accusat enim ecclesiam, quasi traditiones cōtra sacras literas inuexerit. Dicitur enim Deut. 12. ne requiramus alias in colendo Deo cæremonias præter eas, quę lege præcepta sunt, nec his quicquam vel addamus, vel minuamus. Et Salomō: Ne addas, inquit, quicquam verbis Dei, & arguàris inueniarisq; mēdax. At verò quāuis traditiones ecclesię quędam essent scripturę sacræ additamenta, non tamē sunt illæ verbo Dei additæ. Quin potius diuina verba sunt, non aliter, ac illa, quæ sacris libris scripta sunt. Non enim in præsenti de traditionibus disserimus, quæ à posteris ecclesię præfectis prodierunt: quas alterius loci & temporis est defendere. Sed de Christi & Apostolorum traditionib. disputatio est, quas hic nos, vt diuina oracula, iure vereque tuemur. Nec traditiones etiam huiusmodi diuinarum scripturarum sunt additamenta;

Ad 4.

Pro. 30.

sed complementa sunt potius, & earum quasi commentaria. Alioqui accusentur prophetæ, q̃ legi Moysis quidpiam adiecerint. Accusentur Apostoli, qui epistolas addiderint Euangelijs, asinæque & pulli simplicitatem suis appositè vestimentis ornarint. Accusa item, si placet eosdem, qui decretum de idolothytis sanguine & suffocato sanxerint, ac canones quoque aliquos ediderint, qui in sacris libris scripti non sunt. At non sunt istæ, vt diximus, scripturæ additiones, sed interpretationes. Quemadmodum aduersus Græcos in conc. Florentino sess. 4. 5. 6. & 7. latiùs explicatũ est. Quæ etiam ratione ecclesiasticas & doctrinam & leges, institutaque salutaria defendimus. Nõ enim ecclesia his edendis aut noua fundamenta iacit, aut nouas fabricas addit: sed superædificat super fundamentum Apostolorum & prophetarũ aurum, argentum, & lapides pretiosos: regnique cælorum semina reddit non alia, sed eadem auctiora, vt Eus. 3. li. eccl. hist. cap. 37. dixit. Atque nos itidem hanc eandẽ doctrinam lib. 7. capite postremo, si vita supersit, locupletabimus. Nunc de 4. argumento dictum est satis. Ad quintum respondeamus. Chrysostomus porro, siue quis alius est auctor, non ait, scripturarum veritati, quod hæretici citare solent, sed nisi ea dixerint, quæ conuenientia sunt veritati. Quanquam, qui traditiones Apostolicas docent, ij reuera ea dicunt, quæ congruunt scripturarum etiam veritati. Quod verò de Papæ traditione nobis opponitur, id ab Eusebio refellitur tertio libro Eccl. hist. cap. vlti. Vbi ait Papiam, vt qui exigui sensus vir & minus capacis esset, spirituales & mysticas Apostolorũ traditiones corporaliter & secundum literam suscepisse. Non ergo si vnus aut item alter traditionum Apostolicarum prætexit auctoritatem, fidem nos statim habere debemus. Nam & nõnulli sacras literas præferunt, quos iure ac meritò explodimus, quoniam sacrarum literarũ testimonijs abutuntur. Eodem quoque modo Irenæus potuit à Papia, & alijs disciplinis Ioannis decipi, & ætate Domini saluatoris: credidit enim, nec discussit an vera dicentibus crediderit. Sed de hac re differemus postea diligentiùs.

Theo-

Theophili autem, Hieronymi, Origenisq; testimonijs non est, cur pluribus respondeamus. Nam aduersum eos loquuntur, qui vel humana commenta sacris etiã literis aduersa, vel historias quasdam apocryphas, tãquam res diuinas & certas posteris venditabant. Alioqui si Hieronymus (huius enim testimonium vrgentius premunt) non existimabat quicquam esse credendum, nisi quod sacris literis esset proditum, qua fronte aduersus Lucifer ianos, Vigilantium, Heluidium, traditionum auctoritate argumentatur?

Caluini porro confirmatio quàm friuola sit, & planè ridicula, faciam vt nullo negotio intelligant ij, qui mecũ eam paululum expendere volent. Equidem eum quoq; hortarer, vt huc animum seriò aduerteret, si quid docendo proficere me apud illum posse confiderem. Sed quando Lutheranis, omissa veritatis ratione, hoc vnum propositum est, quacunq; possunt via rem suam agere, pauca tantùm dicã, quib. sese boni ac veri Theologi ab eorum captionibus expedire queant. Primùm autẽ Ioachimus Camerarius, non plenè, sed planè, habuit in hunc modum: Euangelia enim, &c. planè instruũt nos de sensu numinis. Deinde, vt quem in modum Caluinus citat, nos quoque legeremus: nihil affertur tamen. Nam cùm scripturæ ipsæ & ecclesiæ magisterium, & traditionũ auctoritatem non obscurè commẽdent, profectò de sensu numinis plenè nos instruunt. Docent enim sensum numinis siue scripto, seu verbo traditum iuxta esse tenendum. Quid? quòd concitatę & ineruditę concionis esset, statim in prœmio verba dicẽtis retũdere, eius præsertim, qui bona fide loqueretur? An mox cieri turbas æquum esset, & id impudenter anteuertere, quod erat in concilio magna vi & contentione transigendum? Illud enim Ariani præscripserant, vt capite primo ostensum est, sese in fidei quæstione præter scripturas nihil omninò recepturos. Consueuerunt autem synodi patres, quæ obiter ab vnoquolibet dicuntur, qui non sit fidem facturus cõcilio, ea prudentissimè dissimulare: quò res, de qua potissimum agendum est, suo & loco & tempore commodius agatur: quemadmodum nobis libro postea quinto

explicandum est. Nec Nicæni patres omnia ea, quæ Cõstantinus dixerat, amplexi sunt: sed cùm monuisset, vt hostili posita discordia quæstiones explicarentur, & omnes cuperet confiteri Apostolicorum dogmatum vnitatem. His, inquit Theodoritus, assensus maximæ partis accessit, interque se concordiam & sanitatem dogmatũ constituerunt. Pauci tamen, &c. Ex Constantini igitur testimonio, synodique silentio nihil omninò conficitur. Præterquàm quod etsi literis sacris disputatio esset instituenda, sensum earum tamen nõ ex ipsis literis mortuis, sed ex viuæ vocis traditione oporteret accipere: ita traditionis semper vsu & auctoritate indigeremus. De 8. igitur argumento hactenus.

Traditiones autem Apostolorum, de quibus agimus, humanę non sunt, sed diuinæ. Itaq; qui eas docẽt, hi nõ docent doctrinas hominum. Quæ omninò doctrinæ, vel Dei præceptis contrariæ intelliguntur, iuxta illud, quod Dominus Mar. 15. dixit, Quare vos trãsgredimini mandata Dei propter traditiones vestras. vel otiosę quędã & vanæ traditiones: qualis erat illa de manib. à prandio abluendis, quæ ad manuum quidem purificationẽ vtilis esse fortasse poterat, ad Dei certè cultum non poterat. Quam ob causam rectè per Esaiã dominus dixerat, Sine causa autem colũt me. At Cyprianus in ea epistola eos reprehendit, qui morem nouum Christi instituto repugnantem inserere conabantur.

Ad 10. Decimum verò argumentum instantiùs equidẽ pressi, vt in hac responsione explicaretur, inter hæreticorũ & catholicorum traditiones maximum esse discrimen. Hæretici enim mysteria sua mulierculis, & idiotis homũculis produnt. At catholici mysticas & sacras ecclesiæ traditiones mulierc ularum homũcionumq; vulgo prodere, piaculi loco habent. Cuius rei causæ, quoniam capit. tertio sunt reddite, illinc lector assumet, quæ ad hũc locum pertinebunt. Hæretici rursum secretas illas traditiones suas à viris doctis, præsertim ijs, qui ecclesijs catholicis præsunt, abscõdere solent. Catholici cõtrà, iuxta quod Apostolis præcipit, Christianæ disciplinę mysteria ijs solùm cõmittunt, qui idonei sunt & alios docere.

Quare

Quare doctrinæ depositum publicum est, vtpotè quod Reip. magistratibus cõmendatur. O Timothee, inquit, 1. Tim. 6. ô Episcope, qui ecclesiæ & præfectus & doctor es, depositum custodi. Et rursum, Quę audisti à me, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erũt & alios docere. 2. Tim. 2. Atque illud animaduertendum est diligentius, quod non clam in angulo, & priuatim hoc depositum Timotheo commissum est, sed coram multis testibus, vt res nõ priuatæ vsurpationis, non clandestinæ furtiuæque doctrinæ: sed publicæ traditionis, disciplinę manifestæ, sineque dolo intelligeretur. Quod qui parum perspiciunt, hi non satis expediunt, quemnam sensum locus ille habeat. Ego in occulto locutus sum nihil. Doctrina quippe Christi, in qua nihil fucatum, nihil fictum, nihil fraudulentũ est, sed omnia syncera, vera, simplicia, nihil habet omnino tectum, penetrale, tenebricosum. Hoc quo niam hæretici habent, eorũ doctrina occulta rectè dicitur. Quemadmodum ciuis quisque tum quicquam reip. occulere dicendus est, quum, quæ magistratibus reuelãda sunt, ea nõ illis planè, sed priuatis hominibus furtim prodit. Nam qui, quæ populo vulganda sunt, ea populo inuulgat, quę contrà solis reipub. magistratibus expedit aperiri, solis quidem magistratibus, sed apertè tamen manifestat, hic nihil prorsus occultè gerit. Non itaque nos hæreticorum more mysteria occulimus, sed Apostolorum instituto ea vulgo cælamus, maiorib. aperimus: quæ maiores scire decet, vulgus scire non decet. Quid igitur sibi vult, inquies, Quę in aure auditis, prędicate super tecta? Quod enim super tecta prædicatur, id in vulgus effertur. Enimuerò quo tempore Dominus hoc discipulis præceptum edidit, nondũ eis aperuerat sensum, vt intelligerent scripturas: nõdum per dies quadraginta locutus illis fuerat de regno Dei, id est, de reipublicæ Christianę administratione: nondum spiritum miserat, qui doceret ea, quę viuente Christo portare non poterant: eam partem Euangelicę disciplinæ tradiderat, quę ad omnes fideles pertineret: eas leges, quas vulgo etiam notas esse expediret. Huiusmodi igitur præceptum dominicum est, Quod auditis in mysterio, apertiùs prædicate: Matth. 6. & 7.

cate: quod didicistis abscõditè, publicè loquimini: quod vos eruditi, vel in monte, vel intra domum, in vrbibus audacter dicite. Sed temporis rerumq; ratio habẽda est. Nam habeo multa vobis dicere, quæ nõ potestis portare modò. Ea cùm vobis edixero, alia videlicet lex erit. Nolo illa prædicetis super tecta, nolo vulgo annũcietis. Eadem enim vobis celandi causa tunc erit, quę mihi nũc est: quod vulgus portare non poterit. Scio Clemen. Alexan. 1. Strom. lib. de arcanis traditionibus, Quę in aurem editæ sunt, hunc locum intelligere. Quis exponit super tecta prædicandas, id est, excelse & excellenter. Sed mihi id, quod dixi, multò probabilius apparet. Nam & nostrũ hunc sensum illud habet. Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Decimum igitur argumentum confutatum est satis.

Ad 11.

At vndecimum, quoniam tertiodecimo huius operis libro est nobis diligenter explicandum, non est animus in præsentia refellere. Tantùm sunt lectores admonendi, id quod Lucianus martyr apud Eusеb. 9 lib. eccle. histo. c. 6. suse eruditeq; persequitur, nos Christianos non humanæ alicuius persuasionis errore constringi, nec indiscussa, vt alios parentum traditione decipi: sed auctorem nobis institutionis & doctrinæ Deum esse, quo magistro iure ac verè gloriamur. Sed de his plura aliàs. Nunc postremum argumentum diluendum est.

Ad postremum.

Sed eius argumenti confutatio, vt quę ad tertiumdecimum quoque librum referenda est, breuissima hoc loco erit. Sanè Iulianus apostata Christianis obiecit irrationalitatem & rusticitatem sapientiamque, vbi nihil esset aliud, præterquam credere. Huic verò obiectioni Gregorius Nazanzenus respondet in prima aduersus Iulianum Stelitentica, non alienũ esse, à suis Philosophis, quos ille tantoperè admiratur, vt hac specie doctrinæ vtantur. Siquidem primũ & maximum Pythagoræ præceptum erat, vt si quis discipulos suos de dogmatibus interrogasset, aut eorum rationẽ aliquam exegisset, nihil aliud responderent, quàm quod ita visum fuisset Pythagoræ. Essetq; illa dogmatis ratio inculpabilis. Ita ergo, ac

Illud Platonis in Timæo, Fieri nõ potest, vt deorum filijs fides non habeatur, etiam si absque necessarijs dicãt demõstrationib.

ac multò etiam magis, exigit ratio, ne fidem nos denegemus ijs, quæ à diuinis dicta sunt hominibus, habeaturque pro rationis demonstratione fide digna, illorum relatio omni vi rationabili & irrationabili validior. Hactenus Gregorius. Vbi certè non videtur Gregorius horrere, id quod in argumento quasi absurdum refellitur, disciplinam nostram esse similem Pythagoricæ, aut hanc potius nostræ esse similem. Sed esto, dissimilima sit, cur magis argumentum illud contra doctrinam verbo traditam, quàm aduersum eam pugnet, quæ literis prodita est? Nimirum enim vtranque credimus & vtriusque, si possumus, conabimur reddere rationem. Reddemus autem, si Dominus vitam concesserit, multas maximas atque grauissimas, quo sumus loco polliciti. Nam locus hic concludi iam potest. Ac de secundo quidem argumentorum fonte diximus. De octo autem reliquis latissimè patet disputandi ratio: sed nos, quo ad poterimus & licebit, in breues angustias contrahemus.

Huc etiam refert Clemens Alexand. in Stromat. At certè è Platone videtur Gregorius hãc sententiam deprompsisse.

Tertij Libri Finis.

DE

DE ECCLESIAE CATHOLICAE AVCTORITATE, QVAE TERTIO LOCO CONTINETVR, LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Quibus argumentis Ecclesiæ auctoritas impugnetur.

TErtia huius operis pars perfecta est, quã Theologis cupio esse notissimã. In quarto nunc libro auctoritatem Ecclesiæ explicare ac tueri debemus: de qua ita copiosè à viris Ecclesiasticis disputatũ est, vt vna hac de re magna etiam volumina ediderint. Quorum consilium quale fuerit, nihil sanè ad hoc tempus. Illud autem est huius institutæ scriptionis ac temporis, de ecclesiæ auctoritate in fidei iudicio disserere, atque adeò id docere breuiter, an ex fidelium communi sensu firma duci argumenta possint ad dogmata Theologiæ comprobanda. Ac Montanus quidem discipulis suis primus suasit, vt nihil reuerentiæ deferrent ecclesiæ, quæ per orbem terræ est, quemadmodum Apollinaris, Eusebiusque restati sunt. Nestorius deinde totã ecclesiam errare affirmauit, quæ ignaros, sic enim aiebat, erroneosque doctores sequeretur. vt Vincentius Lirinensis retulit. Et Iconomachi post asseruêre, ecclesiam adorandis imaginibus diu ac multum in turpi errore versatam, quod synodus septima in actione sexta tradidit. Nam & Donatistas, & Rogatianos ecclesiæ catholicæ auctoritatem, non voce illos quidem, sed re ipsa tamen contempsisse, Augustinus scripsit cùm alias sæpè, tum in epistolis, 48. ad Vincentium, 80. ad Bonifacium, 161. ad Honoratum. Et, ne omnes commemorem, Lutherus demum suum VVicleff. secutus est, ecclesiamque cùm in alijs, tũ in eo errare dixit, quòd sub vna specie, contra Christi legem communionem tribuit laicis.

2 lib. aduers. Cataphr. 5. lib. eccle. histo. 3. 16. In li. de proph. noua.

Quin

Quin astruit aliquando, si vera Coelæus perhibet, errasse illã mox ab initio, vt q̃ Paulo repugnante senserit, legem & opera esse necessaria ad salutem. Breuiter, hæreticis omnibus hoc gentile est, simulatq; sese ecclesiæ auctoritate vrgeri vident, aut illam spernere, aut ecclesiæ rẽ ad se nomenque tranferre, & eam in illis esse negare, in quibus reuera est. Vtrunq; horum, quoniam ambo in vnum idemque recidunt, plurimis argumentis hæretici persuadere conantur.

Acto. 15. vbi præscriptum est, abstinere à sanguine & suffocato necessarium esse.

Primum est huiusmodi, Aaron summus ipse sacerdos, alijque ex plebe, siue maiores, siue mînores, vitulũ conflatilem adorârunt, eiq; obtulerunt hostias pacificas & holocausta: ecclesia ergo Christi ad eundem modũ poterit sculptile & imagines adorare. Id si faciat vt facit, errabit sine dubio in fide ac religione turpissimè.

1. Argu. Exod. 32.

2. Argu.

Rursum, ecclesia Isaiæ, Hieremiæq; tẽporib⁹ in vnius veri Dei cultu lapsa est, quid igitur prohibet, quò minus & nũc in Deo vno veroq; colẽdo erret? Eadẽ quippe ecclesia est, nec in hac re vllũ reperietur populi noui veteris q; discrimẽ. Quod verò est huius argumẽtationis antecedẽs, id eorũdẽ Prophetarũ clarissimis testimonijs existimãt se ostẽdere. Cognouit bos, prior ille inqt, possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autẽ me non cognouit, &c. à planta pedis vsq; ad verticẽ capitis nõ est in eo sanitas. Et posterior, Cõfusi sunt, ait, domus Israel: ipsi & reges eorũ, principes & sacerdotes & Prophetæ, dicẽtes ligno, Pater meus es tu. & lapidi, Tu me genuisti. Et paulò post, Quid vultis mecũ iudicio cõtendere? Oẽs dereliquistis me, dicit Dominus. Itẽ, Circumite vias Hierusalẽ, & querite, an inueniatis virũ faciẽtem iudicium & querentẽ fidẽ: & propitius ero ei. Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viã Domini, iudiciũ Dei sui. Ibo igitur ad optimates, ipsi enim cognouerunt viam Domini. Et ecce magis hi cõfregerunt iugum, &c. Tota igitur ecclesia eo tẽpore errabat.

Esa. 1.

Hiere. 2.

Hiere. 5.

3. Argu.

Prẽterea ecclesiam non oportet digito demonstrari: quin nulla apparente forma cõsistere in occulto potest. Frustra autem eius iudiciũ expectes, quum, quæ sit, penitùs ignores. Illud suadẽt, quoniam in populo Iudæorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum sic sæpè ecclesia deformata est, vt nulla eius species
3. Reg. 19. extaret. Quam enim putamus formam eminuisse, cùm Helias solùm se relictum deploraret? Quam cùm populus ille apud Babylonios, Persas, Aegyptiosque dispersus sine sacerdotio, sine templo, sceptro, gentibus ac dijs alienis in terra aliena seruiret? A Christi ergo aduentu deformis etiam latere ecclesia poterit: bellisque, seditionibus, & hæresibus ita opprimi, vt nulla parte refulgeat.

4. Argu. Et sanè suo iam seculo Hilarius latentem ecclesiã potius credebat, quàm cernebat. Adeò Ariana factio omnia miscuerat. Malè, inquit, vos parietum amor cepit: malè ecclesiã Dei in tectis ædificijsque veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritis. Anné ambiguum est: in
Cont. Auxentium
2. Thes. 2. ijs Antichristum esse sessurum?. Montes mihi, & syluæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores: in his enim Prophetæ aut manẽtes, aut demersi Prophetabãt.
Hebr. 11. Quibus ille, verbis modestè ac verecundè significat, ecclesiam Christi non in episcopis, non in sacerdotibus, nõ in templis, nõ in populi frequentia, sed in pijs esse quærendum: qui interdum Prophetarum more, vel in agro locisque desertis errant, vel in syluis abstrusi sunt, in speluncis & in cauernis terræ.

5. Argu. Quid, quòd sub diuersis Pontificibus diu scismate perdurante nulla interim ecclesiæ facies apparuit? Manifestam porrò ecclesiam, si eius seculi fideles requisissent, nec aliam crederent, quàm quæ oculis cerneretur humanis, nullam profectò inuenissent. An verò tunc nulla fuit, quoniam occulta fuit.

6. Argu. Atque vt antehac ecclesia dilucidè clareque resplenduisset, quis scimus tamen an posthac veram semper genuinamq; formam sit habitura? Nimirum enim, si præteritis seculis, ita Dominus populi sui facinora vindicauit, vt eum & absurdissimis mẽdacijs ludi, & altissimis tenebris offundi passus sit: cur non timeamus, ecclesiam Christi etiamnum cæca nocte, crassaque caligine adeò occultari & circumfundi posse, vt nulla eius vera facies effulgeat? Quasi verò iam nulla sint Domini iudicia, vt eodẽ pœnæ genere mundum hodie puniat, quo populi veteris ingratitudinem aliquando vltus est. Nempe, vt

vt pastores atq; oues stupore ac cæcitate percutiat, ecclesiæq; suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat. Hic videlicet hæretici qua re confecta insultant, noſque miris modis irrident, qui gloriemur in verbis illis, Templum Domini, templum Domini est. Translata, *Hiere. 7.* inquiunt, Samaria est: & cùm Hierusalem externis laruis inhærens templum, cęremonias, sacerdotium, sacramenta, scripturasque iactaret: & ipsa quoque translata est. Ita, quod de orientali ecclesia accidit, idem occidentali poterit: vt forma eius, vel in fumos abeat, vel certè omninò deliteſcat. Ecquis autem fidem fecit, aut peccata nostra, quàm illorum, esse leuiora, aut Deũ in nos, quemadmodum in illos, non esse animaduersum? Præ- *2. Thes. 2.* sertim cùm non obscurè vaticinetur Apostolus, venturam in ecclesia defectionem: quæ vtique venire non potest, dum vera ecclesiæ forma & facies extiterit. Qualis *Luc. 18.* autem hæc illo erit tempore, de quo Dominus ait: Veruntamen, filius hominis veniens, putas, inueniet fidem *Danie. 9.* in terra? Qualis, inquam, erit, cùm deficient hostia & sa- *Apo. 9.* crificium? Qualis demum, cùm, vt Ioannes scribit, putei fumus solem & aerem obscurabit? Qua ex re nihil sanè aliud intelligitur, quàm ecclesiam vsq; adeò nostra hac ætate obscurandam; vt nisi in tenebris inueniri non queat. Quid autem externam ecclesiæ faciem fulgoremque defendimus, cùm omnis gloria filiæ reges ab intus? *Psal. 44.* Quod si inuisa & occulta ecclesia est, inexploratum quoque & incertum erit, quod sumetur ex eius auctoritate argumentum.

Præterea, ecclesia ex solo prædestinatorum numero *7. Argu.* constituitur, soli autem Deo notus est numerus electorum in superna felicitate locandus: ecclesia igitur nobis abdita omninò & incognita est. Prior illa propositio, in *Li. 5. contra* qua difficultas tota ineſt, suadetur in primis Augustini *Dona. c. 17.* testimonio, disertis verbis asserentis, ex numero solum prędestinatorum, qui in occulto sunt intus, cõstare hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ viuæ, paradisum cũ pomorũ fructibus. Nemo verò fideliũ dubitat, ecclesiæ Christi hæc propriè esse attributa omnia. *Cant. 4.* Sed ne ambigi quidem potest, quãuis non ita Augusti-

hūs exponeret, in horto concluſo & fonte ſignato non alios intelligi, atque eos, de quibus ſcriptum eſt, Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus qui ſunt ſui. Probat quoque eandem rem Auguſtinus ex eo, quòd Petrus arcam eccleſiæ typum eſſe dixit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Non ergo niſi ij, qui ſeruantur, intra arcam eſſe exiſtimandi ſunt. Nam Chriſtus non eſt alterius eccleſiæ caput, niſi eius, cuius ſaluator eſt, & quam ſibi exhibet gloriоſam, vt ad Epheſios docet Apoſtolus. Ij ergo, qui nec ſalui, nec glorioſi futuri ſunt, non ſunt eius eccleſiæ partes, cuius Chriſtus caput eſt. Deinde, à filijs Dei eccleſia conficitur, vtpotè cùm non aliorum ſit eccleſia mater eorum, quorum Deus pater eſt. Hos autem verè filios Dei eſſe liquet, qui paternam hæreditatem percepturi ſunt. Si filij, inquit, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes aũt Chriſti. Ouile item Chriſti, nõ niſi ex Chriſti ouibus conſtituitur: at oues Chriſti illę modò ſunt, de quibus ipſe ait, Oues meæ vocem meam audiant, & ego vitam æternam do eis. & non peribunt in æternum. Ioannes deniq; Euangeliſta de quibuſdam, qui ab eccleſia exijſſe videbantur, cùm re vera nunquam fuiſſent in eccleſia, Ex nobis, ait, prodierunt: ſed non erant ex nobis. Quid ita? Quia ſi fuiſſent, inquit, ex nobis; permaniſſent vtiq; nobiſcum. Non igitur ex eccleſia ſunt, niſi, qui in ſuſcepta gratia permanent. Atq; hunc locũ, quoniam in promptu erat, Auguſtinus in libro ad corre. & & gra. c. 9. & de bono perſe. cap. 8. de prædeſtinatis intelligit, ſcilicet Hieronymum ſecutus in dialogo aduerſum Luciferianos.

2. Tim. 2.
Li. 5. 6. 18.
1. Pet. 3.
Ephe. 5.
Rom. 8.
Ioan. 10.
1. Ioan. 2.

Ad hæc, veram Chriſti eccleſiam perfectam eſſe & immaculatã oportet. Tota enim pulchra eſt, & macula nõ eſt in ea. Et rurſũ, Vna, ait, eſt colũba mea, perfecta mea. Et Apoſtolus quoq; ipſe ſine macula eam ac ruga deſcribit. Et Iſaias, Nõ adijciet, inquit, vt pertranſeat per te incircunciſus & immundus. Eccleſiam verò immaculatam cenſere, cuius mẽbra nonnihil impuritatis habeant omnia, quã inane ac fabuloſum eſt? Nulla igitur eiuſmodi nunc temporis extat eccleſia. Illo ſolùm tempore extitiſſe vi-

De pœni. d. 4. c. ſi. ex bono.
8. Argum.
Cant. 4.
Cant. 6.
Epheſ. 5.
Iſa. 52.

ſe videtur, cum verè à Ioanne ſcriptũ eſt: Omnis, qui peccat, non cognouit eũ. Et, Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. &, Non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filij diaboli. Quòd ſi vniuerſos, qui eccleſiaſticæ ſocietatis participes ſunt, neceſſe eſt ſine peccato & macula exiſtere: aut nulli profectò ſunt, aut occulti nobis & incogniti ſunt. Quod Apoſtolo videtur affirmare, cùm eccleſiam Chriſti à Synagoga diſcernens, non eam ſenſibilem & tractatam, ſed ſpiritualem intractatamq; deſcribit, nempè ex ſolis perfectis prędeſtinatiſq; conſtantem. Non acceſſiſtis, ait, ad tractabilem montem & acceſſibilem ignem, ſed ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtẽ, & eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, ſpiritus iuſtorum perfectorum,

1. Ioan. 3.
Hebr. 12.

Adde, quòd eccleſiam non quamlibet, ſed ſanctam fideles tenentur credere. At in ſancta congregatione non niſi ſancti intelliguntur. Filij ſapientiæ, inquit, eccleſia iuſtorum. Quòd ſi homines aliquot demonſtres, quorum vel vnus iniquus ſit, falſo dixeris hos eſſe æquos. Quemadmodum ſi ex decem viris vnus ſedeat, cęteris licet currentibus, decem currere falſum eſt. Eſt quoq; altera cauſa eiuſdem rei vehementiſſima, quod ſi mali membra eccleſiæ ſunt, membra etiam Chriſti erunt. Sunt autem haud dubiè membra diaboli. Quare & ijdem ciues Hieruſalem ac Babylonię ſimul erunt, & membra quoq; ſimul Chriſti & diaboli. Quo quid abſurdius aut dici, aut excogitari poteſt? Niſi fortè ſocietas eſt luci ad tenebras, conuentio Chriſti ad Bẽlial. Membra certè corporis eiuſdem ſibi viciſſim contraria eſſe non queunt, at cõtra bonum, malum eſt, contra vitam mors, & contra virum iuſtum peccator, vt Sapiens ait: non ergo iuſtus & peccator eccleſiaſtici ſunt corporis membra. Docet item Ariſtoteles auctor ſentiendi grauiſſimus, cui etiam Diuus Thomas aſſentit, membra mortua non aliter eſſe membra, atq; ea, quæ picta & figurata ſunt: peccator ergo, cũ mortuus ſit, membrũ eccleſiæ, & pars verè ac propriè nõ eſt, ſed ęquiuocè ac figuratè. Prętereà vnus panis

9. Argu.
Eccl. 3.
2. Cor. 6.
Eccle. 33.
2. de anim. c. 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

& vnum corpus multi sumus, quemadmodum in priore
Epi.6.li.1. ad Corinthios epistola Apostolus tradidit: constat autẽ, vt acutè Cyprianus ad Magnum argumentatur, panem ex multorum granorum adunatione congestum: pecca tores ergo, qui paleæ sunt, sicut nec in panis, ita nec in corporis ecclesiæ compositionem veniunt. Id quod Au gustinus nõ obscurè testatur, atque ita multis in locis, vt de iudicio eius dubitari non possit, quin hanc habuerit firmam perpetuamque sententiam. Libro enim contra
Ca. postre. Petilianum secundo: Nec putandi sunt mali, ait, in Chri sti corpore esse, quod est ecclesia, quamuis sacramẽtorũ eius corporaliter participes fiant. Item libro contra
Cap.21. Cresconium secundo: Qui mente, inquit, peruersa videtur intus esse, cùm foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est. Et posterius. Etiam nesciente ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo iam in corpore Christi non sunt, quod est ecclesia, quoniam non potest habere Christus membra damnata. Proinde & ipsi extra ecclesiam baptizant. Omnia quippe ista mõ stra absit omninò, vt in membris columbæ illius vnicæ computentur. Loquitur autem dubio procul de fidelibus peccatoribus, vt ex antecedentibus & con sequentibus liquidò apparet. Item libro de vnitate ecclesiæ affirmat, malos in ecclesia minimè deputari. Item libro
Cap.12. quarto de baptismo contra Donatum, & libro sexto di-
Cap.3. sertè etiam affirmat, qui contra Christi mandata faciunt, eos ad illam ecclesiam non pertinere, quam Christus mundat lauacro aquæ, & de qua scriptum est: Vna
Cap.51. est columba mea. Et libro septimo ait, malos non pertinere ad compagem domus, quæ est ecclesia, atq; haud secus in domo esse, quàm palea dicitur esse in frumen-
Ca.40. & 50. to. Sed & in eodem libro Cyprianum refert in epistola ad Magnum, huius sententiæ non solùm auctorem, sed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophetico testimonio: Qui habitare facit vnanimes in domo. Quibus igitur nec vna anima, nec vnum cor in domino est, hi in Ecclesia, quæ domus Dei est, nullo mo
In epist. ad Ephe. ca.5. do habitant. Et Hieronymus, Ecclesia, ait, Christi non habet maculam, nec rugam. Qui ergo peccator est, & aliqua

qua sorde maculatus, de ecclesia Christi nõ potest appellari. Possibile est autem, vt peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipsius: & fiat de ecclesia, quæ corpus est Christi. Quòd si ecclesiam, cuius auctoritati deferimus, sanctam esse necesse est, atque adeò ex pijs solum iustisque constare: nusquam porrò faciet certam in Theologia fidem, quousque certo iudicio demonstret se sanctam esse. Id quod nullo modo *2.Par.6.* potest, siquidem solus Deus nouit corda filiorum homi num.

Quærunt etiam à nobis, cur in censenda ecclesia in- *10.Arg.* saniamus, cùm eam minimè dubio symbolo designârit Christus? Ego, inquit, sum pastor ille bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ: Oues meę meam *Ioan.10.* vocem audiunt, & ego cognosco eas: & sequuntur me. Qui ergo vocem Christi non audit, is ad Christi ouile non pertinet: ac proinde ne pars quidem ecclesiæ Christi est.

Præterea si ecclesiam boni simul ac mali constituerent, qua ratione propter iustos pauculos sancta dicitur, *11.Arg.* eadẽ ac multò etiam maiore propter iniquos plurimos iniqua ecclesia diceretur. Quamobrem idem omninò cœtus & Christi esset ecclesia & synagoga sathanæ. Non igitur nisi boni Christi ecclesiam conficiunt. Quocirca inuisa hominibus illa est, atque adeò minus cognita, quàm vt eius testimonium certam & exploratam faciat fidem.

Duæ insuper ecclesiæ sunt Græca & Latina, quarum *12.Arg.* vtri credẽdum sit, non satis, vt aiunt, expeditum est. Responderi solet, Græcos esse schismaticos: idcirco apud eos ecclesiam perijsse. Quo iure? Quia à Romano Pontifice desciscendo priuilegium ecclesiastici nominis amiserunt. Quid verò? an non multò magis amittunt, qui à Christo vero ecclesiæ capite deficiunt? Atque ante Christi natiuitatem vna priorũ omnium ecclesia fuit, nec in ea tamen fuit vnus pastor aut rector. Non ergo ex vno Pontifice ecclesiæ nomen ac veritas pendet. Ecclesia igitur Græca erit, quamuis episcopo Romano non pareat. Quo videlicet mortuo, nihilo secius vna ecclesia est, ea-

Universidad de Deusto
Biblioteca

demq; & columna, & firmamentū veritatis. Nō ergo ex hoc capite ecclesiæ veritas vnitasq; existit. Sed si vnum Dominum habet, vnam Christi fidē, vnum baptisma: si vnū filium agnoscit, vnum spiritum colit, vnū Deum & patrem omnium suscipit, vna Christi ecclesia erit. Iis enim rebus vnam Christi ecclesiam definit Apostolus. Nihil itaq; causæ est, cur Græci, in quibus ea omnia insunt, in quibusq; multi etiam boni sunt viri, ecclesiam Christi non faciant. Arroganter igitur ecclesia Latina in fidei iudicio ecclesię catholicę sibi nomen vsurpat. Qua propter nisi idem cum Græca sentiat, ecclesię vniuersalis auctoritate caret: non teneremurq; perinde eius iudicium reuereri, ac si catholica verè esset.

Ephe 4.

13. Arg. Cap. 38. con. Petil. lib. 2. cont. Cresco. lib 3. de vnita. eccl. li. vno epi. 48. 50. & 61.

Prętereà catholica ecclesia ideo vocatur, quia per omnes gentes, perque totum orbem diffusa est. Vt Augustinus lib. 2. con. Petilia. patefecit. hęc verò sola est, quę suo nos iudicio ligat & astringit, quoniam hanc & non aliā quamlibet sacræ nobis literæ commendārunt, quemadmodum plurimis in locis idem Augustinus ostendit: nō ergo ecclesia, quę modò est, si qua demum est, certam auctoritatem habet, vt quę catholica, id est, vniuersalis esse desierit.

14. Arg.

Prętereà. ex vniuersalis ecclesię sententia nullum omninò argumentum sumi potest. Quomodo enim fideliū omnium sensum in fidei quæstiōe requiremus? Vanum est igitur ab ecclesia catholica velle argumentum ducere. Forsitan quispiam dixerit, Pastores ecclesiam repræsentant, atque adeò ipsissima ecclesia sunt. Eorum itaq; sensum quærere satis esse, quippe cùm idē omninò sensus ecclesiæ sit. At erat Isaiæ temporibus ecclesia Hierosolymis: de pastoribus verò sic loquitur, Speculatores eius cæci omnes, nesciunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormiētes & amātes somnia. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiā. Omnes in viam suam declinauerunt à summo vsq; ad nouissimū.

Isa. 56.

Hiere. 8.

Durabat quoq; ecclesia ad tempus Hieremię: audiamus quid de pastorib. dicat, Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapien-

tes, verbum enim domini proiecerunt, sapientia nulla est in eis. A minimo vsq; ad maximum omnes auaritiam sequuntur: à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Cur autem secundū hanc rationē ecclesiam non referent 400. prophetæ illi, qui Achab mentiebantur omnes? At ecclesia Dei vera, id est, quicunq; in populo erant pij, à partibus Micheæ stabāt. Certè, si res ad eum modum habet, ecclesię imaginē præ se ferrent prophetę & sacerdotes, cùm aduersus Hieremiam omnes ad vnum fidenter sanè iactarent, nō posse fieri, vt periret lex à sacerdote, consiliū à sapiente, verbum à propheta. Aduersum omnes tamen vnus Hieremias mittitur, qui à Domino denūciet fore, vt lex pereat à sacerdote, cōsilium à sapiente, verbum à propheta. Quòd si sacerdotes & pastores ecclesiā Dei constituunt, cuius reuereri testimonium oporteat, sequitur, ab ecclesia Dei alienos fuisse, cumq; illa etiā pugnasse. In Israele quidē Heliam, Michæam & similes: In Iuda autem Isaiam, Hieremiam, & reliquos eius notæ, quos sui seculi sacerdotes, pastores, & prophetę nō à se modò abalienārunt, sed diris etiam execrati sunt. Illud, si absurdū & impium existimandū est, vt ne dicam etiam stultum: maneat sacerdotes & pastores ecclesiā Dei nō fuisse: sed impiam aduersus Deum cōspirationem, cœtūq; hominum pessimorum, à quorum necesse fuit consensione desciscere. Cum itaque pastores etiamnum similes veterum esse possint, nec Christi ecclesiam profectò referunt, nec ex eorum iudicio dogmata fidei probantur. Atque si ex pastoribus & episcopis Dei ecclesia constat, vbinam gentium ecclesia residet, ex quo Basilienſe concilium Eugenium pontificatu deiecit, subrogato in eius locum Amedæo? Concilium siquidem, quantum ad extremos ritus attinet, legitimum fuit: nec ab vno solùm pontifice, sed à duobus indictum. Damnatus est illic Eugenius schismatis, rebellionis, pertinaciæ, cùm toto cardinalium & episcoporum grege, qui concilio refragebantur. Ex illorum schismaticorū, rebellium, pertinacium gremio prodijt, quicquid postea Paparū, cardinalium, episcoporū, abbatum, presbyterorum fuit. Vtram igitur in partē ec-

3. Re. 22.

Hiere. 18

Universidad de Deusto
Biblioteca

clesiæ nomen conferetur? Negabimus ne generalem synodum eam fuisse, quæ præsidente Romanæ sedis legato consecrata est? An fatebimur schismaticum Euangelium cum tota sua cohorte, à qua omnes succedentes episcopi sanctificati sunt? Aut ergo pastores in concilium etiã generale coacti ecclesiã Dei minimè repræsentãt, aut quotquot sunt, ab hæreticis & schismaticis ordinati sunt. His potissimum argumẽtis Lutherani abutuntur. Nã, quod Caluinus addit, duo esse ecclesiæ symbola, verbi synceram prædicationem, & sacramentorum administrationem rectam: in catholicorum verò cœtu pro verbi ministerio mẽdacijs conflatam regnare doctrinam, in locum cœnę Domini fœdissimũ sacrilegiũ subijsse, publicos in templa conuentus idololatriæ & impietatis scholas esse: quamobrẽ veram apud nos & germanam Christi ecclesiam non esse, sed Sathanæ exitialem & sacrilegam conjurationem. Id quoniam imprudenter, turpiter, & maledicè objcitur, non est in præsentia referendum.

CAPVT II.

Quid Ecclesiæ voce significetur.

EGo verò pergam, & id faciam, quod in principio fieri, cùm in omnibus disputationibus, tũ in hac materia oportere cẽseo: vt quid illud sit, de quo disputatio sit, explanetur: ne vagari & errare cogatur oratio, si ij, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligẽt. Ecclesia ergo Græcum nomen est, & si verbũ verbo reddas, Latinè cõuocatio dicitur: siue quòd omnes ad se vocet, vt Iulio & Rabano visum est, siue quòd quicunq; in eam conueniunt, hi non meritis & iustitia sua, sed Dei gratia & vocatione conueniant. Nam & hanc nominis etymologiam spero lectoribus placitu-
ram. Ecclesię quippè Romanæ scribẽs Paulus, Omnibus, ait, qui sunt Romæ, vocatis sanctis, &c. Atque in priore ad Corinthios epistola: Ecclesiæ Dei, inquit, quæ est Corinthi, vocatis sanctis, &c. Et paulò post: Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi: Quæ sine dubio societas cùm Christi ecclesia sit, qui titulum sibi illũ arrogant, hi videant, an hæreticorum mo

Iulia. in Dec. c. 5. apud Bar. li. 3. ca. 1. Rab. de instit. cle. c. 1. Rom. 1. 1. Cor. 1.

re penes se ecclesiam existere mentiantur. Verùm de nominis ratione nihil moror, ecclesia certè cõcio est: vnde Ecclesiastes, cõcionator. Et licet generaliter vox illa quãdoq; vsurpata sit pro quacunq; concione, siue impiorũ, siue piorũ, infidelium atq; fideliũ, sed in nouo testamẽto, quantum memoria repetere possum, nusquã infidelium concio ecclesia vocata est. Qui quidem vsus adeò in Christianis inualuit, vt in nulla nunc multitudine ecclesiæ nomen agnoscãt, nisi Christi fide & vocatione coaluerit. Est autẽ ecclesia, & locus ipse, quo multitudo confluit, & ipsa propriè multitudo. Cuius vtriusq; rei exempla sunt in sacris literis plurima. illud verò discrimẽ inter Synagogam & Ecclesiam scriptores sancti obseruãrunt, quòd populus ille vetus æquè & Ecclesia & Synagoga nuncupatus est, at Christianam plebem nec scriptura sacra, nec vllus vnquam probatus auctor Synagogam appellauit. Id porrò aut discernendæ vtriusque rei. pub. causa factum est: vt quod inter congregationem, quod Synagoga notat, & conuocationem, quod sonat ecclesia, nonnihil interfit. Congregare enim pecora solent: vnde & greges dicimus, non hominum proprie, sed pecudum aut bestiarum, at conuocari nisi homines non solent. Tãtum Christi ecclesia Synagogam excellit. Et quamuis societas angelorum & hominum interdum vocetur ecclesia, nonnunquam verò regnum cælorum, quod ex hominibus compræhensoribus viatoribusque conficitur, nobis tamen in præsenti non est animus disserendi nisi de ecclesia militante, hoc est, cœtu fidelium viatorum. Nec necesse est, hos vocis significatus exemplis adhibitis, cùm ea passim & in literis sacris, & in sanctorum hominum libris occurrãt. Sanè verò, quemadmodum infideles nondum baptizatos in ecclesiæ Christi voce intelligere, non cum veritate solùm, sed cum sensu etiam communi pugnant: ita hæreticos partes ecclesiæ non esse, constituendum est. Id quod commune est quidem omnium Theologorum, non eorum modò, qui nuper scripserunt, sed eorum etiam, qui vetustate ipsa habentur nobilissimi. Testantur hoc Cyprianus, Augustinus, Gregorius, duoque concilia Laterane-

In Psal. ecclesia sanctorũ, & ecclesia malignantiũ. Deu. 23. Iudi. 6. 1. Cor. 11. Num. 20. Galat. 1. Eph. 1. Augu. in psal. 77. Bed. in 5. c. pro Isi. d. 8. lib. etym. cap. 8. Ephe. 1. Ephe. 5. Ephe. 3. Epi. s. 1. ad Cor.

we.et 6. ad Magnũ De hære.

nense & Florentinum. Rectè igitur Nicolaus Papa definit, ecclesiã esse catholicorum collectionem. Certè neruosius qui ecclesiam finiunt, illi non dubitant eam fidelium tantùm numero conflari: qui autem remissius, hi tamen non audent, quos catholicos esse non vident, eos ecclesiæ homines appellare. Absurdum est enim, qui catholicæ ecclesiæ partes non sint, hos ecclesiæ Christi partes asserere.

Firmißime.12.Mora.c.15.de sum.Tyr.

Firmiter de con.d.1. Ecclesia.

Ac Papa etiam hæreticus, donec ab ecclesia deponatur, cùm suam retineat semper auctoritatẽ, caput ad huc ecclesię erit. hæretici itaq; in ecclesiæ partibus numerabuntur. Apostolus quoq;, cũ dixisset Hymenæum & Philetum à veritate excidisse & subuertisse quorundã fidẽ, subiunxit, In magna domo non solũ esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: quædã quidem in honorem, alia verò incontumeliã. Quibus verbis, vt Augustin. ait, eos etiam, qui à fide aberrârunt, in magna domo esse significat, scilicet non vt vasa in honorem, sed vt vasa in contumeliam. Quam omninò sentẽtiam Cypriani quoque testimonio confirmat. Sed enim ad ea, quę promisimus, exoluenda properantibus, non est consilium scrupulos omnes, qui in via obijciuntur, excutere. Quid enim illud hoc loco expendamus, an Papa hæreticus esse possit? Quid illud rursum, an simulatque in hæresim lapsus est, ecclesiæ caput esse desineret? At horũ vtrumque tamẽ priore argumento diluendo necesse erat explanare. Quod nec breuitatis nostræ est, nec ad opus institutum pertinet. Et si quid de hisce rebus dicendum erit, alio loco opportuniùs dicetur. Atque illam quæstionem quidem in libro sexto nos explicaturi sumus, de hac aũt in libro octauo. Pap. & Con. Caietanus noster longè lateq; disseruit. Ne autem argumẽti huius difficultate deterriti dare terga videamur, intelligẽdum est dupliciter ecclesiam posse dici. Primùm eam, quam fidelium omnium ab initio mundi vsque in finem congregatio conficit, quomodo D. Thomas de ecclesia loquitur, 3. parte q.7. art.3. illiq; omnes, qui esse nunc eandem ecclesiam dicunt, quæ fuit & in populo Iudęorum sub lege Moysi, & in hominibus pijs sub lege olim naturali. In quem

Obiectio 2 2.Ti.2.Li. 3.de bap. c.postremo. Li.4.de bap.c.12. Ad Antonia.li.4.epist.2 Respons.

sensum

sensum Catechumeni sunt membra ecclesiæ verissima. Non enim hęc baptismi sacramento secernitur, sed fide, quæ omni tempore populum Dei ab infidelium cœtibus discriminauit. Deinde & ea ecclesia dicitur, quæ in Christi nomine per baptismum cogitur, qui & fidei sacramentum est, & propriè ecclesiæ membra partesque facit, & Christi ecclesiam à Synagoga distinguit. Huius ecclesiæ nec Catechumeni partes sunt, & illi omnes sunt partes, qui à baptismo Christi characterem habent, nisi post hæresim exteriorem publico ecclesiæ iudicio fuerint excisi. Quamdiu enim aliquis reipubli. minister est, eiusque auctoritate & potestate fungitur, tamdiu illius pars dici & potest, & debet. In hoc igitur sensu quẽadmodum ecclesia, hoc est, Respub. Christiana, non interiore solùm fide constituitur, sed baptismi etiam exteriore sacramento: sic eius partes non interior modò infidelitas, sed schisma, externique iudicij diuisio separat. Itaque si in illa Nicolai finitione ecclesia hoc secundo modo accipiatur, fideles dicantur oportet nõ à Christi fide, sed à fidei sacramento. Verùm de hoc in cap. huius libri postremo plura. Argumento verò posteriori ita respondeo. Apostolus si ad Hymenæum & Philetum verba illa retulit, non ad id tempus spectauit, quo iam de domo fidelium communi per sectam priuatam exierant. Sed illud potius, quo per susceptam fidem ac baptismum in magna domo continebantur. Quæ sententia est Augustini his ipsis, quos attulimus, locis. Quanquàm propter Cyprianum, cuius se dicit auctoritate vrgeri, fatetur etiam hæreticos in magna domo quodammodo esse, propter eadem sacramenta, quibus administrandis cum ecclesia conueniunt. Verùm id Augustinus, vt dixi, inuitus addidit: nam illud prius libenter sequitur. Ego verò, vt, quemadmodum sentio, loquar, non intelligo, quid causæ Augustino fuerit, vt verba Cypriani in eum sensum acceperit, qui mihi sanè tam apparet à Cypriani mente alienus, quàm cælum à terræ natura alienum est. Nam, vt omittam, quod in locis paulò antè à me citatis, Cyprianus ipse hæreticos non obscurè ab ecclesia excludit, certè in epistola ad

Anto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Antonianum, cuius Augustinus testimonio abutitur, nō solùm non ab ea sententia discedit, sed eandem apertiùs confirmat, inquiens: Quod verò ad Nouatiani personam pertinet, scias nos curiosos esse non debere, cùm foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est, &c. Nec alia Cypriano causa fuit, hæreticorum baptisma negandi, nisi quia eos extra ecclesiam & esse, & baptizare, perpetua illi fuit firmaque sententia. In verbis autem, quæ Augustinus refert, nihil aliud Cyprianus significat, quàm Nouatianorum arrogantiam & tumorem, qui putarent se posse facere id, quod ne Apostolis quidem concessum est, vt zizania à frumento discernerent, paleas separarent à tritico, vasisque ligneis & fictilibus electis aurea argenteaque seligerent. Vbi per vasa lignea & fictilia non eos Cyprianus accepit, quorum sermo vt cancer serpserat, sed eosdem prorsus, quos & zizania, & paleas vocauerat, hoc est, fragiles & imbecillos, qui firmis perfectisque erant, suntque semper in ecclesia permixti. Quos Nouatiani, quoniam ferre non poterant, humilitatis ac lenitatis obliti, ab ecclesia ante tempus eijcere conabantur. Quanquam, vasa lignea fictiliaque ad solos improbos referre, quòd Cyprianus facit, non Augustino solùm, sed mihi etiam parum probatum est. Sensus igitur Apostoli planus est. Cùm enim dixisset, quosdam à veritate excidisse, &c. ne omnes fragiles existimarentur, ac proinde ecclesiæ fidei timeremus, subijcit, Sed firmum fundamētum Dei stat, &c. Quia verò quæreret fortasse quispiam, cur Deus in ecclesia sua alios firmos, alios infirmos haberet: hos stare, illos excidere pateretur: huic respondet Apostolus, in magna domo non solùm esse vasa aurea & argentea, sed lignea & testacea, &c. Est & altera huius Apostolici testimonij intelligentia, ex qua Manichæorum, Pelagianorum, Catharorum, Donatistarum, Begardorum, & Beguanorum pariter eluuntur errores, in quos Hymenæus fortè & Philetus incurrerant. Non enim verosimile fit, in eam hos amentiam incidisse, vt astruerent corporum resurrectionem esse iam factam.

Clem. ad nostram de hære.

Sed quoniam falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, vitam in carne mortali asserebant similem ei, quam iusti cum angelis post resurrectionem immortales habituri sunt, ab omni scilicet fragilitate & imperfectione alienam: idcirco vas electionis Apostolus eos asseruisse ait, resurrectionem esse iam factam. Horum igitur vanam futilemque sententiam paucis refutat Paulus inquiens, Sed firmum fundamentum Dei stat, &c. Quæ verba, ni fallor ego, hunc sensum habent: Electio fidelium ex parte Dei quidem certa atque immutabilis est. Hanc enim vocat ille fundamentum, quoniam primum est humanæ salutis initium. Nam quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Firmum igitur fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Nouit Dominus qui sunt sui. Electio quippè nostra nobis ipsis obscura & incognita, solius Dei notitia quasi signaculo quodam obsignata clauditur, vt hinc & apud nos incerta & occulta sit, & apud Deū stata & fixa. Sed quia salus nostra è nostro quoque arbitrio pender, nemo ex electione Dei certam sibi stabilemque iustitiam polliceri debet, nemo sensu inflatus carnis suæ angelorum religionem in carne mortali prædicare, nemo impeccantiam & virtutem omnibus numeris absolutam sibi assumere, nemo reliquorum fidelium aspernari consortium, in quibus humanum adhuc aliquid subesse cernat. Hoc est autem, quod subiungit, Discedat ab iniquitate, &c. Satagat, inquit, in primis per bona ipse opera certam facere vocationem suam, nec tantùm mundi tiæ suæ fidat, ne timeat iniquitate se posse contaminari & pollui. Intelligat deinde, in magna domo non solùm esse vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia. Ac quædam quidem in honorem, alia autem in contumeliam. Ita si vasa aliqua frangi cognouerit, reformet ea pro sua virili & consolidet, considerans seipsum, ne fortè & ipse frangatur. Atque si vas in honorem sibi videtur esse, ferat patienter vasa in contumeliam: nec horum abominatione à magna domo discedat. Nam & vasa ista inhonorata & ingloria, quemadmodum libero arbitrio versa sunt

Roma. 8.

1. Pet. 2.

Videlicet ut lib. 1. cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa sunt in contumeliam, sic verti eadem libertate potuerunt in honorem. Quibus ex rebus non modò argumentum illud eliditur, verùm etiam id constat, quod in hac finitione vel maximè quæritur, ecclesiam omnium fidelium, & fortium & imbecillium, & iustorum & iniquorũ collectione constitui. Id quod si planè ac breuiter confecerimus, nec nos industriæ nostræ, nec sui lectorũ laboris pœnitebit.

CAP. III.

Quinam sint fideles illi, è quibus verè & propriè Ecclesia consletur.

ENimuerò in partibus ecclesiæ censendis tres errores fuisse, animaduertimus. Primus eorum fuit, qui non putárũt illic ecclesiã habere partẽ, vbi non est solida vitæ puritas & integritas. Quales olim fuêre Cathari, &, qui ad horũ vesaniã accedebãt, Donatistę. Hodie sunt ex Lutheranis Anabaptistæ, qui cum Pelagianis perfectam omninò in hac etiam mortali vita fidelium esse iustitiam volũt, cum Catharis & Donatistis nullam in ecclesia infirmitatem ferunt. Fuêre alij, qui solis prædestinatis ad gloriam locũ in ecclesia concesserunt. Cuius erroris auctores præcipui reperiuntur, Ioannes VVicleff & Ioannes Hus, damnati in concilio Constan. Postremi solos probos ad ecclesiã pertinere arbitrati sunt, improbos autem nullo modo. Id quod post veteres quosdam modò asserunt Lutherani non omnes, sed qui in eis habentur nobilissimi. Verùm non est animus, quæ aduersum hos errores à catholicis disputata sunt, ea hic exquisitè resumere. Summatim ergo argumenta referemus, quibus singuli confutantur.

Aug. lib. 3. con. Parme. cap. 2.

Sessio. 15.

Primus itaque error ante omnia refellitur eisdem omninò testimonijs, quib⁹ Pelagiani olim & Donatistæ refutati sunt. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Itẽ, Dimitte nobis debita nostra. quam orationem Christus Apostolos suos docuit, qui ecclesiæ nimirum partes erant. Item, In multis offendimus omnes. Item, Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit ijs,

Con. Mil. c. 6. 7. & 8. 1. Ioan. 1. Matt. 6. Ioan. 3. Hebr. 5.

sit ijs, qui erant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis viuens. Item, Non est homo, qui nõ peccet. Item. Quis potest dicere, mundum est cor meum, mũdus sum à peccato? Itẽ, Nõ est homo iustus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet, cæteraq; similia, quę ex Iob & Daniele referri solent. Si igitur ecclesiam in singulis etiam membris, omni prorsus labe & culpa vacare oporteret, nulla profectò in terris esset ecclesia: quoniam nemo vsquam mortaliũ est, vt prædicta testimonia comprobant, qui omni ex parte perfectus & immaculatus sit. Præterea, Cephas, ecclesiæ sine dubio pars erat, qui ecclesiæ colũna erat, at ei tamen in faciem Apostolus restitit, quia reprehensibilis erat, nec rectè ambulabat ad veritatẽ Euãgelij. Nõ ergo opus est ecclesię mẽbra adeò pura esse, vt nulla in eis macula, nullus næuus resideat. Ad hęc, in Thessalonicẽsibus ecclesiã agnoscebat Apostolus: in his verò ijsdẽ quosdam etiam notabat ambulãtes inquietè, & curiosè agentes, quos docet non quasi alienos & inimicos existimandos, sed corripiẽdos vt fratres Christi: igitur cõfraternitas & societas aliquos habet fratres & socios imperfectos. Quid plura? Nonne Apostolus paruulos quosdã & imbecilles in ecclesia esse affirmat? Tanquã paruulis in Christo, ait, lac potum dedi, nõ escam. Et rursum, Infirmũ in fide assũmite. Quid illud? Quosdã quidẽ dedit Apostolos, quosdam autẽ Prophetas, alios verò Euãgelistas, alios autem pastores & doctores, ad cõsummationem sanctorũ in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectũ, vt iam non simus paruuli & fluctuantes. Et statim, Crescamus, inquit, in illo, ex quo totum corpus compactũ & connexum, augmentum corporis facit in mensurã vniuscuiusq; membri. Non igitur omnia ecclesię membra vndiq; consummata sunt, expletaq; suis omnibus numeris & partibus. Sed otiosum erit amplius in erroris huiꝰ cõfutatione versari, præsertim cùm Augustinus & Hieronymꝰ in hac fermè eadẽ causa dili-

2. Thess. 2. 2. Thess. 3. 1. Cor Rom. 14. Ephes. 4. Iu lib. de perfect. iustitię. li. 2. cont. Iouin. in epistol. ad Cleſiphõ.

gentissimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

lib.1. & 2. aduersum Pelagian. Conc. Constan. Sess.

gentissimè elaborauerint. Pergamus itaque ad reliqua.

Secunda porrò hæresis à nostris maioribus primùm explosa est, quoniam nexu necessario illi cohærēt aliæ pestilentissimæ in eodem concilio damnatæ. Si papa fuerit præscitus, non habet potestatem super fideles, nisi fortè à Cæsare. Itē, nullus sine reuelatione potest rationabiliter de se asserere, quòd sit caput particularis ecclesiæ. Itē, præsens iustitia & gratia nō facit aliquē esse aut Christi membrum, aut ecclesiæ. Item, prædestinati etiam infideles semper sunt Christi ecclesiæq; membra. Quare nec Paulus vnquam fuit membrum diaboli, nec Iudas Christi. Quæ omnia & per se sunt falsa perspicuē, & catholicæ fidei vehementer repugnantia. Res certè Christi publica fuisset insipientissimè cōstituta, si magistratuum in ea potestas tantis esset tenebris circumfusa, vt nulli prorsus fidelium eluceret. Cùm enim vniuersi fideles dubitent, an Summus Pontifex, episcopi, sacerdotes, ac cęteri ecclesię ministri prędestinati sint necne: dubitent etiam oportet, num decretis iudiciisque eorum astringantur. Ita fiet, vt ecclesiæ ac consiliorum dogmata ambigua sint omnia, & leges cunctæ imbecilles, sineque vi ad coercendum idonea. Quid autem stulitus dici potest, quàm ciuem ciuitatis suę magistratus cognoscere, qui sint, omninò non posse? Qui igitur ita sentiunt, ij cùm stultum Christianæ Reipu. auctorem faciunt: tum omnia scita, præcepta, sanctiones euertunt, omnemque funditus ecclesiæ potestatē. Quæ apud eos sanè vacillet & cadat necesse est, quibus occulta, incerta, atque infirma est. Nec argumentis à ratione ductis opus est irrationalem, non opinionem dicam, sed insaniam coarguere: cùm ad eam refellendam, manifestissima sint scripturæ testimonia. Vos, inquit, estis lux mūdi. *Matth.5.* Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam, & ponūt eam sub modio, &c. *Matth. 18.* Item: Si nō audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, &c. *Matth. 18.* Ecclesiam igitur manifestam & cognitam fidelibus esse necessum est. Item, ad regnum cælorum familiamque suam Christus eum quoque seruum pertinere docuit, qui, quoniam conserui sui non est misertus,

fertus, tortoribus traditus est. Non ergo in Christi familia, quæ ecclesia est, soli serui prædestinati continentur. Item, Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, in quas intrauit etiā ille, qui missus est in tenebras exteriores. *Matt.22.* Item, Simile est regnum cælorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. *Matt.25.* Non ait quinque simile esse, sed decem. Et tamen quinque ex illis clausa est ianua. Item, ecclesiam esse ex prædestinatis præscitisque permixtam, illa Christi parabola demonstrat, in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, nec seliguntur, donec in littore sint expositi, vbi angeli separabunt de medio iustorum malos, & mittent eos in caminum ignis. *Matt.3.*

Illa quoq; idem ostendit, in qua agri dicitur similis, qui bona fruge cōsitus, zizanijs inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream aducta fuerit messis, cùm colligenda zizania sunt, & alliganda in fasciculos ad comburendum. Et quoniam omnia persequimur, ecclesia area illa est, in qua sic collectum est triticū, vt sub palea delitescat, donec vanno & cribro repurgatum in horreum tandem reconditur: paleæ autem cōburuntur ignī inextinguibili. Præterea non ex præscientia, sed ex præsenti iustitia Dei populum, ciuitatem, familiā nominari, illud demonstrat: Qui aliquando nō populus Dei, nunc aūt populus Dei. Illud item, Eratis illo in tempore alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum. Iam autem nō estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei. & cæ. Quod, nisi ita sit, beatus & iustus est omnis ille, qui est prędestinatus ad gloriam, tum etiam cùm miser & impius est. Nō igitur à præscientia, sed à præsenti iustitia propriè denominamur. Dedit eis potestatem, ait, filios Dei fieri. Quibus? Num ijs, quos præsciit esse credituros? Non, sed his, qui credunt in nomine eius. Item, Eratis aliquando tenebrę, nunc aūt lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Itē, An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Item, Qui facit iustitiam, iustus est: qui facit pec

Aug. cont. Parme. parabolā hāc insigniter explicat.

1. Pet.2. Ephe.2.

Ioan.1.

Ephe.5.

1. Cor.5. 2. Ioan.3.

Vide Orige. in Ioan. 8. c.tom. 21. Rom. 12. 1.Cor. 12.

catũm, ex diabolo est. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Item, Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Quod nisi secundũ iustitiam præsentem nullo modo sumus. Itẽ, In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Per baptismum ergo, & non per prædestinationis gratiam in Christi corpus transimus. Sed in huius erroris confutationem satis multa diximus. Iam tertium eundemq; postremum refutemus.

Epist.3.li.4 & 2.lib. Aduer.Luciferia.cõt. Petil.l.3. ca.23.9.12. & 18. con. Parme.li.1. c.2. & li 3. cap.4.& 5. de vni. ecclc.c.13.15. & 16. con. Dona. post collati.ca. 4. & 6. Luc. 12. Apoc.2.et 3 Gal.c.1. Galat.3. 1.Cor.1.

Id quod in primis eædẽ omninò Euangelij parabolæ conficiunt, quibus antè vsi sumus. E quibus hocidem Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, argumentatur. In agro quippe dominico inter nitentia culta, lappęque & tribuli & steriles dominantur auenæ. In area paleę frumentũ operiunt. In reti pisces & boni cõcludũtur & mali. In magna domo vasa sunt lignea, & fictilia, honorata quoq; & inhonorata. In regno cælorũ cũ sapientib. virginibus fatuæ sunt. In Christi familia seruus nequam invenitur: non ille solùm, qui conseruũ negauit misericordiã, sed is etiã, qui super familiã cõstitutus, cùm moram domini causaretur, pristinumq; timorẽ abijceret, cœpit percutere seruos & ancillas, edere, bibere, & inebriari. Quid? an non ecclesias in Apocalypsi legimus, quarum angelos & ministros Deus ad pœnitentiam admissi criminis cohortatur? Nonne Apostolus ad Galatas eas etiã ecclesias vocat, quas ipse idẽ errore arguit deprauatas? Inter Corinthios quoque non vna erat peccati species, sed plurimę: neq; leuia erant errata, sed flagitia. Et tamẽ Apostolus eos non solùm ecclesiam, sed sanctam Christi societatem & agnoscit, & prædicat. Si inter Corinthios manet ecclesia, vbi feruent cõtentiones, sectę, æmulationes: vbi lites vigent & iurgia, vbi fauetur sceleri, & gentibus ipsis foret execrabile: vbi proscinditur Pauli nomen, quem ceu patrẽ colere debuerant: vbi diuina dona ambitioni, nõ charitati seruiunt: vbi quidã mortuorum resurrectionem ludibrio habent, vbi permulta demum indecenter & inordinatè geruntur: ecquis audet ecclesiæ titulum eripere ijs, quibus decima pars istorum criminum impingi non queat? Qui tanta morositate læ-

uiunt

uiunt in præsentes ecclesias, quid quæso Galatis, Corinthijsque fecissent, tantùm non Euangelij desertoribus? Habet igitur ecclesia carnales suos, quos non esse ab spiritualibus deserendos monet Apostolus. Habet suos ægrotos & infirmos, quibus parata à Christo sacramentorum remediæ medici administrant. Ijs quippe, qui intus sunt, pœnitentiæ sacramentum paratum est. Quod frustrà esset in ecclesia, si nulli essẽt in ea peccatores. Atque Lutherani, quoniam eludere ecclesiæ iudicia volũt, ne fateri cogantur, improbos habere ecclesiasticam potestatem, hos ecclesiæ partes esse negant: sibique proinde ecclesiam fingunt, quam nullus hominum videre potest, vt quę tenebras habitat inaccessibiles. Ecclesiam certè, quam ego non intelligo. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui defendunt. At inuoluere isti & obscurare id volunt, quod in clara luce à Christo positum est, ne à catholicæ ecclesiæ vnitate recessisse videantur. Nulla est autem, vt Augustinus ait, securitas vnitatis, nisi apud ecclesiam, quæ supra montem posita abscondi non potest: & ideò necesse est, vt omnibus terrarum partibus nota sit. Rectè etiam est ab Augustino dictum, vbi ecclesia manifesta nõ est, ibi ne Christum quidem manifestum esse posse: qui per ecclesiam non solùm hominibus, sed principibus & potestatibus in cælestibus innotescit. Nobis itaque ecclesia lucerna est. super candelabrum posita, quam videant omnes, qui in domo sunt. Qualis nimirum Antiochenis fuit, cùm disceptationis causa finiendæ Hierosolymam ascenderunt. Qualem præscripsit Dominus, vbi ait, Dic ecclesiæ, & c. Alioqui, quibus ecclesia occulta est, quid habent illi facere, cum in graues incidunt de lege ac religione controuersias? Num animi pendere vsque & nullo firmo loco consistere, incerta nempè erunt omnia, si apud solos pios, ecclesia est. In quocunque enim ecclesiæ iudicio excipiet, is, contra quem sentẽtia dicitur, quòd iudices non sunt pij. Quamobrem, qui ecclesiam iustorum solùm numero definiunt, ij cum à malis ecclesię pastorib. omnẽ potestatem auferunt, tũ iudiciorũ ecclesiasticorũ vires infirmãt, nec vlla habere possunt ecclesię firma dogmata.

Cõ. Parme. li.3.c.4. Matt.5. Ad Vincẽ. epi.48.

Ephe.3. Matth. 5. Act.25.

Matt.18.

Matth. 23. Ac nisi Christus intelligeret, malos ecclesiæ suę non partes quaslibet, sed primas etiã aliquando futuros, nusquã illud profectò admoneret, Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: quæcunq; dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Quid verò Paulus? Hic iam quæritur, ait, inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, & c. Quod si necessarij essent boni mores, vt quis ecclesiæ pars & administer esse posset: non vtiq; pro minimo haberet Apostolus ab hominibus iudicari, quippe eiusmodi iudiciũ cum apostolicæ potestatis ruina cernebat esse coniunctum. Nunc autem videns ad dispensatoris potestatem illud non esse necessarium, quod Corinthij nonnulli requirebant, Mihi, ait, pro minimo est, & c. Iam quot, quamq; vehementes scrupuli, quanta confusio atq; perplexitas ipsis etiam dispensatorum animis inijcerentur, si ex peccato ab ecclesia fierent protinus alieni, omnemq; adeò ecclesiæ potestatem amitterent? Benè igitur subdit Apostolus, Sed nec me ipsum iudico, & c. Humanorum autem iudiciorum quanta temeritas, si ab animi virtute ecclesię partes officiaq; penderent? Ea propter adiunxit, Itaque nolite ante tempus iudicare, & c. Quãtum verò schismatum quotidie in ecclesia videremus, dum vnus alteri diceret, Tu non es de ecclesia, quia malus es: ego de ecclesia sum, quia sum bonus? Dumq; etiam quem hic damnaret, eum ille defenderet: quantam putas fore litium, iurgiorumque materiam? Præclarè itaque concludit Apostolus, Hæc autem transfiguraui in me & Apollo, ne vnus aduersus alterum infletur pro alio, & c. Maneat igitur, ecclesiæ nomen fideles vniuersos probos improbosq; complecti. Quod in hoc capite suscepimus explicandum.

8. Cor. 4.

CAPVT II.

Quænam sit ecclesiæ catholicæ in fidei dogmate auctoritas.

DE ecclesiæ nominæ ea dicta sunt, quæ cùm necessaria viderentur, præteriri à nobis nec poterant, nec debebant. Nunc ad rem ipsam, quæ est in manibus, aggrediamur: ostendamusq; ecclesiæ auctoritatem

tem tantum habere ad faciendam fidem virium, vt firmissima etiam theologis argumenta suppeditet. Hoc priusquam facio, admonere operæpretium est, ecclesiam non ipsam modò catholicorum concionẽ esse, quæ per baptismum Christo & nomen dedit, & peculiaris nouaque respub. consecrata est, verùm etiã principes ac præfectos ipsos ecclesiasticos, in quibus scilicet reipu. huius auctoritas potissimum residet. Nec id nos aut recenti opinione confugimus, aut sine scripturæ testimonijs affe rimus. Præclarum est Aristotelis illud: Ciuitatem id maximè esse, quod est in ea principale. Inde enim, quæ prin cipes ac gubernatores ciuitatis faciunt & sentiunt, ea ciuitas facere sentireq; dicitur. Cuius rei in sacris illud exemplum est, Congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum, & duces familiarum in Hierusalem. Et inferius, Conuertitq; rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat. Illud etiam simile huic, Venit Moyses, & conuocans maiores natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat dominus. Respondit q; omnis populus simul, Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Nõ est igitur, cur in hac significatione ecclesiæ vocabulum fideles perhorrescant: quod hæretici fácere solent in odium ecclesiasticæ potestatis: quam Christus non penes populares, sed penes ecclesiæ sacerdotes ac pastores esse voluit: vt alio & loco & tempore, si facultas erit, explicabitur. Nunc scholæ more rem totam, quæ huius libri caput est, quatuor cõclusionibus absoluemus. Sit ergo prima conclusio.

Ethi. 9. c. 9

3. Reg. 8.

Exo. 19.

Ecclesię fides deficere nõ potest. Est enim spõsa Christi per fidem, sicut scriptum est: Desponsabo te mihi in fide. Quòd si ecclesiæ fides deesset, iam sponsi sponsæq; matrimonium dirimeretur: quorum tamen est indissolubilis perpetuaque coniunctio. Sponsabo, ait, te mihi in sempiternum. Et sponsa, Tenui, inquit, eum, nec dimittam. Et ille rursum, Ecce ego vobiscum sum, ait, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Quo testimonio ad id probandum vtitur Leo ad Augustam & Theodorum. Probat etiam Iulius in decretis suis illo

1. Conclu.

Ose. 2.

Ose. 2.

Cant. 3.

Matt. vlt.

Epist. 14. & 69.

Psal.47. psalmi testimonio, Circũdate Sion & complectimini eã, quoniam hic est Deus noster in seculum: ipse reget nos in secula. Quod de ecclesia Christi intelligi oportere, quicunque psalmum leget, etiam me non demonstrante, intellecturus est. Idem quoque ostenditur ex eo, Regnabit domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Si ergo in ęternũ ecclesia Christi manu sustinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientia regitur, fides profectò in ea permanebit, sine qua regnum Christi in terris nullũ est. Confirmat autem hoc *Luc.1.* clarissima illa Isaiæ vaticinatio, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, & verba *Isa.59.* mea quę posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, amodò & vsque in sempiternum. Huic *Psal.88.* & illa similis est, Disposui testamentum electis meis, intraui Dauid seruo meo, Vsq; in æternum præparabo se- *Psal.131.* men tuum. Item elegit Dominus Sion, elegit eam in ha- *Hie.31. & 32.* bitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi. Illa verò Hieremiæ est longè similima, Ecce dies veniunt, *Matt.7* dicit Dominus, & cæt. Præterea vir sapiens describitur à Domino is, qui ædificauit domum suam super petram: Christus igitur domum suam super petram fundauit. Quare nec pluuia, nec flumina, nec venti obruere illam *2.Cor.1.* possunt. At fide stamus, vt ait Paulus, ecclesia igitur fidẽ semper habebit. Nam aliàs non stabit, sed ruet. Quid? q; apertis verbis hanc fidei firmitatem ecclesiæ suæ Domi- *Matt.16.* nus pollicetur, inquiens, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam? Ecclesiæ igitur fidem non poterit vel infernus adimere.

2. Conclus. Conclusio secunda. Ecclesia in credendo errare non potest. Nonnulli enim ecclesiæ perpetuam fidem sic interpretantur, vt intelligant, Deum ecclesiæ esse præsentem vsque ad seculi consummationem: ne vnquam vera illi fides & charitas desint. Sed posse tamẽ probabiliter ignorare rem vnamquamlibet, qua scilicet ignorata, nõ proinde ecclesia fidem amitteret. Faciamus enim disputationis gratia, nõ esse à Deo reuelatum, Diuam Virginem

rem ab originali peccato immunem extitisse. Nihil enim prohibet rem fictam exempli loco ponere, quò facilius res intelligatur, quanquam exemplum verum est, vt posteriùs ostendemus.

Aiunt ergo, quòd quamuis ecclesia crederet, sanctam Virginem fuisse sine peccato conceptam, idemque definiret ab omnibus esse credendum: non tamen in eo fidei iacturam facere existimaretur. Nam licet falleretur, at error probabilis & inculpatus fidem ecclesiæ non excluderet. Cuius sententiæ, si de facie consideres, videntur esse glossa interliniaris, sic enim vocãt, in illud: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & D. Tho. in 4.d 6.q.1.art. 3.q.ad 3. & Cardinalis Turrecre. lib. summæ ecclesiæ, 2.c.91. Et Alphonsus à Castro Zamoren. de iusta hærepuni. lib.1. cap.5.

At re vera id nos superiore propositione cõstituimus, nempè ecclesiam semper fidem habituram. Verũ est hoc, quis negat? Sed prętereà ecclesiã in fide errare non posse, sic à fidelibus accipiendum est, vt quicquid ecclesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit: nec quicquã falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendũ. Cùm enim corpus Christi sit, vt ad Ephes. docet Apóstolus, à suo *Eph.5.* certè capite mouetur ac regitur. Ecclesiæ igitur error ad Christum auctorem referetur. Nullo itaque pacto errare in fide potest. Nã spiritus veritatis est huius corporis a- *Eph.4.* nima. Vnus, inquit, spiritus, & vnum corpus. Quòd si spiritu veritatis ecclesia agitur, ad nullũ errorem ne inscięs quidem, moueri poterit. Præclarã deinde promissionem *Ioan.14.* habet ecclesia, q; nunquam sit à Christo deserenda, quin eius spiritu in omnẽ ducatur veritatem. Ego rogabo patrem, ait, & aliũ paracletũ dabo vobis, vt maneat vobiscum in ęternum, spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, quia apud vos manebit. Et postea, Paracletus autem *Ioan.16* Spiritus sanctus ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcunque dixero vobis. Item, cũ autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Nec me fugit, quòd hæretici argumentum hoc duobus modis eludere conantur. Primùm enim, eiusmodi verba, aiunt, de solis apostolis intelligẽda, neq; ad posteros

in ecclesia pertinere, mox affirmant, Christum non tantùm numero duodenario coniũctum, sed apostolis quoque seorsum singulis spiritũ veritatis ꝓmisisse. Imò alijs similiter discipulis, vel quos iã assumpserat, vel qui postea accessuri erãt. Nam si eiusmodi promissiones sic interpretemur, quasi nemini Christianorum datæ sint, sed vniuersæ simul ecclesiæ, nihil nos aliud, quàm Christianis omnibus consolationem tollere, quæ inde ad ipsos redire eximia debuerat. Sed vtraq; iuxta in re rusticè, indocteq; nugantur. Principiò enim, verba illa nõ modò ad apostolos, sed ad successores etiam referri opo-
Ioan.14. tere, ex eo ante omnia patet, Qui maneat vobiscum in
Matth. vl. æternum. Quod illi simile est, Ecce ego vobiscum sum o-
Ioan.17. mnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi. Rursum ex eo quoq; patet, Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Pro eis ego sanctificabo me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui crediturí sunt per verbum eorum in
Isa.59. me. Atq; promissionis huius Isaias mihi videtur illustris non vates modò, sed interpres: Spiritus meus, ait, qui est in te, non recedet de ore tuo & de ore seminis tui amodò & vsque in sempiternum. Quem igitur spiritum veritatis Christus promisit Apostolis, ecclesiæ item post eos futuræ promisit: nisi velimus ecclesiam defunctis Apostolis fuisse à Domino destitutam: Imo verò ad eam nec concilia, nec prẽcepta euangelij pertinere. Siquidem quę dominus apostolis loquebatur, hæc ad illos duntaxat, non ad futuros in ecclesia post eos spectare dicũtur. Quę quid stultius dici potest?

Iam secunda illa tergiuersatio quã vana etiam & ridicula est? Si enim hoc ita communiter fidelibus dictũ esse volunt, vt seorsum quadret in singulos: sequitur, cuicũq; fideli spiritum veritatis sempiternũ adesse, qui eum doceat omnem veritatẽ, suggeratq; ei omnia quęcunq; dicta in euãgelio sunt. Sed esto, spiritu sapiẽtię, intelligẽtię, lucis, veritatis, omnes polleant: num ificias ire possumus, quicquid particulatim membrorũ vnicuiq; tribuitur, id penitùs & ad plenum corpori conuenire? Quid ad hoc respondeat Caluinus, audiamus: Hoc, ait, tametsi habet

habet nonnullam veri speciem, veruntamen esse nego. O stultum hominem & repugnãtem manifestæ veritati. An ignorat, quæ spiritus sancti dona singulis mẽbris distribuũtur, in communi conferri omnia? An videt oculus, & non magis homo videt? An non lucerna corporis est oculus? Quid verò absurdius, quàm membrum posse quicquam, quod corpus nequeat, efficere, partem habere, quod non habet totum? Vnicuique, ait, nostrum da- *Eph.4.*
ta est gratia secundum mensuram donationis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, &c. ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Et posterius, Crescamus in illo, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactũ & connexum secundum operationẽ, in mensurã vniuscuiusque membri argumẽtum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Membrũ igitur, quoniam id, ꝙ est, totius corporis est, nihil sibi vendicat proprium: sed ita in corpus omnia confert, vt magis corporis, quã mẽbri actiones perfectiones q; esse videantur. Quocirca illud absurdum est, quòd ij scilicet, quibus cum nũc differitur, eam curam, quam debent capere, non capiunt: eã capiunt, qua debent carere. Non enim probant, verba Christi minimè ad ecclesiam attinere, probant attinere ad singulos: quod contrà oportebat, si propositum illis erat argumenti vires infirmare. Nos sanè, quemadmodũ scimus animam actũ & perfectionem esse maximè quidem corporis Physici organici, secundo autem loco mẽbrorum etiam singulorum: in quibus varias licet edat functiones, sed omnes illæ & corporis proprię sunt, & propter corpus ipsum membris à natura tributæ. Ita spiritum veritatis ad corpus primum ecclesiæ referimus, deinde propter ecclesiam ad singulas etiam ecclesię partes, non ex æquo, sed analogia & proportione quadam iuxta mensuram vniuscuiusque membri. Vnum corpus, inquit, & vnus spiritus. Vnicuique autem nostrum da- *Eph.4.*
ta est gratia secundum mensuram donationis Christi. Quęnam verò hæc mensura Christi est? Secundũ operationem, ait, in mensuram vniuscuiusque membri. Spiritus ergo suo quidem modo singulis promissus est: vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.3. magnos doceat, doceat & paruulos. Ac paruulis lac
1.Cor.2. potum dat: maioribus solidum cibum. Illis Christum loquitur, & hunc crucifixum: his loquitur sapientiam in mysterio absconditam. Verùm singulis membris sic spiritus veritatis adest, vt non solùm corpore vniuerso non desit, sed corpori, quàm membris prius; potiusq; intelligatur adesse. Quin etiam, si veritas omnium membrorum donum est, tunc nimirum illa erit & firmior & certior, cùm in eam omnia simul mẽbra concurrerint. Quamobrem, si quid falsi haberet Ecclesia tanquam fidei catholicæ dogma, nec spiritus Christi æternum cum fidelibus permaneret, nec eos omnem doceret veritatẽ. Quę nisi Christi pollicitationes vanas & irritas facimus, vera rataque esse non possunt. Ac si dogma falsum eccle
1.Tim.3. sia crederet, credendúmue proponeret, quālibet ex ignorantia id faceret, quomodo columna & firmamentũ esset veritatis? Certè si veritas in ecclesia humeris innixa est, deesse illi omninò nõ potest, nisi & ecclesiæ suę Christus, & Christo ipsa veritas desit. In summa, si ecclesia posset in fidei quæstione falli, librum quoque vt diuinũ recipere posset, qui tamen à Deo non fuisset. Cũ sit eadem ratio de vno libro, ac de vnoquolibet dogmate. Quare non valeret argumẽtum, Ecclesia habet euangelium Matthæi pro canonico, ergo canonicum est. Quod, quoniam impijssimè & absurdissimè diceretur, illud nos dicamus potius, rectè fideles ecclesiam catholicam credere, non solùm in eo sensu, vt ecclesiæ catholicæ fides deficiat nunquam: sed in eo etiam, vt nihil ipsa credere aut docere possit, quod sit veræ fidei contrarium. Subdo lè autem atque versutè mentem nostram Caluinus, Bucerusq; interpretantur. Quasi in eum sensum ecclesiam negemus errare posse, quòd spiritus fauor e ac præsentia frena, quocunque volet pergere, tutò etiã sine verb o incedat. Proinde, si quid præter Dei verbum crediderit, statuerit, finierit, id habẽdum esse non alio loco, quàm certum Dei oraculum. In hoc igitur discrimen esse aiunt, quòd nos ecclesię auctoritatem extra verbum Dei collocamus: ipsi verbo annexam volunt, nec patiuntur ab eo separari. Laborat autem Caluinus vehementer in ijs lo-

cis colligendis, in quibus Prophetæ, Apostoli, atque adeò Christus ipse nihil ex se attulisse, sed de ore Domini locuti fuisse memorantur. Cõficit multò æquius esse, ecclesiam Christi discipulam ab eius ore assiduè pendere: nec ex se sapere & cogitare quicquam, sed statuere sapientiæ suæ terminum, vbi loquendi finem ille fecerit. Sanctissimè enim Chrysostomus: Multi, inquit, Spiritũ sanctum iactant, sed qui propria loquuntur, falso illum prætendunt. Vt Christus non à seipso loqui se testabatur: ita si quid præter Euangelium sub titulo spiritus obtrudatur, ne credamus. Sanè Christus nihil plus de suo spiritu denunciat expectandum, quàm vt mentes illuminet ad percipiẽdam doctrinæ suæ veritatem. Spiritus, ait, ducet vos in omnem veritatẽ. Sed quomodo? Quia suggeret omnia, quæcunque dixero vobis. Hæc omnia Caluinus. Nam Bucerus dixit multò etiam indoctiùs, tunc esse ecclesiæ credendum, cùm pronunciat secundum scripturas rectè intellectas. Sed hoc cùm dicit, omnia facit ambigua, quæ sunt ab ecclesia definita. Si enim aliter potest pronunciare, quàm scriptura sanè intellecta exigit: excipimus semper, ecclesiã in eo falli, quòd falso scripturam intelligit. Ecquis verò iudex erit, an ecclesia scripturam ritè an secus interpretatur? Nihil igitur afferunt, qui ecclesiæ auctoritatem non absolutè, sed ex conditione ponunt. Si namq; ad eũ modũ res habet, & mihi quoque fides habenda est, quando pronunciauero secundum scripturas rectè intellectas. Id enim est non mihi, sed scripturæ credere. At, absolutè, non ex conditione populus Domino credidit, & Moysi seruo eius. Absolutè etiam Prophetis & Apostolis populi crediderunt. Quale verò esset Prophetis Apostolisque loquentibus fidem ea exceptione detrahere, quòd perperã Dei verba intellexissent? Quale item esset, si illa quoque exceptio adderetur: Mendacium tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster? Ac valdè mirum est, tam nihil esse frontis istis nebulonibus. Quid enim tandem auctoritatis in ecclesia erit, si in omni dogmate, lege, definitiõe, dupliciter eludi potest, quod aut sermonem ipsa suum afferat, aut, si sermo Domini sit, nõ sanè intellectum? Sed

Hom. de sancto & adorãda Spiritu.

Ioan. 14.

Exod. 14.

Hiere. 43.

redeo

redeo ad Caluinum, qui cùm sibi vulgatum illud Do-
Matth. 18. mini testimonium obiecisset, *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, fatetur demum ecclesiam audiendam esse, vt quæ nunquàm nisi in veritatẽ Dei consentiat, nihil nisi ex verbo Domini pronunciet. In hoc se insistere, non licere ecclesiæ nouã doctrinam condere, & plus pro oraculo tradere, quã quod Dominus verbo suo reuelauit.

Verùm enimuero inter suos hic mirificè garrit, & vel stultè ignorat, vel malitiosè mentitur, cùm dicit, nos id pro oraculo fidei habere, quod homines sine Dei reuelatione censuerint. Nos sanè fidem nostram indiuiduo nexu cum verbo Dei coniunctam esse volumus, nec vllum ecclesiæ assensum fidẽter firmeque sustinemus, nisi quem à Deo extitisse habemus cognitum, & firmo cõceptum animo. Sed illud quoq; certò nobis persuasum est, Dominum ecclesię suæ perpetuò ac continenter adesse, & eam spiritu suo regere, ne quicquam pro fidei doctrina tradat, quod non idem fuerit Apostolis à Deo traditum. Ita omnes prophanas nouationes execramur, omneq; illud in fidei iudicio respuimus, quod non Apostoli ecclesiæ tradiderint. Non ergo in hoc, sed in eo potissimum cardine quæstio versatur, quòd Lutherani negãt ecclesiam quicquam sine scripto ab Apostolis accepisse: nos contrà plura esse accepta asseueramus. Qua de re & multa aliàs sæpè diximus, & dicemus multa posterius.
Libro 7. Quamquàm in superiore lib. adeò plenè ac copiosè quæstio hæc explanata est, vt nihil prætereà desiderandum esse videatur. Ipsa mihi veritas manũ iniecit, & paulisper cõsistere & commorari coegit: dum priores conclusiones explico. Celerius proinde in posteriores incurrendum.

Tertia conclusio. Sit igitur tertia cõclusio. Non solùm ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed ne ecclesia quidem, quæ nunc est, quæúe futura est vsque ad consummationem seculi, errare in fide aut potest, aut poterit. Hæc conclusio partim ostensa est in libri secundi capite septimo: partim ex his, quæ dudum diximus, comprobatur. Nam pollicitationes Christi de præsentia sua, de spiritu veritatis,

veritatis, de regno ipsius sempiterno, de corpore cuius ipse erat futurus caput, nõ ad ecclesiam modò, quæ fuit tempore Apostolorum, verùm etiam ad Ecclesiam catholicam, quæ futura erat in seculi finem, pertinere necessum est. Id quoniam ex argumentis, quæ prioribus conclusionibus confirmãdis posita sunt, manifestè colligitur: vanum profectò erit, aut acta agere, si eadẽ argumenta repetimus, aut si noua ponimus, vti in re non dubia, rationibus minimè necessarijs. Certè qui ecclesiæ præsenti spiritum veritatis negare prætenderit, is negabit eidem potestatem ligandi atque soluendi, negabit sacramenta & sacerdotium, omniaque adeò Spiritus sancti charismata. Ita nunc ecclesia Christi ad nudum nomen contrahetur, eritque sine re vocabulum cõmentitium. Verùm de tertia conclusione hactenus.

Quarta conclusio. Non solùm ecclesia vniuersalis, id est, collectio omnium fidelium hunc veritatis spiritum sempiternum habet: sed eundem habent etiam ecclesiæ principes ac pastores. Diximus enim Ecclesiæ vocem, & pro populo fideli, & pro ecclesiæ pastoribus vsurpari. Priores itaque conclusiones illud astruebant, quicquid ecclesia, hoc est, oĩm fidelium concio teneret, id verum esse. Hæc autem illud affirmat, pastores ecclesiæ & doctores in fide errare non posse: sed quicquid fidelem populum docẽt, quod ad Christi fidem attineat, esse verissimum. Hanc conclusionem mox ostendam, si priùs admonuero, pastoris vnius & alterius, item errorem pastorum omnium, fidei non derogare. Sicut ne paucorum quidem fidelium error fidei derogat populi Christiani. Pastores igitur ac doctores omnes à fide nunquã posse aberrare contendimus. Sic est sanè. *Quarta conclusio.*

Id primum, mea sententia quidem, manifestè demõstrat illud Apostoli testimonium, Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni *Ephe 4.*

vento

vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionē erroris. Sanè si pastores ac doctores huc atque illuc errarent, à rectoq; fidei tramite discederent, oues profectò ipsæ etiam errarent, nec aliter, quàm sine pastore dispersæ vagarentur. Cū pastor enim per abrupta graditur, necesse est, quod Gregorius ait, vt per præcipitium grex sequatur. Nec fieri potest, nisi vt membra reliqua eò deferantur, quo & oculi suam vim atque aciem intenderint, & caput sese inclinauerit atq; deflexerit. Benè ergo Paulus, ne populus varijs doctrinæ ventis circumferatur, diuinæ procurationis esse astruit, doctores & pastores ecclesiæ dare: quorum videlicet auctoritate, plebs sua natura concitata atque mutabilis in fidei constantia superno munere contineatur. Quòd si nullū ecclesiæ suę pastorē daret Christus, iam sine dubio ouile suum pastor bonus ille desereret. Atqui multò melius ecclesiæ est nullos habere, quàm errantes habere. Si igitur pastores ad vnum omnes à veritate discederēt, oues suas Christus vel maximè destituisset. Prætereà, si pastores omnes in errore aliquo versarentur, ijdem omninò populum aut de statu suo, & sede mouerent, aut certè
1. Tim. 3. nutare facerent, vacillare, fluctuare. Ita domus Christi non esset columna & firmamentū veritatis. Faciamus insuper omnes simul episcopos in eandem sententiam conuenire, hancq; populo rudi credendam proponere: tunc rogo, an populus has sequi debeat, an non? Si debet, cum errantibus ergo sacerdotibus & episcopis plebs quoque erret necesse est. Quare sacerdotum omnium error, totius erit error ecclesiæ. Sin autem populo omnium pastorum doctrinam leuem existimare licet, vide quæso, an hac sententia absurdior alia dici, aut existimari possit. Si enim hinc pastores, inde oues in contrarias partes separentur: corporis compacti ac per omnem iunctu ram connexi disiunctio omnem ecclesiæ distrahet vnitatē, & non solùm inter optimates & populum cōstitutam à Christo societatem euertet, sed cōmunem etiam inter se fidelium consociationem dirimet, cuius consociationis arctissimum vinculum fidei est, conspiratio eadem & consensus partium non diuullus. Diuulsus autem

tem omnium erit, si populorum membra à suis capitibus diuellantur. Atque vbi semel plebs rudis à doctorū suorū cōmuni sententia declinauerit, quorū doctrinam *Matth. 5.* posteà secuta est? Si salem abiecerit, quo salitur? Si à luce mentis aciem abduxerit, quid nisi tenebras intuebitur? *Luc. 11.* Si oculis est malus, nónne & corpus tenebrosum erit? V. *Matt. 23.* bi verò illud, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quodcūque dixerint vobis, facite? Anne meliore statu & conditione Scribæ & Pharisæi erunt, quàm ecclesiæ Christi pastores ac doctorēs? Certè, si præsentibus solùm, & non item futuris Dominus loqueretur, vt auctor imperfecti argumētatur, dicta illa fuissent, non scripta. Dicta sunt autem propter illos, scripta propter *Hom. 42.* istos. Adhæc, veritas fidei in catholicorum controuer- *in Matt.* sijs, quemadmodum in secūdo libro cōstituimus, libri. 5. que etiam quinto & septimo confirmandum est, non est à populo querenda. Tum quoniam id esset operis infiniti, vt ad quæstionem vnamquamlibet decernendam, omnium sententia fidelium rogaretur: tum etiam, quoniam, vt fieri id com modissimè posset, non deceret tamen, aut cerdonum, aut mulierculārum singillatim inquirere & expectare iudicium. Siue enim vnumquenque seorsum interroges de quæstione, quæ in dubium venit, seu vniuersos velis in concilium cogere, ridicula sanè futura sit huius generis inquisitio. Ita per ecclesiæ auctoritatem nulla penitùs controuersia finiretur, si ad eam finiendam totius consensum plebis requirere deberemus. Addendum eodem est, quod iā pridem diximus, quædam ad doctrinam fidemq; ecclesiæ pertinere, quæ populares prorsus ignorant: Vt, Patrem & Filium esse vnum principium Spiritꝰ sancti, Animam intellectualem esse formam substantialem humani corporis, Librū Esther esse canonicū, aliaque similia. In quibus sententiā populi requirere tam est absurdum, vt nō in sapientiū modò animos, sed ne in stultorū casurum sit. Nec enim placere cuipiam potest, tantas res imperiti vulgi calculis iudicari. Prætereà in epistola Ephesini concilij ad Nestorium, id à Nestorio, si facere sacris ecclesiæ velit, exigitur, vt iureiurādo fateatur, sentire se & docere,

quæ

quæ vniuersi per orientem & occidentem episcopi præsidesque populorum crederēt ac docerent. Quæ eadem epistola comprobata etiam est à sexta synodo, actio. 11. In concilio item Triden. sessio. 3. definitum est, ecclesiæ esse iudicare de vero sensu & interpretatione scripturarum. At totam fidelium congregationem de re eiusmodi velle iudicium ferre, insanum esset. Pastores igitur ecclesiæ ac doctores illi sunt, ad quos id genus iudicia pertinent. Atq; Egesippi diligentissima fidei inquisitio Eusebij Cæsarien. litteris celebrata est, qui cùm Romam pergeret, non popularium sententiam de fide requisiuit, sed satis sibi fecisse ad fidei suæ confirmationem visus est, si episcopis per loca singula in sermone congressus omnes eiusdem fidei prædicatores doctoresque reperiret. Irenæus rursum cùm ecclesiæ auctoritatem hæreticis obijcit, episcoporum tantùm sententiam obijcit, secundum seriem ab apostolis succedentium, horumque sensum & fidem, ecclesiæ sensum & fidem existimat. & illis, qui refragetur, eum ecclesiæ refragari. Cyprianus item in libro de simpli. præla. An esse sibi, inquit, cum Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri societate secernit? Arma ille cōtra ecclesiā portat, contra Dei dispositionē repugnat, &c. qui cōtēptis episcopis, & Dei sacerdotib. derelictis audet, &c. Et in epistola ad Pupianū, Christus dicit ad Apostolos, ait, ac per hoc ad oēs p̄positos, q̄ Apostolis vicaria ordinatione succedūt, Qui vos audit: me audit & q̄ vos reijcit, me reijcit. Et posterius asserit, ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem sacerdoti adunatam, & gregem suo pastori adhærentem. Vnde qui cum episcopis non sint, eos in ecclesia non esse: frustraque sibi eos blandiri, qui pacem cum sacerdotibus non habuerint. Cum ecclesia, quæ catholica vna est, scilla non sit, sed connexa, & cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulata, &c. Augustinus demum, quoniam longum est omnes commemorare, cùm aduersum hæreticos ecclesiæ auctoritate nititur, episcopos apostolis ad sua vsque tempora succedentes planè intelligit.

Euse. lib. 4. eccles. hist. c. 22.

Lib. 2. c. 3. Li. 4. c. 43. & 63.

Nona. 4. lib.

7. q. 1. Scire debes.

Li. 28. con. Faustum. ca. 2 & li. 33. cap. 6.

CAP.

CAPVT V.

Aduersus hanc postremam conclusionem obiectiones quædam.

ATque in harum conclusionum & explicationem & confirmationem abundè hęc dicta sufficerent, nisi huic postremæ illud à quibusdam Theologis obijceretur: quòd tempore dominicæ passionis apostoli omnes Christi fidem amiserunt, quò fieri, vt & episcopi omnes apostolis succedentes possint Christi fidem amittere. Nam quòd eo temporis in sola beata Virgine fides permanserit, candela, inquiunt, illa significat: quæ in officijs eorum dierum sola non extinguitur, vnde discipuli lumen, quod amiserant, receperunt. Quoniam autem ratio hæc infirma illis etiam videbatur, eandem omninò rem & sanctorum veterum, & scripturę sacrę testimonijs confirmant.

Primum ergo argumētum ex illo trahitur, quod per Matthæum Dominus dicit, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, id est, ab vnitate fidei soluentur. Sic enim Glossa interlinearis exponit. *Cap. 26.*

Secundū, ex eo, quod apud Lucam legitur, verba mulierum nunciantium Christi resurrectionem visa apostolis esse quasi deliramenta. *Cap. 24.*

Tertium ex eo, quod Marcus tradit, Christum exprobrâsse omnibus apostolis incredulitatem & duritiam cordis. *Cap. 16.*

Quartum ex Augu. in illud psalmi, Defecerunt oculi mei, Omnes, inquit, discipuli desperauerunt, quòd ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando ipsi defecerunt. Refert etiam Cardinalis Turrecremata in hoc idem Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Isidorum. Verùm difficile est, de eorum facilitate, perinde vt causa postulat, dicere: qui huiusmodi argumentis permoti, apostolos in vniuersum omnes fidem perdidisse aiunt. Id quod non cum ratiōe solùm, sed etiam cum sacris literis pugnat. Nam, vt de Petro taceamus, cuius fidem non defecisse, posterius de- *Psal. 68.*

Li. 3. summæ c. 61.

Li. 6. c. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

monstraturi sumus, adhuc opinio illa de cæteris apostolis non modò non certa, sed ne probabilis quidem est.

Matt. vlti. Discipuli, inquit, abierunt in Galilæam in montem, vbi cõstituerat illis Iesus: & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Quidam, ait, non omnes. Video autem hanc dubitationem à nonnullis non ad apostolos, sed ad alios, nescio quos discipulos referri: sed mihi semper Theophylacti magis ac Remigij sententia placuit, qui illam docent ad tempus, quo Christus antè discipulis apparuerat, referẽdam. Id quod Marcus, vt opinor, intellexit: cùm ait. Increpauit incredulitatem & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, nõ crediderãt. Siue enim apparitio hæc, quam Marcus scribit, in die Ascensionis fuerit, vt multis placet, siue antea, quemadmodum nonnullis etiam videtur, dubitan dum non est, quin eas increpationes hic Marcus recapitulando perstrinxerit, quas sparsim alij Euangelistæ conscripserunt. Quia ijs, inquit, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Constat autem ex alijs euangelistis incredulitatem & duritiã cordis, ex ea scilicet causa, quia his, qui viderant Christũ surrexisse, non est creditum, nõ ad omnes apostolos pertinere. Petrus nanque & Ioannes audito nuntio cucurrerunt ad monumentum: ac Iacobus iuxta Hebræorum euangelium ab hora, qua biberat Domini calicem, iurauit se non comesturum panem, donec Christum videret resurgentem: vt auctor est Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorũ. Non igitur omnes apostoli fidei iacturam fecisse credendi sunt: nisi, quòd absurdum est, omnes infideles fuisse credideris. Non enim fides semel à Christiano suscepta, nisi per infidelitatem tollitur. Illud absurdius, hæreseos notam Apostolis vniuersis inurere. Quod qui faciunt, idque sine idoneis & vrgentibus causis: hi non solùm illis, sed Christo etiam & ecclesiæ iniurij sunt. Iam argumenta illa infirma esse quis non videt, quæ auctores illius opinionis subiecerunt? Quæ quidem partim à nobis antè confutata sunt, partim vno nunc verbo confutabuntur. Si enim quicquam probant, id solum probant: apostolos in fidei confessione defecisse: aut

Apostolos oẽs fuisse infideles. Turrecre. cõcedit 3. lib. sum. c. 61.

aut etiam in fide viua, quæ per dilectionem operatur. Huc verò referri potest consuetudo illa ecclesiastica extinguendi omnes cereos, præter vnum. Quanquam Rupertus libr. de diuin. offic. 5. asserit, extinctos cereos priores significare prophetas à Iudæis interemptos: ac cereum illum, qui ad breue tempus absconditur, significare Christum. Sanè verò etiam si apostoli nunc temporis fide caruissent, nihil tamen contra conclusionem haberetur. Nam, vt Augustinus admonuit, tunc apostoli defecerunt, cùm nondum erant duces ecclesiæ: nec illud impletum fuerat, Ego confirmaui columnas eius. Vnus ergo tunc erat pastor Iesus Christus. At Petrus ac reliqui apostoli posteaquàm à Christo pastores constituti sunt, sine controuersia fidem semper catholicam tenuêre. Cæterùm, quòd hæretici calumniãtur, pastores ecclesiæ homines esse, fallereque proinde, ac falli posse: argumentum exiguum sanè atque mendicum est. Aliud quippe fuerit de humanæ naturæ imbecillitate disputare, aliud de diuina gratia & prouidentia, qua homines in veritate fidei continentur. Tota nanque simul fidelium concio homines sunt: Prophetæ item, apostoli, & euangelistæ homines erant: sed quoniam spiritum veritatis accepêre, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergo & ecclesiæ doctores vniuersi homines quidem sunt, sed quoniam diuino spiritu gubernantur & aguntur in vera dogmata, nequeunt in falsa declinare. *In psa. 114.*

Illud autem, q̃ ineptum, q̃ friuolum, q̃ ridiculũ? Quòd quidam interpretantur, ideò nos in ecclesiam non credere, quia homines sunt: omnis verò homo mẽdax. Nõ est hæc illa profectò causa, quæ grauissimos viros adduxerit, vt in ecclesiã credendũ esse negarẽt. Sed antiquior & pulchrior & ab auctoribus ipsis profecta alia causa est. Augustinus quippe, Credimus, ait, Petro, credimus Paulo, in Paulum aut Petrum non credimus: credere enim in eum, est credendo amare, credendo in eum ire. Hactenus Augustinus. Et Russinus, Non dicitur, inquit, in sanctam ecclesiam, sed sanctam ecclesiam, credẽdam esse, non vt Deum, sed vt ecclesiam Deo congregatam. *In psal. 77. et tract. 29 in Ioan. De pœ dist. 2. §. Exprœ missis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hac itaque præpositionis syllaba creatorà creaturis secernitur. Hæc ille. Ob id igitur auctores hi non admittunt, vt in ecclesiam credamus: quia ecclesia fidei nostræ finis non est.

Existit autem hoc etiam loco quædam quæstio subdifficilis. Cùm enim à Hieronymo dupliciter ecclesia dicatur: & ea, quæ non habeat maculam aut rugam, & verè corpus Christi sit: & ea, quæ in Christi nomine, absque plenis virtutibus, imò cum vitijs quibusdam admixtis, congregetur: vnde nobis constare poterit, vtrónam modo nomen ecclesiæ capiatur: cum dicitur columna & firmamentum veritatis? Hæretici siquidem quicquid in scripturis proditum est, quod ad ecclesiæ, vel auctoritatem spectet, vel veritatem: id totum non in posteriore sensu, sed in priore accipiendum cauillantur. Concedunt itaque spiritum veritatis ecclesiæ sanctorum: ecclesiæ, quæ malos habeat permixtos, non concedunt. Nec ea se solùm ratione tuentur, quòd in voce ambigua liberum est vtramlibet significationem eligere: sed argumentis alijs in id etiam incumbunt, vt hoc loco & quæstione, ecclesiæ nomen non aliter vsurpandum esse persuadeant. Illud primum est, quod Hieronymus sentit, ecclesiã in secundo significatu abusiuè dici: vt fortis, inquit, prudens, castus, iustus & temperans, interdum plenè pro his, qui perfectæ virtutis sunt, interdum abusiuè pro his, qui sunt incipientes, accipiuntur. Si ergo prior significatio propria est, posterior impropria: commodius sine dubio ecclesiæ vocem in illa priore, hoc est, pro iustorum concione vsurpabimus. Rursum cùm Apostolus illa dicit, Ecclesia subiecta est Christo: &, Christus dilexit ecclesiam, & cæt. &, Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius: vox illa pro sanctorum congregatione accipitur, vt Hieronymus, Augustinusque interpretati sunt, quid igitur causæ erit, cur aliter accipiamus: cùm ecclesiam scribit Apostolus columnam esse ac firmamentum veritatis? Præterea, encomio illo nobilitauit Paulus non ecclesiam quamlibet, sed eam, quæ esset domus Dei. At domus Dei soli iusti esse creduntur, vt etiam Augustinus ait, non ergo columna veritatis

Li.7.cõ.Donat.c.51.24 q.1.omnib.

Eo.li & c.

tis est, nisi ecclesia sanctorum. Præterea, Augustinus diserte docet, domum ecclesiamque Dei, quæ in bonis solùm fidelibus est, & sanctis Dei seruis, eam esse, quæ ædificata est supra petram, quæ etiam claues accepit ac potestatem soluendi & ligandi. Eadem ergo domus Dei est, quæ est columna & firmamentum veritatis. Quamobrem, si pastores, qui ecclesiæ sibi nomen vendicant, mali sunt: non ad eos hæc & alia similia pertinent. Quod & Augustinus idem multis alijs locis confirmat. Quæ si vera sunt, non solùm conclusio illa postrema, quæ nunc expenditur, sed reliquæ omnes funditùs euertuntur: & quicquid omninò hoc nobis loco constiturum est. At verò, quanquam in eam sententiam hæc & alia plura ab hæreticis disputantur, nos tamen ecclesiam sequi oportet, & ab omni, quod abhorret ab ipsius approbatione, fugere. Primum autem hoc intelligendum puto, quæ nunc ab illis defensionis ratio viaque tentatur, eam non modò nostras rationes euertere: sed ad id etiam deducere, quod fidei catholicę rerumque omnium publicarum naturæ dissonum atque inimicum sit. Si enim spiritus veritatis solum bonis à Christo est in euangelio promissus: cæteræ quoque promissiones ad ecclesiam, quæ ex solis iustis constituitur, pertinebunt. Quocirca, dicendum est enim sæpius, nec legum ferendarum auctoritas, nec clauium potestas, nec peccatorum remissio, nec doctrinæ vis, nec sacerdotij religio, nec vlla omninò publica euangelij facultas, nisi in ecclesia omni ex parte bona inuenietur. Cùm verò in ecclesia catholica, quæ inde ab apostolis fuit, semper fuerint mali bonique permixti: in ea nimirum nulla fuisset firma fides, nulla certè veritas, nulla expressa potestas, nulla solida auctoritas. Ita omnia, quæ vel pontificum, vel conciliorum, vel totius etiam ecclesiæ consensione decreta ac definita sunt, nullas omninò haberent vires. Siue enim excipias, eos non esse iustos, siue, vt iusti sint, esse tamen nobis incognitos: vtralibet via & modo illorum dogmata, scita, leges eludes. Eritque, quemadmodum suprà diximus, res Christi publica omnium, quæ fingi possunt, stultissimè atque absurdissimè constituta.

Li.3.cõ.Do. c.18.et li.5. c.20.et 21. et li.6 c.3.1. q.1.remissionem. de con.d.4. Quomodo exaudit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque fit verum illud, quod initiò dixi, ſpiritum veritatis, fidei catholicæ fulcimentum, cæteriq́ue Spiritus ſancti chariſmata ei eccleſiæ eſſe & promiſſa & data, quam apoſtoli ſuâ doctrina miraculisq́ue ſundârunt, ad quam ijdem ſuas conſcripsêre epiſtolas, quam in terris ſemper habuit Chriſtus, quam ſacræ literæ aptè prudenterque deſcribunt ex bonis ac malis piſcibus, ex frumento & zizanijs, ex tritico & palea, ex fatuis ſapientibusq́ue virginibus, à ſeruis probis improbisq́ue conſtantem. Hæretici ergo eccleſiæ nomen ſibi habeant & inuidioſum & obſcurum, eamq́ue eccleſiam interpretentur, quam adhuc nemo eſt mortalium intuitus: nos autem eccleſiam ex conſuetudine tum diuini ſermonis, tum etiam vitæ noſtræ interpretemur. Nec metiamur eam, vt ſuperbi & arrogantes, verborum magnificentia: ſed eccleſiam eam, quæ habetur, exiſtimemus, illam autem omittamus, q̃ omninò nuſquam reperitur. Homines enim ſumus, remq́ue proinde publicã, quæ eſt in hominum vſu, vitaq́ue communi, non eam, quæ fingitur, ſperare debemus. Quæ omnia ſic à me dicta exiſtimari velim, non vt nulla in terris ſit coram Deo bonorum multitudo atq́ue collectio, quæ & eccleſia, & ſponſa, & amica Dei in ſacris literis nuncupetur: ſed vt eos nos à malis in domo & eccleſia Dei minimè ſeparemus, vbi vaſa aurea & argentea ſunt, lignea quoque & fictilia: non in honorem omnia, ſed quædam vel in contumeliam. Verùm hæc explanata ſunt antè ſatis, vt arbitror, diligenter. Iam argumentis illis reſpondeamus, q̃ modò ſuggeſſimus: nam ijs, quæ à principio libri huius ſunt poſita, capite ſequenti, eodemq́ue poſtremo reſpondebimus.

In voce, inquiũt, ambigua licet è multis vnumquodlibet ſignificatum accipere. Minimè, inquam, gentium. Sed anteeedentia primũ & conſequentia ſpectãda ſunt: deinde conſiderandum, quæ natura rerum ſit, quid cohæreat, quid repugnet, multaq́ue omninò alia, quæ nos in tertio decimo libro accuratiꝰ & exquiſitiùs perſequemur. Quòd ſi, vbi dona eccleſiæ Chriſtus pollicetur, continendis in officio ac veritate fidelibus neceſſaria, ea nos

nos ad latentia ſolũ & inuiſa membra referimus: inania profectò eſſent dona illa, parumq́; ad communem vtilitatem accommodata. Quin, vt ſuprà oſtenſum eſt, noxia eſſent, ac pernicioſa valdè, quippè q̃ perditiſſimis quibuſque ciuibus, & diffidiorum prębberent perpetuas cauſas, & in omnibus omninò flagitijs impunitatem ac licẽtiam ſempiternam. Iam verò ſi ratione duce ac magiſtra eum iniurium principi bono & ſapienti cenſemus, qui illius priuilegia ſic interpretatur, vt non ſolùm fruſtra, ſed in perniciem conceſſa eſſe videantur: quantò magis ille erit Chriſti iniquus, prauus, & malitioſus interpres, qui gratias & fauores, quos reipublicæ ſuæ promiſit Chriſtus, in eum ſenſum acceperit, qui non modò vanitatem præ ſe ferat vel exitium? De eccleſia igitur, quæ bonos ſimul malosq́ue complectitur, locus ille Pauli, cæteriq́ue ſimiles intelligendi ſunt. At talis concio ac cœtus abuſiuè eccleſia dicitur. Id primum nego. Nec enim de forti, prudenti, iuſto ac temperanti eadem eſt cauſa. Fateor ſiquidem cum Hieronymo, eiuſmodi virtutum vocabula ad incipientes atque imperfectos, non niſi per abuſum traduci poſſe. Quoniam vera virtutis definitio non illas inchoantes, &, vt dicam, informatas diſpoſitiones, ſed habitus planè abſolutos atque perfectos exprimit: quemadmodum Ariſtoteles, Diuus Thomas, ac reliqui viri Philoſophi tradiderunt. At eccleſiæ vox nihil tale indicat, quale iſti fingunt, vnde malos ab eo cœtu excludamus, qui eccleſiæ ſibi nomen propriè vendicat. Quãobrem nulla eſt improprietas, nullus abuſus, ſi eccleſia etiam ea nuncupetur, quæ in vno baptiſmo, vna fide, vna religione, improbos habeat probis admixtos.

Quanquam aliter dein reſpondere poſſumus, Hieronymum de eccleſia Chriſti in eum ſenſum ferè loqui, in quo populum Dei, domũ Dei, ſeruos Chriſti propemodum vſurpamus. Fit enim neſcio quomodo, vt caſus ſignendi additus, ad bonos potiſſimùm vocum illarum intelligentiam deducat. Ita ſi ad eccleſiam vitio depra- *Dupliciter homo Dei dicitur. &*
uatam referantur, abuſus fortaſſe nonnullus eſt: qui mẽte magis concipi, quàm verbis ſignificari poteſt. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tho. 3. p. q. 48. ar. 4. ad 1.

& populus Dei ille in sacris literis dicitur frequentissimè, qui Deo peculiariter dicatus est, in quo scilicet Dei fides viget ac cultus: quamuis in eo sint alioqui peccatores. Sed ad Hieronymi testimonium satis.

Ad id verò, quod subiūctum est, capite sequenti respondebimus, vbi explicabitur, quonam sensu ad Ephesios 5. Apostolus ecclesiam nominārit. Quòd autem domus Dei etiam illa sit domus magna, in qua sunt vasa aurea & argentea, lignea quoque & fictilia: non est necesse demonstrare. Id tamen, etsi perspicuum est, ad futurum tempus reseruamus, cùm primi capitis argumēta diluentur. Iam, quod postremo loco ex verbis Augustini obijcitur, id cautè & legendum & audiendum est: quemadmodū ante nos viri ecclesiastici admonuerunt. Possunt enim verba illa duplicē sensum ingerere. Vnū, vt soli iusti intelligantur Christi & ecclesiæ administri esse, soli remittere peccata, soli ecclesiasticam habere & auctoritatem & potestatem. Quem sensum constat non rationi solùm, sed ecclesiæ fidei sacrisque etiam literis repugnare. Sed de hac re non est huius aut loci, aut instituti disserere. Alter ergo sine dubio Augustini sensus est: vt soli iusti dicantur claues regni cælorum, potestatem ligandi ac soluendi, spiritum veritatis, & reliquas spirituales grātias accepisse: quòd vniuersa dona hæc non propter malos, sed propter bonos ecclesiæ & promissa & collata sint. Sic enim quæ œconomis ac dispensatoribus patersamilias tribuit in familiæ commoditates distribuenda, non œconomis hęc, sed familiæ ipsi tributa esse intelliguntur.

Sic quæ episcopis & clericis populus dedit in pauperum expēdenda vsus, ea nō episcopis & clericis, sed pauperibus dicitur cōtuliſſe. Sic etiā, si princeps homini ignoto quicquam ob amici sui preces meritumq; donatur, id iure ac verè dicet se non homini ignoto, sed amico, donâsse. Ad quam omninò legem illa quoq; explicanda

In serm. A. post. Petri & Pauli. Hom. 10.

sunt, quæ ex Augustino cōtra Petri & successorum eius auctoritatem afferuntur. Claues nō vnus homo Petrus, sed vnitas accepit ecclesiæ. Item potestatem ligandi ac soluendi Petrus cū omnibus tanquam personam gerens ipsius

ipsius vnitatis accepit. Item ecclesiæ claues datę sunt, cū Petro datę sunt: & cū ei dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oues meas. Quæ omnia, vt opinor, nihil aliud significāt, quàm Petrum ac cæteros ecclesiæ ministros, nec sibi, nec ob sua merita, sed ecclesiæ, obq; ecclesię causam, claues reliquaque Euangeiij publica munera accepisse. Quanquā priora illa scio aliter ab alijs interpretari. Sunt enim qui ea referant ad vsum potestatis: quem malū, qui legitimum habere non possunt, dicuntur non habere. Alij referunt omninò ad gratiā, non illam sacramentalem, quæ etiam per malos ministros dari solet, sed quæ precibus ministri respondet, vt de con. d. 4. Quomodo Augustinus videtur significare. Alij tandem existimant Augustinū de publicis raptoribus, vsurarijs, concubinarijs, sacrilegis, loqui. A quibus olim, perinde vt si essent ab ecclesia præcisi, non licebat sacramenta percipere. Ideoque illiusmodi ministri gratiam sacramentorum non dabant. Verùm hoc disputare, vt sæpè iam diximus, non est huius diei ac temporis. Et Valdensium insania iam pridem explosa est: nec in eo negotio nos nunc oportet elaborare. Itaque de his dictum est satis. Nunc argumenta, quæ à principio contra ecclesiæ auctoritatem posita sunt, quàm breuissimè possumus, refellamus.

in Ioan. in lib. de ago. Christia.

Con. Do. li. 5. ca. 22.

CAPVT POSTREMVM.

In quo argumenta primi capitis confutantur.

PRimum verò argumentū promptissimum est refellere: nec vno tantùm, sed multis etiam modis. Tū, quòd nec Moyses, nec Iosue, in quorū gubernatione tempus illud erat positum: in populi furorem & insaniam inciderunt. Tum, quòd ne certum est quidem, eos, qui in castris remanserint, in flagitiū omnes consensisse: quin verò simillimum est, nōnullos etiam repugnasse. Nam vbi primùm Moyses illam vocem edidit, Si quis est Domini, iungatur mihi: congregati sunt ad eum omnes filij Leui, consecraruntque manus suas Domino vnusquisque in filio & in fratre suo. Ex quo intelligitur, qui ad vnam Moysi vocem se illi coniunxerint, qui à

Domino steterint, quos Dominus iustitiæ suæ administros in vltione fecerit, hos in eo scelere cæterorum socios & consortes non fuisse. Quid? quòd Aaron nondum sacerdotio fuerat initiatus, nec adhuc ei fuerat superhumerale impositum, rationaliq; adstrictum & aptatum, in quo erat doctrina & veritas. Nihil ergo mirum, si Aaron, filijq; eius nec pastores populi constituti, nec sacerdotes consecrati in fide ac religione errarunt. Quamquam Aaron, quod & Petro & Marcellino postea accidit, metu peccauit, non infidelitate. Nihil ergo contra nos affertur, qui asserimus, sacerdotes pastores iam ecclesiæ à Christo institutos errare omnes in fide ac religione non posse. De argumento itaque primo tantum.

Leuit. 8.

Secundum argumentū refellitur.

Secundum autem videtur esse grauius, quo nō Caluinus modò, sed Donatistæ etiam aduersum catholicos vsi sunt: quemadmodum libro de vnit. Ecclesiæ, cap. 12. Augustinus tradit. Sed non est necesse noua nunc responsa meditari: quando huic argumēto egregiè ab Augustino responsum est. Plerunq;, ait, sermo diuinus impias turbas ecclesiæ sic redarguit, tanquam omnes tales sint, & nullus omninò remanserit. Inde quippè admonemur, in suo quodam numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ. Isti ergo vel imperitè, vel fallaciter agentes colligunt de scripturis talia, quæ vel in malos bonis vsque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur: & volunt ea detorquere in ecclesiam Dei, vt tanquam defeciſſe ac perijsse de toto orbe videatur. Hactenus Augustinus. Huiusmodi ergo Prophetarum oracula hunc in primis sensum habent, vt quoniam in comparatione malorū adeò pauci boni sunt, vt nulli esse videantur: scriptura tantùm vna comprehensione populum reprehendat, quamuis in eo nonnulli sunt boni. Deinde, prędictiones propemodum illæ erant, non reprehensiones. Describitur enim populus ille non qualis tūc erat, sed qualis post Messiæ aduentum futurus erat. Vterque sensus, ne hærerici nostrū esse causentur, exemplis scripturæ manifestis comprobandus est. Ezechiel eodem, quo & Hieremias, tempore vaticinatus est, Quid dicat ei Dominus, audiamus. Domus Israel

Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippè domus Israel attrita frōte est, & duro corde. An putas in tota hac deprauata domo partem aliquā superesse, cui generalis illa sententia non conueniat? Audi quid etiam dicat Dominus: Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Non ergo omnes in populi flagitiū consenserant: non omnes attrita fronte & duro erant corde. Esto aliud exemplum. Saluum, inquit, me fac, quoniam deficit sanctus. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. En vnus totius generis humani culpas voce magna & querebunda deplorat, perinde ac si relictus sit solus. Sed quid dicit illi diuinum respōsum? Propter miseriam inopū, & gemitū pauperum nunc exurgam. Intelligens ergo iam suæ querimoniæ se plures habere cōsortes: Tu Domine, inquit, seruabis nos à generatione hac in æternum. In libro autem contra Donatistas post collationem, cap. vicesimo, idem quoque Augustinus, Ne fortè, ait, arbitrentur Prophetarum tantummodò moris fuisse, & non ad nouum Testamētum, sed ad veteris consummationem pertinere, sic arguere reprehēsibiles, quasi omnes in eo populo arguantur, & sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur. ecce sic ad Corinth. Apostolus loquitur: Paulus Ecclesiæ, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis, sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomē Domini, gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, &c. Quis hęc audiens credat in ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonāt, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulò pòst dicit: Obsecro autem fratres, vt non sint in vobis schismata, &c. Et in hoc horrendo vitio tanquàm omnes increpans dicit: Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis, &c. Hactenus ille. Poterat & ea commemorare, quę in eadē epistola subiecta sunt: Tanquam

Ezech. 3

Ezech. 9.

Psal. 11.

Rom. 11.

3. Reg. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.3. quam paruulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam: nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem poteſtis, 1.Cor.5. adhuc enim carnales eſtis. Cū enim ſit inter vos zelus & contentio, &c. Item & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, Galat.3. vt tollatur de medio veſtrū, qui hoc opus fecit. Item ex epiſtola ad Galatas: O inſenſati Galatæ, Galat.6. quis vos faſcinauit non obedire veritati, &c. Et poſtea tamen ait: Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſcemodi inſtruite ſpiritu lenitatis, &c. Item ad Philippēſes: Omnes quæ ſua ſunt quærunt, & non quæ ſunt Ieſu Chriſti, &c. Quis res in ea diſputatione & multas alias ſimiles à ſummo Theologo præteritas arbitror, quòd eſſent faciles: ſunt certè ad præſens inſtitutum vtiles, eaſque ferè in epiſtola ad Vincentium attigit. Iam quod pleraque eiuſmodi Prophetarum teſtimonia ad populi Iudaici ſtatum & mores poſt Meſſiam referenda ſint, & ſequenti libro multa exempla cognoſcentur, & nunc ſatis in vno exemplo demonſtrabitur. Aggæus Zorobabelem, ac Ieſum ſacerdotem magnum, totumq; omninò populum, vt domum Dei ædificarēt, his verbis admonuit, Et nūc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Ieſu ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, & facite quoniam ego vobiſcum ſum, & Spiritus meus erit in medio veſtrūm, nolite timere. At eodem poſtea capite ſubiunxit Aggæus, Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et reſpondērunt Sacerdotes, cōtaminabitur. Et reſpondit Aggeus, Sic populus iſte ante faciem meam dicit Dominus, & ſic omne opus manuū eorū: & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Quem omninò locum conueniētius de populi ſtatu poſt Teſtamenti veteris conſummationem intelligimus, tametſi Auguſtinus ad formam quoque ſuperiorum hoc exemplum interpretatus eſt. Sed, vt dixi, & ad populi conditionem poſt Meſſiæ aduentum aptius hoc congruentiuſque refertur, & plura alia præſertim apud Iſaiam huic propoſito inſeruire, libproximo oſtenſuri ſumus. Itaque de Iſaiæ Hieremiæque teſtimonijs dictum eſt ſatis.

Lib.con. Don.poſt colla.ca.10.

Illud

Illud verò, quod tertio loco ſubijcitur, eccleſiam occultam eſſe, Donatiſtæ etiam olim poſuēre. Quibus tamen Auguſtinus occurrit in hæc verba: Non eſt eccleſia nobis operta, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper mōtem poſita. Donatiſtis operta eſt, &c. Tantum Auguſtinus.

Tertio argumẽto reſpōdetur. De vnit. eccl.c.14

Primum autem illud falſum eſt, veterem populum aliquando nullam eccleſiæ ſpeciem habuiſſe. Nam cùm ſe ſolum relictum quereretur Helias, ſeptem millia virorum ſcriptura commemorat genua ſua non curuāſſe ante Baal: quibus ſanè illud perſpectum & exploratum erat, non fidem & vnitatem, ſed regnum eſſe diuiſum: extareq; proinde in Hieruſalē templum Dei, ſummum ſacerdotem, veram de lege ac religione doctrinā. Eiuſmodi Tobias erat, qui cùm tribules reliqui irent ad vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam, ipſe pergebat ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael, decimas fideliter offerēs, & cætera his ſimilia ſecundum legem Dei puerulus etiam obſeruans.

Tob.1.

Deinde, non ſequitur, ſi populus ille ita vacillauit, vt penè cecidiſſe videatur: ſi ita diſperſus eſt, vt propemodum formam & ſpeciem amiſerit, Chriſti quoque eccleſiam vſque adeò obſcurari poſſe: vt nulla eius ſpecies effulgeat. Plebs enim illa vetus, vt quæ caſura eſſet, ruinam ſæpè minabatur. Et quoniam futurum erat, vt illi reipublicæ tanquam ſempiterna nox eſſet offuſa: nihil mirum, ſi ſenſim obſcurata eſt, & euanuit. Quid autem, ſi quandoque etiam vix apparuit, cui tum parua lux tenuiſque noctis ſplendor affulſit? nempe lucerna lucens in caliginoſo loco. Sed hæc explicabuntur in ſequenti libro diligentiùs. Nā Hilarij auctoritatem, qua nos Calumnus vrgendos exiſtimat, Vincentius Auguſtino quondam oppoſuit: ſed hic loca omnia, quæ ille ex Hilario collegerat, tanquam meras calumnias contudit, & obtriuit ferè in hæc verba: Eccleſia aliquando obſcuratur quidem multitudine ſcandalorum, ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. Aliquando tentationum fluctibus operitur atque turbatur: & tale tunc erat tempus, de

1.Pet.3.

In epiſt. ad Vinc. num.48.

quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo scripsit Hilarius, vndeputâsti insidiandum contrà testimonia tot diuina. &c. Potes hoc modo dicere, nec ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quãdo dicebat Apostolus: O stulti Galatæ, quis vos fascinauit? Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes & timidos grauiter increpabat. Quis enim nescit, illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse. Quãquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem erant in comparatione cæterorũ, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Hilarius ergo decem prouinciarum Asianarũ aut zizãnia non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quòd defectu quodam periclitabatur, quantò vehementius, tantò vtilius arguendum putabat. Habent enim etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perueniat. Hactenus Augustinus.

Aduersum Luciferia. Ac Hieronymus, Ingemuit totus orbis, inquit, & Arianum se esse miratus est. Periclitabatur nauicula apostolorũ, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iã supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redijt. Manifestius dicam, omnes episcopi, qui de proprijs sedibus fuerant exterminati, ad ecclesias redeũt. Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus excipit, tunc Hilarium de prælio reuertentem Gallia ecclesia complexa est, tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. Hæc Hieronymus, multaque alia, quæ breuitatis studio prætereo. Sed hæc satis sunt, vt omnes intelligant, naue*Matt. 8.* ecclesiæ in alto hæresum, seditionum, discordiarumque procellis fluitantem, fuisse iactatam quidem ac penè opertam fluctibus: sed non fuisse tamen in tanta etiam tempestate demersam. Quin in suis licet paucis fortissimis eminuit, qui quò magis in remigando laborant, eò aspectabiliores clarioresq; fuerunt. Nec hoc loco opus est ecclesiæ Romanæ fidẽ lucemque proferre, quæ nunquam

quã oĩnò ipsa latuit, sed toti semper orbi manifestã fuit quẽ admodũ sexto postea libro accuratiùs ostendetu *Quintum repetitur*

Nec verò sub diuersis pontificibus fides ecclesiæ aut soluitur, aut occultatur. Quin eo etiam tempore ecclesia catholica fidei suę manifestum argumentũ edit. Iudicia tunc pastorum periclitantur, quæ sine certo ecclesiæ capite infirma atque incerta erunt. De qua re alio libro disseremus.

Sexto fit satis. Iam, in sexto argumento Caluinus & multum operę ac verborũ sumit, & vano se labore frãgit. Poterat breuiùs ac facilius dicere, quoniã synagoga extincta omninò & delata est, ecclesiam quoque Christi funditus esse delendam. At discessio, quam prædixit Apostolus, venire non potest, dum vera ecclesiæ facies extiterit. Id Caluinus dicit: non probat. Itaque falsum est. Quin posteaquã Germania nõ solùm à Romano pontifice, sed è Romano eodemq; suo Imperatore maiore ex parte defecit: illa fortassis Pauli prædictio impleta est, iustantq; proinde Antichristi infelicissima tẽpora. At filius hominis veniens fidem non inueniet in terra, sed huic argumento respõ- *In dialogo aduersum Luciferianos.* det Hieronymus, illam hic fidem nominari, de qua Dominus aiebat, Fides tua te saluam fecit. Et alibi de Centurione, Nõ inueni tantam fidem in Israel. Et rursum ad Apostolos, Quid timidi estis modicæ fidei? Nec non & in alio loco, Si habueritis fidem sicut granũ sinapis, &c. Nec enim Centurio, aut illa muliercula in Trinitatis sacramenta crediderant: sed simpliciras mentis & deuota Deo suo anima commodata est. Hæc est fides, quam rarò inuentam Deus pronunciauit. Hæc est fides, quæ etiã apud eos, qui benè credunt, difficilè perfecta inuenitur.

De vnit. eccl. c. 13. Eodem quoque modo Augustinus respondet, dominum de perfecta fide loqui, quę ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis admirabilibus sanctis inueniatur aliquid, vbi trepidauerint. Addit rursum, propter iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, quæ illa potissimum ætate erit, Dominum ita loquutum. Propterea enim nõ dixit, Filius hominis veniens nõ inueniet fidẽ in terra: sed quasi dubitans, Putásne, ait, inueniet fidem. Nõ quòd ille cuncta sciens de aliqua re dubitaret, sed vt sua dubi-

tatione

tatione figuraret nostram: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc erat infirmitas humana dictura. Illorum autem error eripiendus est, qui vanissimis argumentis adducti sunt, vt putarent fidem in solo vno manere posse. Cùm. n. ecclesiæ nomẽ collectiuũ sit, si vnus tantùm crederet, non crederet ecclesia. Adde
Matth. vlt. quòd Dominus per Matthæũ dicit, Ecce ego vobiscum
Ioan. 14. sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vobiscum, ait. Et per Ioannem, cùm pollicetur spiritũ
& 16. veritatis fidelibus sempiternum, pluribus illum pollicetur, non tantùm vni. Adde etiam quòd corpus non est
1. Cor. 11. vnum membrũ, sed multa, vt Apostolus ad Corinthios
Ephes. 4. docet. Sed corpus Christi, quod est ecclesia, vt idem ad Ephesios ostendit, vsque in finem permanebit. Non ergo vnquam multi fideles in ecclesia deerunt.

Matt. 13. Prætereà triticum simul cum zizanijs in agro, boniq; pisces cum malis in reti, vsque ad consummationem seculi durabunt. Non ergo solũm in vno manebit fides. Sed deficiet hostia & sacrificium. Equidem hanc Danielis vaticinationem non ad fidem seculi, sed ad synagogæ consummationem existimo referendam. Quod si quis ad tempus Antichristi referre velit, cum hoc ego non magnoperè contenderim: modò sic interpretetur, vt propter crudelissimi tyranni sæuitiam sacerdotes à publico & solenni sacrificio desistant. Quod vero ex Apocalypsi Ioannis obijcitur, quoniam valdè obscurum est, nihil contra nos habet ad faciendam fidem virium, tametsi hoc oraculum in Luthero fateor esse completum: cui data est clauis putei abyssi, vt errores penitùs demersos atq; defossos eruendo, tanta caligine orbem obduceret, vt vel lucem ipsam tenebris circunfudisse videretur. Sed affulget adhuc ecclesiæ lumen his. qui oculos habent ad videndum. Nam Lutherani cæci sunt, & duces cæcorum. Si autem omnis gloria filiæ regis abintus, nihilq; in ea externi splendoris est: qui fieri potest, vt illa cohæreant, Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Item, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. &, Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Neque

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant, cæteraque similia, quæ sunt, ne longum faciam, prætereunda. Planum est igitur, in sponsa Christi, in qua nihil fictum, nihil fucatum, nihil simulatum est, sed omnia vera, syncera, solida, omnem etiam externam gloriam ab interiore virtute & splendore procedere. Ac de sexto argumento nimis multa diximus.

Reliquis verò argumentis diluendis illud admonere operæpretiũ est, per figurarum dictionẽ multa, quę parti conueniunt, in totum solere transferri. Id nobis in vsu est, cùm persæpè alias, tũ magis cùm de ciuitate, populo, regno, omniq; omninò cœtu loquimur, de quibus ea in vniuersum dicimus, in quæ non omnes reipublicæ partes, sed interdum paucæ etiam concurrunt. Populum enim robustum, gentem bellicosam appellamus, non q omnes in ea republica aut robusti aut bellicosi sint, sed quòd viri ex ea ad rem bellicam selecti eiusmodi soleãt esse. Nec enim aliter de humana republica, ac de humano corpore loquitur. Dicitur autem homo agere vel pati, quæ manus pesque vel agit vel etiam patitur. Dicitur mundus immundusve, si facies aut munda, aut immũda sit: eodemque omninò modo similiter in reliquis. Inde adeò venit, vt vocabula, quæ quibusdam ecclesiæ partibus conuenire videmus, ecclesiæ ipsi attribuantur. Ad hanc enim legem ecclesiã dicitur amica, pulchra, immaculata, sancta, videlicet ratione bonorum: hortus conclusus, fons signatus, ratione electorum. Qui cùm prima atque optima pars sint ecclesiæ Christianæ, imò verò regni cælorum cum sint principes, quãuis in terrena republica despicatissimi ac contemptissimi, verè ac iure ea, quæ in eos conueniunt, in totam ecclesiam transferuntur. Quoniam, vt ex Aristotele etiam antè docuimus, id ciuitas aut esse, aut facere dicatur, q in ea primarij aut optimates aut esse dicuntur, aut facere. Neque hoc loco, vbi à Lutheranis vel maximè petimur, Lutheri testimonium negligẽdũ est, quò intelligãt hi rem esse tam apertam atque dilucidam, vt eam ne Lutherus ipse quidem negare potuerit. Is igitur cùm in

concione quadam ad populum explicaret, quemadmodum ecclesia sancta diceretur per synecdochen, docet Matthæum scripsisse, latrones blasphemâsse: cùm vnum eorum id fecisse Lucas scribat. Sic vnus & idem populus, vt ait, arguitur in Prophetis, cùm multi sint inter eos boni: rursus laudatur, cùm multi sint inter eos mali. Et pulcherrimæ charitatis ea est figura, quæ communia faciat omnia bona: communia item omnia mala. Vt alter alterius onera portet, & sic impleat legem Christi. Sic ciuitas, vel regio, vel domus fecisse aut passa esse dicitur, quod aliquod in ea fecerunt aut passi sunt. Hactenus Luther⁹ Hic ego hæreticos vniuersos appello, vt iá vel ipsi sint iudices, num pudenter nobis opponant ecclesiam hortum conclusum esse, fontem signatum, puteum aquæ viuæ, paradisum cum pomorum fructibus, sanctam, pulchram, perfectam, sine macula & ruga gloriosam: vt in ea nullum præscitum, nullum infirmum, nullum improbum esse consiciant. Sed respõdeamus ad singula. In septimo argumento canticorum de ecclesia encomiũ ponitur, cui abundè, vt reor, satisfecimus. Additur deinceps, in arca solos eos fuisse, q salui facti sunt: arcam autem ecclesiæ imaginem extitisse. At ne quis in hunc errorẽ incideret, vt putaret omnes, qui per baptismum in ecclesiam transeunt, esse saluos: idcirco Petrus cautè & sapienter adiecit, Quod & vos nũc similis formę saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientię bonę interrogatio, &c. Alioqui etiam, quod Hieronym⁹ aduersum Luciferianos ait, vt in arca omnium animalium genera, ita & in ecclesia vniuersarũ gentiũ & morũ homines sunt. Vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni: ita & hîc iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argętea, cum ligneis & fictilibus commorantur. Arca igitur in eo potissimũ ecclesiæ typus est, quòd extra eam nullus seruatus est: non in eo, quòd omnes intra illam facti sunt salui. Sed arcę Sacramenta è Hieronymo in dialogo illo petantur. Nos pergamus ad reliqua.

Septimũ dissoluitur.

Christus, aiunt, nõ est alterius ecclesię caput, nisi eius, cuius saluator est. Hoc primum non est adeò expeditum. Est enim caput angelorum Christus: nec constat tamen an

an eorũ sit propriè seruator. Certè ego non puto, quamuis contrà sit à nonnullis disputatum. De qua re non est hic locus differendi. Deinde, ea connexio infirma est, Christus est ecclesiæ saluator, ergo oẽs, qui sunt in ecclesia, seruat. Est enim saluator omnium hominũ, maximè fidelium: nec omnes tamen re ipsa saluos facit. Atque vt Christus corpus suum, quod est ecclesia, seruet: seruet, in quam, rei efficientia & exitu: adhuc non sequitur, eum omnes, qui sunt in ecclesia, seruare. Tum quoniam iã satis ostensum & patefactum est, quædam de ecclesia verè dici, quæ ei non omnium, sed quarũdam partium ratione conueniunt. Tum quoniam totius partiumq; vocabula latius fusa sunt, quàm voces corporis atq; membrorum, quemadmodum paulò pòst explanaturi sumus. Ita non fit, vt si corpus Christi omniaq; eius membra seruãtur; partes ecclesiæ seruẽtur omnes. Nec verò Paulus ait, Christum exhibere sibi gloriosam ecclesiam: solũ astruit seipsum tradidisse, vt eam exhiberet gloriosam. Quẽadmodum autẽ mortuus ille est, vt omnes viueremus, nec viuũt omnes tamen: sic se tradidit pro ecclesia, vt eã mũdaret & glorificaret: nec tamen oẽs, qui in ecclesia sunt, mundantur & glorificãtur. Tametsi verè ecclesiam suã sibi exhibet gloriosam: sed nec in omnibus partibus, nec in hoc fortasse tempore. 1. *Tim.* 5.

Porrò id, quod sequitur, facillimum est. Nam, quanquam filij Dei aliquando secundum prædestinationem nominentur: at propria eademq; frequens denominatio à præsenti iustitia fit: vt capite tertio explanatum est. Videmus autem verè filios exhęredari, aciustè aliquando quidem. Non itaq; colligitur, filius est, igitur percipiet hæreditatem: nisi illud simul ponas, & ius, quod accepit, non amisit. Quoniam autem filius Dei non semper probus intelligitur, sed is quoque interdum, qui paterna bona prodegerit: etiam hoc distinguendum puto, Ecclesiam è Dei solùm filijs constare. Nam si filios voces, qui per baptismum sunt Christo & ecclesię geniti: id nos asserimus. Sed in his sunt improbi quidam & stulti filij, quos patris matrisq; cura parturire iterum gestit, donec formetur in eis Christus. Sin filios Dei iuxta fre- *Ioan.* 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentiorem scripturæ vsum eos tantùm appelles, qui probi & sapientes sunt: certè ecclesia non ex his modò constituitur, sed ex illis etiam, qui paternæ & probitatis & sapientiæ effigiem eluerunt. Nam & in hos nomen filij quandoque diffunditur. Nónne, inquit, ipse est pater tuus? At generatio peruersa erat, & infideles filij. Item, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Item, Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. Item, Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quòd de sanctis ecclesiæ viris dictum esse omnes Christi fideles agnoscunt. Vnde autem appellat spinas, nisi, vt Augustinus ait, propter malignitatem morum? Et easdem vnde filias, nisi propter communionem sacramẽtorum? Bona ergo filia, in medio malarum est, in eademque paterna domo. Sed ouile Christi non nisi ex Christi ouibus constituitur. Quid tum? Quasi non alias pecudes habeat pastor. Habet sanè capras, habet & hœdos. Pastori itaque non modò ouile est, sed & caprile, & hœdile. Hœdi porrò & agni in Dei cognitione intelligentiaque discreti sunt, in hominum scientia & cogitatione confusi. Dum hic viuitur, diuersi licet greges, in vna tamen congregatione sunt: adeoque permixti, vt segregari non possint, donec ille veniat, qui separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet quidem oues à dextris, hœdos autem à sinistris. Sed vt argumento huic scholę more pressius distinctiusq; respondeam, illud considerandum censeo, vt nomen ouis non in eo solùm loco, sed in sacris fere literis pro bonis ac iustis accipitur: sic ouile ecclesiam in bonis iustisque designat. Quales sunt, quemadmodum suprà diximus, voces aliæ nonnullæ, vt exempli causa, amica, columba, immaculata, hortus cõclusus, fons signatus, paradisus cum pomorũ fructibus, quæ nimirum voces ecclesiæ, vel propter iustos, vel etiam propter electos tribuuntur. Quocirca non fit, vt si in ouili non sunt nisi oues, in ecclesia non sint hœdi, quos sponsa pascere iussa est, quoad eos ab agnis pastor ille summus segregauerit. Nomen etiam ouis malos nonnunquam in ecclesia significat, nedũ probos. Hinc enim illa sunt, Erraui sicut ouis

Deut.32. Isai.1. Hiere.3.

Can.2.

De vnita. eccl.c.13.

Matt.25.

Io.10.

ouis quæ perierat. Et, Omnes nos quasi oues errauimus. Et, Sicut oues in inferno positi sunt. Et, Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. Et in Euangelijs ouem errãtem legimus, Et, Oues quæ perierunt, domus Israel. Atque cum Dominus Petro commisit oues, si nomen hoc pro solis bonis vsurpatum censeamus: verendum est vtique, ne mali à Petri cura existiment se exemptos. Sanè verò quicunque fidei sacramentum habent, Petro intelliguntur esse commissi: nec ab eo modò requirẽdum, si gregem bonorum pauerit; sed illa etiam, an, quod infirmum fuit, consolidârit, & quod ægrotum sanârit, & quod confractum alligârit, & quod abiectum reduxerit, & quod perierat requisierit. In quem sensum ouile Christi nõ est angustius, quàm ecclesia: sed perinde vt illa cum sanis morbosas etiam oues continet. Dominus autem Ioannis capite decimo in illum alterum sensum vocem ouis vsurpauit. Iam quod in hoc septimo principali argumento demum objcitur, id in promptu est refellere. Nam si ex discipulis pseudoprophetæ exierunt, intus ergo prius domique erant: nec enim aliter exire potuissent. At non erãt, inquit, ex nobis. Hoc duobus modis exponitur. Initio significat Ioannes fictos illos & simulatos Christi discipulos fuisse: qui quasi amici ad tempus & socij mensæ, in die necessitatis recesserint. Inter nos versabatur, ait, eandem nobiscum mensam, cæteraque omninò sacramenta habebant communia, sed simulatio virtutis erat, venditatio, ostentatio: ideoque, quoniam non erant ex animo & verè nostri, non erant ex nobis. Nam si fuissent tales, quales nos sumus, ex animo Christiani, permansissent vtique nobiscum. Deinde de viris fortè Apostolicis loquitur, cùm ait, Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis. Nonnulli siquidem statim à principio nascentis ecclesiæ, nomine se Apostolorum venditârunt, cùm non essent Apostoli Christi veri, sed Pseudoapostoli. Quod igitur dicit, tale est: Ex nobis exierunt, hoc est, à nostra schola & societate: sed non erant ex nobis, id est, non verè erant Apostoli: si enim ij fuissent, nobiscum profectò permansissent. Veri enim Apostoli, quos ad euangelij munus delegit Christus, non tum hoc, tum illud,

Psal.118. Isa.53. Psal.48. Psal.73. Matt.18. Luc.15. Mat.10.15.

Eccl.6.

2.Cor.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud, sed idem dicebant semper: eratq; illis constans ac perpetua ratio & veritatis & vitę. Hoc enim ad auctoritatem euāgelij pertinebat, vt eius primi administri, quibus scilicet illud est creditum, odorem saporemq; Christi semper & in omni loco seruarent. Contra verò operarij subdoli, quamuis aliquando se transfigurâssent in
2. Cor. 3. & 11. apostolos Christi, sed inspiéntia tandem eorum manifesta erat omnib. & finis secundū opera ipsorum. Quan-
2. Cor. 11. quam, si de prædestinatis, vt Hieronymo & Augustino
2. Tim. 3. visum est, Ioannes loqueretur: nihil adhuc hæretici conficerent. Nam quæ rerū consequētia est. Non sunt ex nobis, id est, nō sunt ex electis: nō igitur sunt in domo Dei, quæ est ecclesia? Quasi verò in domo Dei non sint cum vasis electis in honorem, vasa etiam non electa, nempè in contumeliam. Sed ad argumentum septimū diximus multa. Nunc octauum diluamus.

Octauum diluitur. Cap. 19. Et ad testimonia quidem ex Canticis post ea, quæ dicta sunt, nihil est necesse respondere. Illud autem, quod ex Apostolo obiectum est, D. Augustinus in libro secundo retractationum ita interpretatur, vt ecclesiam describat Apostolus, non quę iam sit, sed quę pręparatur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Et in libro de perfectione iustitiæ, Cùm enim ait, nō tantùm Apostolus dixerit, vt exhiberet sibi ecclesiam nō habentem maculā, aut rugā, sed addiderit gloriosam: satis significauit: quādo erit sine macula, aut aliqd huiusmodi, tūc vtiq;, quādo gloriosa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tantā permistione hominum pessimorum, in tantis opprobrijs impiorum, dicendum est eā esse glo
Ioan. 7. riosam. Nam si Dominus ipse non fuit glorificatus, nisi resurrectionis gloria, quomodo dicenda est, ante resurrectionem suam, ecclesia eius esse gloriosa? Mundat ergo eam lauacro aquę abluēs peccata præterita, deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula & ruga. Hactenus Augustinus. Cuius sentētię fuit non solū D. Thomas, sed etiam Hieronymus, ac Bernardus. In quem omninò sensum Esaię testimonium
3. p. q. 8. ar. 1. cul. 3. ad idem Augustinus interpretatus est, in lib. con Donatist. post collat. capite 8. Quanquam altera est eius loci commodior

modior intelligentia, vt in circūcisus & barbarus popu- *1. in Hiere.*
lus non sit ecclesiam Dei oppressurus, quemadmodū op- *cap. 31. in*
primit qui pede calcat. Et cap. 9. docet, distinguenda es- *fest. omni.*
se tempora ecclesiæ: & pro diuersitate varia scripturę lo- *sancto. ho.*
ca, quæ partim ecclesię puritatem, partim malorum per- *3. Esa. 52.*
mixtionem enununtiant, esse cōcilianda. Memini me tamen sic Pauli verba aliquando exponere, vt ad efficientiam baptismi etiam præsentem illa omnia referantur. Quod enim ait, Vt eam sibi exhiberet sine macula, hoc planum & expeditum est: cùm sine controuersia omnes omninò maculas baptisma deleat. Quod verò subiūgit, Sine ruga, id certū ad baptismi nouitatem attinere, qui veterem hominem sustulit & absumpsit. Renouatur quippè, vt aquilæ iuuentus nostra per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in
Tit. 3. nos abundè, &c. At, quomodo ecclesia per baptismum gloriosa? Nempè tunc gloriosa sponsa sponso suo exhibetur, cùm illi virgo genere ac virtute clara, pulchra, mūda, veste pretiosa, auro gemmisq; ornata exhibetur. Non autem regina illa, quę astitit à dextris regis in vestitu deaurato circundata varietate, non Hester regio fulgens habitu & circundata gloria sua, non in omni gloria sua Salomon ita glorioli descripti sunt: quin glorio-
Ezec. 16. sior ecclesia sua Christo sit recens baptismi initiata sacramento. Nec enim minus in ecclesiā, quàm in synagogā illa quadrāt: Laui te aqua, & emundaui sanguinem tuū ex te, & vnxi te oleo. Et vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamēto: & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornatus es auro & argento, &c. Quæ singillatim in baptismi efficientia explanare, erat facilè id quidem, sed huius temporis non est. Non ergo cogimur ad futurū tempus ea effecta referre, quæ in præsenti baptismus ecclesiæ præstat. Omnia siquidē illa in duo hæc Apostolus cōtulit, vt ecclesia sit sancta & immaculata. Vt exhiberet, inquit, sibi gloriosam ecclesiā non habentē maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit

*Ad eccleſiã in præſenti hoc omninò referre videntur Fabianus papa ep.3. ad Hilarium, Gelaſius in decreto de Apocryphis conc.Tol.6. c.1. Sixtus 3.epi.vnica c.5. Hiero. in epi. ad Ephe. c.5. * De perfect. iuſtit. con. Celeſtin.*

ſancta & immaculata. Qualem certè nunc etiam credimus eſſe: non in omni ſua parte quidem, nam id, quẽadmodum antè diximus, non eſt neceſſe: ſed in multis mẽbris, quorum ſanctitas & puritas facit, vt eccleſia ipſa ſancta verè immaculataque dicatur.

Sanè in paruulis adultiſque, nũc primùm per baptiſmum lotis, nulla prorſus queſtio eſt, quin eccleſia ſancta & immaculata ſit. Sed eſſe ſine macula, vt Auguſtin. docuit, * nõ abſurdè etiam ille dicitur, qui & criminibus caret damnabilibus, & ipſa peccata venialia non negligit mundare eleemoſynis. Hos enim immaculatos ſcriptura vocat: Ero, ait, immaculatus cum eo. Quomodo? Obſeruabo me ab iniquitate mea. Item, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerũt. In his ergo, qui ab iniquitate & crimine mundi ſunt, ſunt autem plurimi, eccleſia immaculata eſt, quãuis impuritatis nonnihil, hoc eſt, culpę venialis ex leui inconſtantiq́ue natura contrahant omnes.

Secundum hanc interpretationem, quæ mihi, & verbis & ſententiæ Pauli magis cõſentanea videtur, patet: eccleſiam etiamnum extare, in quibuſdam ſuis mẽbris quidem prorſus immaculatam, hoc eſt, ſine omni omnino macula: in quibuſdam verò ita parum, vt quiddam maculæ, leuis illius tamẽ, poſſit habere. Sic in quibuſdã columba eſt, in quibuſdam perfecta. Perfectos autẽ pingui, vt aiunt, Minerua appellamus eos, quib. vita mortalis contenta eſt, qui aſſequũtur, quantum homines poſſunt optimam in terra viuendi rationẽ & viam, tametſi in rebus minimis quandoq; deficiunt. At omnis, qui peccat, non cognouit Deum: & omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit. Hunc locum Diuus Bernardus in concione de ſeptuageſima, cuius initium: Magna mihi conſolatio, accepit de filijs Dei ſecundum prædeſtinationes, quos interpretatur, non peccare, id eſt, nõ permanere in peccato. Diuus autem Auguſtinus homilia quarta in hanc Ioannis epiſtolam, & ſecũdo libro de baptiſmate paruulorum, capite octauo. Et libro ſecundo contra Parmenianum, capit. ſeptimo, & vltimo, fuſius in li-

de

de perfect. iuſtit. exponit, filios Dei non peccare ex hoc, quòd filij Dei ſunt: eos verò, qui peccant, non cognoſcere Deum, qua ratione peccant. Peccatum enim non à fide & ſcientia, ſed alijs ignoratione profic iſcitur. Fides contrà & charitas, quibus filij Dei ſumus, non agunt perperam, ſed refutant omne peccatum. Quam ſententiam Diuus Thomas cum familia ſua ſequitur ſecunda ſecundæ, quæſtione vigeſimaquarta, articulo vndecimo ad primum. Eandem ſecuti ſunt cum Auguſtino alij epiſcopi Aphricani, vt patet in epiſtola, quinq; Epiſcoporum ad Innocentium.

Quemadmodum enim Paulus dicere potuit: Si autẽ quod volo, illud facio, iã non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatũ: ita homo iuſtus, ſi ex lege aliàs naturę repugnãtis leuiter aliquando deficiat, illud quoq; verè dicet, Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Quam interpretationem, quoniã ei & huius epiſtolæ quædam loca, & viri clariſſimi conſentiũt, nõ audeo equidem improbare. Sed vt dicam ex animo quod ſentio, mihi magis Hiero, ſententia placet, qui non putat Ioannem in genere de peccato loqui, ſed tantùm de mortali. Id quod in toto quaſi contextu epiſtolæ facilè cernitur. Hoc enim Apoſtolus ibidem agit, vt oſtendat nullam eſſe cõmunicationem lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial, nec miſcere poſſe iuſtitiam & iniquitatem, crimina & charitatem, Chriſtũ & Antichriſtũ, non plus certè, quàm noctem & diem. * Nã fuêre quidã hæretici, quales nũc ſunt ex Lutheranis plurimi, quibus ſatis fuit, ſi ſemel baptiſmo ſuſcepto fidem haberent etiã ſine operibus. Quẽ errorem à primo capite. Ioan. cœpit depellere, in hæc verba: Deus lux eſt, & tenebrę in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Item cap. 2. In hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi manda-ta eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit: mendax eſt. Item eodẽ cap. Qui dicit ſe in ipſo manęre: debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrẽ ſuum odit: in tenebris eſt. Item, Si quis diligit mundũ, nõ eſt charitas patris

In 2. lib. aduer. Ioui. de pœni. di. 2. Si enim.

** Smon Sleuem quã dam quæſtuariã ſibi cõiungit, et diſcipulos ſuos docuit liberè agere quæ vellẽt: ſecundum enim gratiam ſalua re homines, et nõ ſecundũ operas iuſtas, ſretas, næus auctor eſt lib. 1. ca. 20.*

Quæstic. patris in eo, &c. Item capite tertio, Omnis qui facit peccatum & iniquitatem facit. Scilicet, ne quis putaret de quolibet peccato etiam leui futurum esse sermonē. Iniquitas enim graue peccatū est. Tūc ergo subiungit, Omnis qui, in eo manet, nō peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eū, nec cognouit eum. Nam est cognitio quædam scientiaq; de Deo, ijs familiaris & propria, qui spiritum intellectus, scientiæ, sapientiæ, consiliúmque habent: quo nimirum spiritu omnes improbi carent. Itaque nec vident, nec cognoscunt Deum. Quamlibet visiones & reuelationes Dei habere se prædicēt. Itē, Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. Qui facit peccatū, nempe mortale, ex diabolo est. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, videlicet quamdiu filius Dei est, quoniam semen ipsius, hoc est, Charitas in eo manet: & vt arbor bona, nisi vitietur, non potest malos fructus facere: sic filius Dei crimen & flagitium committere non potest, nisi filius Dei esse desierit: In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Qui iustus est, filius Dei est: qui non est iustus, nec diligit fratrem suum, filius est diaboli. Item in fine epistolę, Omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Hoc est, non violat charitatē, sed seruat mandata, quoniam generatio Dei conseruat eū, & malignus nō tangit eum. Nimirum quamdiu semen ille cō seruat, generatio Dei cōseruat eum, & malignus non tāgit eum. At si volens semen illud abiecerit, ex quo semine natus est, tūc profectò filium diaboli effectū, iam malignus non solūm tanget, sed vtetur eo etiam pro suo. Quem Hieronymi sensum Augustinus etiam amplectitur, homilia in hanc epistolam quinta. Atque vtinam hæc Apostoli doctrina nostri seculi hominibus non esset necessaria. Sed videmus esse multos, qui cura fratrū suorum & charitate neglecta, alijsq; euangelij & naturæ præceptis omissis, periculis, meditatiūculis, nō enim contemplationes dicam, die noctuque vacantes, mentiūtur se & nosse, & diligere Deū. At in hoc scimus quod cognoscimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui enim non diligit, non nouit Deum. Hæc est autem charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Sanè qui tum secundam, tum maximè tertiam epistolam eiusdem apostoli legerit, intelligit euidentius, totum apostoli sermonem, eos coarguere, qui bonos, iustos, amicos & filios Dei se esse sine proximi charitate mentiebantur. Id verò grauiùs, quò maiori simulationis artificio fingebant se cognitione Dei, & contemplationi vacare. Verùm de hoc argumento plura dicta sunt, quàm fortasse ratio instituti operis postulabat.

*Quoque in cognitione & scientia quaem mortalibus fas sò pollicebantur, beatitudinē cōstituebāt: eiùs tamē opera charitatis negligerēt: aduersùm quos epi. ad Tim. scripta sunt e. 1. Io. 2. & 1. Io. * Præteritum pro præsenti.*

Itaq; ad illud ex epistola ad Hebræos testimoniū, ne molestum sit plura dicere, dicemus nihil. Nec necesse est tamen aliquid dicere, cùm in eiusmodi argumētis diluendis nostra opera & studium minimè desiderentur.

Illud etiam est facile, quod in nono argumento primū opponitur. Iam enim demonstratū est, vt ecclesia sancta sit, nō oportere omnes eos sanctos esse, qui illius partes esse dicuntur. Non autem, quamuis id Hiero. fecerit, ecclesiam dupliciter vsurpamus, & eam, quæ vndiq; sancta & tota corpus Christi sit: & eam, quæ cū sanctis malos habeat permixtos. Sed id docemus, populū Christianum verè sanctū dici: licet non omnes, qui in hoc populo numerantur, sancti sint. Nam argutias illas elegantissimas, quibus hoc impugnatū est, consilium est negligere. Sophistarū quippè sunt meræ nugæ, gerris, vt aiūt, Siculis vaniores. Præterquam, quòd forsitan ecclesiā sanctam credimus, quia populus est Deo per baptismū dicatus, consecratus, sanctificatus, hos enim scriptura sanctos appellare solet. Illud verò, quod statim additur, diligenter expēdendū est. Aliud porrò est partes ecclesię esse aliud ecclesiæ membra. Nomen siquidem partis latiùs diffunditur, nomen membri contractius est. Pars ad totum refertur, membrum ad animantis corpùs. Ita pars sine vita inuenitur, vt in lapide, ligno, ac cæteris eiusmodi. Membrum aut verè & propriè sine vita ne intelligi quidem potest. Quāobrem improbi, partes quidem ecclesię sunt: membra ecclesię aut Christi non sunt. Sunt autem diabolo membra. At in ecclesia esse censentur, ciues q; ciuitati huic & annumerati & adscripti: ciues mali & flagitiosi tamē. Quo verò pacto probi atq; improbi eundem omninò populum cōflent, nec sit tamen societas

Nonū sol- uitur In com. ep. ad Galat. De Tho. 3. p. q. 8. ar. 3. ad secun.

tas lucis ad tenebras, conuētio Christi ad Belial, D. Augustinus egregiè explicat contra Dona. post colla. ca. 6. Qua vna ex re cæteræ huius argumenti confirmationes extremis, quod aiunt, digitulis euertūtur. Siue enim dicas corpus, siue panē, siue granum, siue triticum, seu alia similia quęuis: nomina sunt, quę bonis per se cōueniunt quidem, sed per bonos illi etiam populo, cuius boni primariæ sunt partes. Hunc verò sensum omnia quoq; Augustini verba prę se ferre notius est, quàm vt indicandū sit. Negat enim malos in corpore Christi esse, nec posse habere Christum membra damnata. Negat in columbæ membris computari. Negat ad illam ecclesiam pertinere, quæ non habet maculam nec rugam. Negat aspectare ad compagem domus Dei, aut in ea etiam habitare, in qua vanimes solùm habitant. Etenim hæc vniuersa, vt persæpè dictum est, tantùm probis ex se attribuuntur, & horum ratione attribuuntur ecclesiæ. Quemadmodū ratione partis in toto ipso insignis atq; præcipuę, quædam de toto enuntiari solent, quæ partibus singulis perinde conueniunt. Quanquam Augustinus illam fortasse Hieronymi partitionem secutus est, vt ecclesiam bifariā distribueret: & eam, quæ omni ex parte bona Christique corpus sit, & eam, quæ ex bonis malisque consletur. Qua verò fronte nobis Augustinum obijciunt, qui in libro retracta. 2. cap. 18. & in Psalmum 24. ac 23. & libro contra Peti. 3 capite 12. & de vnitate ecclesiæ cap. 13. & contra Donatist. post collat. à 4. vsque ad vndecimum cap. nostram habet apertissimè constantissimeque sententiam? Nec dubium est Cyprianum atque Hieronymum eadem nobiscum concinuisse: illum in epistola ad dialogo aduersum Luciferianos. Ac de nono argumēto hactenus.

Vid. 3. de doct. Chr. cap. 32.

De con. di. 4. Est vni. tas. 3. li. epist. 3. cap. 1.

Decimo verò argumento ex his, quæ in 7. dicta sunt, satis, vt arbitror, responsum est.

Vndecimū refellitur.

At vndecimo argumento hoc habeto respōsum. Non abhorret à sacrarum literarum consuetudine, si eundem omninò populum nūc propter iustos felicem beatumq; dicamus, nunc propter improbos miserum & infelicem.

En

En Moyses Israelem modò vocat populū electum, beatum, gentem sanctam, populum Dei peculiarem: modò durissimæ ceruicis populum, stultum, & insipiētem. Atque Isaias interdum populum Gomorrhæ, interdū etiā populum Dei appellat. Et re vera si scripturæ vsus est, quemadmodum in confutatione secūdi argumenti multis exemplis patefecimus, perinde populum reprehēdere, ac si omnes mali essent, atq; ita cōsolari, vt si omnes essent boni: consectarium est quoque, vt populus idem & in reprehensione vituperationeque vocetur iniquus, & in consolatione ac laudatione sanctus. Nec Aug. dubitauit, ecclesiam nigram in malis, formosam in bonis interpretari in 3. lib. de doct. Chri. c. 32. Quin Origenes ecclesiam propter eos, qui columbas in illam vendunt, spelūcam latronum appellauit, tracta. in Matt. 15. Quòd si hoc nos præsidium deficeret, habemus alterū: quòd in huiusmodi maior quædam vis boni, quàm mali est. Plusq; oīnò valent pauci boni, vt plebs bona sit, quàm multi mali, vt nominetur mala. Ecclesiam præterea sanctam dicimus, quòd Deo peculiariter sacta sit: qua ratione, quamuis mali in ea sint plurimi, Synagoga Sathanæ appellari nec debet, nec potest. Hinc enim in cōcilio Cōstantiensi eius impudens maledicentia damnata est, qui Romanam ecclesiam, Synagogam Sathanę appellauit. De vndecimo autem argumento dictum est satis.

Ad 12.

Duodecimum verò infirmum & nugatorium est, tā etsi Caluinus inde exultare non dubitet, vnde erubescere debuisset. Ratiocinatus ille quidem interdum argutè, sæpius eleganter: sed quandoque adeo ineptè, insulsè, frigidè, vt vix eum credas, non dico eruditionē acumēne, sed aut rationem omninò vllam, aut sensum etiam communem habuisse. Tantum hæreticus error & cæca pertinacia potest, vt omnē prorsus doctrinam adimat, intelligentiæ lumen extinguat, & vniuersam ingenij retundat aciem. Sed ad rem. illud est verum, Græcos esse schismaticos, ideoq; apud eos ecclesiam non esse. Credimus enim vnam catholicā ecclesiam. Quare necesse est, vt qui ab vnitate se separat, quoniam non est in vna ecclesia catholica, ne in ecclesia quidem ille sit. Nec Græci

solum

solùm schismatici sunt, sed sunt etiam hæretici: tum propter alia, tum hac præcipuè causa, quòd negant vnum totius ecclesiæ pastorem esse à Christo in B. Petro institutum. Sed hæc importunè hoc loco, alibi opportunè differentur. Quòd si qui à Christo vero ecclesiæ capite ita deficiant, vt ei abrogent fidem: hos fateor, ac multò etiã magis priuilegium ecclesiastici nominis amittere. Mortuo aũt summo pontifice, vna sine dubio ecclesia maner, & manet in ea spiritus veritatis: sed manca & imminuta sine Christi vicario, & ecclesiæ catholicę vno pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in ecclesia sit, at si controuersiæ fidei & religionis oriantur: ecclesiæ iudicia sine capite in terris non adeò certa erũt. Quæ persequi, huius loci non est. Atqui Apostolus, cùm eo loco dedita opera ecclesiæ vnitatem definire vellet, eius rei prorsus oblitus est, à qua re nos dicimus vnitatem ecclesiæ pendêre. Sed mirari satis non possum istorum hominum futilitatem, qui cùm nõ seruârint vnitatẽ spiritus in vinculo pacis, sed ab ecclesiæ se corpore seiunxerint: Paulum eo loco nobis obijciunt, qui illis vel aduersissimus est. Nam si vnum corpus, & nõ duo Christus habet, quo modo nos duas ecclesias admittemus? Et si vna est fides: qui in fide & religione discrepat, hic quomodo in vna ecclesia est? Qui aũt Christi vicarium contemnit, is ne vnum filiũ agnoscit? Certè qui cultum Dei pro suo sibi arbitrio fingit, is nec spiritũ vnum colit, nec patrem vnum suscipit, nec in vna proinde ecclesia est. Quæ sine recta & catholica fide Deũ vnũ nec colere, nec habere potest. Verùm isthæc, quæ extra causam, præterq; institutum inuitis occurrũt, paucis refellẽda sunt. Reliqua itaq; persequamur. In Græcis, aiũt, viri boni sunt aliqui. Sanè, si sunt aliqui, hi tantùm erũt, qui cum catholica fide cõsentiẽt, qui ab schismate alieni sunt, qui vnum vnius corporis tenent caput, vnumq; vnius ouilis pastorem, non in cælis solùm, sed etiam in terris. Sic enim Christo capiti nostro ac pastori visum *Colo. 2.* est, vnum loco sui ecclesiæ relinquere: quẽ simulatq; fidelis abijceret, & corporis & ouilis desereret vnitatem. Quemadmodum in Israel sub Hieroboam quidam erãt viri

Viri pij, sed illi tantùm, qui in diuisione regni nullam fidei, religionis, sacerdotij diuisionem meditabantur. Verùm hæc aliàs. Nunc illud admonendum puto, Apostolũ eo loco ecclesiæ perfectam vnitatem communionẽq; describere: nimirum qualis in bonis sanctisque viris reperitur. Meminisse enim opus est, corporis nomen proprium esse ecclesiæ iustorum. Vnum igitur corpus vno primùm spiritu definitur, qui illud non modò quasi anima viuificet, sed tanquam spiritus membra eius singula ad finem suum quoque agat, moueat, instiget. Deinde vnum corpus vnam quoq; spem vocationis requirit. Vbi spei vox pro re gloriaq; sperata vsurpatur, vt illo etiam loco, Spes aũt, quæ videtur, non est spes. Vnum igitur fidẽ, sicut cæteræ, hæc etiam respub. habet: ad quem omnes eius ciues vocati ac destinati sunt, in quem proinde spectant omnia huius corporis membra. Tertio loco vna respub. vnum Dominum, vnum regem, vnum caput desiderat. Nam si duo habeat capita, monstrosa erit. Exigit præterea vnam fidem. Nisi enim huius reip. ciues fideles sint, Dei populũ nõ cõficient. Populus aũt Dei intelligitur diuino cultui ac religioni dicatus. Quòd nisi vna sit omnium cõmunis fides, ne vna quidem religio erit: atque adeò nec vna Dei ecclesia. Quid, quòd si diuersa credimus, cùm fides sit quasi huius corporis oculus: eundem scopum & finẽ habere non possumus? Vna ergo fides necessaria est. Necessariũ est deniq; præter hęc baptisma vnum: in quo ineſt cæterorum sacramentorũ communicatio. Plebs quippe Christiana non interiore solùm fidei cõmunione ac charitatis vinculo, sed externa etiã fidei testatione, sacramentorumq; cõsociatione constat. Ex quo fit, vt nisi in eodem baptismo, eisdẽq; omninò sacramentis mẽbra exteriùs colligata sint, in vnũ Christi corpus, quod est ecclesia, coire nõ queãt. Fecit aũt apostolus solius baptismi mẽtionẽ, tũ quoniã inter omnia sacramenta, vel maximè est vnũ: tũ quoniã hoc sacramentũ Christianæ gẽtis propriũ signa culũ est: quo videlicet nõ consignamur modò, sed etiam sacramur. Id quod Synagogæ circuncisio præstabat. Iam in verbis, quæ addit Paulus, Vnus Deus, vnus pater, &c. eò, vt mihi videtur

videtur, respicit: ne vno huius reip. domino tyrannidē ac dominationem subesse putaremus. Vnum itaq; dominum cum dixisset, blandioribus vocibus dominatū mollit ac mitigat. Ne te, inquit, terreat vnus Dominus? vnus enim Deus idem est, vnusq; etiā pater. In Dei porrò nomine bonitatē, suauitatem, prouidentiā numinis intellige. Beatus, ait, populus, cuius dominus Deus eius. Sed ille multò beatior, cuius Dominus pater eius: in patre siquidem singularis amor & cura minimè vulgaris designatur, vt nō tam regnum, quàm patris vnam filiorumq; familiam intelligas. Sed nescio quo pacto, dum Pauli verbis institit atque hæsit oratio, à proposito longius excurri, institutiq; mei pene immemor factus sum. Dicebam, apostolum perfectam corporis ecclesiæ vnitatem causis suis omnibus definire. Ecclesiæ verò vnitas latiùs extensa est, & in eis inuenitur, qui non seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis: nec inter se per amorē cohærescunt, nec alij alios apprehendētes capiti suo cōnectuntur. Qui etam partes quædam in hoc toto sine fide insunt, vt hæretici occulti, quandiu ab ecclesia non sunt excluſi. In quibus satis est vnum baptisma, sacramentorumque eadem societas & communio, vt in vna ecclesia esse dicantur. Nam summum pontificem, episcopos, cæterosque ecclesiæ ministros, potestate ac iurisdictione & hæresim abditam interioremque priuari: non modo non certum, sed ne probabile quidem esse, maxima auctoritate Theologi affirmant. Rectores verò ac magistratus, & reipub. omninò administros illos esse, qui reip. huiusmodi partes non sint, ne cogitatione quidem informari potest. Ex quibus magna significatio fit, non esse æquam in omnibus ecclesiæ partibus vnitatem: sed in quibusdam valdè imperfectam. Id si minus intelligitur, ex corpore naturali percipi potest. In quo sic spiritus & anima existit, vt partibus quibusdam vim sentiendi tribuat, quibusdam vim crescendi: alijs, vt videtur, ne vllā quidem aut animalem, aut spirabilē facultatem: perinde vt si partes illæ nec animam, nec spiritum in se haberent. Quin etiam videmus, cum membrum aliquod sensu & vita carens, arescit in corpore, quoniam reliquis omninò

omninò partibus continuatur, motum quendam externum ab spiritu participare: quanquam spiritus illi nihil interius vitaleque communicat. Quem profectò modū spiritus Christi in corpore ecclesiæ tenet ac seruat. Quasdam enim partes ita animat, & viuas facit, vt nihil illis deesse vitalium motionum videatur: in quasdam sic influit, vt non vitam eis quidem, sed interiorem quādam spirationem quasi vitalem cōferat: alijs autem exteram vim suam facultatemque dimittat. Vt quamuis mortua prorsus & arida membra sint, quia non sunt tamen à corpore excisa, ab spiritu cum corpore moueantur. Quæ partium affectarum mirabilis continuatio ac series, licet tenuis illa quidem & modica sit, at tantum in ecclesia valet, vt propter locum, quem habent in corpore, nonnullæ partes vel capita ecclesiastici corporis appellantur. Væ, inquit, vobis, qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum. Membra videlicet aliquando, non ex vita, quam sua sponte & natura vendicant, sed ex situ, quem sortita in corpore sunt, per metaphoram transferri solent. Ita, qui locum primum in ecclesiæ gubernatione tenet, caput ecclesiæ ille dicitur: tametsi propriè ac verè membrum corporis ecclesiæ nō est. Sed de his, quæ ad ecclesiæ vnitatem spectabant, quantum huic loco satis erat, dixisse videmur. Nunc de vniuersitate ecclesiæ dicamus, nam id in tertio decimo argumento quæritur.

Καθόλου Græcè, si verbum verbo reddas, secundum totum interpretabēre. ὅλον enim totum est. Vnde catholica, vt Augustinus ait, nomen accepit: quòd in toto orbe iuxta prophetarūm prædictiones diffusa est. Quia verò in toto orbe vniuersæ etiam gentes intelliguntur, inde adeò venit, vt ecclesia catholica, id est, vniuersalis nominetur: quoniā in omni gente, populo, natiōe, sexu, conditione, longè lateq; patet. Cuius vtriusq; rei extat insigne illud oraculum, Postula à me & dabo gentes hę reditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Atq; hoc discrimine non solū à Synagoga, sed ab hæreticorum etiā conuenticulis congregationibusq; distin-

13. Arg. respondetur. Catholen. Holon. Mala. 1. Dan. 2. Esai. 54. Psa. 18. & 71. Mar. vlt. Actor. 1. Gene. 26. Psal. 21. & 71.

guitur. Sunt etiam qui dicant, ecclesiam propter communem fidem vniuersalemque doctrinam catholicam appellatam. Fides autem ecclesiæ atque doctrina multifariam communis & vniuersalis est. Primum ratione hominum, iuxta illud, Prędicate Euangelium omni creaturæ. Deinde ratione loci, quemadmodum scriptum est, Prædicauerunt vbique, & in omnem terram exiuit sonus eorum. Præterea ratione temporis. Quoniam apostoli nō tum hoc, tum illud, sed idem dixêre semper. Fidelis, inquit. Deus: quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, Est & Non; sed est in illo, Est. Item, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Omnia mãdata tua veritas. Et posterius, In ęternũ Domine permanet verbum tuum, in generatione & generationẽ veritas tua. Quòd igitur ab omnib. in omni & loco & tẽpore certò atq; constãter creditur & docetur, id verè dogma catholicum nuncupatur. Et quæ huiusmodi dogmata ad disciplinam habet, ea verè ecclesia catholica. Nã hęreticorũ conciones, priuatas habent, peregrinas, inconstantes, clandestinasq; doctrinas. Benè ergo & prudenter Vincẽ. Lirinẽ. de propha. noua. In ipsa, inquit, catholica ecclesia, ad quam non vna natio, non vnus angulus, sed maris multitudo cõuertitur: id teneamus, q̃ vbiq;, quod semper, quod ab omnib. creditũ est. Hoc est enim verè proprieq; catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quę omnia hęc verè vniuersaliter comprehendit. Quæ cum ita sint, ille est verus germanusque catholicus, qui, quicquid vniuersaliter antiquitus ecclesiam catholicã tenuisse cognouerit, id solũ sibi tenendũ credendumq; decernit. Quicqd verò ab aliquo deinceps vno præter oẽs vel contra oẽs nouum & inauditũ subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentatiõem potius intelligat pertinere. Hactenus Lirinẽ. Scio causas proferri alias solere, cur ecclesia catholica sit: sed hæ mihi visę sunt cognominis huius asserẽdi grauissimę. Quibus positis, illud argumentum facilè diluitur. Primũ enim ecclesia non ita modò contracta est & adducta in angustum, vt in orbe diffusa non sit. Quin nostra memoria nouus orbis apparuit multò maximꝰ atq; latissimus, in

Luc. 24.
Apo. 5.
Colo. 3.
Psal. 2.
Ad Tit. 1.
Mat. vlt.
Mar. vl. Et
ad Ro. 10.
3. Cor. 1.
Psal. 118.

in quem discipulorum Christi sonus exiuit, ne quispiam dicat, Hispanos, Gallos, Italos, Germanos, cæterasq; nationes, in quibus Christi nomen aut viuit, aut nō omni nō deletum est, minorẽ partem orbis occupare. Deinde satis est, ecclesiã semel in totum mundũ esse fusam, vt etiamnũ verè catholica dicatur. Nempè eadem ecclesia est eandemq; fidem tenet, quam Apostoli in vniuersa terra vulgarunt. Sanè verò fidei prędentis vniuersitas ad eam vniuersitatem referenda est, quæ tẽpore anteacto in ecclesia fuit: & hęc ad illam tandem, quam apostoli in totũ orbem ediderunt, quemadmodum in secundo libro demonstratum est. Ex quo efficitur, vt quamuis Christiana fides in vnius fortè prouinciæ angustias redigeretur, nihilominus catholica esset, & prouincia item, quæ eam fidem haberet, ecclesia esset etiam catholica. Nam & ecclesiæ singulæ sub vniuersali comprehensæ, catholicæ vocitantur, quoniam eam fidem habent, quam vniuersalis tenet, tenuitq; semper ecclesia. Sed hæc, & ea quoque, quæ restant, perspicua sunt omnia. Breuiter itaque expedienda sunt.

Quartũ decimũ enodatur.

Obijcitur ergo in quartodecimo argumento, frustra omniũ fideliũ sensum expectari. Cui ergo argumento hęc breuissimè retulerim, Duo sunt rerũ genera, vt aliàs dictũ est, quæ ab ecclesia creditur. Vnum, quod ad omnes æquè pertinet: vt Deum esse hominem, animũ nostrũ esse immortalem. Et in hoc genere non est valdè difficile, omnium fidẽ sensumq; cognoscere. Non dico aũt, vt seorsum rogentur singuli, quod & permolestũ esset, & oppidò q̃ ridiculum, sed singulorũ fidẽ in huiusmodi statim sese prodere: satisq; mediocri adhibita diligentia cognitam nobis & perspectam esse posse, presertim si res in cõtẽtionem veniat, & vulgus suo more calescat. Alterũ est genus earũ rerũ, quas cognoscere non rudiũ & imperitorum in ecclesia, sed maiorum & sapientium interest. Vt epistolam ad Hebræos esse canonicam, ac reliqua similia quàm plurima. Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, vt si à cęco sensum colorum postulâris. Cautè igitur atq; prudenter, cùm huiusmodi fortasse res in sermonẽ popularem incidunt, qui in vul-

go paulò modestiores sunt, nihil omninò affirmatè asse ueranterque pronunciant: sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, qd ecclesia credit ac sentit. Quo profectò nomine sapientes ecclesiæ maioresq; designat. Porrò siue in hoc, siue in illo genere quæstio versetur, populus quasi de tribunali sententiã dicere nec debet, nec verò potest. Quoniam, vt hîc pro certo & probato sumimus, ligandi, soluendi, iudicandique potestas in singulis fidelibus non est: sed in ecclesiæ præfectis, atque pastoribus. De qua re alio loco disseremus. Nunc illud dicimus, in communi omnium controuersia certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi: quamuis non oporteat sigillatim omnium sensum perscrutari. In fide autem earum rerum, quę propriè sunt doctorum atq; sapientum, solam horum sententiã expetendam: vulgi, ne expectandam quidem. Nam illi certam fidem faciunt catholici dogmatis: hi faciunt nullã. At verò in vtrunq; rerum decretis aclegibus, nec vulgus, nec sapientes omneis habere locum: sed ij tantùm, qui sint ecclesiæ pastores, quemadmodum libris sequentib. explicaturi sumus. Ea verò argumenta, quibus pastorum veritas atque auctoritas impugnata est, in librum huic proximum differantur. vbi hæc, multaque id genus alia longè opportunis refutabimus.

Cæterum, quòd duo symbola ecclesiæ internoscendæ Caluinus ponit, nempè ordinem in verbo & sacramentis à Christo commendatum, ad quas omninò notas ceu ad Lydium lapidem omnis congregatio exigenda sit, quæ ecclesiæ nomen obtendat: benè profectò haberet, nisi hunc Lydium lapidem in manu habere ipse vellet: cæteris negaret omnibus. Nos asserimus Lutheranos nec synceram euangelij doctrinam, nec legitimã sacramentorum administrationem retinere. Illi contrà, nobis vtranque notam inurunt. Ecquis erit iudex? Negant apud nos ecclesiam esse: apud se, vt nos dicimus, existere mentiuntur. Ecqui sunt ij tandem, quibus lapis iste Lydius est certus, solidus, germanus, ad veram ecclesiam explorandam? Arrius, Nestorius, Macharius, Donatus, Pelagius, cæteriq; omnes hæretici, tum etiam

iam, cùm ecclesiæ bellum facient, eadem omninò insolentia se habere præferent duas illas ecclesiæ quasi tesseras. Quapropter in quacunque de fide cum hæreticis cõtrouersia ecclesiæ notio periclitabitur. Excipient enim protinùs nos aut in fidei errore versari, aut Christi sacramenta nõ perinde gerere, vt à Christo nobis institutum atque præscriptum est.

Notior est ecclesia, mihi crede, notior est: quã vt quibuslibet motis quæstionibus eius non solùm auctoritas, sed res omninò & nomen in dubium reuocentur. Verũ hoc loco Caluinus sic insulsus extitit, vt nihil aliud eius, nisi ipsa insulsitas rideatur. Ecclesiam enim apud nos esse, modò ait, modò negat. Nunc ecclesiam dicit nunquã fuisse intermortuam, nunc contrà verbi puram prædicationem asserit aliquot iam seculis euanuisse. Tum affirmat sub Romano pontifice, quem Antichristum vocat, non esse ecclesiæ nomẽ abolitum, sed sub eius quoque tyrannide ecclesias manere: tum astruit, præsentes omnes catholicorum cœtus idololatria impiaq; doctrina contaminatos esse, clauiumq; proinde nõ habere potestatem. Quod si ita est, Christi ecclesiæ qui sunt, ecclesiæ catholicæ membra erunt. Porrò si membra sunt veræ catholicæq; ecclesiæ, nequeunt vel idololatrię probare scelus, vel errores Euangelio contrarios docere. Itẽ nisi stultum mihi quoq; ipsi videretur, exigerem ex illo, cogeremq; vt responderet: num viros aliquot probos in catholicorum concione esse arbitretur. Si nullos, quoniã, vt ait, omnes ad vnũ sunt idololatræ, & in impietate esse Pius nemo potest: eadem profectò causa ante Lutherum vir bonus in catholicis nemo esset, quippe cùm eiusdem criminis rei essent omnes, in eodemq; errore versarẽtur.

Ecclesia ergo Christi catholica iam ante Lutherũ nulla in orbe erat. Et vbinam sunt illæ de æterno Christi regno promissiones, quas, quoniam apertæ, claræ, perspicuæ sunt, nulla iste interpretatione potuit eludere? Sin autem verè pij inter nos sunt aliqui, non est certè apud nos ecclesia impia, sed pia. A qua cùm se cõtentionis studio Lutherani separauerunt, exploratissimum est, à vera eos Christi ecclesia desciuisse.

Quid? Anne ambiguum est Ambrosium, Hieronymũ, Augustinum, Basilium, Chrysostomum, cæterosq; optimos ac prestantissimos viros, quos catholici & veneramur & agnoscimus, vera ecclesiæ Christi membra fuisse? At illi stant à nobis vniuersi, Lutheranis vniuersi repugnant. Quod facillimum est ostendere. Sed quid ego stultus, qui suadere velim, Lutheranos hæreticorum more cum ecclesia Christi bellare? Quasi verò difficilè esset, causis euidentibus ac necessarijs addicere, hos neque in apostolica, neq; in Catholica, neq; in sancta, nec in vna ecclesia esse. Nihil sanè facilius esset, nihil explicatius, nihil promptius, si huius esset aut loci aut tẽporis. Nimirũ quibus omninò rebus cũ Donatistis Aug. egit, vt eorũ animos ad veram notionem ecclesiæ vnius sanctæ Catholicæ atq; apostolicæ reuocaret: ijsdem nos Lutheranos vincere nullo negotio & labore possumus. Atq; si res ipsæ, quæ tamen in manu nostra sunt, in hac nos pugna desererent: at cognomina Catholici ac Lutherani apertissimè planissimeque demonstrãt, veram germanamq; ecclesiæ notam & characterem habere nos, illos non habere: quamuis ecclesiæ nomen fingant, simulent, obtegant. Sicubi, ait Hieronymus, audieris eos, qui dicuntur Christi, à quoquam alio nuncupari: vt puta Marcionitas, Valentinianos, Pelagianos, & c. scito nõ ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Quo eodem discrimine Augustinus atq; Epiphanius hæreticos à Catholicis distinguendos esse docuerunt. Cùm itaq; Lutherani cognomẽ ex Luthero traxerint, planum & expeditum est, eos à communi fide atq; ecclesia catholica, in priuatam & singularem hæresim abijsse. Nobis autem super terrã nullus fidei magister est, vnus cælestis est Christus: à quo Christianorum cognomen est, quod habemus ex illo hęreditarium. In Christi igitur ecclesia sumus. De qua hęc vt breuissimè dici potuerunt, ita à me dicta sunt. Nunc ad reliquos locos ex ordine instituto progrediar: meq; ad meum munus pensumq; reuocabo.

Aduersum Luciferia. Li. 1. cõ. Cresco. Hær. 70. Audianorum.

Quarti libri finis.

DE

DE AVCTORITATE CONCILIORVM, QVAE QVARTO LOCO EST posita, Liber Quintus.

CAP. PRIMVM

Argumenta continet, quibus hæretici vtuntur, ad huius loci auctoritatem labefactandã.

POST ecclesiæ auctoritatem auctoritas Conciliorum sequitur, quam hæretici plurimis argumentis oppugnant.

Illud primũ est, quòd ecclesia columna est & firmamentũ veritatis. At in synodũ soli cardinales & episcopi veniũt, qui & numero pauciores sunt, nec auctoritatis pondere, hoc est, nec virtute, nec sapiẽtia grauiores: nõ ergo synodus regula credẽdi ecclesiæ est, sed contrà, ecclesia synodo. *1. Argu.*

Deinde Pontifices & Pharisæi collegerũt concilium, cuius sententia impia fuit, vt Ioannis 11. capitulo legitur: non ergo semper synodi sacerdotalis iudicium probandum est. Sicut enim principes sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, Matt. 26. & omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum concilium inierunt, Matt. 27. ita & episcopi ac pontifices nostri contrariam Iesu Christo sententiam ferre possunt. *2. Argu.*

Præterea, si veritatem episcopi tenent, & falli non queũt, id ex diuino aliquo pacto proficiscetur. At pactũ hoc nusquam apparet. Atq; vt appareat, haud aliter interpretandũ est, quàm illud, quod cum Leui olim & posteris eius dominus inijt. Pactum, inquit, meum cũ Leui. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuẽta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis cu- *3. Argu.* *Mala. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

stodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Item: Obsecro, Domine, custodiens pactum custodientibus mandata tua. In quorum verba Hieronymus, Non ergo, ait, quod pollicetur Dominus, statim futurum est, sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius. Vnde constat, pactum retinendæ veritatis quondam sacerdotali tribu initum, per posterorũ culpas irritari. Quò fit, vt ad eundem quoque modum, si Apostolis, & succedentibus omninò Pontificibus veritas à Christo promissa est, eandem tandiu sint seruaturi, quandiu id non suis peccatis egerint, vt veritate destitui mereantur. Alioqui, vt Hieronymus in hunc Malachiæ locum ait, ad sacerdotum quidem pertinet disciplinam, interrogatos respondere de lege, sed si ignorantiam in cæteris diligentem, in scripturis sanctis obtenderint negligentem: frustrà iactant dignitatem, cuius opera non exhibent. Atque idem etiam Hieronymus scribit, falso sacerdotes illa iactare. Non peribit lex à sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta, cùm scriptura dicat: In peruersam animam non intrabit sapientia. Et per Ezechielem Dominus, Quærent, ait, visionem de Propheta: & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus. In quæ verba idem ipse Hieronymus, Hæc autem, inquit, non solùm eo tempore, quando Babylonius contra Hierusalem veniebat exercitus, à Prophetis, sacerdotibus, & senioribus quærebantur, sed quotidiè in ecclesijs requiruntur. Quæ si visionem, legem, consiliumque perdiderint, frustrà Prophetas, & sacerdotes, & seniores habere se iactat. Adde huc illud Hieremiæ testimonium, Sacerdotes non dixerunt, Vbi est Dominus, & tenentes legem meam nescierunt me: & pastores præuaricati sunt in me, & Prophetæ prophetauerunt in Baal. Quibus verbis vtendum esse aduersus nostri ordinis magistros, Hieronymus in commentarijs auctor est. Adde illud etiam, Speculatores eius cæci omnes, nescierũt vniuersi:

Dani. 9. *Hier. 18.* *Cap 7.* *Cap. 2.* *Isai. 50.*

canes muti, non valentes latrare, videtes vana, dormientes, & amantes somnia. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt. Quibus ex rebus facilè intelligitur, non esse fidendum pastorum sacerdotumque iudicijs, præsertim si illis Dominus iratus est. Si ergo illi solùm in concilium cogũntur, concilium profectò errare potest. *4. argu.*

Præterea, conciliorum auctoritas illo potissimùm testimonio probari solet, Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Vbi enim sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. At hoc testimonium probaret æquè, prouinciarium synodorum certa esse iudicia: quod à recta fide alienum esse cùm ex alijs, tum verò magis ex concilio Carthaginensi sub Cypriano constat, in quo non duo vel tres, sed octaginta episcopi congregati contra orthodoxam de vnico baptismo doctrinam errauêre. Synodorũ ergo veritas infirmo aut nullo potius fundamento nititur. Atque in eo testimonio his tantùm concilijs se affuturum promisit Christus, quę in nomine ipsius cõuenirent. Primùm ergo fidem faciant se coire in Christi nomine. nam fieri potest, vt improbi episcopi aduersus Christum conspirent. Deinde nihil verbo Dei addant aut detrahant, illis enim hæc lex præscripta est. *Matth. 18.* *Augusti. de bap. con. Dona. li. 1. cap. 18.* *5. Argu. Rufi. lib. eccle. histo. 10. cap. 21. Leo Epis. 12. 13. 21. 22. 23. 24. 26.*

Ad hæc, concilium Ariminense sexcentorum episcoporum errauit cũ Ario, Ephesinum secundum etiam frequentissimum cum Dioscoro, Constantinopolitanum verò trecentorum pontificum cum Leone Imperatore. Concilia igitur quamlibet generalia nullum argumentum firmum Theologis subministrant. *Tho. Vual. li. 2. doct. fi. an. c. 9. Vin. in spe. li. 42. c. 17.*

* Sexta item synodus apud Trullum celebrata non vnum, sed multa peccauit, vt videre est canone secundo, tertio, decimotertio, quinquagesimo quinto, & sexagesimo septimo. Errare igitur in fide & moribus concilia possunt. *Tur. li. 3. ca. 58. septima synodus vbi illa Consiã. damnæta est.*

* Albertus insuper Pighius vir doctus & pius multis argumentis ostendit, acta, quę nomine sextæ, & septimę synodi circũferuntur, varios errores continere. Non igi- *6. Argu. *7. Argu.

tur conciliorum etiam generalium fides adeò certa est, vt in dubium vocari non debeat.

*8. Argu. Sess. 4. & 5. sess. vlt. actio. 11.

* Præterea, conciliũ Constantiense definijt, concilium esse supra Papam, Florentinum aũt sub Eugenio quarto, & Lateranense sub Leone decimo, contrariũ dogma finierunt: conciliorum ergo auctoritas infirma est.

*9. Arg. sess. 33.

* Rursum concilium Basilienſe definit, esse hæreticũ qui negauerit, conciliũ esse supra Papam, aut asseruerit Papam transferre in alium locum posse concilium, aut in aliud tempus prorogare. Et tamẽ nemo tam insanus post ea tempora fuit, vt sentẽtiæ contrariæ auctores hæreticos existimauerit: conciliorum ergo iudicia incertiora sunt, quàm vt certam fidem facere possint.

*10. Arg.

* Præterea, Augustinus libro secũdo de baptismo cõtra Donatistas capite tertio, Plenaria concilia, inquit, sæpè priora à posterioribus emendari. Id quod certè nõ fieret, si semper veritatem assequerentur. Sed & Isidorus quinquagesima distinctione, capite, Domino, Quotiescunque, inquit, in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius sententia cõcilij magis teneatur, cuius antiquior & potior extet auctoritas. Non igitur conciliorum decreta certa sunt omnia, sed interdũ varia sunt, atque adeò inter se pugnantia.

11. Arg.

Præterea, cùm concilium dicitur errare non posse, aut intelligitur mutilũ sine capite, aut integrum interueniente etiam capitis auctoritate. Si mutilum, errauit aliquando, vt catholici vltrò ipsi fatentur: sin integrum, frustrà ad fidei quæstionem finiendam congregabitur, cùm Romanus pontifex sine generali concilio ritè de fide pronunciet, quẽad modum loco proximo sumus demonstraturi. Aut igitur conciliorum dogmata incerta sunt, aut vanè profectò congregantur. Id quod Gregorius Nazanzenus in epistola ad Procopiũ, quę est numero, centesimo secũdo, planè testatur in hęc verba. Quodcunq; episcoporum conciliũ fugio, propterea quòd hactenus nullius omninò Synodi finem aliqua vtilitate prę ditum, & vnde res malè habentes non magis exacerbatæ, quàm curatæ fuerint, videre licuit.

12. Argu.

Postremò, Oecolampadius argumentatur ex cõcilio Romano sub Nicolao, vbi Berengarius, vt inquit, coactus est adiurare in verba falsissima, quæ nec Rossensis nec Caietanus in libello de Cœna domini ab errore liberare potuerũt. His atq; alijs argumentis contra huius loci auctoritatem hæretici pugnare solent. Lutherus autem more suo, rem nulla argumentatione, sed sola asseueratione conficit inquiens: Sæpius errauerunt concilia, præsertim Constantiense, quod omnium impijssimè errauit. Et in quadam ad populum concione concilium primum, cui Apostoli & eorum discipuli interfuerunt, erasse, ait, eò quòd senserint legem & opera necessaria esse ad salutem. Sed enim hunc nos locum & confirmare, & tueri semper oportet, nec ex vera ecclesiæ sententia falsa vlla ratione moueri.

de conc. distin. 2. Ego Berengarius.

In lib. de capt. Baby.

CAPVT II.

Docet, quidnam nomen aut synodi, aut concilij hoc sanè loco significet.

Nihil dubium erat, quin synodi vel concilij nomine, eadem quippè res est, patres semper nostri intellexerint sacerdotes, præsertim episcopos, in locum vnum congregatos, vt causas eas scilicet definirent, quæ ad ecclesiæ siue fidem, seu mores pertinerent. At Lutherani nouum concilium volunt omnibus retrò seculis inauditum, vbi de fidei quæstione iudicent, non episcopi & sacerdotes, sed rhetores, & laicorum turba, qui non via & ratione, sed verbis & clamore præualeãt. Verùm huiusmodi errorem facillimum est eripere.

Tota enim fidelium ecclesia congregari non potest: & vt posset quidem, non expedit tamen, vt ad indisciplinarum vulgus disciplinæ nostræ controuersiæ referantur. Quod si ad rempublicam vel in pace, vel in bello continendam, stultum esset, concitatæ & ineruditæ plebis consilium requirere, stultum quoque est, ac multò etiam magis, velle vt in grauissimis de fide quæstionibus populi consensionem atque iudicium requiramus. Ac si populus in rebus temporarijs tutò & prudenter magistratuum curæ, diligentiæ, consilio, sese tradit, nec ferendis legibus, quicquam sibi aut consilij, aut

aut auctoritatis vendicat, cur plebem hi Christianam incitant, vt suis nolit rectoribus se committere, sed pergat in consessum illum admitti, vbi causæ omninò publicæ, non à priuatis hominibus, sed à publicis ecclesiæ magistratibus transigendæ sunt? Non sumus, inquiunt, adeò rudes & tardi, vt velimus aut totam plebem in cõcilium cogi, quod esset amentiæ, aut doctrinæ quæstiones ad indoctum vulgus referri, quod esset stultitiæ. Sed id cupimus, quod & meritò & optimo iure cupimus, vt nec sacerdotes imperiti in concilium veniant, & si qui laici sacrarũ literarum periti sint, sunt autem plurimi, hi ad synodum euocentur: & siue sacerdotes siue laici, deligantur viri prudentia ac sapientia celebres, quorũ cõsilio res omnes ecclesiæ, publicaq; negotia gerantur.

Quoniam non decet, vt in his, quę religionis sunt, irreligiosus episcopus laico pio anteferatur: aut in his, quę sunt doctrinæ, laico docto ante stet sacerdos indoctus. Sed quod de ignaris episcopis calũniantur, id in confutatione argumentorũ explicabimus: nam in hoc primo iam capite inter cætera obiectum. Quod verò dicunt selectos è plebe viros in synodum cogendos esse, errant in eo turpissimè, nec intelligunt qualis sit reip. Christianæ facies & forma à Christo instituta. Qua de re satis abũdanter multis voluminibus ab Alberto Pighio, alijsque Catholicis disputatum est. Nunc verò cum Lutheranis ego non pugno, vtrũ omnes fideles sacerdotes sint, non vtrum fœminæ à Christo sint ad ecclesię munia & sacrarum administrationẽ admissæ: quoniam huiusmodi quæstiones nõ sunt pręsentis operis & instituti. Tantùm dico, nõ fœminas, non laicos, sed solos sacerdotes *Exod. 19.* & episcopos oportere in concilium cogi. Veniam, inquit dominus Moysi, ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Descende & contestare populũ, ne fortè velit transcendere terminos, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur: & ascendes tu & Aaron tecum, &c. In hanc ergo formã Christus per Episcopos & Sacerdotes populum Christianum instituit: nec plebei ascendere ad consultandum cum

cum sacerdotibus debent, sed præscriptis terminis contineri. Sed ais, Moyses sacerdos non erat, et tamen ille docebat populum, religionisque quæstiones finiebat. At primùm, nego Moysen sacerdotem non fuisse. Moyses, inquit, & Aaron in sacerdotibus eius, Psalmo nonagesimo octauo. Item non modò obtulit Deo munera & immolauit: verùm etiam Aaron & filios eius consecrauit. Sacerdos igitur erat. Illud Leuitici octauo disertè explicatum est. Deinde dato mihi legislatorem alium, dato ducem & prophetam à Deo constitutum, dato hominem, cuius verbis Deus tantum auctoritatis dederit, & tunc ego fortasse dicam eiusmodi virum, etiam si laicus sit, cum sacerdotibus consulendum. Sed illud vni Moysi concessum est. Transferri itaque passim in alios non debet. Nam quid propriè in controuersijs finiendis legislator ipse præscripserit, planum in lege & expeditum est. Si difficile, ait, & ambiguum apud te iudiciũ esse prospexeris, venies ad sacerdotes Leuitici generis, &c. seque *Deut. 17.* risque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram nec ad sinistram. In ambiguis ergo quæstionibus ad sacerdotes populus habet currere, in eorumq; iudicio re- *Cap. 2.* quiescere. Adde huc illud Aggęi, Interroga sacerdotes legem. Adde etiam illud Malachiæ, Labia sacerdotis custo- *Cap. 2.* dient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Nec in veteri Testamento solum ea præscripta forma est in controuersijs finiendis pręcipiendaq; doctrina: sed in nouo etiam asseruatur, vt in vtraque iuxta re populus ab episcoporum sacerdotumque labijs & iudicio pendeat. Nam, quòd ab episcopis percipienda euangelij doctrina sit, testis est Paulus ad Ephe. 4. inquiens: Et ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, &c. Quo loco Paulus, cùm Apostolos, Prophetas, Euãgelistas, quasi in tres classes distribuisset, pastores tamen & doctores seuerè sanè atque prudenter re ipsa confusos, sola cogitatione distinxit, vt ijdem esse in ecclesia, qui & pascerent, intelligerentur. Sed in his verbis lapsa consuetudo deflexit de via. sensimq; eò deducta est, vt alios pastores, alios docto-

doctores intelligeret, qua nulla pnicies maior Christianorum vitæ potuit afferri. Apostolus autem penes Episcopos vt regendi, ita quoque pascendi ac docendi auctoritatẽ esse voluit. Attendite, inquit, vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Et rursum ad Timotheũ, & Titũ, non alios episcopos, alios doctores, sed eundem episcopum doctoremq; præscripsit. Ac per Hieremiã Dominus. Dabo, inquit, pastores, qui pascent vos scientia & doctrina. Doctrina igitur euãgelica à pastoribus ecclesię expectãda est, quos & episcopos esse, & doctores tradidit Paulus. At verò, quòd episcoporum ac sacerdotum etiam sit de fidei controuersijs decernere, Actorũ 15. capite tradit Lucas. Cũ enim venissent Paulus & Barnabas & quidam alij Hierosolymam, susceptiquidẽ sunt ab ecclesia, quæ erat Hierosolymis, sed cùm proposita esset quæstio, conuenerunt, ait, non fœminæ, non iuuenes, non laici: sed apostoli & presbyteri videre de verbo hoc. Quòd si Petrus, vt mentes Antiochenorum dubitantium Synodi auctoritate firmarẽtur, nõ fideles omnes, sed solos presbyteros cum Apostolis congregandos existimauit, quid est, quòd nos in ecclesiæ grauissimum cœtum mulierculas, lanios, coquos, sartores, cõuenire cupiamus? Scimus enim apud Lutheranos, huiusmodi multos sacrarum literarũ scientiam assumere. Prætereà, cùm in dubiũ venit, quænam pascua sint ouibus permittenda, quę cõtrà vitanda, pastorum ea consultatio est, non ouium. Ecclesiæ igitur pastoribus huiusmodi causas Dominus demandauit. Prætereà, claues regni cælestis Christus non vulgò passim, sed Apostolis, eorumq; successoribus concessit, vt in cap. Firmiter. de sum. tri. dicitur: nec enim q alterius & loci & temporis sunt, ea nunc probare debẽmus, in clauium autẽ potestate eædem res sunt, aperire & soluere, claudere & ligare, quemadmodũ vel ipse Christus Matth. 16. c. explicuit. Soluere ergo quæstiones circa fidem exortas, ligareq; fideles expleto iam iudicio adcredendum non quorumlibet est, sed eorum tantùm, qui vt claudendi & aperiendi, ita ligandi soluendiq; auctoritatem habent, Cõfirmat aũt hoc vel maximè, quòd ea im-

Act. 20.
1. Tim. 3.
Tit. 3.
Hier. 3.

ea impedimẽta tollere, quibus ianua regni cælorũ claditur, clauium munus est proprium. Ignorantiam igitur fidei, quę sine dubio in eiusmodi impedimẽtis est, ij propriè tollent, quibus claues cõcessæ sunt. Accedit ad hęc, quòd Apostolus ad Rom. 10. cælos esse intellexit Apostolos, cum eis illud aptauit, In omnem terram, &c. Apostolorum ergo, & eorum, qui Apostolis succedere, proprium erit illustrare cæteros, ac vi sua populum continere. Quòd si cæli illustrationes tollis, quibus omnia, quæ terra parit, maturata pubescunt: in fœcunda hęc maneat necesse est, ac verè iuxta nomen suum arida. Atq; etiam si tenebræ operient terram & caligo populos, non has alij discutient, quàm qbus à Christo dictum est, Vos estis lux mundi. Qui verò, quod superiorum est munium, inferioribus in ecclesia tribuunt, hi similes sunt, vt si q̃ aut in terrą vim illustrandi ponant, aut in pedibus vim cernendi. Sed quoniam de his fusiùs & accuratius ab alijs disputatum est, satis fuerit hæc nos pauca breuiter attigisse. Nec est profectò cur maiorem in hac re lucem desideremus, quam non ratio modò, sed perpetuus etiam ecclesiæ vsus fecit esse perspicuam. Non enim patrum memoria, nisi episcopi & presbyteri in concilium vocãtur. Nec hi omnes, sed qui pastores ecclesiæ & rectores sunt. Episcopi enim, quos annulares nostri vocant, sine causa aliquando in synodum sunt admissi. Sed nihil mirum. Nã & sine causa in ecclesia sunt. Verùm hęc aliàs. Nunc complectar quod proposui breui. Sanè, nisi me opinio fallit, sicut nec simplices presbyteri, ita nec annulares isti Episcopi quidem in synodum cogendi sunt. Totum quippe ecclesiastici concilij negocium non ordinis, sed iurisdictionis potestate transigitur. Ferre namq; sententiam, soluere aut ligare, absque iurisdictiõe nemo potest. Constat autem patres in synodo aut leges de moribus dare populo, aut de fidei quæstionib⁹ iudicare: quorum neutrum sine ligandi soluendiq; iure sacerdos facit. Sed vtcunque hæc habeant, errant certè in media luce Lutherani, qui synodum aliter quàm episcoporum & sacerdotum collectione definiunt. Errat quoque turpiter puerilitérque Bucerus, cùm ait, in synodum ecclesiæ non

siæ non debere cogi, nisi Dei filios. Primùm enim, si solùm Dei filij synodum ecclesiæ faciunt, quæro an conuenire debeant vltro non vocati, an potius futurus sit aliquis, cuius euocentur imperio. Si vocati in concilium veniant, ecquis, rogo, ille futurus est, qui veros Dei filios internoscat? Sin vltrò venient, quisq; ergo de se iudicium feret, & suæ bonitatis opinione fretus in concilium sese ingeret? Sed vt de se coniecturam habeat, quomodo reliquos iustos esse & sanctos intelliget? Atque vt huiusmodi hominum insaniam apertius deprehendas, finge in Republica vnaqualibet ciues, qui sua & sponte & auctoritate se congregent ad censendum de legibus, de magistratibus, de religione, idque eò quisque audacius, quò magis virtuti suæ & studijs fidit. Num talis Reipub. forma & species, non à Solone dico aut Licurgo, sed ab vllo omninò cordato homine probaretur? Non igitur ea cõfusio ac perturbatio in ecclesiæ synodum inferenda est, quam ne in vicis quidem & oppidulis homo sanæ mentis admitteret. Nisi fortè in illam insaniam recidamus, vt putemus, hominem, simul atque Dei filius esse desijt, potestate quoque regendi, pascendi, iudicandi, ligandi, soluendi esse destitutum. Quod quidem quale sit, nõ est huius operis ostendere, sed in Repub. prophana animaduerti potest: vbi ciuium tamen vel probitas vel improbitas non adeò obscura est, vt non queat aliquando facilè deprehendi. Id quod in Christiana repub. non perinde facile est, cuius scilicet præcipua virtus, qua filij Dei & nominantur & sunt, occultissima est. Nõ enim qui in manifesto Iudæus est, nec quæ in manifesto carne est circũcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu non litera, cuius laus nõ ex hominibus, sed ex Deo est. Quamobrem si charitate amissa, potestas itẽ publica amitteretur, dici non potest, quantis tenebris ecclesia esset circumfusa. De quo argumento, & nos superiore libro disseruimus, & alij plerique disseruerunt multò copiosius, non quasi prætereuntes hæc diximus, vt lectores intelligant, quod ad præsentem locum satis est, episcopos etiam malos in synodum congregandos, vt qui potestatẽ pascendi, iudicandi, ligandi, soluendi, non amiserint. Lutheranos itaq; ab hoc quidem sermone remoueamus: ipsi autem intelligamus, synodi ecclesiasticæ nomen non quosuis, sed pastores & pontifices ecclesiæ complecti in vnum locum congregatos, vt de causis ecclesiasticis, hoc est, de moribus, fide, religione pronuncient.

CAPVT III.

In quo synodorum varia genera ponuntur.

QVorum hominum conuentum synodus ecclesiastica præ se ferat, satis explicatum arbitror capite superiore. Nunc vocabulum partiendum est, vt singula conciliorum genera quidnã veritatis & auctoritatis habeant, videamus. Et quidẽ Gratianus 3. dist. c. Regula, synodus bifariã partitur, in generales & prouinciales. Hac autẽ diuisiõe, cùm præterire aliquid, maximum vitium in diuidendo sit, vnum prætermissum est. Nec enim solùm generales & prouinciales synodi sunt, sed etiam episcopales. Ita si placet nominemus, fabricemurq; si opus erit, verba. Sunt enim rebus nouis, vt Cicero tradit, noua ponenda nomina. Quamuis hoc, recens quidem illud, sed perceptum tamen vsu à nostris, tritumq; non à barbaris modò, verùm etiam à Latinis. Concilia equidem generalia voco, quæ omnium Christianorum pontificum conuocatione celebrantur. Inter multos autem sæpè disceptatum est, an generalis conuocatio satis sit, an etiam sit necessaria congregatio generalis. Si enim Summus pontifex concilium generale indiceret, non congregarentur tamen nisi soli decem ex Italia pontifices, huiusmodi profectò synodus non est cur generalis videatur. At contrà, si necesse est, episcopos omnes congregari, primùm nullum fortè in Ecclesia tale adhuc concilium fuit, in quod Episcopi vniuersi conuenerint. Deinde, pessimus quisque Episcopus, dum non solùm per negligentiam, sed per malitiam synodo adesse contempserit, generalem non esse calumniabitur. Et princeps in republic. quilibet, si illi synodus displicuerit, interturbare eam minimo negotio poterit, causarique Episcopos suos vel morborum, vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

tumultuum causa concilio interesse non posse. Verùm, quoniam omnes huiusmodi controuersias persequi nõ est operis instituti, huic quæstioni breuiter respondemus. Non satis est quidem ad concilium generale, si euocatio generalis est, quando adeò pauci congregantur, vt maior meliorque prouinciarum pars relicta esse videatur: præsertim si causa legitima sit, cur episcopi synodo non affuerint. At si per malitiam hominum pessimorum vna & item altera prouincia desit, nõ propterea concilij generalis nomen amittitur. Sed ne, si per negligentiam quidem, aut aliam occasionem quamlibet episcopi aliquot desint, nominis sui iacturã generale concilium faciet, nisi in dubium vertimus, an Concilia illa quatuor, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanũ, Chalcedonense, generalia sint. Quamobrem, vt fideles, ita nos hoc loco loquimur, vt synodum generalem omnium episcoporum euocatione legitima finiamus, licet non sit omnium congregatio. Communi enim fidelium sensu agendum est, cum de rebus vocibusque ecclesię loquimur. Idque eodem modo fecerunt sapientes. Nec satis est tamen ad generale concilium euocatio generalis, nisi sit etiam generalis congregatio. Sed ad generalem congregationem omnium episcoporum cõgregatio nõ requiritur. Neque hic definimus nisi id, quod frequens in ecclesia est. Scimus enim concilia generalia sine euocatione celebrari aliquando posse, sed id perrarum atq; adeo præter artem est. Verùm de his posteà diligentius. Nunc ad reliquas partes propositæ diuisionis reuertamur. Prouincialia concilia sunt, cùm à Metropolitano, vel Primates omnes vnius prouinciæ aut etiã regni Pontifices euocantur. Episcopalia sunt, synodi sacerdotum, quæ ab episcopis singulis in sua diœcesi haberi modò solent, ob priuatas singularum ecclesiarum causas. Nam synodi huiusmodi, præsertim in Hispania, non erant in vsu olim, nisi ob eã causam, quæ decima octaua distinct. cap. postremo exprimitur.

18. d. cap. propter.

Hac diuisione posita & omnium assensu approbata, altera assumitur, Cõciliorum siue generalium, siue prouincialium, seu episcopalium, quædam esse congregata

Romani

Romani Pontificis auctoritate, alia verò non item. Rursum alia confirmata ab eodem Romano Pontifice, alia verò non ab eo confirmata. Nam cõcilium Ephesinum secundum auctore Leone coactum est quidem, sed non est à Leone, aut alio quouis summo Pontifice comprobatum. Basiliense quoque Eugenius quartus indixit, nec tamen confirmauit. At Constantiense, quamuis à principio nullius Romani episcopi auctoritate cõgregatum fuerit, confirmauit illud tamen Martinus quintus, Pontifex maximus. Concilium item Mileuitanum, quod & Innocentius & Celestinus probauerunt, sine auctoritate summi Pontificis coactum fuit. Cùm ergo, quã Gratianus duplicem putauit esse rationem, in tres partes distribui debere reperiatur, & singulæ triũ, bis distribuuntur in duas: primum est de generali concilio, sed dupliciter: tum pari ratione de prouinciali, pòst de episcopali disserendum.

CAPVT IIII.

Vbi conclusiones ponuntur, quibus loci huius auctoritas continetur.

His sumptis, prima conclusio sit, Concilium generale, quod auctoritate Romani Pontificis nec cõgregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest. Hanc conclusionem manifestè probat error concilij Ariminensis & Constantinopolitani sub Leone imperatore: quem huius loci auctoritati in quinto argumento capitis primi obijciebamus. Id ipsum quoque ostendit Gratianus decima septima distinct. capit. Regula, & capite, Multis. Iulij & Pelagij clarissimis testimonijs. Itẽ definit Damasus in epistola ad Stephanum Archiepiscopum, & tria concilia Aphricana, quæ in epistola ad eundem Damasum hoc ipsum confessa fuerant. Non est quippe verum ratumque concilium, quod auctoritate episcopi Romani caret: quemadmodum non ij solùm Pontifices, sed concilia etiam ipsa tradiderunt. Tradidit septima synodus, acti. sexta, tomo primo, & octaua synodus, acti. prima & septima. & synodus Romana sub Symmacho 96. distinctione, capite Bene, & synodus 90.

1. Conclu.

Episcoporum sub Damaso, histor. tripar. libro quinto, capite vigesimo nono, & cõcilium Lateranense sub Leone decimo, sessione vndecima, vbi eadem res dicitur in synodo Alexandrina definita. Ita Socrates libro quarto historiæ triparti. capite nono tradit, regulam ecclesiasticam iubere, vt concilia eiusmodi præter sententiam Romani Pontificis non celebrentur. Id quod Iulius in epistola ad Orientales dixit fuisse à Nicæna synodo definitum, & Marcellus in epistola ad Antiochenos, hoc ait, Apostolos statuisse. Videlicet eiusmodi concilia non solùm infirma in ecclesia fuêre semper, ad fidem veritatis faciendam, sed conuenticula propemodum fuêre iniquitatis, & tristes atq; adeò exitiales exitus habuerunt. Mentiri verò ait Bucerus eos, qui affirmant, non licere sine Romani Pontificis assensu, cõcilium cogere. Id autem primùm Eusebij & historiæ tripartitæ testimonijs confirmat. Deinde est Canon, inquit, Nicæni concilij de synodis habendis. Sunt quoque Canones Apostolici, qui quotannis binas synodos in prouincia qualibet præscribunt. Asserit autem firmum ac ratum esse quicquid in huiusmodi concilijs statuitur pro veritate contra mendacium, ita, vt ne à summo quidem Pontifice rescindi possit.

Sed huius hominis impudentiæ, quis poterit sine stomacho respondere? Principio nanque illud impudentiæ quantum est, quòd historiam Eusebij & Tripartitã nobis obijcit, in quibus contra nos refertur nihil, pro nobis multa? Quid illud alterum? Quòd Nicænum concilium & Canones Apostolicos opponit, in quibus de synodis prouinciarum sermo est, quas summi Pontifices pro recta ecclesiarum institutione & administratione præscripserunt. Nos autem de synodis generalibus loquimur, quas sine summi Pontificis assensu cogere non aliter accipiendum est, ac si regni primarij sine principis assensu, atque adeò illo repugnante cogerentur. Illud verò quale est? firmũ esse velle quicquid in his synodis statuitur? Pro veritate ait, cõtra mendacium. Scilicet, si pro veritate est, vbicunque statuatur, accipiendum est, sed quis nos certiores reddet pro veritate esse quæcunq; à synodis prouinciarum decreta sunt? Verùm de his hactenus. Nam in quarta conclusione fusius isthæc explicabuntur.

Secunda conclusio. Concilium generale, etiam congregatum Romani Pontificis auctoritate, errare in fide potest. Hæc demonstratur apertè exemplo Concilij Ephesini secundi, vbi legatis Leonis repugnantibus Episcopi fermè omnes Dioscori hæresi subscripserunt. Confirmat hanc luculentiùs Leo Papa, in epistolis retrò citatis, ad quintum argumentum, & synodus octaua actione septima, & Nicolaus ad Michaelem Imperatorem, & Eugenius quartus, in decreto super vnione Iacobinorum, in quo posteaquam Ephesinam secundam synodum sub Leone congregatam condemnauit, quæ videlicet Eutichano errore consensit: Suscipit, ait, sancta Romana ecclesia omnes vniuersales synodos, auctoritate Romani Põtificis legitimè congregatas ac celebratas & confirmatas. Non dixit cõgregatas solùm, sed celebratas & confirmatas. Eadem res ostenditur exemplo quoque Basileẽsis synodi, cuius errorem in nono argumento capitis primi opponebamus. Sed de hac re in responsione ad hoc argumentum latiùs. Præterea nullum concilium ratum est, aut fuit, quod Romani Pontificis non fuerit fulcitum auctoritate, vt Iulius, Damasus, Pelagius, alijq; patres in prioris conclusionis confirmationem allegati, non obscurè tradiderunt: at quamuis concilium sit edicente Pontifice summo coactum, si tamen non sunt ab eo concilij dogmata confirmata, sed potiùs vel is, vel eius legati pugnârunt, tum certè synodus non est fulcita Apostolica auctoritate, non igitur rata & firma erit, ac proinde ne idonea quidem, vt ex ea fidem faciamus. Sed hæc conclusio capite proximo fusiùs explicabitur. *2. Concil.*

Tertia conclusio. Concilium generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Quam quidem conclusionem ita exploratam habere opus est, vt eius contrariam hæreticam esse credamus. Primùm, quoniam redibũt aliàs hæreses vniuersæ conciliorum generalium auctoritate damnatæ: *2. Concl. 15. dist. 1. c. Sicut &c. Sancta Romana.*

damnatę:& ſymbolum quoq; Nicænum erit ambiguũ, concilij generalis auctoritate ſublata. Deinde, ſi concilium huiuſmodi errare in fide poſſet, nulla profectò certa via eſſet reliqua, vt in fidei cõtrouerſijs Catholicũ dogma exploraremus. Qui enim ſummi Pontificis ac reliquorum omnium eccleſiæ paſtorũ iudicium detrectat, is nullum viuum iudicẽ inuenturus eſt, à cuius tribunali non liceat diſcedere. Volunt Lutherani iudicem in cõcilio ſcripturam eſſe, quę nec ſentit, nec intelligit, nec eloqui ipſa iudicium valet. Lutherus ipſe clamat illa verba, Hoc eſt ęorpus meum, propriè accipienda, Zuinglius contra figuratè: quis ſententiam dicet? Num ſcriptura ipſa? an potiùs iudex eccleſiæ ſummus cum concilio ſacerdotum: quemadmodum Deuteron. 17. cap. ſcriptum eſt? Quod ſi in iudicijs humanis viuos iudices quis recuſaret in Republica conſtitutos, & ad literas mutas & inanimes confugeret, omnibus omninò modis exploderetur. Sed de his & diximus multa aliàs, & multa ſæpè dicemus. Nunc ad propoſitum reuertamur. Sanè conciliorũ fide reiecta, ſcripturę quoq; bonam partem amittemus. Nam ſi quis epiſtolam Iacobi cum Luthero à literis Canonicis expũxerit, per ſcripturam hæc certè quæſtio definiri non poteſt. Viui ergo iudices conſtituantur oportet. Quod ſi paſtorem detractato iudicio ad aliud tribunal prouoces, nihil aliud profectò facies, quàm Chriſti & eccleſiæ declinare iudices, & pro diuinis humanos ſubſtituere. Quoſcunq; nimirum præter paſtores eccleſię delegeris, humana illi incertaq; auctoritate pollebũt. Ad hęc, vel populus fidelis tenetur ſtare definitioni cõcilij, vel poteſt etiam repugnare. Si tenetur, iam errante concilio populus in eodem errore verſabitur. Sin repugnare poteſt, vbinam illud eſt, Qui vos audit, me audit? *Luc. 10.* Vbi illud rurſum, Super Cathedram Moyſi ſederũt ſcribæ & Phariſæi, quęcunque dixerint vobis, facite? Aiunt, *Matt. 23.* Si, quæcunq; dixerint nobis, ea facere iubemur: cur alio loco Chriſtus cauere voluit à fermento Phariſæorum? *Matt. 16.* Nam illud Matthæus Phariſæorum doctrinã interpretatur. *Matt. 15.* Cur rurſum eorũ traditiones exemplo etiam proprio contemnere docuit? Aliquid ergo doctrinæ propriæ

priæ puritati Euangelij admiſcere poſſunt, in quo non ſolùm non ſunt audiendi, ſed ſunt etiam refutandi. Id ergo præcauit Chriſtus, ne plebs malis docentium exemplis ad contemptionẽ veræ doctrinæ inducatur. Tunc ergo quæ dixerint nobis Phariſæi, eadem facere iubet Chriſtus: cùm ſuper cathedram Moyſi ſederint, hoc eſt, legem enarrauerint, docuerint, propoſuerint. Nam ſi ſua doceant, eos negligere non ſolùm poſſumus, ſed debemus. Quemadmodum Auguſtinus in Ioannem non obſcurè interpretatus eſt. Nihil ergo paſtores Euangelicæ illæ ſententiæ iuuant. Quin cũ de ſuo loqui poſſint, poſſunt à nobis vel ſperni. Vnde Hieronymus in Matthæi decimo ſeptimo capite, ſuper illis verbis, Non omnis, qui dicit mihi, &c. Sicut ſupra, inquit, dixerat eos, qui haberent veſtem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatũ nequitiam: ita nunc econtrario aſſerit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt, & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruũt. Sed iſti quod de mercenarijs ab Auguſtino dicitur, id ad veros eccleſiæ paſtores vafrè malitioſeq; traducunt. Nec intelligunt, inter mercenarios veros ſemper in eccleſia paſtores eſſe, quorum voces audire oues oportet, præſertim ſi omnium eadẽ ſit. Tunc enim paſtorum vox, Eccleſiæ quoque vox atq; *1. Cor. 1.* adeò Chriſti eſt. Alioqui, quidnam illud ſibi vult, Obſecro vos vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata? diuiſus eſt Chriſtus? Abſit. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Ac reuera, vt hoc argumentum conferamus in pauca, ſi oues omnium paſtorum vnam eandemq; doctrinam ſequantur, nihil culpæ in ouibus erit. Sequantur ergo, facile ita, & errantibus paſtoribus vniuerſis oues item omnes errabũt. Quod ſuperiore libro fieri non poſſe demõſtratum eſt. Iam verò Hieronymus quid ſibi velit, ſtatim indicat. Docet enim vtrunque Dei ſeruis neceſſarium eſſe, quo eis fides accommodetur: vt & opus ſermone, & ſermo operibus comprobetur. *Tract. 40.* *1. Cor. 14.*

Præterea Martinus quintus in concilio Conſtantien. ſi inter reliquas interrogationes, quibus ſuſpecti in fide ſunt examinandi, eam etiam proponit, Vtrum credant,

quòd quodlibet concilium generale vniuersalem ecclesiam repræsentet. Si igitur concilium generale vniuersalis ecclesiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius ecclesiæ auctoritatem eadem opera dissoluit. Præclarum igitur illud Augustini est libro primo de Baptismo contra Donatistas cap. decimo octauo, plenarij concilij sententiam, totius ecclesiæ consensionem esse. Præterea, Paulo non alia via commodior visa est ad veritatem in quæstione exorta vestigandam, quàm si ad concilium Hierosolymitanum controuersia referretur. Eam igitur viam, quam Paulus ad fidei quæstionem terminãdam aptissimam existimauit, nos ingredi & tenere debemus: eamq; modestiam imitari, quæ & in Iudæis, & in Gentibus à Luca Actorum quinto decimo capite describitur. Poterant enim Gentes cum concilio illo Hierosolymitano expostulare, quòd libertatem sibi à Christo datam eriperent, quodque cæremonias nonnullas humeris discipulorum tanquam necessarias imponerent, quæ minus necessariæ esse videbantur, cùm Christi fides esset ad salutem idonea. Sed ne Iudei quidem repugnauêre, qui tamen concilij definitioni scripturam possent opponere dicentem: Homo cuius caro præputij, &c. Tantum itaque honoris concilio deferentes, formam futuris seruandam seculis exhibuêre, vt synodis Petri successorumq; eius auctoritate firmatis certa fides haberetur. Visum est, inquiunt, Spiritui S. & nobis. Concilij ergo sententia, Spiritus S. sententia ipsissima est. Accedit illa quoque causa, quòd ecclesia catholica conciliorum generalium decreta semper accepit, ab ipsisq; habitos hæreticos, tales etiã esse sine dubio existimauit. Necessarium est igitur conciliorum tenere fidem: si ecclesiæ fidem tenere volumus. Quæres libro etiam superiore magnis argumentis confirmata est.

4. Conclu. Quarta conclusio. Concilium prouinciale non cõfirmatum à summo Pontifice errare in fide potest. Cuius rei exemplum habes in concilio Mediolanensi lib. 10. histor. eccle. cap. 20. & in concilio Antiocheno 90. Episcoporum lib. 4. hist. trip. c. 9. & in Seleuciano lib. 1. tripart. cap. 34. & in Carthaginensi, cuius inter arguendum mentionem fecimus. Hæc quoque conclusio non exemplis modò, sed testimonio etiam Symmachi comprobatur, inquientis, Concilia sacerdotum ecclesiasticis legib. per prouincias decreta, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Ita leges aut nimis duras, aut parum rationi consentaneas à concilijs prouincialibus interdum editas, non est negandum. Qualis illa fortasse fuit apud Aquisgranum, quæ refertur trigesima sexta quæstione secunda, cap. Placuit. Illa rursum non imprudenter modò, verùm etiam impiè, à concilio Elibertino lata est de tollẽdis imaginibus. Quòd si generale concilium, cui auctoritas episcopi Romani deest, errare in fide potest, errabit aliquando, ac multò etiam magis synodus prouincialis.

17. d. c. cõcilia.

Cap. 36.

Quinta con clusio. Quinta conclusio. Conciliũ prouinciale summi pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare. Multorum autem hæreticorum damnatio esset incerta, si hæc conclusio certa non esset. Plerique enim hæretici nõ per concilia generalia, sed per prouincialia sunt damnati.

Primum cõ firmatũ est à Leone 2. à Sericio 3. & 4. ab Inocentio & Celestino Vt, Priscillianus in cõcilio Toletano primo, Heluidius in concilio Telensi, Pelagius in Concilijs Mileuita no & Carthaginensi. Quanquam Pelagium in synodo etiam Ephesina damnatũ, de hære. c. Fraternitatis, Gregorius tradit. Sed hæc sententia hodie apud Ephesinum concilium non extat. Deinde nec expedit, nec tolerabile est, singulis hæreticis cùdemnandis singulas generales synodos cogere. Cùm ergo ecclesiæ suæ Deus prospexerit no in necessarijs, nimirum ad hæreses priuatas in prouincijs refutãdas, concilia prouincialia satis erunt, si erunt modò summi pontificis auctoritate roborata. Præterea, quoscunque eiusmodi concilia damnauêre, ecclesia eos semper explosit, errare igitur illa in fide nequeũt. Quòd si possent, vel vnum certè exemplum proferretur. At nullum omninò est. Nam, quod Oecolampadius adfert è Romana synodo sub Gelasio, vbi definitum esse ait, substantiam panis in Eucharistiæ Sacramento manere, id commentitium esse loco proximo demonstraturi sumus. Nullius enim synodi illa sententia est, sed ne Gelasij quidem.

17. d. ca. cõcilia.

Prætereà, Symmachus Papa tradit concilia prouincialia quotannis per ecclesiæ leges decreta, quia præsentiã Papæ non habent, valitudinem perdidisse: ergo si præsentiam habent, valida erunt. In 7. item synodo, actione 3. cùm Theodorus concilia generalia recepisset, statim subdit, Locales synodos non auersamur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus. Earũ etiam diuinitus inspiratas canonicas constitutiones, correctiones, & legislationes summa obseruantia colimus. Hanc autem epistolam Theodori & orientalium probat ipsa 7. synodus. Atq; 8. synodus sessione postrema, Canone 1. Regulas, inquit, quæ ecclesiæ sanctæ, tam à sanctis Apostolis, quàm ab orthodoxorum vniuersalibus, nec nõ & localibus concilijs traditæ sunt, seruare ac custodire profitemur. Sed & omnes, qui Christiano censentur vocabulo, damnationibus & iustificationibus, quæ per illas prolatæ sunt, canonicè subijci decernimus. Hactenus 8. Synodus. Cuius verba in ijs maximè concilijs locum habere intelligenda sunt, quę à summo Pontifice sunt confirmata. Summus enim Põtifex, vt sequenti loco demonstrabitur, in fidei iudicio errare non potest. Conciliorum ergo prouincialium decreta ad fidem pertinentia firma & certa sunt, si à Romano Pontifice confirmentur. Id quod Actorum 15. capite explicatum est. Quod enim ibi congregatum legitur, hoc non generale, sed prouinciale concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti, quàm si esset synodus generalis. Qua ex re Erasmi calumnia retunditur. Cùm enim in annotat. super epistolam ad Romanos. ca. 5. dixisset, se non vsqueadeo astringi synodo Mileuitanę, alijsque similibus concilijs prouincialibus, subdidit: Alioqui si quis vrgeat, esse seruanda quæcunque in illis decreta sunt, proferam in illis dogmata quædam, quę nũc ecclesia damnat pro hæreticis. Hactenus ille. Sed, vt diximus, Mileuitanũ concilium confirmatũ est, ideò illo Christianus vrgetur. Illa verò, è quibus dogmata hæretica proferẽtur, confirmata non sunt. Ac de his aliam conclusionem adijciemus.

Locales hic vocantur prouinciales.

Sexta cõcl.

Sexta conclusio. Ex concilijs prouincialibus, licet eis auctoritas episcopi Romani desit, probabile quidẽ argumentũ

mẽtũ sumitur ad fidei dogmata suadẽda. Huius rei vel illud abundè magnũ argumentũ est, quòd ex innumeris cõcilijs eiusmodi vix quinq; aut sex reperiũtur, quę à recta definiẽdi ratione ac via declinârint. Si ergo huiusmodi concilia rectam vt plurimũ fidẽ tenent, rarò deficiũt: probabilissimũ sine dubio est, quod ex id genus concilijs argumẽtũ promitur. Atq; certè, nisi sint peculiariter reprobata, cõmuni ecclesiæ, vel silentio, vel etiã implicito cõsensu cõmendãtur, si ad ecclesię cõmunẽ notitiã peruenerint. Non enim fit aliquo pacto vero simile, vt concilij prouincialis toto orbe vulgati hæresim ecclesia diu dissimulauerit. Error enim, cui non resistitur, approbatur 83. dist. c. Error. Nec mihi concilium Elibertinũ obijcias. Nam in ea parte, qua errauit, semper à Catholicis explosum est Hæc ergo causa est vel maxima, cur Toletana, Arelatensia, Hispalensia, & alia similia antiqua concilia, licet non expresè, implicitè tamẽ probata ab ecclesia videantur. Nam Ancyritanum, Neocæsarienſe, Gangrense, Sardicense, Aphricanũ, & Carthaginensia à Leone 4. confirmata sunt, 20. dist. cap. De libellis. Trullana quoq; synodus quædam concilia prouincialia probauit, sed quantum hæc Trullana approbatio valeat, postea sumus fusè disputaturi. Nunc illud solùm asserimus, concilia, quæ à summo Pontifice cõprobata nõ sunt, nõ certum quidem illud, sed probabile tamẽ argumentum suppeditare ad fidei dogma corroborandũ. Id quod ex Innocentio colligitur, 20. d c. De quibus.

16. d. cæ. quoniam.

Septima cõclusio.

Septima conclusio. Concilia episcopalia, si à Romano Pontifice in decretis fidei confirmentur, certum argumentum veritatis exhibet. Si enim Toletana synodus, præsidente & confirmante Petri successore in fide errat, non videtur causa esse, cur Romana synodus errare non possit. Item cõcilium prouinciale à summo Põtifice cõfirmatum certæ auctoritatis est, ergo & synodus episcopalis. Sed non venit in mentem, alia episcopalis synodus in iudicio fidei à Romano episcopo confirmata, præter Cõplutẽsem sub Alphõsio Carrillo archiepiscopo Toletano, vbi dãnatus est magister quidã Oxomẽsis, qui falso de clauibus ecclesiæ & pœnitentiæ sacramento sentiret.

Postrema

Postrema conclusio

Postrema conclusio. Synodus episcopalis per se quidem in iudicio hæresis probabilem fidem facere potest, certam non potest. Illud prius expedire debemus, nam hoc posterius satis expeditum est. Illud ergo ostenditur ex cap. Ad abolendam, de hæreticis, vbi à Lucio tertio, vinculo perpetui anathematis innodantur ij, quos vel Romana ecclesia, vel singuli episcopi per diœceses suas cum concilio clericorum, vel etiam, si oportuerit, vicinorum episcoporum, hæreticos iudicauerint. Non ergo leuis coniectura accipietur ex huiusmodi synodorum iudicijs, quæ Lucius tanti fecit, vt pro excommunicatis habendos esse decreuerit, quos eedem synodi hæreticos definierint. Nec me clam est, quòd quidam viri docti hanc Lucij decretalem de deprehensis in manifesta hæresi interpretantur. Alioqui ius negant concilio episcopali atque adeò prouinciali de hæresi iudicandi. Id probant, quòd fides res est omnibus communis, quare potestas censendi de fide hæresique contraria, non penes priuatas ecclesias, sed penes vniuersalem ecclesiam erit. Item suadent id ex cap. Maiores, de baptis. & ex cap. Quoties, 24. quæst. 1. vbi eiusmodi causæ ad solam sedem Apostolicam dicuntur esse referendæ, cùm illi speciali priuilegio à Domino reseruatæ sint. Ac post verba citata idem Lucius hoc videtur confirmare, inquiens: Præsenti nihilominus ordinatione sancimus, vt quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, &c. Loquitur ergo Pontifex in casu, quo hæresis est manifesta. Sed mihi semper longè probabilior illorum sententia visa est, qui putant, eos planè & simpliciter anathematis vinculo per hanc Lucij decretalem alligari, quos vel Romana ecclesia, vel synodus, puincialis, aut etiã episcopalis, hæreticos iudicauerint, quãuis nõ sit hæresis omnibus manifesta. Primũ enim nõ dixit textus, Quos hæreticos declarauerint, sed, Iudicauerint. Alioqui, si declaratio illa rei manifestæ erat, non verum in causa fidei iudicium, quorsum eam rem ad episcopum cum concilio clericorũ, & non magis ad Theologos Lucius retulit, vt scilicet eos anathemate peelleret, qui à Theologis eruditis hæretici declararẽtur? Deinde, si Lucius non propriè verbum illud, Iudicauerint, vsurpauit, sed impropriè, pro eo, quod est, rem manifestã exponere: cùm idem omninò verbum simul & ad ecclesiã Romanam, & ad episcopum cum clericis suis referatur, consequens fieret, vt etiam pari modo per ecclesiam Romanam non hæreticos iudicatos, sed declaratos excommunicari à Lucio intelligeremus. At constat, vocem illã de ecclesia Romana propriè & simpliciter intelligi: non est igitur, cùm ad synodum episcopi refertur, in aliũ sensum detorquenda. Adde, quòd multifariam causa eius, qui hæreseos insimulabatur, ad id genus synodos referri poterat. Primò ex sedis Apostolicæ commissione peculiari, vt de causa Priscilliani cognouit concilium Toletanum primum: & de causa Magistri cuiusdã Oxomẽsis cognouit synodus Complutensis, sub Domino Alphonso Carrillo Archiepiscopo Toletano. Mox sine cõmissione pontificis speciali, id quod inquisitores modò faciunt, in hæresi quidem manifesta, sed vbi non erat manifestum, an reus esset hæreticus, vel quia non erat probatum & notum, eum propositionem hæreticam asseruisse, vel certè quia, etsi asseruisset, nondum erat cõperta pertinacia, sine qua hæreticus nullus est.

Leo cõmisit. *Sixtus 4. cõmisit.*

Postremò in hæresi non perinde manifesta, vt omnibus passim esset exposita: sed tali tamẽ, vt nõ esset necesse, aut ad cõciliũ generale, aut ad Apostolicã ecclesiã referre eam: quod periti Theologi hæresim esse consentirent. Et in his omnibus casibus ius & olim habebat Synodus, & nunc habent ij, quibus fidei cognitio est mandata, pronunciandi ac iudicandi de causa fidei. Tametsi huiusmodi tribunalium iudicia nõ adeò explorata sunt, vt falsa esse non possint, non in re dubia solùm, interque viros doctos controuersa, quo casu synodi locales non habent de hæresi pronunciare: sed etiam in re, quæ omnibus prouinciæ Theologis videretur manifesta, quo casu sine crimine vsurpati iudicij de causa fidei pronunciãt. In his ergo tribus casibus, licet iudicia hęc certa & firma in ecclesia non sint, expedit tamen, vt, quoniam sunt valdè probabilia, maximi à fidelibus habęantur. Nec enim erit parùm ecclesiæ noxium, si non interim ab his perinde

perinde vt ab excommunicatis caueat, quos non ecclesia Romana modò, verumetiam synodus, aut prouincia illis, aut episcopalis hæreticos iudicarint. Sed primam obiectionem videamus. Causa, inquiunt, fidei omnibus communis est, atque adeò priuatis iudicibus nō licet de ea sententiam ferre. Et læsæ maiestatis, ac proditæ reipublicę crimen ciues vniuersos tangit, & priuati tamē iudices de eo censere solent. Nam capitalia illa, quę afferunt, intelligenda sunt, cùm res inter ipsos episcopos & viros Theologos est ambigua: quemadmodum Pelagius explicuit 17. distinct. cap. Multis. Qui etiam sensus ex Deut. 17. cap. manifestiùs habetur: Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus, &c. Nam illud quidem, quod Lucius addit, nihil militat aduersum nos. Non enim dixi, Quicunque fuerit in manifesta hæresi deprehensus: sed, Quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus. Vult autem, quod ibidem perspicuū est, vt nemo tradatur brachio sæculari, nisi hæreticum esse constiterit. Eiusmodi enim pœnæ, vt executioni mandentur, probatiōes exigunt luce meridiana clariores. Sed de cōciliorum auctoritate dictum est satis.

CAPVT V.

Vbi nodi quidam soluuntur, quibus interdum homines etiam docti illigari solent.

QVibus rebus expositis, nihil aliud superesse videbatur, nisi vt argumēta refellerem, q̄ à principio sunt posita. Sed parāti mihi eas obiectiones repellere, obiecerunt se scrupuli aliquot, quos priùs conuenit excutere, quàm ad alia pergamus, ne in via, quam superiore capite aperuimus, sint Theologis impedimento.

Prima quæstio. Primum igitur dubium illud excutiendum est, an cōcilium per legatos summi Pontificis celebratum, firmā certamq; habeat auctoritatem: an potiùs episcopi Romani confirmatio expectanda sit, vt certa habeātur decreta concilij. Ac Caietanus quidem, qui sine cōtrouersia de auctoritate Papę & concilij accuratissimè disputauit, quemquè nos correctione quadam adhibita potissimùm secuti sumus, multa hic disertè dicit, quę à præsenti instituto videntur esse aliena: sed affirmat denique, id q̄ ad præsentem locum & quæstionem attinet, concilium per legatos Pontificis actum errare in fide posse. Superest enim adhuc ille, pro cuius fide rogauit Christus, ille inquā, ad quē fidei summa tādem referēda est. Quare nisi definitiones conciliorū per summos Pontifices & probentur & confirmentur, certas firmasque esse nō oportet. Idem etiam Cardinalis Turrecremata sensit libro tertio, cap. sexto, octauo, & trigesimo octauo, quibus locis fusissimè ostēdit, omnia retro antiqua concilia à summis Pontificibus confirmationem dogmatum petijsse: non id profectò actura, nisi existimassent necessarium. Nam quòd confirmatio Pontificis ad fidei quoq; dogmata referatur, liquet ex epistola Nicænæ synodi ad Syluestrum papā. Quicquid, aiunt, constituimus, precamur vt vestri oris consortio confirmetur. Et Syluester eidem synodo rescribens, Confirmo, inquit, figoque ad doctrinam vestram reclamantes de vnitate Trinitatis. Et paulò pòst, Probo, ait, vera fuisse, quæ in vestrum nostrumque manauēre mysterium, &c. Et patres concilij Chalcedonē. in epistola ad Leonem, Omnē, inquiūt, vobis gestorum vim insinuauimus, ad comprobationē nostræ synceritatis, & ad eorum, quę à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam. Et Leo papa in epistola ad cōcilium Chalcedonen. quæ est in ordine 59. Ne ergo, ait, dubitabile videatur, vtrum quæ per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, &c. & postea dicit se approbationem gestorum synodalium in sola causa fidei mittere, propter quam scilicet concilium congregatum est. Idem patet ex epistola Leonis huius nominis tertij, qua confirmat sextam synodum generalem. Adde huc, quod ecclesia ante ipsius Pontificis confirmationē, nunquam firmum habuit & ratū, quod à legatis cōcilio Præsidentibus definitum est. Hinc enim Martianus Augustus à Leone contendit, vt cōcilij Chalcedonensis de fide iudicium approbaret. Et Leo ob hanc quoque causam Martiano commendauit, vt confirmatio approbatioque

Vide etiā epist. 58. ad Pulcheriam.

tioque cõcilij ad omnes ecclesias perferretur, quemadmodum epistola 57. ad eundẽ Martianum scribitur. Præterea conciliũ sine legatis errare potest, at summus Pontifex non transfert in legatos suæ fidei soliditatem, quã scilicet sibi soli priuatim vendicat, eò quòd Christi vicarius, est pastor ecclesiæ vniuersalis, & petra, supra quam Christus suam fundauit ecclesiam. Legati ergo simul cum concilio errare poterunt. Non enim pro legatis Petri, sed pro Petro rogauit Christus, &c. Adhæc, conciliũ prouinciale, cui legati summi Pontificis adsint, errare in fide potest: non autem si à summo Pontifice confirmatum est. Non igitur Legati eam habent in fidei dogmatis auctoritatẽ, quam summus ipse Pontifex habet. Quo circa, infirma adhuc erũt decreta concilij, quamuis per legatorum iudicium confirmata. Præterea concilium Ephesinum secundum errauit cum Dioscoro, & tamen legitimè, auctore Leone, congregatum est: non ergo firmum & ratum est concilij decretũ, nisi sit à summo Pontifice confirmatum. Nec valet dicere, legatos pontificis & paucos quosdam alios repugnâsse. Non enim oportet omnes patres synodali sententiæ subscribere, vt generale concilij iudicium habeatur. Quoniam ne omnes quidem episcopi iudicio Nicænæ synodi subscripserunt. Ac si legati ipsi, vt docti omnes consentiunt, errare possunt, nihil obstaret, quo minus alijs episcopis errantibus consensissent. Legatus demum Pontificis aderat, cùm in secunda & tertia sessione concilij Basilienſis vehementer erratum est, errori quoque cæterorum Legatus ipse subscripsit, non ergo satis est concilium esse coactum Pontificis auctoritate, & legatos concilij sentẽtiam approbâsse, vt firma & certa esse in ecclesia existimetur.

At contrà viri quidam doctissimi sentiunt, concilium generale legitimè congregatum etiam absente papa, solidam certamque habere auctoritatẽ priusquàm à summo Pontifice confirmetur. Cuius sententiæ duas potissimum causas reddere possunt. Vnam, quòd eiusmodi cõcilium per legatos episcopi Romani celebratum, ecclesiam vniuersalẽ repræsentat, quoniam est concilium ecclesiæ generale, non ergo errare in fide potest, sicut ne ecclesia

ecclesia quidem vniuersalis. Quòd autem omne concilium generale ecclesiam vniuersalem repræsentet, definitum est à Martino quinto in fine cõcilij Constantien. Altera causa est, quòd concilium generale legitimè cõgregatum, in Spiritu sancto congregatum est, quare habet spiritum assistentem, cuius præsentia freti, possunt vtique patres, cùm aliquid definiunt, dicere, Visum est Spiritui sancto, & nobis. Confirmat autem hoc vel maximè testimonium Iulij ad Orientales episcopos inquientis: Regula vestra nullas habet vires, quoniam Romanæ ecclesiæ legatus non interfuit canonibus præcipientib⁹, sine eius auctoritate concilia fieri non debere: nec vllum ratum est concilium, quod eius non fuerit fulcitum auctoritate. Hactenus Iulius. Sentit ergo sine dubio, cõcilium habere vires, ratum esse, Romanæ ecclesiæ niti auctoritate, si Romanæ ecclesię legatus interfuit. Hac difficili quæstione explicanda illud ponimus, q̃ rerum gestarum experimento constat, summi pontificis legatos nõ solere ad cõcilium accedere, vbi quæstio de fide agitãda est, nisi instructos prius & monitos de ecclesiæ Romanæ fide circa ea, quæ sunt in cõcilio finienda. Solere, inquã, non itẽ oportere. Nã legati in concilium Tridentinum non potuêre commodè de quæstionibus disserendis antè instrui, quoniã erant propemodum infinitæ. Sed cætera ferè concilia ad vnam aut alteram fidei tractandam causam coacta sunt. ideoq; legati de Apostolicæ ecclesię fide prius instructi accesserunt. Principiò igitur illud statuo, posse concilium legatorum doctrinæ & instructioni repugnare, atque è contrario legatos posse repugnare concilio, quo casu decreta concilij non solùm non fulcita Apostolica auctoritate, sed erũt potius refutata. Sicut enim congregatio concilij, reclamante vero certoque ecclesiæ Pontifice, vana est & irrita, sic doctrina, cui vel præsens Pontifex per se, vel absens per legatos suos contradicit, incerta est & imbecilla: idq; eodem prorsus argumento, quoniam vtrique auctoritas episcopi Romani deest, sine qua nec concilium, nec concilij decreta rata sunt. Quòd si qui existiment, concilium semel ritè ac legitimè congregatũ errare tũ etiã non posse, cùm legati

Acto. 15. 17. d. ca. Regula.

Vide epistolam Nicolai ad Michaelē Imperatorem. Euge. 4. in Decreto Vnionis Iacobinorū. Et Leo Papa epi. 43. ad Martianum Augustum.

Pontificis repugnant, respondeant illi argumento velim, quo secundam conclusionem cap. 5. probabamus, concilij Ephesini secundi exemplum proferentes, vbi ab omnibus penè episcopis erratum est. Non fuit liberum concilium, inquiunt, sed sententia à Dioscoro, arte, minis & terroribus extorta est. Video. Sed si secundum hominem loquimur, qui metu frangitur, is cupiditate etiā frangatur necesse est. Quocirca, si per metum vera & legitima synodus errat, causabuntur hæretici, reliquas etiam omneis pontificum & imperatorum cupiditatibus inseruisse. Ita fiet, vt nullius synodi explorata auctoritas habeatur. Quantò grauius illud nos asserimus, concilij Apostolica auctoritate firmatum nullis humanis affectibus à vera posse fide discedere. Vt ne ecclesia quidē, quamuis descendat pluuia, veniant flumina, irruant venti, cedere loco potest, fideique stationē deserere. Sed cōcilij reliqua pars quamlibet maxima, si pontifex & legati pugnent, infirmari affectu potest. Huc enim illud pertinet, Tu, ô Petre, confirma fratres tuos. Sed ais, Quid si legatus doctrinam, quam à Pontifice accepit, deserat, & multitudinis sensum amplectatur? Primùm, nullum huiusmodi exemplum proferetur, nisi fortè ex cōcilio sub Michaele Imperatore, vbi Radoaldus & Zacharias Michaeli & Photio consenserunt aduersus Nicolai instructionem atque mandata: vt videre est in epistola Nicolai ad Patriarchas, Metropolitas, ac reliquos episcopos. Deinde si legatus contra instructionem agit, nō censentur ex potestate delegata agere, atque adeo nō est, cur eo modo acta superioris auctoritate probata esse credātur. Inde enim Agatho papa, vt patet actione 4. sextæ synodi, Auctoritatem, inquit, eis, hoc est, legatis dedimus, in quantum eis duntaxat iniunctum est, vt nihil præsumāt augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apostolicæ sedis synceriter enarrare. Et Leo epist. 73. ad Pulcheriam Augustam, Lucentium, inquit, episcopū & Basilium presbyterum dirigere præparaui, qui dispositiones meas secundum eas, quas acceperūt, regulas, exequantur. Decreta igitur, si quæ à legato contra sedis Apostolicę traditionē approbentur, non habent Romanę ecclesiæ

ecclesiæ auctoritatem: nec aliter se habent, quàm si à cōcilio sine legatis prodijssent. Quid verò, si legati sine Apostolicæ sedis instructione ad synodū accesserē? Num synodi iudicium firmū erit & certum, prius, quàm à summo Pontifice comprobetur? Certè in his, quæ ad fidem non attinent, sed ad ecclesiasticam gubernationem, eiusmodi synodorum decreta non oportet à Spiritu sancto proficiscī. Quare non sunt omninò valida, nisi Romani episcopi consensione firmentur. Vt videre est in epistola 51. Leonis ad Anatholium, 52. ad Martianum, 53. ad Pulcheriā, & 59. ad concilium Chalced. Sed ne in causis fidei quidem adeò exploratam auctoritatem habent, vt qui ea in dubium vocet, hæreticus sit. Tum quia auctores nobilissimi, quos antè diximus, Caietanꝰ & Turrecremata, non solùm citra hæreseos crimen, sed probabiliter etiam consentiunt, nihil firmi dogmatis ab eiusmodi synodis proficiscī, quousque per Christi vicarium approbentur. Tum, quia, vt antè dictum est, solidam auctoritatem, quam in confirmādis & fratribus & dogmatis Petrus habet, in legatos transferre non potest. Tum, quia si legati, qui instructionem ab Apostolica sede acceperunt, discedere ab illa possunt, illi etiam, qui ad cōcilium sine instructione accedunt, poterunt cum sedis Apostolicæ doctrina pugnare. Quare eorum confirmatio infirma est. Quid, quod legatus Iulianus cōcilij Basiliensis doctrinæ cōsensit, quā nullus Theologus ita solidam & certam existimat, vt hæreticos credat, qui ab ea doctrina dissentiunt? Nec cōtraria argumēta quicquam efficiunt. Nam primū sic refellitur: Fateor equidē quodcunque concilium generale vniuersalem ecclesiam repræsentare, sicut omnes proceres & procuratores ciuitatū, cùm de rebus publicis tractaturi cōueniunt, regnū totum repræsentant. Sed dum vrges, ecclesiā errare non posse: Verum est id in eo sensu, qui à fidelibus accipitur, intelligimus enim totam simul ecclesiam, hoc est, fideles omnes non errare. At nihil obstat, cur maior ecclesiæ pars non erret. Sic igitur non ego admitto, vt totum concilium cum legatis errare possit. At errare poterit maior pars cōcilij, & erranti illi poterunt legati subscribere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bere. Atque id est, quod nos in præsentia dicimus, iudiciũ maioris partis, etiã si legati sequantur, nõ esse certũ, certũ aũt esse, si à summo Pontifice confirmaretur. Nec enim opus est, quẽadmodum paulò antè docuimus, sententiam concilij omnes simul patres approbare. Secundo verò argumento hoc habeto responsum: Concilium vtique generale, cui legati præsunt, in Spiritu sancto cõgregatum esse, quoniam auctore Christi vicario eodemque legitimo ecclesiæ principe coactum est. Sed ecclesiq quoque vnum corpus est, cuius spiritus Deus est, qui ecclesiæ semper assistit. Quemadmodum ergo, quod toti pariter ecclesiæ visum est, id Spiritui sancto etiam visum est: sed nõ continuò, quod maior ecclesiæ pars iudicârit, hoc Spiritus sancti iudiciũ est. Ita, si quid omnibus quidem episcopis iudicatum fuerit, à spiritu profectò Dei iudicatum est: at non statim, si plures concilij patres in vnam sententiã cõuenerint, Spiritus sancti ea sententia credenda erit, nisi per summum Pontificẽ confirmetur. Ad quem nimirum spectat patrum lites dissidiaq; componere. Iam Iulij testimonium explicatu facillimum est. Tacet enim, quòd manifestum erat concilium illud summi Pontificis præsentia caruisse, ponit aũt ne legatos quidẽ ecclesiæ Romanæ affuisse. E quibus duobus altero tacito, altero expressò, colligit nullã prorsus ecclesiæ Romanæ auctoritatem in eo concilio intercessisse. Quare irritum & vanum esse. Alioqui, si quis rusticè sanè eo nos testimonio vrgeat, is nullo negotio explodituꝛ. Nihil enim valet illa collectio, si concilium legatos nõ habuit, infirmum eius iudicium fuit, ergo si habuit, fuit firmum. Sed de prima quæstione dictum est satis.

Secunda quæstio.

Sequitur altera, An patres cõcilij verè iudices sint, an potius consiliarij? Sunt enim auctores nõ omninò pessimi, qui conciliorum auctoritatem non in iudicanda & finienda causa fidei, sed in quærenda & inuestigãda veritate sitam esse velint. Omnem quippè iudicij vim ad vnum ecclesiæ principem, eundemq; Christi vicariũ reuocant, qui fidei causa decernẽda eò vel plures, vel pauciores in consilium adhibet, quò causa vel grauior, vel facilior est. Huius verò rei primum argumẽtum promitꝛ, quòd

tur, quòd in sex libris Decretalium & Clementinis, non patribus, sed summo pontifici sententia tribuitur, sacro tamen approbante concilio. Vnde Clemens 5. concilio Viennen. præsidens, Nos, inquit, ad tam præclarum testimonium, ac sanctorum patrum cõmunem sententiã, Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hęc declarare pertinet) aciem conuertentes, sacro approbante concilio declaramus, &c. Solùm ergo ad sedem Apostolicam iudicium pertinet, patrum verò nõ iudicium, sed consilium est. Præterea, cùm Pontifex ecclesiæ Romanæ presbyteros in cõuentum cogit, vt causa aliqua fidei iudicetur. De fratrum, inquit, nostrorum concilio, &c. Cõsulunt ergo, nõ iudicant. Adhæc, Deute. 16. Si difficile & ambiguum, &c. venies, ait, ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tẽpore, &c. Et pòst: Qui autem superbierit, inquit, nolens obedire sacerdoti imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Ecce imperium non omnibus, sed summo sacerdoti assignatur, & decretum non iudicũ, sed iudicis esse dicitur. A consilijs ergo sunt reliqui sacerdotes, non sunt iudices. A contraria verò parte facit, quòd in concilio illo primo Hierosolymitano nõ solùm Petrus, sed reliqui etiam Apostoli & seniores iudices esse dicuntur. Propter quod ego iudico, Iacobus ait, non inquietari, &c. Actor. 15. Et posterius cap. eodem, præcepta concilij vocat Paulus præcepta Apostolorum. Et cap. 16. dicit, ea dogmata esse decreta ab Apostolis & senioribus.

Ex extravagãtibus multis hoc patet.

Ad hanc quęstionem perfacilis est & expedita responsio. Episcopos concilij in fidei causa non modò consiliarios esse, verũ etiã iudices. Alioqui non solùm episcopi ad ferendam sententiam synodalem adhiberentur, sed etiam docti Theologi, & viri in ecclesia prudẽtes. Quod inauditum est, contraque formam Actorum 15. pręscriptam, vbi Apostoli tantùm cũ presbyteris de fidei quæstione iudicârunt. Cùm igitur ecclesiæ perpetuo vsu soli pastores in concilio sedeant, consequens fit, censores eos esse, non modò consultores. Nam si, vt consulerent, aduocarentur, ijs episcopis, qui Theologiæ rudes & im-

periti essent, nullus esset omninò in cõcilio locus, quando Theologiæ quæstio veniret in dubium. Præterea, nõ Romanus episcopus modò, verùm reliqui etiam episcopi claues regni cælestis habent, ergo in causa fidei ligandi quoque ac soluendi potestatem. Visum est, inquiunt, Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria, &c. Omnes ergo episcopi onus præceptumque imponunt, omnesque simul sententiæ synodalis auctores sunt. Atque consiliarij, qui non sunt simul iudices, non solent iudicio sententiæque subscribere. At in synodali sententia non Pontificis solùm, sed cæterorũ episcoporum subscriptiones adponuntur. Sunt igitur sine dubio iudices.

Verùm scrupulus hic existit, qui malè quosdã habet. Nam si omnes episcopi sunt iudices, summus nimirum pontifex tenebitur in ferenda sententia maiorẽ partẽ iudicum sequi, eorumque doctrinam approbare. In omni enim recto & benè instituto tribunali is, qui præsidet, plurium iudicium confirmare debet, paucorum negligere. Hac soluenda quæstione Cardinalis Turrecremata lib. 3. summæ Ecclesiæ, capite 64. & 65. iurisperitos ipse sequẽs multa dicit, quæ mihi non probantur omnia. Nec est animus tamen singula persequi, & cuiusque opiniones refutare. Acutè enim disputantis, vt Cicero tradit, illud est, non quod quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre. Quod igitur assumptum est, patres concilij non modò consiliarios esse, verùm etiam iudices, id inficias ire nec possumus, nec debemus. Nam patres Niceænæ synodi à Syluestro contendunt, vt quicquid constituerunt, confirmet. Et Leo, quæ à concilio Chalcedonen. de fide statuta sunt, ea dicit se probare. Et concilium ipsum ad Leonem, Decretis, inquit, tuis nostrũ honora iudicium. Et 6. Synodus actione 18. Anathematizamus, inquit, Theodorum, Sergium, Cyrum, &c. & paulò pòst, His omnibus, ait, à sancto hoc concilio constitutis, & per subscriptionẽ nostræ fortitudinis cõfirmatis, sancimus, vt nullus aliud quicquã de fide satagat, &c. Num verba hæc consulentis sunt? An potius iudicantis? Atque in cæteris patres non vt consiliarij, sed vt iudices loquuntur. Caput enim tertiũ Nicænæ synodi sic habet, Interdixit per omnia magna synodus, &c. Scrupulũ veto, qui nunc opponitur, facile eximo. Nego enim, cùm de fide agatur, sequi plurimorũ iudicium oportere. Nec hic vt in humanis vel electionibus vel iudicijs, ex numero suffragiorum sententiam metimur. Scimus frequenter vsu venire, vt maior pars vincat meliorem, scimus non ea semper esse optima, quæ placent pluribus, scimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, sapientiũ sensum esse præferendum. Et sapientes paucissimi sunt, cùm stultorũ infinitus sit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt: ex ore verò Michææ soliùs quidem & contemptibilis veritas egressa est. Non sunt igitur diuina iudicia humanis rationibus moderãda. In paucis aliquando citius, quàm in multis saluat Dominus. Maior quippè pars Ephesini concilij secũdi in Dioscori sententiam venit, nec legati tamen plurium iudicio subscripsere. Quocirca summus Pontifex maioris partis sententiam nõ tenetur amplecti. Imò siue pauci, siue plures ad errorem deflexerint, munus est apostolici antistitis ad veram eos fidẽ reuocare: iuxta illud, quod Petro dixit Christus, Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu nõ vnum & item alterum, sed siue paucos seu multos, confirma fratres tuos. Ita Damasus scribens ad episcopos per Illyricum constitutos, numerũ concilij Ariminensis magna libertate cõtempsit, illicij; tantę multitudini vnum Vincẽtium & alios paucos opposuit, qui contra illius cõcilij sententiã dixerunt. Et Leo, cùm Anatholius decretum Chalcedonen. Synodi de eccle. Constãtinopolitanę primatu, sexcentorũ triginta patrũ consensione præferret, Quasi, inquit, refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo. Nulla sibimet de multiplicatione cõgregationis concilia blandiantur: nec trecentis illis decem atq; octo copiosior numerus sacerdotũ comparare se audeat, vel præferre, cùm tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit synodus consecrata, vt siue per paucíores, siue per plures ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quicquid ab illorũ fuerit constitutione diuersum. Hactenus Leo.

3. Reg. 22.

Epist. 51. ad Anatholiũ.

Non itaq; quod in humanis concessionibus fit, pluriũ apud nos sententia prævalet. Quod si semel fidei causam ad humanas coniecturas prudẽtiamque deducimus, verendum est sanè, ne ecclesiæ negotium ex diuino humanum faciamus. Quinetiam certũ est, qui probabili multorum iudicio nituntur, eos fidei nostræ firmitudinem labefactare. Secundum quippè concilium generale centum quinquaginta patrum numero constitit, quartum verò patres habuit sexcentos triginta: vtrunque tamen pari veneratione suscepit ecclesia. Non enim numero hæc iudicantur, sed pondere. Pondus autem concilijs dat summi Pontificis & grauitas & auctoritas: quę si adsit, centum patres satis sunt: sin desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si maior pars patrum verè sentiat, summus ecclesiæ Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne ecclesia in factiones duas diuidatur. Nec Romanus vnquam episcopus, si exemplum quæritur, contra patres concilij verè sentientes dixit. Ad secundam autem quæstionem nihil est, quod addere debeamus, nam argumenta ex aduerso posita ex his, quæ diximus, facilè diluuntur.

Tertia quæstio. Alia quæstio etiam existit, quę non est ad exponẽdum facilis. Si enim concilium summi Pontificis auctoritate firmatum, Spiritu sancto regitur fidei causis iudicandis, eius ergo definitiones ad sacram scripturam pertinebunt. Nam scriptura sacra vocatur, quæ Spiritu sancto afflante scripta est.

Huius verò argumenti conclusionẽ vir apprimè doctus, & qui tantos habebat in Theologia progressus, vt cum excellentibus Theologis compararetur, non est veritus me præsente concedere. Atque in hanc opinionem Gratianus quoque videtur descendisse, Diui Augustini testimonio confirmatus 19. distin. cap. In Canonicis, vbi summorũ Pontificũ epistolas decretales canonicas scripturas esse dicit: eadem igitur ratione concilij decreta in Canonicis scripturis habebuntur. Sed & Innocẽtius de celebra. miss. cap. Cùm Marthæ, eandem sentẽtiam videtur amplecti. Ait enim scripturã sacram asserere, quòd iuriam

iuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Hoc autẽ testimonium alicuius mimitum vel Pontificis, vel concilij est. Ratio item his testimonijs consentit. Fides enim catholica nihil credit, nisi quod est à Deo reuelatum, quòd si concilij decreta tenemur certa secundum fidem habere: ea sunt certè à Deo reuelata, atque ex consequenti scriptura canonica.

Adhæc opinatio, quàm sit inconsiderata, lector, vel me non docente, intellecturus est. Nam si symbolum Athanasij concilijue Nicæni inter sacras literas refertur, cur nec in Codicem sacrorum bibliorum redigitur, nec cum libris canonicis annumeratur? Iam libros, qui decretales Pontificum epistolas, synodorumque iudicia continent, in sacris & canonicis habere, absurdum est. Duplex enim discrimen inter sacros auctores, & summum Pontificem patresque concilij reperitur. Vnum, quod auctores sacri ex proxima Dei, vel reuelatione, vel inspiratione scribunt catholica dogmata. Nec enim egent exteris ad scribendum incitamentis, aut humana ratiocinatione è scripturis alijs argumentantur, disquirunt, colligunt. At concilium & pontifex humana via incedunt, rationemq; sequuntur: atque argumentando verum à falso discernũt. Non enim existimãdus est summus Põtifex eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis, & Euãgelistis inerãt, vt, ppposita vnaqualibet de fide quęstiõe protinus dignoscere possit, vtra quęstione pars vera falsáue sit. Sed adhibere prius consilium necesse est, & expendere vtriusque partis argumenta: tũ deinde sequitur auxilium Dei, quod videlicet opus est, vt summus Pontifex in recta fide contineatur. In concilijs itidem non habent patres, mox quasi ex auctoritate sententiam absque alia discussione dicere. Sed collationibus & disputationibus re antè tractata, precibusque primùm ad Deum fusis, tum verò quæstio à concilio sine errore finietur, Dei videlicet auxilio atque fauore, hominumque diligentia & studio confluentibus.

Nam & Apostolis, & presbyteris in synodum Hierosolymitanum congregatis, non statim reuelatum est, quid esset in fidei causa decernendum: sed facta est

prius, vt Lucas ait, magna conquisitio. Et in Nicæna synodo, vt Rufinus tradit, per singulos dies agitabatur conuentus: nec facilè aut temerè de re tanta statuere audebant patres. Euocabatur frequenter Arius in concilium, & assiduo tractatu assertiones eius discutiebantur, & quid aduersum hæc teneri deberet, aut statui, summa cum liberatione quærebatur. Ita post diutinum multumque tractatum firmissima omnium sententia Arius condemnatus est. Ex quo perspicuum est, non dormientibus & oscitantib. patribus Spiritum S. assistere, sed diligenter humana via & ratione quærentibus rei, de qua disseritur, veritatem. Alterum autem discrimen est, quòd scriptoribus sacris, quemadmodū primo loco fusius explicuimus, Dei spiritus adest in singulis. Etiam ne in minimis rebus? Etiam. At patribus synodi spiritus veritatis non est præsens in omnibus, sed in rebus solùm ad salutem necessarijs. Quod enim in symbolo Athanasii dicitur, carnē & animam vnum esse hominem, id non oportet verum esse, quanuis cum Athanasio concilium Nicænum consensisset. Nam vtrum homo partes illæ complexæ sint, an nō sint, ad Philosophiæ rationem pertinet, non fidei: quare Philosophorum quæstio est, non fidelium. Synodus autem prouincialis sub Stephano huius nominis septimo, per errorē omnes ordinationes factas à Bonoso irritas esse decreuit, quod in synodo Romana sub Ioanne nono iure reprobatum est. Sed iudicium rerum gestarum erat, non religionis fideique decretum. Huiusmodi sunt ea, quæ in Clement. Pastoralis, de sent. & re. iudic. transiguntur. Non enim ad fidem & religionem attinent. Quocirca, licet errâsset Clemens, quod Bucerus contendit, nihil inde concilij auctoritas labefactaretur. Tametsi Clementina illa Clementis est, non concilij. Verùm Pontificum & conciliorū eadem causa est. Sixtus quartus docuit, Diuam Catherinam Senensem stigmata nō habuisse, non defuit, qui cōtra iudicârit. Neutrius Pontificis iudiciū ad Christi ecclesiam spectat, vtrumq; aut probare aut improbare sine fidei discrimine possumus. Sed valeant stulti, qui de rebus nihili digladiantur. Nos enim

enim hic exempla ponimus, vt lector intelligat, aliter autores sacros esse habendos, aliter conciliorum patres. Illos vbique vera dicere: hos posse in paruis errare. Ita, quod Christus ecclesiæ suæ pollicitus est, spiritum eam docturum omnem veritatem, hoc ad fidei veritatē referendum est, vt disertè Augustinus docet, & in commētarijs super Ioannem, & in actis contra Felicem libro secundo. Nec enim rogauit Christus, ne deficeret Petro aut Philosophiæ, aut rerum gestarum cognitio & veritas, sed ne deficeret ei fides.

Forsitan quispiam dixerit, Nónne igitur concilij Hierosolymitani decreta sacra scriptura sunt? Facta est enim magna conquisitio: dictum est autem, scripturæ sacræ auctoribus minimè conuenire, vt disquirant & humanitus ratiocinentur.

Item, nam & hoc dicet aliquis, Si summus Pōtifex & concilia, nisi diligentiam adhibeant: errare possunt: cū nobis non constet, an summus Pontifex patresque concilij præstiterint se diligentes, & industrios, vt via & ratione procederet inquisitio, ne constabit quidem an errauerint. Ita quæcunque definierint, erūt incerta.

Ac primus quidem scrupulus facilius eximitur. Quēadmodum enim verba Pilati ad canonem pertinent, nō quà Pilatus dixit, sed quà scripsit Euangelista: sic & concilij Hierosolymitani definitio sacra scriptura est, quòd Lucas eam reliquis historiæ siue partibus cōtexuerit. Vt econtrariò verba Petri, quæ refert Clemens, non sunt de canone, quoniam Clemens scriptor sacer non fuit. Quæ causa idonea est, vt canones Apostolorū, quos idē Clemens scripsisse fertur, in libris canonicis non habeātur: tamen Damascenus li. 4. ca. 18. in catalogum, vt videtur, sacrorum librorum referat, & Epiphanius hæresi postrema refellenda, Apostolorum cōstitutiones diuinam scripturam vocet. Loquitur autem sine dubio de his constitutionibus, quę in sacris Biblijs scriptæ nō sunt. Sed alia est illa, cùm veritas ipsa limatur in dispositione, subtilitas; alia cū obiter & in transcursu ad vulgarem quandā opinionem accōmodatur oratio. Quamobrem vt sapientes, ita nos hoc loco verbis ecclesiasticis vtimur, vt eos

eos solùm, qui spiritu dictante scripti sunt libri, sacros & canonicos appellemus.

Alter verò scrupulus ita Syluestri animo residet, vt vix eũ inde pellere potuerit. Meliusq; fuisset occulere, quàm stimulare cæteros, quo ipse scrupulo pũgebatur. Ac sunt etiam, qui non obscurè dicant, quòd si quãdo Romanus Põtifex in definitione fidei errauit, inde euenire potuit, quòd nõ tantam, quantam debebat, adhibuit diligentiã, anteq̃ sententiam proferret. Quoniam vel rem nõ plenè examinauit, vel nõ eos, quos oportebat, cõsuluit. Quib. si obijcias, apostolicam sedem errare in fide nõ posse: fatentur id quidẽ, sed aiunt, sedis apostolicæ nomẽ nõ solùm summum Pontificem significare, sed ipsum, vt facit ea, quę ad cathedram spectant: hoc est, quatenus non ex suo, sed ex cõcilio bonorum virorum & doctorũ procedit. Ita sedis apostolicę iudicia intelligi, non quę occultè, malitiosè, incõsultè, per solum Roma. episcopũ, aut etiam cũ paucis sibi fauentib. proferuntur: sed quę ab eo ex consilio plurimorum virorũ sapientum plenè prius re examinata prodeunt. Quæ res vt de concilijs quoque dicatur, subsunt omninò causæ eædem, quas dixi paulò antè. Non enim existimare debemus, summum solũ pontificem, cùm dormierit, errare: cùm non dormierit, verum dicere: patres autem, siue dormiant, siue vigilent, semper rectà ingredi, & clausis, quod aiunt, oculis vel in tenebris obscura cernere. Commune est, crede mihi, omnibus ecclesiæ iudicibus: vt, si decreta ediderint temeritate quadam sine iudicio, repentino quasi vento incitati, nihil omninò conficiant, quod solidum, quod graue, quod certum habetur. Ea, par est, & grauia & certa in ecclesia haberi, quæ iudicio, consideratè, constanterque edita sint. Quamobrem qui siue pontificum, seu conciliorum diligentia fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est omnia põtificum iudicia ac conciliorum infirmare. Nos igitur scrupulum illum posteriorem, si cui infixus est, aliter ex animo euellemus. Nã Deus suauiter disponit omnia, simulque prospicit & finem & media ad fidem necessaria. Si enim promitteret cuiquam æternam vitã, mox conferret etiam ille bonarum

narum gratiam actionum, quibus eam vitam cõsequeretur. Videlicet quos glorificauit, eosdem & iustificauit & vocauit, vt ad Romanos 8. capite dicitur. Sic omninò, cùm ecclesiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quo minus tribuat ecclesię preces, cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conseruatur. Nec verò dubitari potest, quod in rebus naturalibus cõtingit, idem in supernaturalibus quoq; vsu venire: vt qui dat finem, det cõsequentia ad finem. Quod quoniam Philosophorum pronunciatum est, & Theologorum etiam ore teritur, permittant mihi obsecro Latiniores, interdum cum nostris nostra loqui. Nam etsi ornatius, quàm hi solent, nos plerunque disserimus, sed nonnunquam quas sententias à scholasticis accepimus, eisdẽ verbis efferre volumus: ne dicendi forma penitus immutata, discessisse à schola videamur.

Itaque præstat semper Põtifex, quod in se est, præstatque Concilium, cùm de fide pronunciant: caditque causa, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodũ enim, si Christus Petro diceret, Ego rogaui pro te, ne deficiat charitas tua; certò certiùs intelligeretur diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetrãsse, quæ sunt ad charitatis cõseruationem necessaria: ita cùm dixit; Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, proculdubio intelligimus, id à patre suo consecutum, vt quæ ad rectum de fidei quæstione iudicium oporterent, ea adessent Petro omnia, siue à Deo, siue ab homine expectarentur. Quòd si Deus in sequentem annum frugum abundantiam pollicereetur, ecquid stultius esse posset, quàm dubitare, an ne homines semina terræ mandaturi sunt? Certè si seruerint, metent: si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus, non solùm proprias cæli conuersiones, quibus omnia, quæ terra gignit, vberiora proueniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Quibus ex rebus facilè comprehenditur, cùm spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumq; successoribus in fidei iudicio promiserit, nihil

omni-

omninò illis defuturum, quod fidei controuersijs finiendis fuerit necessarium. Ac si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, vt in quæstionẽ vocent, nũ ecclesiæ iudices eã diligẽtiã & curam exhibuerint, quæ opus erat, vt q̃stio via & ratiõe finiretur: ecqs adeò cęcus est, qui non videat, omnia mox Pontificum conciliorumq; iudicia labefactari? Porrò si illud in quæstionem veniat, nec certis argumentis confirmari possit: at hæc res tamen Theologis constituta sit ac definita, concilia, quoquo modo se habent, si à summo Pontifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quanquam, me quidem iudice, absurdũ est, ad finem aliquem nisi per cõsentanea media peruenire. Ita nunquam ego admittam, aut Põtificem aut cõcilium diligẽtiam aliquam necessariã quæstionibus fidei decernendis omisisse. Id quod priuato cuicunque alteri homini accidere potest, vt nec diligentem nauet operam ad disquirendam veritatem, & vt nauauerit, integrumque sese in ea re præstiterit, erret adhuc tamen, quamuis error sine culpa sit. Error autẽ, vel inculpatus, ab ecclesia Dei longissimè abest, quemadmodum libro superiore constituimus. Quæ res abundè magno argumento est, vt nec Pontifex, nec concilia necessarium quicquam in deliberando prætermiserint. Facenim quidpiã ex necessarijs omissum esse. Tum rogo, an fideles his, qui de fidei quęstione iudicârunt, tantisper parêre debeant, dum illorum negligentia innotescit ecclesiæ. Parêre debent, aiunt. Iam igitur eo tempore errãtibus iudicibus errabit ecclesia. Sine vitio suo, inquis, ecclesia tunc errabit. Agnosco. Sed, vt dictũ est, ne hũc quidem errorem admittere in Dei ecclesia debemus. Quid, quod si semel de diligentia iudicũ dubitamus, nouũ examen iudiciumque semper recens postulabitur, vt de diligentia adhibita, vel non adhibita censeatur. Concedamus ergo iudicibus à Deo in ecclesia constitutis nihil eorum deesse posse, quę ad rectum verumque iudicium sunt necessaria. Quibus explicatis facilè intelligitur, vt ad tertiæ huius quęstionis caput recurramus, nec Pontificum, nec conciliorum decreta, sacræ scripturæ partes esse: id quod in primo argumento obijciebatur.

Dicamus

Dicamus igitur ad ea, quæ in secundo argumento sunt dicta. Vbi Gratianus Augustini sententiam non est assecutus. Cui errori causam fortasse præbuit codex quispiã deprauatus. Augustini enim vera lectio sic habet, In canonicis scripturis ecclesiarum catholicarum quãplurimum auctoritatem sequatur. Inter quas, scilicet ecclesias, sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, aut epistolas accipere meruerunt. Est autem sensus huiusmodi, in iudicio librorũ canonicorum primùm videndũ esse, quid ecclesiæ catholicæ sentiant. Sed inter Catholicas ecclesias illorum esse testimonium prę ferẽdum, quę vel fuêre sedes Apostolorum, vt Hierosolymitana, vel ab Apostolis aliquam epistolam acceperunt, vt Corinthia, Galatia. Non itaque Augustinus loquebatur de epistolis Põtificum Decretalibus, vt Gratianus falso existimauit. Id quod ante nos quidam etiam alij viri diligentissimi deprehenderunt. *Secundum refellitur*

Tertio verò argumento occurri potest in hunc modum: Leges pontificias quandoque sacras appellari, vt à legibus principum discriminentur. Atque hoc sensu sacram scripturam vocauit Innocentius. Sic forsitan diuina lex vocatur Canonica, humana verò ciuilis. de iurã. calum. cap. 1 vt Hostien. Andreas, Siculus, Cardinalis Barba, & alij iurisperiti notauerunt, & Glossa. c. Ex diligenti. de Simonia. Atque adeò Innocentius 4. c. Cùm de diuersis, de priuil. in 6. non obscurè ius Canonicum diuinum vocat, ciuile autem humanũ. Et legẽ Canonicã, sacram ac diuinam appellat Iustinianus in Authẽ. vt clerici apud proprios episcopos. §. si verò. Quam rem sciolus fortasse quispiam ignorans 20. d. c. De quibus, vbi lectio vera habebat, Ad diuina recurrite scripta canonica, loco huius postremę vocis substituit Gręca. Nihil enim min⁹ Innocẽtius eo capite agebat, q̃ in ecclesiasticis causis iudicandis, ad Gręca Bibliorum exemplaria iudices mittere. Alioqui cur non etiam ad Hebræa? Nec verò simile est, in causis ecclesiæ decernendis scripta canonica esse ab Innocentio prætermissa. Quin post diuinam scriptura m secundo ea loco posuit etiam ante sanctorum scripturas. Et hoc erat Gratiani in ea distin. pro- *Tertium dissolvitur.*

prium

prium institutum. Nihil igitur nobis mirũ est, si scriptura canonum, sacra & diuina quãdoque nuncupetur. Sed nos alio sensu de scriptura sacra loquimur. Quanquam ab Innocentio testimonium citatum quidem Augustini est, de verbis Apostoli, inquientis: Iniuriæ est pro martyre orare, cuius debemus precibus commendari.

Vltimum refutatur.

At postremum argumentum sic facilimè refutatur. Duplex conclusionum genus posse in concilio definiri. Vnum earum, quę sunt propriæ Theologicæ facultatis, quoniam vel ex duobus principijs per fidem creditis, vel alio credito, alio lumine naturæ cognito colliguntur. Alerum autem genus est earũ, quas Spiritus sanctus ipse reuelauit quidem Apostolis, Euangelistis, aut Prophetis, sed quoniam non erat id perinde manifestum, à synodo declaratur. Quæ sunt prioris generis, ad fidẽ spectant secũdariò, &, vt ita dicam, mediatè. Quare, quod suo postea loco fuse sum⁹ explicaturi, qui eas negauerit, hoc hæreticus erit, quòd ex consequenti negat principiũ, vnde illæ conficiuntur. Quæ verò sunt posterioris generis, propriè & per se ad fidem pertinent: nec has à Pontificibus aut concilijs nouas expectare debemus. Id enim etiã atq; etiã asserimus, nullas alias scripturas sacras ecclesiam aut habere nunc, aut deinceps habituram, præter scripturas populum & principum horum, qui fuerunt in ea. Non sunt, aut erunt, sed fuerunt. Omnia siquidem, quæ pater filio suo vnigenito ecclesiæ declaranda commisit, primùm ipse filius Apostolis reuelauit, deinde eadem vt inuulgarẽt, iussit. Vos, inquit, dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis, Ioãnis 15. Et rursum, Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis, Ioan. 14. Et iterum, Cùm venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Ioannis 16. Hi enim fuêre noui Testamenti ministri, qui reuelata facie gloriam Domini speculati sunt. 2. ad Corinthios 3. Hi fuêre ministri sermonis, vt Lucas capite Euangelij primo testatur. His quoq; dictum est, Docete omnes gentes seruare, quæcunque præcepi vobis, Matthei vltimo. Omnem ergo fidei veritatem vel à Christo dum in terra degeret, vel ab spiritu sancto

sancto Apostoli postea acceperunt, eamque iuxta præscriptam legem, aut verbo ecclesiæ tradiderunt. Hinc enim est, quod Irenæus, Hieronymus, Augustinus, aduersum hæreticos semper id agunt, vt videant, an illorũ noua dogmata congruant cum antiqua traditione & fide. Et si quas scripturas nouas hæretici proferant, si se Apostolos aut Prophetas confingant, statim nouitatis odio explodunturs. Itaque post Apostolos, & eos, qui ab Apostolis probati sunt, nullos auctores sacros expectamus. Sed siue summus Pontifex seu concilia, primum de vero sensu & interpretatione scripturarum iudicant, vt in concilio Tridentino, sessione tertia definitur. Et absurdum est sanè, vt ecclesia auctoritatem habeat discernendi verba Dei à verbis hominum, sensum Dei ab humano sensu non habeat. Id igitur ante omnia concilijs tribuamus. Deinde & illud, quòd veras & legitimas Christi & Apostolorum traditiones via & ratione inuestigant. Rursum, quænam conclusiones his cohæreant, quæ contrà dissideant, certa complexione & connexione conficiunt. Consulunt autem in huiusmodi rebus finiendis non sacras literas modò, verùm etiam Apostolorum instituta, priora concilia, summorum Pontificum decreta, Sanctorum veterum scripta, scholasticorum Theologorum dogmata, rectam Philosophiæ rationem. Breuiter, causam, de qua disseritur, in eos locos conijciunt, de quibus liber hic noster instituitur. Nec enim ex alijs fontibus argumenta deriuare possunt ad fidei Theologiæ súe soluendas quæstiones. Nouas autem reuelationes & scripturas sacras quærere, Iudæorum est, qui recentes etiamnum Prophetas præstolantur.

Quarta quæstio.

Alia etiam quæstio valdè difficilis ex his, quæ dixim⁹, oritur. Si non omnia in concilijs certa sunt, nec enim in singulis Spiritus sanctus cõcilijs assistit, ecqua via & ratione vestigabimus conciliorum certa in fide decreta? Principiò nanq; in Clemen. vnica de summa Trinitate & fide cath. ea opinio tanquã probabilior eligitur, quæ habet, in baptismo gratiã & virtutes infundi. Pari ergo causa & in alijs conciliorum decretis dicere possumus

probabiles opiniones eligi, non res exploratas definiri. Deinde in capi. Firmiter, de summa Trinitate & fide catho. patres concilij Lateranensis, Firmiter, inquiũt, credimus, & simpliciter cõfitemur, quòd vnus est solus verus Deus, creator omnium, visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium, qui simul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanã. At non est fidei aduersum, Angelos ante mundum corporeum creatos. Id enim asserunt Gregorius Nazãzenus in prima oratione de natali Domini, Basilius in examin. confessione prima, Damascenus 2. lib. c. 3. Ambros. in examin. lib. 1. c. 5. Hieronymus in comment. super 1. caput epistolæ ad Titum, Cassianus collatione 8. c. 7. Vnde, nec Augustinus libro de ciui. Dei 11. c. 32. nec D. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. hanc opinionem fidei esse contrariam putauerunt. Ac cõcilium illud Lateranen. Thomas viderat, imò in illud ipsum caput ediderat commentaria: nõ ergo conciliorum aut definitiones, aut fidei confessiones certæ sunt, sed patres, etiã cùm asserũt se firmiter quicquam & profiteri & credere, nihil omninò definiunt, quod fideles sequi teneamur.

Huic quæstioni illud primum dandum est, nõ sat esse, vt conciliorum & Pontificum iudicia firma esse credantur, in diuino officio publicè à tota etiam ecclesia celebrare. Nec enim historiæ, quibus martyrum & confessorum gesta narrantur, quamuis per summum Pontificẽ, aut concilium approbatæ sint, fidei decreta sunt: sicut ne opuscula quidem doctorum ecclesiasticorum, quæ probantur à synodo Gelasij Papæ decima quinta distinctione, c. Sancta Romana.

Illud item damus, ac libenter quidem, non statim si quicquam iuris Canonici volumine continetur, fidei dogma esse credendum. Nam vt libro huic proximo apertius ostendemus, nonnulla habentur in epistolis decretalibus, quæ fidei Catholicæ decreta non sunt. Idque ipsum nunc ex Clementina vnica de summa Trinitate diserte ostendebamus. Quod non in hac solùm Clementina existimandum est interuenisse, sed idcirco hic

admoneri nos, vt in alijs quoque locis simile quippiam credamus posse contingere. Id verò tùm maxime, cùm aut verbis opinandi vtuntur iudices, aut responsa non ad totam vniuersalem ecclesiam, sed ad priuatas ecclesias, & episcopos referuntur. Intelligendi sunt enim eo tantùm casu de fide pronunciare, vbi iudicium in omnes Christi fideles spectat, omnes ligat. Certitudo quippe fidei iudicibus à Deo constitutis, non propter ecclesias priuatas promissa & concessa est, quæ singulæ errare possunt, sed propter ecclesiam vniuersalem, quæ errare non potest. Itaque summorum pontificum conciliorumq; doctrina, si toti ecclesiæ proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum verò de fidei causa iudicium est. Sed animaduertendum est diligentius, & quæ natura rerum sit, de quibus iudicium est, & quæ verborum proprietas & pondus. Nimirum enim ecclesiasticæ doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem est gradus, nec omnia iudiciorum decreta eodem loco habenda sunt. De qua re, quoniam in duodecimo libro sumus longè lateque disputaturi, nũc dicere non est operæprecium. Id dicimus, nec omnia, quæ aut iuris, aut conciliorum volumina continent, doctrinæ Christianæ esse iudicia, nec omnia rursum doctrinæ iudicia, fidei censuras esse. Multa siquidem ad sanam ecclesiæ disciplinam attinent, quæ fidei decreta non sunt.

Nónne igitur, dixerit quis, erit aliqua nota, qua conciliorum de fide iudicia internosci queant? Erit planè. Prima, & ea quidem manifesta, si contrarium asserentes pro hæreticis iudicentur. Cuius rei exempla habes cap. Damnamus, de summa Trinitate. & cap. Vnico, de summa Trinitate, in 6. & Clement. vni. de summa Trinitate, §. 2. Altera nota est, cùm in hanc formam synodus decreta præscribit, si quis hoc aut illud senserit; Anathema sit: qualia permulta sunt in concilio Toletano primo, & in syno. Triden. Tertia est, si in eos, qui contrà dixerint, excommunicationis sentẽtia ipso iure feratur, Exemplum est, de hæreticis, cap. Cùm Christus, & c. Ad abolendam. In concilio tamen Trident. sess. habita 11.

Octobris, Anni 1551. de Eucharistiæ Sacramento definitum est, confessionem Sacramentalem Eucharistiæ præmittendam esse, si conscientia peccati mortalis grauat. Et protinus, Si quis, ait synodus, contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Sed hoc propter periculum cautum est: erat enim opinio contraria pernicioſa. Ideoque excommunicatio illa ad publicam doctrinam vel maximè refertur. Nam, quòd sententia Caietani non fuerit pro hæretica condemnata, & nos testes sumus, qui cõcilio interfuimus, & contextus ipse demonstrat. Habet enim Canon 11. idemque postremus in hunc modum: Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentũ; Anathema sit. Eueſtigiò autem adduntur mutata dicẽdi forma hæc verba, Et ne tantum sacramentum, &c. Vbi vides Caietani sententiæ Anathema non dici, sed quoniã non solùm falsa, sed noxia etiam erat, reprobari: & propter periculum, publicam præsertim prædicationem & disputationem interdici. Quarta, si quicquam expresè & propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei catholicæ accipiendum dicatur, vel alijs similibus verbis aliquid esse Euangelio doctrinæue Apostolorum contrarium. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo & firmo decreto. Licet enim opinio Durandi reprobetur, c. Gaudemus, de diuortijs. Sed qui dixit, Verùm absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, is noluit hæreseos illum condẽnare. Verbum enim, Videtur, iudiciorum infirmat certitudinem. Porrò autem, quæ in conciliorum vel pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel vt obiectioni respondeatur, vel etiam obiter & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimùm controuersia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catholicæ fidei iudicia. Exempli causa ponamus aliquid, quod positum in vna re, transferri per multas possit. Quod in capite, Firmiter, de summa Trinitate dicitur, angelos esse incorporeos, id non fidei decretum est, cùm post decretalem

cretalem illam nõnulli & philosophi & Theologi falsò quidem, sed citra hæreseos notã cõtrarium asseruerint. At enim, vt explicaret synodus, id quod fides catholica tenet, Deum esse creatorem omnium visibilium & inuisibilium, adiecit, Corporalium & incorporalium. Quas particulas exponẽdi, non definiendi gratia adiectas esse constat. Ac quemadmodum concilium sumpsit, id quod & verum & longè longeque plurimum probabile erat, angelos vt inuisibiles, ita quoque incorporeos esse: sic fortè & illud accepit. Angelos & mundum simul esse congenitos. Non enim eo temporis hoc agebatur, vt Gregorij Nazanze. & aliorum hunc sequentium opinio damnaretur. Nec ego tamen is sum, qui opinationem hanc tueri in præsentia velim. Non enim dubito, eam hoc sanè tempore temerè & inconsideratè, ne quid præterea dicam, defendi. Sed id ago, qua in re operæpretiũ me Theologis facturum existimo, non omnia, quę etiam absolutè & simpliciter in concilijs affirmantur, fidei decreta esse. Cuius rei exempla, si opus esset, permulta facilè promerem, sed nolo esse longus in singulis explicandis. Nam de quarta quæstione satis.

Quint. q. Argu. 1.

Postrema verò quæstio animum pulsat, An concilia in moribus errare possint. Nam si quis, ait, habet imprimis argumentum illud, quòd Dominus solùm rogauit pro Petro ne deficeret fides eius, in alijs ergo, quæ non ad fidem, sed ad mores attinent, errare ecclesia poterit.

Secunda

Deinde nihil à Catholicis certa fide creditur, quod non sit idem diuinitùs ecclesiæ reuelatum, quicquid ergo definiat synodus, si non ad fidem, sed ad mores attinet, non oportet certa fide credi.

Quotli. 9. art. vlt. 3. p. tit. 12. c. 8.

Præterea in canonizatione sanctorum, sic enim nostri vocant, fidem ecclesiæ detrahere sine fidei discrimine possumus. Compertum est autem, eam rem ad mores spectare: errare igitur ecclesia in morum iudicio potest. Illud verò Thomæ & Antonini testimonio comprobatur, qui non aiunt certò & firmiter, sed piè credendum esse, ecclesiam in re huiusmodi non errare. Nam, quòd absolutè possit, illa ratio confirmat, quòd in id genus iudi-

iudicijs ecclesia, hominum eorum testimonijs innititur, qui & fallere & falli possunt. Iam si concilium, cum de Theologiæ dogmate censet, non certis & exploratis argumentis, sed probabilibus niteretur, fidē certè dogmatis illius indubitatam non faceret. Fides ergo ambigua summo pontifici habebitur, vt qui cum hominem quēuis in diuorū numerum refert, incertis medijs & argumentis nititur. Ordinū approbatio tandem, in quib. sub diuersis institutis & regulis varia hominū genera Christo militare dicuntur, ad mores haud dubiè pertinet. At dubiū non est, aliquos ordines nō modò inutiliter, verū noxiè etiam approbatos. Etenim in tam multis & ordinibus & institutis, vsqueadeò religioni incommodatum est, vt inter reliqua malorum remedia, hoc etiam à synodo generali iure ac meritò expectarent viri pij, vt paucis quibusdam selectissimis retētis ordinibus, cæteri omnes exploderentur. Falsum est ergo aliquando & imprudens de moribus ecclesię iudicium. Siquidē id quandoque approbat, quod non approbasse oportuisset. His argumentis quidam auctoritatem ecclesiasticā infirmare pergunt, tantùm in iudicio morum, nam in fidei decretis firmam esse nobiscum etiam consentiunt. Sed quoniam quædam ecclesiæ de moribus iudicia sine dubio certa sunt, quæ sunt illa, repetendum altiùs videtur.

Omnis de rebus Theologicis duplex est quæstio. Vnum genus est, quod ad contemplationem & rerum cognitionem pertinet: Alterum, quod positum est in morum præceptis, quibus in omnes partes vsus vitæ confirmari possit.

Atque etiam alia diuisio est Theologicæ quæstionis. Nam & vna est, cuius cognitio & explicatio ad salutem est necessaria: est & altera, cuius ignoratio sine pietatis salutisque iactura esse potest. Non enim in Theologia semper de necessarijs agitur, sed interdū etiā de his, quæ vtilia esse videantur, quamuis nō sint adeò necessaria.

Multa sunt autem & in superioribus libris & in hoc etiam aduersum eos disputata, qui de ecclesiæ auctoritate in fidei iudicijs parum rectè sentirent: atque in sequenti libro nonnulla quoque disputabuntur. Ecclesiæ verò

verò auctoritatem eam nunc appello, quæ synodorum etiam generalium ac summi pontificis est. Hæc enim est vna res prorsus, vt non differat multum inter ecclesiæ, conciliorum, sedisque Apostolicæ iudicia: propterea quòd connexa hæc & colligata sunt, quemadmodum esse videmus humanum corpus & caput. Itaq; quę erant ecclesiasticæ auctoritatis in fidei decretis propria, locis suis aut dicentur, aut dicta sunt. Quæ autem pertinent ad iudicium morum, de quibus iam diu loquimur, nūc dicenda sunt.

Sit igitur prima conclusio. Ecclesia in morum doctrina eorum, qui ad salutem necessarij sunt errare non potest. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. An fideles laicos Eucharistię sacramentum sub vtraque specie accipere oporteat, an panis potius species sola satis fit, quęstio est earum rerum, sine quibus salus esse nō potest. In hac ergo & alijs id genus controuersijs ecclesię decretum certum est. Itaque si quid necessariò vel agendum vel vitandum firmo iudicio definit, in hoc errare nequit, sicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in necessarijs, vt sæpè antè dictum est, in doctrina ergo morum, eorum qui sunt ad salutem necessarij, iudices & doctores ecclesiæ à Deo dati errare non queunt. *Ioan. vl.* Confirmat autem illud vel maximè, quod Dominus Petro inquit: Pasce oues meas. & Paulus dedisse Deum pastores & doctores ait, ad consummationem sanctorum, vt non circunferamur omni vento doctrinæ. At si errarent in moribus eiusmodi, nō pascerent salubriter oues. Non enim mortalis doctrina minus exigitur ad pastum ouium Christi salutarem, quàm fidei disciplina. In his igitur ecclesiæ pastores errare non possunt. Adde, quòd Dominus apud Ioannem pollicitus est, spiritum doctu- *Ioan. 15.* rum ecclesiam omnem veritatem, scilicet ad vitam æternam consequendam necessariam. At vtraque veritas necessaria est, & quæ ad contemplationem pertinet, & quæ ad actionem, in vtraq; ergo definienda spiritus doceat ecclesiam. *Ad Eph. 4.*

Prætereà, Apostolus in priore ad Timotheū epistola cap. 3. Hæc, inquit, scribo tibi, vt scias, quomodo oportet

teat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ea autem, quæ ibi scribebat Paulus, ad morum veritatẽ magna ex parte spectare perspicuum est. Est ergo ecclesia firmamentũ non eius veritatis solùm, quæ in contemplatione cernitur, sed illius etiam, quæ aliquid molitur vt faciat. Nimirũ, vt sciamus, quomodo oporteat nos in domo Dei conuersari.

Prætereà, si ecclesiæ pastores, in concilium præsertim congregati, leges & præcepta vitæ sinistrè interpretarẽtur, vt videlicet, quæ essent ad salutem necessaria, ea nõ necessaria dicerent, aut quæ cõtrà minimè essent necessaria, hæc esse necessaria definirent: cùm Christus dixerit, Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis facite: & rursum, Qui vos audit, me audit: ecclesia certè pastores errantes sequens iuxta quod illi præscriptum est, huius erroris Christum præcipuum haberet auctorem. Adhæc, si lex Euangelica manca & imminuta non fuit, vt reuerà non fuit, eos omninò mores præfiniuit, qui essent ad salutem necessarij. Imperfectus enim legislator est, nisi ea præscribat, sine quibus reip. finis constare non potest. At spiritus veritatis Apostolis eorumq; successoribus suggerit, quęcunque Christus dixit nobis: in præceptis ergo vitæ necessarijs errare illi non possunt. Item Matthæi 16. Tibi, inquit Dominus Petro, dabo claues regni cælorum, Regnum autem cælorum vtraque ignoratione clauditur, & fidei & morum: ecclesia ergo vtrasque quæstiones aperire Christo auctore potest, vtrosque nodos soluere, siue ad fidem, siue ad mores attineant. Huc enim illud accedere credendum est, Quęcuq; solueris super terrã, erunt soluta & in cælis. At, inquis, intelligitur claue non errante. Benè volo. Sed aliud est de priuatis pastorum iudicijs disserere, quæ negligere etiam aliquando possumus, aliud de ecclesię communibus, quæ perinde, vt ecclesiæ decreta habemus amplecti. Et quidem cùm Pontifex, quicunque ille sit tandem, quicquam priuatim agit, soluitq; aut ligat, errare per ignorantiam, aut etiam malitiam potest, & abuti clauium potestate. At cùm publica

Ioan. 15.

blica sunt totius ecclesiæ judicia, eaque in rebus ad salutem necessarijs, ecclesiæ totius cõmunes iudices, quales sunt concilij patres, errare nequeũt, ne per huiusmodi errorem Christiana tota plebs in ignoratione veritatis ad vitam instituendam necessariæ versetur.

Prætereà, concilium Constantiense sess. 13. condemnat, vt hæreticos eos, qui dixerint, ecclesiam errare in consuetudine administrandi populo Eucharistiam sub vna specie tantùm. Ea Martinus quintus in literis, quib. concilium approbauit, qui hoc ecclesiæ institutũ damnant, eos definit tanquam hæreticos, vel sapientes hæresim, coercendos: Ecclesia igitur in morum huiusmodi iudicijs non errat, atque consequenti ne concilia quidẽ summi Pontificis auctoritate firmata.

Conclu. 2.

Huius verò conclusionis & altera consectaria esse videtur, ecclesiam, cùm in regraui quidẽ, & quæ ad Christianos mores formandos apprimè conducat, leges toti populo dicit, non posse iubere quicquam, quod aut Euãgelio, aut rationi naturæ contrarium sit. Non ego hîc omnes ecclesiæ leges approbo: non vniuersas pœnas, cẽsuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta, commendo. Scio nonnullas eiusmodi leges esse, in quibus si nõ aliud prętereà quicquam, at prudentiam certè modumque desideres. Id ergo dico, summorum Pontificum conciliorumq; præcepta, scita, sanctiones, omnibus nobis probatum iri, si moribus fidelium instituendis sint necessaria. Si enim ecclesiæ consuetudo, quod modò ex concilio Constantiensi afferebamus, Euangelio aduersari nõ valet, ergo ne ecclesiæ quidem lex Euangelio aduersabitur.

Deinde ecclesia non potest definire quippiam esse vitium, quod honestum est, aut contrà honestũ esse, quod est turpe: ergo nec sua edita lege probare quicquã, quod euangelio rationíue inimicũ sit. Si enim Ecclesia vel expresse iudicio, vel lege lata turpia probaret, aut reprobaret honesta, hic iam nimirum error non solùm fidelib. pestem ac perniciem afferret, sed fidei etiam quodammodò aduersaretur, quæ omnem virtutem probat, vniuersa vitia condemnat. Accedunt illa, Quęcunque dixerint

rint vobis, facite. &, Qui vos audit, me audit. Quib. præcipimur ecclesiæ legibus obtemperare. Ita si errat illa, Christus nobis erroris auctor est. Quæ qui videat, non modò indoctè, verùm etiam impiè faciat, si ecclesiam in morum doctrina errare contendat, præsertim si mores & præcepta viuendi sint ad salutem necessaria. Quę autem ratio id de ecclesia conuincit, eadem conuincit de Concilio, in quo vniuersalis Ecclesiæ auctoritas residet. Quare quemadmodum Concilium falsa plebi credenda proponere nequit, sic nec mala potest proponere facienda. Proponere, inquam, firmo certoque decreto, quo omnes & ad credendum, & ad faciẽdum, sub æterna pœna obligentur.

Sed an sit hæreticum asserere, vel aliquam ecclesię cõsuetudinẽ esse malam, vel aliquam ipsius legem iniustã, non ausim definire. Nam licet concilium Constantiense. sessi. 13. statuerit, eos pro hæreticis condemnandos, qui affirmarint, ecclesiam errare in more communicãdi plebem sub vna specie tantùm: at eo tempore statuit, quo sine capite erat. Contendit autem Caietanus in opus de auctoritate Pap. & con. & in apolog. c. 20. & 21. Turrecremata item 3. lib. cap. 32. & 33. concilium mutilum sine capite in decretis fidei ferẽdis nullam habere certã auctoritatem. Et quanquam id multis quidem argumẽtis suadere nitũtur: sed apud me illud est maximum, quòd sicut Deus nõ deficit in necessarijs, ita non abũdat in superfluis. Cùm ergo sola auctoritas deponendi Pontificem hęreticum, & aut eligendi aut decernendi catholicum sit ecclesię necessaria, in casibus, quib. ecclesia cõcilium sine capite cogere iure suo potest: nihil causę est, cur ampliorem potestatem concilio imperfecto tribuamus. Reliqua siquidem per integrum concilium expediri possunt vel electo Pontifice Catholico, qui non erat, vel definito certo, cùm inter multos quisnam esset verus Pontifex, dubium erat. Adde quòd, vt suprà dictũ est, concilij dogmata non sunt firma, nisi à Romano Põtifice confirmentur. Quando ergo conciliũ sine capite est, non habet dogmatum certitudinem. Prætereà Martinus quintus in literis, quibus conciliũ probat, nõ simpliciter

pliciter probat illum articulũ: sed solũ definit eos, qui docuerint, ecclesiam in consuetudine eiusmodi errare, esse vel vt hæreticos, vel vt sapientes hæresim condemnandos. Quod ergo Martinus concilio præsidens non est ausus nomine hæreseos cõdemnare, id ego grauiore censura accusare non audeo, nec debeo. Quod si in more ad salutẽ necessario, qualis ille videtur esse, de quo in concilio Cõstantiensi erat controuersia, tanta fuit Martini modestia, quantò nos modestiores esse oportet in alijs erroribus condemnandis, qui consuetudini ecclesię minimè ad salutem necessariæ refragantur? Morem circum gestandi solenni processione, per vias publicas, Eucharistiæ Sacramentum, Lutherani reprobãt. Si originẽ erroris & principium spectes, hæresis tibi erit. Nam ideò illi morem hunc circumferendi Sacramenti rident, quia veram Christi præsentiam in Sacramento negant. Sed si ipsum in se errorẽ contempleris, hæresim sapit, temeritas & impudentia est: (Quamuis enim multis nominib⁹ hic error est notandus) non tamen est hæresis: cùm etiamsi in hac consuetudine erraret ecclesia, non proinde in grauioribus rebus eius periclitaretur auctoritas. Quæ causa concilio Tridentino fuit, vt Canonem sextum de Eucharistiæ Sacramẽto cautè formârit in hęc verba: Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramẽto Christum non esse cultu latriæ etiam externo adorandũ, atq; ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundum laubabilem ecclesiæ consuetudinem solenniter circumgestandum, Anathema sit. Non enim eos Anathemate simpliciter pellit synodus, qui ritum illum ecclesiæ reprehenderint, sed qui id circo hoc faciunt, quia nec præsentiam corporalem Christi in Eucharistia admittunt, atque adeò ne ipsius quidem adorationem & cultum. Atque hæc eadem fortasse causa Martinum quintum impulit, vt qui reprehẽderent ecclesiasticam illam cõsuetudinem impartiendi Eucharistiam populo sub vna specie, eos non vt hæreticos, sed vt sapientes hæresim condemnarit. Cum enim sub vtraque olim specie, plebs Sacramentum Eucharistiæ acceperit, idque Apostolorum auctoritate & vsu confirmata

confirmata, non erat hæreticum in dubium vertere, an vetus ille ecclesiæ mos nouo esset præferēdus. Sed quoniam VVicleffistæ ideirco asserebant ecclesiam errare, quia existimabant necessarium esse plebi ad salutem, vtranque Sacramenti speciem sumere, huc detorquentes illa Domini verba: Nisi manducaueritis, &c. prudētissimè Martinus quintus vituperationem ecclesiastici noui moris, non dixit hæresim esse, sed hæresim sapere. Est quoque illud argumentum graue, cur huiusmodi erroribus hæreseos nota non inuratur: quòd, vt postea dicemus, non est hæreticum credere ecclesiam hominib. in diuos referendis errare posse. At iubet ecclesia interdum diuos, quos huiusmodi honore afficit, peculiari die festo, & cultu colere: nō est igitur hæresis astruere, in hac de vno aut altero diuo colendo lege ac consuetudine ecclesiam errare. Sed intelligendū est, ecclesiæ mores quosdam à Christo & Apostolis ecclesiæ traditos, in quibus qui ecclesiam errare diceret, hic erroris eius Christum & Apostolos auctores faceret. Quamobrem hæreticus censeretur: Vt Iconomachi, qui ecclesiam in veneratiōe & cultu imaginū errare asseruerunt. Alij verò mores sunt post Apostolos inducti, in quibus quamuis ecclesia erraret, non propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreseos teneri potest, ecclesiā in aliqua lege & more posse errare. Sed de secunda cōclusione hactenus. Sit tertia conclusio.

Conclu. 3. In moribus non toti ecclesiæ cōmunibus, sed qui ad priuatos homines vel ecclesias referūtur, errare p ignorantiam ecclesia potest: non in iudicio solùm rerum gestarum dico, sed in ipsis etiam priuatis præceptis & legibus. Cùm quis enim occultè vna vxore habita, alteram ducit publicè, iubet illi ecclesia, vt priore relicta, posteriorē accipiat. Qua in re sine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi Euangelioque aduersum est. Huius verò conclusionis veram & idoneam causam Innocentius tertius reddidit in capit. A nobis, de senten. excom. in hæc verba: Iudicium Dei, veritati quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: iudicium autem ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere

c. 88. illius titu.

sæpe

sæpè contingit & falli: propter quod contingit interdū, vt qui ligatus est apud Deum, apud ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Hactenus Innocentius. Hæc autem, quæ perspicua esse videntur, breuiter & sine disceptatione dijudicanda sunt. Nec enim omnia nos, vt quæramus, exponimus: sed vt explicemus. Hoc itaque loco non tam conclusio, quàm conclusionis causa consideranda est. Nam inde liquet, id quod est animaduersione dignissimum, certa & firma ecclesiæ decreta esse non posse, quæ non certis & firmis principijs ac fundamentis innitantur. Quocirca, si vel vnum ex his, à quibus ecclesiæ iudiciū pendet, incertum est, certum ecclesiæ decretum esse nō potest: siue quæstio speculatiua sit, seu practica, sic enim nostri loqui solent. Conclusio quippe, vt in dialecti corum prouerbio est, debiliorem partem sequitur, & si vnumquodlibet principiorum claudicat, eam quoq; ex illa parte debilitari necesse est. Qua ex re facilè intelligitur, ecclesiæ iudicia, quæ ab incertis hominum testimonijs proficiscuntur, infirma esse ad certam & exploratā faciendam fidem. Quale illud est, quo sanctum aliquem diuorum catalogo ascribendum censet. Nec tamen impunè licet huiusmodi decreta in dubiū reuocare. Quin temerarium & irreligiosum est, in diuis consecrandis ecclesiæ abrogare fidem, Iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, vt capite, Cùm Marthæ, de cele. miss. Innocentius tradit: iniurius ergo est, ac multò etiam magis, qui martyrum catalogo ascriptum è diuorum numero reijcit. Id quoniam temerè & inconsideratè faciet, iure profectò ab ecclesia punietur.

Antoninus 3. p. Tit. 12. c. 8. Cai. opusc. de indul. ad lu. li. c. 8. D. Th. in quotli.

Mox etiam, si vnum aliquod huius generis decretum in quæstionem veniat, certè Hieronymi, Ambrosij, Augustini, ac reliquorum sanctitatem, sine crimine in quæstionem vocare poterimus: atque adeò asserere illos cū dæmonibus condemnatos. Ita posses eos maledictis cōcidere, ac vexare contumelijs, quæ omnia aures sanè fidelium perhorrescunt. Quòd si viris iustis in diuorum catalogum reponendis ecclesia errat, nimirum nō esset valdè absurdum, diuorum omnium cultum ab ecclesia

explo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

explodere, eorum qui post Clementem consecrati sunt. Quo quid aut stultius, aut impudentius dici potest? Item multùm refert ad communes ecclesiæ mores, scire, quos debeas religione colere: quare si in illis erraret ecclesia, in moribus quoque grauiter falleretur. Nec differt diabolum colas, an hominem condemnatum. Atque si ecclesia abstinentiæ legem rogaret, quæ vel rationi vel Euangelio aduersa esset, turpiter ab illa pro fecto erraretur: turpiter ergo etiam errabit in doctrina morum, si legem ferat de colendo diuo, quem colere, si diuus non est, & cum ratione & cum Euangelio pugnat. Ne igitur tantus error in ecclesia sit, Deus peculiariter prouidere credendus est, ne ecclesia, quamlibet hominum testimonia sequatur, in sanctorum canonizatione erret. Cuius peculiarissimæ prouidentiæ abundè magnum argumentum est, quòd nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in huiusmodi iudicijs susceptа. Quod in causis ciuilibus sæpè accidit. Quæ si singula fortè non mouent, vniuersa certè tamen inter se cõnexa atque coniuncta mouere debebunt, vt qui fidem in his ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credamus. Quibus rebus expositis, primum, secundum, ac tertium argumentum facilè refelluntur.

Nam quæ de postremo disputari possunt, illa nobis alio tempore, atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur.

Nunc illud breuiter dici potest, qui summi pontificis omne, de re quacunque, iudicium temerè ac sine delectu defendunt, eos sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fouere: euertere, non firmare. Nam vt ea prætereamus, quæ paulò antè in hoc capite explicata sunt, quid tandem aduersum hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, sed affectu patrocinium auctoritatis pontificiæ suscipere, nec id agere vt disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed vt se ad alterius sensum voluntatemq; cõuertat? Nõ eget Petrus mẽdacio nostro, nostra adulatiõe nõ eget. Ordines igitur vel probare vel refellere, quoniam non è scientia id

tia id solùm, sed etiam è prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus pontifex errare nequit. Atque iam vel in concilio Lateranen. aduertebatur religionum nimiam multitudinem, quam nunc esse videmus, valdè ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunen. fatetur, quòd importuna petentium inhiatio contra synodi decretum aliquarum religionũ confirmationem extorsit. Vnde quosdam ordines per sedem etiam Apostolicam approbatos, tanquam ecclesiæ vel noxios vel inutiles abolendos esse decreuit, vt nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Celestinus quintus statum vitamque fratricellorum suo priuilegio confirmauit: quod tamen confirmationis priuilegium Ioannes 22. apertè infirmum esse dixit: quod Bonifacius ex certis rationabilibus causis ea, quæ Celestinus concesserat, viribus penitus euacuasset. Paulus item tertius ordinem, quem in Italia frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur; at nuper & ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, & Baptistæ doctrina, cui illius ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex huiusmodi priuilegijs, quæ his facilè temporibus vel conceduntur, vel potiùs extorquentur, nouas religiones non aliter ac de cælo lapsas excipiendas esse confirmant: eas quoque, quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullã vel à suis editam profitentur. Nec eius generis priuilegia certa sunt sedis Apostolicæ iudicia, quibus scilicet omnes fideles astringãtur. Satis fuerit, si eam habeant auctoritatem, quam epistolę decretales. Quarum nõnullas cõstat à posterioribus meliore consilio refutatas: quoniam nõ ex firmo decreto, sed ex põtificum opinione prodierũt. Et quidem ante Diui Thomæ tempora, adeò restrictè & grauiter noui ordines admittebãtur, vt ex tam graui augustoque iudicio probabile argumentum prudentis cõsilij sumeretur. Nostro verò hoc seculo tã multę sunt religiones à pontificibus confirmatæ, vt qui eas oẽs tueri voluerit tãquã ecclesię vel vtiles vel necessarias; hic imprudẽtię, ne dicã stultitię, nomine iure optimo sũmisq; rationi-

De rel. do. c. vlt.

De rel. do. in 6.

in exit. Sancta Roman de re. do. Vide etiam extrauag. Quia quorundã, de verb. signific. eiusdem. Ioan. 22.

rationibus arguatur. Sed iam liber de conciliorũ auctoritate cõcludendus est. Si prius tamen eorum conatum refutemus, qui in huius loci firmissimam soliditatem impetum facere & incursionem voluerunt.

CAPVT POSTREMVM,

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

PRimum igitur aduersariorum argumẽtum ex his, quę superiore libro dicta sunt, promptissimè refelli tur. Ostendimus enim ecclesiæ nomen principibus & maioribus solere tribui: & in illis reipublicæ sitam esse auctoritatem, quos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Ac si ecclesia columna est & firmamentum veritatis, Apostoli etiam sunt ecclesiæ fundamenta, vt ad Ephesios capite secundo, & Apo. 21. dicitur. corporis quoque robur & firmitas à capite pẽdet, quod si tollas, cadat corpus necesse est. Episcopi verò populorum capita sunt. Et Petrus ecclesiæ caput est. Quẽadmodum sequenti libro demonstraturi sumus. At sunt idiotę episcopi. Valentinus olim & similes imperitiam sanctorum presbyterorum arguerunt, non contemplantes quãtò pluris sit idiota religiosus à blasphemo & impudẽte sophista: quemadmodum Irenæus ait lib. quinto. Sabinus quoque idem obiecit concilio Nicæno, vt libr. 2. histo. tri. cap. 8. scribitur. Sed & Apostoli idiotæ erant: per quos tamen Deus sapientes huius mundi confudit. Videte, inquit, vocationem vestram fratres, Quia non multi sapientes, &c. Sed q̃ stulta mũdi sunt, elegit Deus, vt confunderet sapientes. Non propter sapientiam maiorem pastores ecclesię firmi in fide & doctrina sunt, sed propter peculiarem Christi procurationem, ne pastoribus & doctoribus vacillantibus populus fluctuet, circũferaturque omni vento doctrinæ. Quid verò si sancti episcopi non sunt? An soluẽdi & ligandi potestatem amittunt? Num pascendi auctoritate carent? Super Cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quodcunque dixerint vobis, facite: secundum autem opera eorum

Acto. 20.

1 Cor. 1.

Matt. 23.

eorum nolite facere. Quoniam verò, cùm ab alijs plerisque, tum ab Augustino maximè ostensum & patefactum est, per malos etiam administros Christi radios in ecclesiam fundi: superuacaneum erit ei nunc argumento pluribus respondere, cui antè per nos abundè responsum est.

Secundum refellitur.

Ad id quoque, quod deinceps sequitur, non est difficile respondere. Nam sacerdotum veterum acta quidẽ Christo aduersa fuerunt, at sententia hominum alioqui pessimorum non solùm verissima, sed reipu. etiã vtilissima fuit. Quin diuinum oraculum fuisse Ioannes Euangelista testatur. Cùm enim post longam variamq; cõcilij deliberationẽ Caiphas, qui vt summus pontifex concilio præsidebat, sententiã illam, cui omnes fermè consenserunt, dixisset, Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & nõ tota gens pereat: mox Euangelista subiecit, Hoc aũt à semetipso nõ dixit, sed cùm esset põtifex anni illius, prophetauit. Qua ex re fit, vt ex nostrorum pontificum vita quidẽ & opera cõtraria fortè sint Domino Iesu; sed eorum iudicia, quę videlicet à summo Pontifice cõprobata sint, & vera erunt, & Christianis vtilia, vt quę ad populi salutẽ sine diuinitus instituta. Imò adeò à spiritu sancto erunt ob eam causam, quã ab Euangelista didicimus, quia scilicet ecclesiæ Christi pontifices sunt. Ac de secundo argumento satis.

Tertio argumento fit satis.

Tertium verò argumentum sic refellitur. Nego, nullum Christi pactum cũ ecclesiæ sacerdotibus esse. Est enim primum cum Petro cæterisq;, qui illi in pontificatu succedunt, vt Matth. 16. & Lucæ 22. videre est. Promisit item Apostolis, eorumq; proinde successoribus Christus spiritum veritatis, Ioannis 14. 15. & 16. Pactũ quoq; veritatis cum ecclesia initum, ad ecclesiæ tandẽ pastores & doctores referendum est. Non enim ecclesiã suam Deus aliter, quàm orbẽ administrat, vbi infima per media, media per suprema geruntur, quemadmodum Dionysius admonuit. Pacta verò & conuenta illa vetera lõgè alia ac nostra sunt. Illa enim temporaria erant, sicut & lex, & sacerdotium. Ablatum est quippe à Iudæis regnum, ablata lex, translatum sacerdõtium.

Ezech. 34. & 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdotalis autem & veritas & auctoritas paulò ante aduentum Christi labefactari cœperunt. Nã, quod antiquatur, & senescit, ac prope interitum est, id debilitetur oportet, atque infirmum fiat. Prophetæ igitur ij, vel maximè, qui Christi aduentui proximiores fuerunt, identidem hanc legis, veritatis, auctoritatis, sacerdotij, sceptriq́ue ruinam, Iudaico populo annunciabant. Eorum hac de re oracula si quis ad Christi Ecclesiam referre nisi ex parte velit, illa prorsus ignorat, Tu es sacerdos *Psal.109.* in æternum secundum ordinem Melchisedech. Item, *Psal.47.* Hic est Deus noster in æternum, & in seculum seculi, ipse reget nos in secula. Item, In misericordia sempiterna misertus sum tui. Dixit redemptor tuus Dominus, Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem aquas vltrà super terram: sic iuraui, vt non irascar tibi. Montes enim commouebuntur, & colles cõtremiscent: misericordia autem mea nõ recedet à te, & fœdus *Hier.31.* pacis meæ non mouebitur. Isaiæ 54. Item, Feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris: quod irritũ fecerunt, & c. Et paulò pòst: Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei. Si defecerunt leges istæ corã me, *Hier.32.* tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus, & c. Item, Feriam eis pactum sempiternum, & timorẽ meum dabo in corde eorum, vt non re- *Ezech.37.* cedant à me. Item, Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. cæteraq́; in nouo Testamẽto similia: Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius *Luc.1.* non erit finis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus *Mat.vlt.* vsque in consummationem seculi. Ego rogabo patrem, *Ioan.14.* & alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Super hanc petrã ædifi- *Mat.16.* cabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prẽualebunt aduersus eam. Hic est sanguis noui & æterni Testamẽti. Reprehensiones igitur comminationesq́; illæ Prophetarum generales, ad tempus Dominicę passionis potis- *In Esa.3.* simùm referendæ sunt, vt Hieronymus ipsè non semel *56.57 59.* testatur. Quid ergo sibi vult, cùm, quæ aduersum anti- *& 63.ca.* quos sacerdotes dicta sunt, ea in nostros torquet omnia?

Nempè,

Nempè, omnia in figura cõtingebant, illis scripta sunt autem propter vtilitatem nostram. Ea igitur, quæ Prophetæ in illo populo reprehendunt, ad nos quoque pertinent, seruato tamen synagogæ ecclesiæq́ue discrimine, vt illa ad tempus, hæc perpetua esse intelligatur. Compertum est autem sine lege & doctrina, sine sacerdote & doctore, sine Christo & spiritu veritatis, ecclesiam nullo posse modo consistere. Quod quoniam alijs locis abundè satis explicatum est, non est frustra pertendum. Nam & nouæ legis sacerdotibus conferre veteres, scripturarum ignoratio est, Hieremiæ 3. & 23. Ezechielis 34. secunda ad Corinthios 3. & 4. Cui autem aliquando veterum dictum est, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi, &c. Et rursum, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua? Quibus vero synagogæ sacerdotibus & pastoribus spiritus veritatis promissus est, qui cum ipsis in æternum maneret, & in omni instituere veritate? Hieronymus itaque nec de sacerdotum concilio loquitur, nec de omnibus simul ecclesiæ pastoribus. *Matt.16. Luc.22. Ioan.14. & 26.*

Ad singulas ecclesias priuatosq́ue & pontifices & sacerdotes verba Prophetarum refert, in ecclesiam catholicam, eiusq́ue aut sacerdotium, aut veritatem nihil dicit.

At verò illud mouere quempiam poterit, quod Esaię 22. c. scriptum est, Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponã te. Et vocabo seruum meum Eliakim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo cõfortabo eum, & potestatẽ tuã dabo in manꝰ eius: & erit quasi pater habitantium Hierusalem, & domui Iuda. Et dabo clauẽ domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & nõ erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat. Et figã illum paxillũ in loco fideli, & erit in solio domꝰ patris sui, &c. Quę de translatione sacerdotij veteris legis in nouũ Christi sacerdotium prophetata esse, in dubium vocari nõ potest. Quod aũt sequitur, videtur sensui nostro esse contrarium. Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur & cadet: & peribit, qd̃ pepẽderat in eo, quia Dominus locutꝰ est. Si enim Chri-

stus Dominus, qui tanquam paxillus in ecclesia fixus est, auferatur, & qui ex eo fide antè pependerant, posteà peribunt & cadent, quomodo nos ecclesiæ in fide firmitatem perpetuam pollicemur?

Quomodo etiam asserimus, Christũ ecclesiæ semper pastoribus affuturum? Hoc Hieronymus in commenta rijs ita soluit, vt ad dies nouissimos referatur, cùm refrigesceret charitas multorum, & locũ habebit illud, Putas filius hominis veniẽs inueniet fidem super terram? Quod, quemadmodum libro superiore diximus, nõ sic intelligendum est, quasi nulla tunc ecclesia futura sit, nulla Christi fides, nullum mysticum fidelium corpus, nullus veritatis in eo corpore spiritus, quæ omnia sacris ipsis literis aduersarentur: sed vsu scripturarum, quod in comparatione aliorum minimum est, nullum esse dicitur. In tantum ergo in illis diebus fidelium numerus minuetur, vt Christus de medio ecclesiæ sublatus esse videatur. Sed nõ auolabit à paucis illis, qui residui erũt, doctor suus, dabit eo quoque tempore Christus pastores & doctores, qui dat eos, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Occurremus enim nos, qui viuimus, qui relinquimur in aduentum Domini, & simul cum Domino erimus. Ecclesia igitur ciusq; species & forma in finẽ vsq; seculi permanebit, permanebitq; adeò cum ea & Christus & spiritus veritatis, sine quibus constare illa non potest. Atq; Hieronymus illã Esaiæ vaticinationem ad Christum secundum anagogen refert. Nã sensum historicum & literalẽ libro Commentariorum quinto explicuerat. Ex sensu aũt anagogico nullum certum argumentũ trahitur. Sanè verò illud etiã considerandum est, Propheticas illas reprehensiones nõ sic in omnes eius temporis pastores & sacerdotes conuertendas, vt nullus intelligatur exceptus. Concionatoribus siquidem hoc permissum est, vt quod plerosque tangit, id ita enuncient, quasi tangat omnes. Sic aliquando totus ille populus ab Esaia reprehenditur, tanquam in eo à planta pedis vsque ad verticẽ capitis non sit inuenta sanitas: & tamẽ idem propheta pios aliquos

Lib.7 cõ. in Esaiam

Matt.24.

Esai 30.

Ephe.4.

1. Thes. 4.

Esai.1.

aliquos iustos relictos esse fatetur, inquiens, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, &c. Sic Helias in omnes inuehitur, quasi relictus sit solus, at dicit illi diuinum respõsum, Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua Baal. Sed de tertio argumento satis multa diximus. Nam & ex his, quæ superiore libro responsa sunt, poterat abundè confutari. *Esai.1.*

Ad quar-tum.

Ad quartum verò respondeo primùm, conciliorum auctoritatem illi testimonio non inniti. Nihil enim de ecclesiæ concilijs præfinire videtur eo loco Christus, sed vnitatis consensionem cõmendare, cuius ad impetrandum magna vis est. Quod si propter Innocẽtium, 20. d. cap. de quibus: & propter synodum, 6. acti. 17. & propter synodum Chalcedonen. in epistola ad Leonem, de synodis locus ille intelligatur. aliter deinde respondere possumus, quod quemadmodum in nomine principis concilium aggregatur, cum eius auctoritate indicitur, sic synodus ecclesiastica in Christi nomine cogitur, cũ indicente Christo, vel eius vicario cogitur. Cõcilia itaq;, quæ præter auctoritatem Romani pontificis fiunt, non oportet Christum in medio habeant. Talis autem synodus illa Cypriani fuit. Tametsi ne omnes quidem viri iusti, qui in nomine etiam Christi congregãtur, quamuis Christum in medio habeant, ad hunc semper effectum habent, vt veritatem quæstionis propositę decernere & tenere possint. Sed si fuerit res ad salutẽ necessaria, hoc fiet illis à patre cælesti, vt vel ab eo, in cuius nomine & auctoritate congregati sunt, probentur, si vera dixerint: vel doceantur, si vera non dixerint. Id enim satis est, vt preces illorum exauditæ dicantur iuxta præscriptum Matthæi testimonium. Illæ verò, quæ sequuntur, friuolæ sunt Caluini calumniæ: quibus non est operæpretium respondere. Nam priori quidem nunc satisfeciisse mihi videor. Posteriori autem & in capitis superioris tertia quæstione, ad postremum argumentum, & in tertij libri capite vltimo ad quartum respondimus. Sed de quarto argumento hactenus.

Ad quintũ.

Porrò ad quintum responsio ante oculos est ex his, quæ dicta sunt. Nam concilium Ariminen. inuito Liberio pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rio papa hæreticorum opera coactum fuit, vt & in historia ecclesiastica, & in epistola Damasi ad Aphricanos episcopos, & in 15. dist. ca. Sancta Romana, ex Gelasio refertur. Ephesinum quoq; secũdum, licet auctore Leone congregatum fuerit, sed Dioscori tum minis, tum fauoribus corruptum est, pontificis legatis, & quibusdã alijs bonis viris repugnantibus. Ita nusquam fuit confirmatum, sed damnatum potius à Leone & synodo Chalcedonensi. Constantinopolitanum deniq; istud repugnãte ecclesiæ pontifice coactum est, reprobatumq; postea in 7. synodo generali, 367. patrum, qui apud Nicæam cõuenerunt. Quo ex loco manifestè refelluntur ij, qui cõcilij auctoritate retenta, summi pontificis existimant nõ esse tenendam. Quid enim causæ est, cur conciliũ Constantinopolitanum primum, 150. patrum tanquam vnũ ex Euangelijs habeatur, hoc autem alterum Constantinopolitanum, vbi multò plures fuerũt episcopi, habeatur pro nihilo? Nempè conciliorum robur ab illo est, pro quo rogauit Christus, ne deficeret fides eius, quò fratres suos posset in fide firmare. Sed de his sequenti libro diligentiùs.

Sextum diluitur.

Nũc sextum argumentum diluamus. In quo nõ parua quæstio est, num canones Trullani ecclesiasticam habeant auctoritatem. Nam quòd habeatur, his argumentis suadetur. Primũ, quòd Gratianus nomine sextę synodi hos canones perpetuò citauerit, vt patet 16. dist. ca. Placuit, & c. Quoniam. Et de conse. dist. 1. cap. Iacobus, & de con. dist. 2. cap. Didicimus, & 27. q. 1. c. Si quis episcopus. Sexta verò synodus sine dubio ecclesiæ auctoritatem habet, vt paulò pòst demonstraturi sumus. Trullanos ergo canones catholici probare debemus.

31. dist. c. Quoniam
32. dist. c. si quis, 93. d. 5. final.

Deinde id suaderi potest ex Innocẽ. 3. de æta. & qualit. ordi. cap. A multis, qui in 6. synodo constitutum esse dicit, vt si quis eorum, qui ad clerum accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat. Constat verò hunc esse canonem 6. inter Trullanos.

Præterea Adrianus papa hos canones & synodum, à qua sunt editi, probat & recipit, vt cernere est 16. dist. c. Sextam:

Sextam: & de con. dist. 3. ca. Sextam. Non igitur de Trullanis canonibus dubitare catholico licet.

Quarto loco id ipsum demonstratur ex 7. synodo, act. 3. vbi Tharasius, Eiusdem, inquit, sexta synodi rectè & diuinè decreta edita, traditosque canones recipio. Et act. 4. Petrus episcopus dixit, Habeo codicem sextæ sacrę synodi canones continentem. Sanctissimus autem patriarcha Tharasius subiecit. Quæ est hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones? Scandalum enim est dubitare, num sint sextæ synodi. Et act. 6. Epiphanius, qui loco synodi respondebat Iconomachis, Sacra, ait, sexta synodus, posteaquam sententiã suam de vna volũtate Christi sub Constantino pronunciâsset, iterũ vnanimiter omnes diuina voluntate post 4. aut 5. annos congregati, duos & centum canones edidêre. Quod si diuina volũtate vnanimiter illi canones à patrib. sunt editi, probati vtiq; sunt septimæ etiam synodi testimonio. Atq; eadem 7. synodus, Definierũt, inquit, sextę synodi sancti patres, cõuentum per singulas prouincias semel in anno fieri. Hunc ergo canonẽ & nos renouamus. Auctoritatem ergo finiendi patres illi habuerunt, & si sancti fuerunt, vt hic dicitur, nihil sibi vsurpârũt contra ecclesię regulas. At si præter sententiã Romani Pontificis coactũ illud concilium est, aduersum ecclesiasticas regulas coactum esse constat, habet igitur Trullana hæc synodus solidam auctoritatem, si septimę synodo credimus. Accedit his, quod 7. synodus, act. 5. & 6. Nicolaus in epistola ad Michaelem Imperatorem, concilium Florẽtinum sess. 5. horum canonum auctoritate vtuntur.

Habeo.

18. dist. c. Quoniam.

Sed mihi rem hanc diligentius consideranti contraria opinio, & probabilior, & grauior videri solet. Cuius sententiæ auctores habeo Anastasium apostolicæ sedis bibliothecarium, in procemio in 8. synodũ, ad quam iussu Adriani secundi venit, nam erat vtriusque linguę Græcę & Latinæ peritissimus, vt 63. dist. cap. 2. dicitur. In eadẽ opinione est Theophanes Græcus historicus, & Humbertus Siluæ Candidæ episcopus, Apocrisarius Leonis noni, in libello contra epist. Michaelis patriarchæ Constantinopolitani. Qui liber citatur à Gratiano, vt liber

16. dist. c. Clementis.

Leonis noni contra epistolã Nicetæ abbatis. Sed & à Latinis non recipi hos canones referũt Theodorus Balsamõ & Matthęus monachus, maximi Latinorũ detracto res, ille in interpretatione eorundem canonum, hic in historia conciliorum & virorum illustrium. Sunt autem argumenta, quę hanc sententiã confirment, irrefragabilia. Primũ, quod sexta synodus sub Constantino imperatore, contra Monothelitas ab Agathone congregata, à Leone secundo comprobata, nullos ediderit canones. Illa verò synodus, quę sub Iustiniano imperatore postea coacta est, cur sexta synodus appelletur, nulla est causa. Sed de nomine nihil moror. Hoc solùm asserо, ei concilio nec Romanũ pontificem, nec eius legatos interfuisse. Subscriptiones episcoporum videãtur, & res fiet manifesta. Iustinianus primùm subscripsit, deinde episcopi qui sextæ synodo affuerant, sed nec numero pares, nec nominibus omninò similes, vt Theophanes & Anastasius euicerunt. Romani verò pontificis, aut legatorum eius nulla subscriptio est.

Alterum argumentum est, quòd Iustinianus bis synodũ apud Constantinopolim coegisse legitur, prius sub Sergio Romano põtifice, posterius sub Ioanne septimo eodem quoque episcopo Romano. Et de priore quidem Beda de natura rerum, cap. 67. ait, Iustinianum Romanę ecclesiæ pontificẽ Sergium, qua erraticę suę synodo, quã Constantinopoli fecerat, fauere, & subscribere noluisset, iussisse Constatinopolim deportari, qui tamen ob culpã perfidię regni gloria postea priuatus exul in Pontum secessit. Hactenus Beda. Et Platina in vita Sergij, Iustinianus, inquit, synodum habuit, in qua nonnulla approbata sunt orthodoxæ fidei nequaquam congruentia. Eadẽ quoque Sergij apocrisarius, qui tum Constantinopoli erat, subscriptione sua stolidè nimium confirmauit. Verùm cùm postea Romam delata à Sergio explodereтur, ita percitus Iustinianus Zachariam misit, qui Sergium ad se vinctum traheret. Hactenus Platina. De posteriore autem idem Platina in vita Ioannis 7. ita scribit: Iustinianus eadem stultitia vexatus, qua fuerat ante amissum imperium Sergio pontifici duos metropolitanos Ro-

Idẽ Paulus diaconus li. de Rom. gestis 8. ca. 9 scribit.

Romam misit, qui Ioannem adhortarentur, vt habita synodo, quę de homusio crederẽt orientales, eadem etiam occidentales affirmarent, præpositis libellis, in quibus ei subscribẽdum erat. Homines tamen reinfecta ad Imperatorem põtifex remisit. Hęc ille. Ac si quis Trulla- *16. dist. c. Quoniã.*
ni concilij verba velit expendere, statim deprehendit, qualenlud concilĩ fuerit. Sic enim habẽt. Quoniã sanctæ vniuersales synodi quinta & sexta, de mysterio fidei plenissimè disputãtes, canones nõ fecerũt, propterea nos conuenientes in hanc imperialem vrbem sacros cano- *16. dist. c. Habeo.*
nes conscripsimus. Oportebat enim, vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Hactenus concilium. Principio autem, si in Constant. vrbem conuenistis, dicite mihi, cequo euocãte conueniſtis? Anné Romanus aliquis episcopus vobis concilium indixit? Minimè id quidem. At Romanus Pontifex eo tempore certus erat, Catholicus erat, addo etiam, probus erat. Primates autem ecclesiæ sine principis ecclesiastici & veri & Catholici & pij voluntate cogere, hoc non est synodum velle facere, sed aduersus ecclesię principem conspirare. Quemadmodum si regni proceres ad Respublicas pertractandas sine regis arbitrio conueniant, coniuratio illa potius, quàm cogregatio existimabitur. Iustinianus, inquis, eos fecit conuenire. Benè profectò narras, nam istum improbum fuisse, & ecclesiæ Romanæ inimicum, memoriæ proditum est. Qualem autem synodum à tali viro, pfectam esse arbitrabimur? Sed audiamus causam conuentus faciendi. Quoniam sanctæ vniuersales synodi quinta & sexta canones nõ fecerũt, propterea nos in hanc imperialem vrbem cõuenientes, canones conscripsimus. Oportebat enim, vt synodus vniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret. Itaq; hæc Trullana synodus supplementũ duarũ esse dicitur, & qd deerat quintæ & sextæ, id nimirum addidisse. Ideò enim nec sexta, aiũt, propriè numeratur, sed πενθέκτη, id est, qui nisexta. Scilicet nomine sextæ synodi Trullana se prius venditare volebat. At, nunc nec sexta, nec quinta, nec septima est, sed mõstrum quoddam quinisexta. Illud verò quis ferat, quod insimulant patres hi duo grauissima cõcilia tan-

tanquã mutila & imminuta, vt causa cõgregationis necessaria videatur? Enimuerò concilij generale ecclesia ne vnum quidẽ habuit, vbi causa aut hæresis, aut schismatis nulla esset. Trullana hęc synodus sola est, quę non ad ꝓfligandam hæresim, nõ ad tollendum schisma, sed ad canones edendos cogitur. Ecquid aũt erat opus, pastores ecclesiarũ omnium suis sedibus cieri, vt post innumeros ferè canones Apostolicos, Nicęnos, Ancyritanos, Neocęsarienses, Antiochenos, aliorumq; plurimorum & martyrum, & confessorum, qui canone secũdo Trullano cõprobantur, alij centum duo ab his patrib. ederẽtur? Quanto verò grauius sexta synodus egit, quę, causa fidei, ob quam conuenerat, absoluta, noluit ecclesiã canonib. onustam discedere. Nõ igitur necesse erat canones condere, sed, si verũ fateri vultis, alia Iustiniano causa vestrę cõgregationis fuit, nimirũ, vt Latinos, sedemq; præsertim Apostolicam insectaretur, vtq;, quod Platina ait, aliqua vestra auctoritate probaret Orthodoxæ fidei nequaquam cõgruentia. Nam, si, vt ipsi dicitis, post quatuor aut quinq; annos à sexta synodo exacta, sub Iustiniano filio Constantini Constantinopoli conuenistis, certè (computate tempora) hęc illa est erratica synodus, cui, auctore Beda, Sergius noluit subscribere. Sed iam videamus, vt reliqua, quæ nunc non extant, dissimulẽtur, cur his centum duobus vestris canonibus subscribere Sergius nec voluerit, nec verò debuerit.

Theophanes putat à 6. synodo ad hos editos Canones, 26. annos interfluxisse.

In Canone secundo suscipitis & confirmatis 85. canones Apostolorum: hos sedes Apostolica non recipit, vt auctor est Isidorus 16. dist. c. canones. id quòd cum ex Leone 9. c. Clementis ea. distin. ostendi potest, tum verò magis ex Gelasio 15. dist. c. Sancta Romana. Cur autem sedes apostolica probet 84. canonẽ, quẽ vos probatis, vbi tres Machabæorũ libri contra omnium cõsensum ecclesiarum admittuntur? Atque in eodem secundo canone synodum Cypriani, de rebaptizandis hæreticis comprobatis, quasi secũdum traditam Aphris consuetudinẽ lex illa constituta sit, & non magis aduersetur omnibus ecclesijs Dei. Nec enim decretum illud Cypriani explicari potest ad normam 95. canonis Trullani, & 19. Nicæni.

cæni. Quoniam canon Cypriani de omnibus in vniuersum hæreticis præscriptus est, maximè Donatistis, quos constat in nomine Trinitatis baptizasse. Decretum ergo Cypriani ab vniuersali ecclesia simpliciter reprobatum, Sergius approbare non debuit, quod Trullana synodus fecit. In canone tertio ecclesiæ Romanæ legem de bigamis non ordinandis summũ ius appellatis, & ex rigore austerum, sedis autem Constantinopolitanæ mollicies ac dissolutio benignitatis vobis est. Mediã quasi ex duabus componitis, sed talem, qualem ecclesia Latina semper explosit. Iure igitur, hanc vestram synodum explosit Sergius.

Canon 13. iubet, vt hypodiaconi, diaconi, presbyteri, à suis legitimis vxoribus non separentur. Et consuetudo apud Græcos quidem inualuit, sed synodus generalis eam toti ecclesiæ contra Latinorum vsum malè præscripsit. Benè ergo Sergius vestros canones reprobauit.

Canone 36. decernitis, vt thronus Constantinopolit. æqualia priuilegia cum apostolica sede obtineat, & Alexandrinæ, Antiochenæ, ac Hierosolymitanæ præferatur. Scitis aduersum hunc canonem olim à sancto papa Leone pugnatum. Et quãquam ratione pugnatũ est, at sequentes Romani Pontifices Constantinopolitanæ huic ambitioni & vanitati contra dicere noluerunt. De priuili. Antiqua.

Canone 62. præcipitis, in omnibus diebus quadragesimæ præter sabbatum & dominicam, nullas nouas hostias consecrari, sed vt apud nos in die parasceues, fieri præsanctificatarum sacrificium. Hoc vestris Græcis præcipite, si vultis, Romanus enim episcopus hoc in totam ecclesiam decretum non probaret.

Iam Canon 55. nulla nostra confutatione eget, absurdus enim per se est, & manifestè in Romanam ecclesiam iniurius. Ipsum audiamus. Quoniã intelleximus in Romanorum ciuitat/ in sanctis quadragesimæ diebus, in eius sabbatis ieiunare prẽter ecclesiasticam traditam cõsuetudinem: sanctæ synodo visum est, vt in Romanorũ ecclesia si quis fuerit inuẽtus sabbato ieiunans, clericus deponatur, laicus segregetur. Num tibi videtur à Romano

mano aliquo pontifice hunc canonẽ probatum iri? Minimè verò gentiũ. Quid 67? Vide ne probãdus sit. Sacra, inquiũt, scriptura nobis præcepit, vt abstineamus à sanguine & suffocato. Merito igitur damnamus eos, qui cuiuscunq; animalis sanguinem arte aliqua condiunt, & sic comedunt. Ecqua autem maior scripturarum ignoratio esse poterat, quàm existimare, præceptũ illud apostolicum ad ea vsq; tempora perduraſſe? Quanto verùs Latini decretũ Hierosolymitanum, quò ad sanguinem & suffocatum attinebat, ad breue tẽpus tantisper manere interpretati sunt, quãdiu Iudæorum & Gentium cõsuetudo coaleſceret: quamdiuq; synagogam ecclesia cũ honore quodã sepeliret. Abeat nũc Gratianus, & sextæ synodo canones Trullanos tribuat. Innocentius verò decretũ Gratiani eodem nomine retulit, quo erat à Gratiano citatum, id quod & D. Thomæ & alijs quoque viris doctis aliquando accidit, vt Gratiani diligentia ſiſi, capita decreti mentitis auctoribus & titulis referant. Idem quoq; Gregorio nono contigit, qui titulo de constit. nomine Hieronymi commentaria in prouerbia retulit, quæ Hieronymi non esse certum est. Caput autem illud, quod Innocentius citat, habetur 32. diſt. c. Si quis eorum, nomine sextæ synodi. Adrianum verò Trullanos canones recepiſſe, tãtùm abest à veritate, vt nihil magis veritati possit esse contrarium. Verba siquidẽ illa reperiuntur in epistola Tharasij ad Adrianum, nõ, sicut Gratianus memoria lapſus existimauit, in epiſt. Adriani ad Tharasium. Tharasius itaque recepit illos, non Adrianus: vt patet actione 2. & 3. septimæ synodi. Adrianus siquidem verba Tharasij refert, vt Constantinopolitanos proprio mucrone confodiat. Si enim, inquit, vos fatemini canones illos diuinos & legales esse, canone autem 82. imaginem Christi venerandã esse concediris, quid nunc contra sacras imagines depugnatis? Quòd si septima synodus vno canone vtitur, vt ipsorum Græcorum testimonio, imagines esse venerandas comprobet, ecquid inde argumenti promitur, vt cæteros item canones approbarit? Quaſi totum Menãdrum, Aratum, aut Epimenidẽ confirmarit Paulus, quòd horũ aliquando

do sit testimonijs vsus. Nec verba illa, quæ ex 7. synodo retulimus, ipsius synodi sunt, sed Tharasij, Petri episcopi, Epiphanij. Quæ non erat eius temporis & instituti expendere. Nõ enim id tum agebatur, an Trullana synodus probanda esset, sed an essent imagines venerandæ. Quamobrem, quæ obiter & præter institutum à priuatis hominibus in Concilio dicebantur, ne nouæ lites suborirentur, illa sapienter à patribus dissimulata sunt: eò vel maximè, quòd in causa præcipua, de qua ibi erat controuersia, Trullanæ synodi auctoritate libenter vtebantur. Id ne comminiſci videamur, Nicolaus nimirum est auctor adhibendus, qui in epistola ad Michaelẽ Imp. cùm ad quandam causam suadendã synodi huius Trullanæ, canone quodam vellet vti, in hunc modum disserit: Prouidè hoc Constantinopolitana synodus canonũ suorum sexto dignoscitur prohibere capitulo. Quod tamen non apud nos inuenitur, sed apud vos haberi perhibetur. Verùm nouimus apostolicis imbuti documẽtis etiam sententijs vti paganorũ, quantò magis Christianorum, & contra ipsos, quorum nec vitam sequimur, nec mentem erroneam imitamur. Deinde Apostolus Paulus de libris Paganorum aliqua in suis scriptis posuit, nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Hactenus Nicolaus. Non itaque si aut Innocẽtius, aut 7. synodus, aut Nicolaus, aut concilium Florentinum horum auctoritate canonum abutuntur, probato vno aut item altero reliquos probauerunt. Quanquam patres synodi Florentinæ hos 102. citãſſe canones, me omnino præterit. Nam, quod actio. 5. refertur, id non ex synodo, vbi hi canones sunt editi sub Iuſtiniano, sed ex sexto concilio vniuersali sub Constantino illius patre depromptum est, vt actio. 17, eiusdem sexti concilij paret. Sed quoniam & hæc synodus apud Trullum regium palatium, scilicet celebrata est, quod de hac dicitur, hoc per errorem ad Trullanos canones creditum est pertinere. Quorum auctoritas ideò à nobis labefacta est, ne quisquam falso errore deceptus, eos veris legitimisque cõcilijs opponeret. Video autem dubitari posse, cur inter reliquos canones ecclesiæ Romanæ contrarios

trarios non & 82. notauerimus, vbi prohibitum est, ne Christ⁹ deinceps sub figuara agni pingeretur. Sed nolui equidem has Trulli regulas inimicè insectari. Nego itaque in 82. cano. secundum veram lectionem tale aliquid prohiberi. Quin potiùs in eo pictura illa veneranda, qua agnus digito præcursoris demonstratur, & suscipitur, & deinceps conseruari in ecclesia iubetur. Id quòd colligere licet ex epistola Adriani ad Tharasium, 7. syn. act. 2. & ex acti. 4. eiusdem 7. synodi. De Trulli igitur canonibus, atq; adeò de sexto argumento hactenus.

In argumento verò septimo, Pighij contentio pertinax coarguēda est, qui vt opinionē, quā semel inducrat, tueretur, synodos ecclesiæ decreto susceptas vanis cōiecturis infirmare perrexit. Tantū studiū certādi, vbi semel efferbuit, & dura pertinacia potest. Mihi verò non est hoc loco opus, pro sexta synodo, vnde emersit certamē, depugnare, quam & Agatho coēgit, & Leo 2. confirmauit, quam & Beda lib. de tem. rati. c. 56. & cæteri post eum catholici probauerunt, quam & concilium Florent. sess. 5. recipit, & Eugenius 4 in decreto super vnione Iacobinorum veneratur. Alij pro 6. & 7. synodis apologiam edant, si diligentia illis Francisci Turensis nó adhuc facit satis. Nos enim in dogmate fidei & decretis ad salutem fidelium necessarijs cōciliorum auctoritatē asserimus, in rerum gestarum iudicio & ordine non asserimus. Nec in his, quæ parum, vel certè nihil ad nos attinent, tempus & operam sumimus.

Octauo argumento respondetur.

Ad octauum ergo argumentum Caietanus in opusculo de auct. Pap. & con. c. 8. respondet, concilium Constantien. quo tempore illud decretum edidit, non fuisse vniuersale & integrum. Erat enim tum schisma in ecclesia sub tribus pontificibus, Ioanne 23. Gregorio 12. & Benedicto 13. Vnde asserere, quod id temporis illud concilium erat generale, nihil aliud est, quàm reuocare antiquum schisma, aliosq; damnare, qui Benedictū & Gregoriū sequebantur. Quod tamē fuit, estque semper ambiguum. Quòd si obijcias, Martinum 5. in vltima sessio. approbâsse omnia, & singula decreta in materijs fidei, quæ prius à concilio Constantien. prodijssent: respōdet idem

idem Caietanus id propriè ad fidem pertinere, & tanquā fidei decretum à Martino probari, quod aduersum hæreticos fuisset definitum, vt in 8. 15. & 21. sess. factum est. Quòd autem Martinus 5. ea solùm probet, patet primū, quoniam ad petitionem oratoris regis Poloniæ illa approbatio facta est, qui hoc tantùm exigebat, vt acta in concilio contra hæreticos confirmarentur. Patet etiam, quia Martinus dicit se omnia sic conciliariter facta approbare, & non aliter nec alio modo. Supponebat enim quædam non conciliariter acta. Nam in illa 4. & 5. sessione, vt idem Caietanus admonet, nec disputatio aut disquisitio aliqua interceſſerat, nec delecti fuerant adhuc viri docti ad disserendum & tractandum ea, quæ in fidei doctrina essent constituenda: sed id cautum postea à cōcilio fuit in sess. 6. Ita si quis tradita in sess. 4. diligenter expendat, inueniet ea non formam habere decreti, quo videlicet aut fideles obligentur, aut contrarium sentiētes explodantur. Patet demum ex literis Martini 5. in quibus errores Ioannis VVicleffi, Ioannis Hussi, & Hieronymi Pragensis expressè damnantur, nulla de ea re, an concilium sit supra papam, facta mentione. Sed quoniā quæ de concilio Constantiensi in dubium verti solent, ea pulcherrimè explicantur à discipulis Diui Thomæ, maximè à Caietano viro in nostra familia excellentissimo, nos de hac re ne verbum quidem vllum prętereà faciemus. De octauo igitur argumento tantum.

2. 2. q. 1. ar. 10. & in apolo. c. 11. & in erat. habita, de syno. dist. in con. La. Non enodatur.

In nono verò, miror equidem illorum cæcitatem, qui concilium Basileense tueri volunt: cùm manifestū sit. illud, licet à principio Eugenio. 4. consentiente fuerit congregatum, postea tamen ab eodem primùm Ferrariam, deinde Florentiam translatum, vbi Basileenses conatus publica ecclesiæ auctoritate repressi sunt. Nam & vnio Armenorum, & Græcorum populi Christiani cōsensione approbata, non in concilio Basileensi, sed in Florentino facta est. Et Eugenium ecclesia etiam post illam depositionis Basileensis sentētiam, pro vero pontifice habuit, Felicem autem illum in synodo electum contempsit. Quorsum ergo attinet mordicus conciliū Basileēse tenere? Quorsum fauere hæreticis, qui conciliorum in

hæreti-

hæreticos iudicia infirma esse contendunt, quod concilium Basileense eos hæresis nomine damnârit, qui eriânum catholici iudicantur? Quæ qui non sentiat, is nihil omninò sensurus esse videatur. Quo circa non dubito esse nunc grande piaculum pro concilio Basileensi stare velle, cùm schisma illud iam extinctum non alia ratione magis denuò possit accendi. Et Nicolaus 5 apertè sentit, Felicem illud non fuisse verum ecclesiæ pastorem, sed nominatum. Nec verum concilium & generale, sed congregatum vocat nomine concilij generalis. Eugenium verò felicis recordationis prædecessorem suum honorificentius appellat. Ita in literis suis nõ probat, nisi beneficiorum collationes, sic loqui solent, & huiusmodi cætera, quę si irrita laberentur, populus mutatis aut pastoribus, aut officialibus multum incommodi acciperet. Atq; Leo decimus in concil. Lateranen. sess. 11. planè definit, concilium Basileense non fuisse legitimè celebratum. Et postea, cùm de quadam sanctione ageretur à concilio Basileen. edita: Sicut Leo, inquit, ea, quæ in secunda Ephesina synodo temerè contra iustitiam & catholicam fidẽ gesta fuerunt, postmodum in Chalcedonensi concilio fecit reuocari, ita nos à tã nephariæ sanctionis reuocatione retrahi, salua conscientia & ecclesiæ honore non possumus. Cùm ea omnia, post translationem eiusdem concilij Basileen. per felicis memoriæ Eugenium papam 4. prædecessorem nostrum factam, à Basileensi conciliabulo seu potius conuenticulo facta extiterãt, ac propter ea nullum robur habere potuerint. Cùm etiam solũ Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem concilorum indicendorum, trãsferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius & potestatem habere, nedum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis sanctorum patrum ac aliorum Romanorum Pontificũ decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifestè constet. Hactenus Lateranẽ. concilũ Probat autẽ ea, quæ dixerat, multis & testimonijs & exẽplis, quæ nos, ne sit longum, prætermisimus. Sed prouocauerunt doctores Parisien. à concilio Lateranen. & appellatio nomine academiæ circunfertur. Quorum illa

fuerit,

fuerit, ego hîc non disputo: illud astruo, non sine ecclesiæ scandalo atque pernicie circumferri. Extat anathema Pij secundi in eos, qui ad futurum concilium appellauerint. Et sine Pij causis, quas multas suis literis reddidit, manifestum est, rem hanc & hæreticorum omnium summum patrocinium esse & fenestram, vel maximam aperire ad obedientiæ ecclesiasticæ iacturam, ac perniciem veræ pietatis. Sed de his non est huius loci temporisque differere. Verùm obijcis ea, quæ in 2. sess. concilij Basil. decreta sunt, à legitimo concilio esse decreta, vt patet ex literis Eugenij, quæ lectæ sunt 16. sess. eiusdẽ concilij. Sed nos huic quæstioni breuiter respondemus, non approbasse Eugenium decreta edita, sed solùm concilium generale Basileense à tempore inchoationis suæ legitimè continuatum fuisse. Deinde, concilium in secunda sessione non erat plenum, quia maior pars episcoporum deerat, imò pauciissimi aderãt. Quare inchoatione quidem generale erat, sed nondum erat verè & perfectè re ipsa generale. Præterea, Legatus sine commissione processit ad ea decreta ferenda, vt ex literis Eugenij ad Iulianum colligitur. Adde, quod cùm grauis atque difficilis semper fuisset inter catholicos altercatio, quibusdam dicentibus papam supra cõcilium esse, alijs contrà asserentibus concilium esse supra papã, nulla conquisitione facta, nullo examine præcedenti, positum est id, quod erat ambiguum. Quare nõ fuit decretum fidei, sed simplex quædam commemoratio eius doctrinæ, quæ erat in concilio Constantiensi tradita. Id quod videntes huius synodi patres, rursum in sessione 33. rem eandem aliter tractauerunt, definientes ea tanquam fidei decreta esse deinceps amplectenda. Sed tũc omnis legatorum potestas erat abolita, & synodus Florentiam trãslata. Quare nihil mirum, si turpiter & pueriliter errauerit, eos pro hæreticis condemnando, qui nunc sine controuersia fideles habentur.

Ad decimum verò argumentum responsio est facilima, plenaria cõcilia à summo Pontifice maximè cõfirmata, per alia legitima & probata emẽdari. At quòd plenarium cõcilium summi Pontificis auctoritate firmatũ *Decimum dissolutur.*

per aliud posterius emẽdetur, exemplum ne vnum quidem proferri potest. Nam & huiusmodi concilia Augustinus non infirmat, sed tuetur eiusdem libri c. 4. Quanquam Augustinus non videtur loqui de emendatione fidei, sed emendatione legum, quæ ad res scilicet, vel gestas, vel gerendas referuntur. Ipsa plenaria, inquit, concilia priora à posterioribus emendantur, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat. Quod ad fidei veritatem referri vix potest, quæ non rerum experimentis innotescit. Leges ergo nonnullæ, in quibus per imprudentiam falli concilia possunt, nihil obstat, quò minus à posterioribus concilijs emẽdentur. Isidoro autem ex his etiam respondetur. Non enim sunt nobis explicanda singula.

Ad vndecimum. Ad vndecimum diximus sæpè concilia integra & capitis auctoritate perfecta ea esse, quæ nos ab errore vendicamus. Nec si summus pontifex firmus in fidei causa iudex est, cõcilia frustrà coguntur. Primum enim, vt capite superiore admonebamus, Romanus pontifex non temerè & stultè, sed considerate atque sapienter habet fidei controuersias definire, aduocando scilicet cõciliarios, vel plures, vel pauciores, iuxta rei, de qua disseritur, grauitatẽ. Iuuant enim patres concilij summi pontificis fidem atq; doctrinam. Vnde in concilio Hierosolymitano, cùm facta esset magna conquisitio, Petrusq; sententiã dixisset nullo sacrarum literarum testimonio fulcitam: Iacobus probauit eam quidẽ additis testimonijs prophetarum. Adiecit item quasi de suo legem maximè necessariam, de abstinentia ab idolothitis, fornicatione, suffocatis, & sanguine. Ita enim diuina procuratio in ecclesiam se fundit, vt mẽbra præcipua, tametsi à capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur & iuuent. Facit quoque concilium plausibiliorem populo fidẽ, propter acceptissima multorum testimonia atq; iudicia. Nam & leges, quæ communi optimatum cõsensu & rogãtur & feruntur, libentiùs populus accipit, quàm si à rege solũ ederentur. Quamobrem Beda libro retra. in actis Apostolorum, prudenter sanè monuit, Paulum contulisse cũ Apostolis alijs Euangeliũ, quod prædicabat in gentib⁹, solerter

solerter in concilio disquirens, an rectè de legalium cessatione doceret. Nõ quod ipse de hac re, inquit, aliquid dubitaret, sed vt mentes dubitantium Apostolica synodi auctoritate firmarẽtur. Gregorius autem de synodis prouincialibus locutus est, quæ in causa fidei vix quicquam obtinere potuerunt, nisi essent summi pontificis auctoritate roborata. Illa expertus est Gregorius, hæc non est expertus. Quãquam & illo tempore cõcilij Nicæni vtilitas nondum erat satis explorata.

Postremũ diluitur. De cõ. de. 2. Ego Berengarius.

De postremo argumẽto difficile dictu est. Quid Theologi ferè opinentur, video. Hoc tamen verè licet dicere, Romanum illud Nicolai concilium locutum esse multò ad sensum fidelium accõmodatius. Cõcilij verba priùs audiamus, posteriùs expendemus, verá ne an falsa sint. Profiteor, inquit, Berengarius, non solũ sacramentum, sed verum etiam corpus Christi manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium mentibus atteri. Hæc Berengario præscripta à synodo confessionis forma. Vbi alterum potest habere dubitationem, An corpus Christi ratione sacramentalium specierum, verè & tractari dicatur & frangi. Alterum dubitari non potest, quin in seipso Christus, nec tractetur à sacerdotibus, nec frangatur. Atque alij dicent fortè pro suo arbitratu quisq;, nos aũt hoc quidem tempore, & in hac quęstione sequimur potissimũm Thomam VValdensem, qui in libro sacramental. titu. 4. cap. 24. docet, eiusmodi loquendi formulas & esse verissimas, & esse etiam olim à patribus vsurpatas. Refert in hoc Dionysium cap. 3. lib. de ecclesia. Hier. refert quoque Chrysostomum in Matth. homi. 83. retulerat autem & capi. superiore Paschasium in lib. de corpore & sanguine Christi. Fideles sanè cùm species sacramentales viderint, Christum se vidisse testantur, eundemq;, cùm illas tetigerint, tetigisse. Quod magnũ profectò argumentum est, cur ita esse credamus. A fidelium vulgo, inquis, ista sumis. Metuebã ne à lenonibus diceres. Christiani rudes dixerunt isto modo. Benè profectò narras. Nam in quæstione fidei communis fidelis populi sensus haud leuem facit fidẽ. Quæro enim ex te, quando de rebus Christianæ fidei inter nos contendi-

mus, non de Philosophiæ decretis, vtrùm potius quærendum est, quid Philosophi atque ethnici, an quid homines Christiana & doctrina, & fide instituti sentiãt. Præsertim cùm huic sententiæ cõsenserint patres etiam veteres, quemadmodum paulò antè demonstratũ est. Præterea motis speciebus sacramẽtalibus id, quod inter doctiores ferè cõuenit, Christus item per accidens quidẽ, sed mouetur tamen: nihil igitur obstat, quin visis tactisque speciebus, Christi corpus & videatur & tangatur. Nam nec ipsa substantia sensilis, nisi per accidẽtia, sentiri potest. Adhæc, cùm species panis vinique miscẽtur, ecclesia fatetur corporis & sanguinis Domini mixtionẽ fieri: ergo cùm videntur & tanguntur species, corpus Christi & videtur & tãgitur. Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, Christi corpus in locũ panis ita succedisse, vt præter ea, quæ fidei huius sacramenti repugnãt, omnia sibi vendicet, quæ panis antè ratione accidentiũ vendicabat. Alioqui, qui species panis manducaret, is Christi corpus non ederet, nec ille biberet sanguinem, qui vini specie potaretur. Atqui scriptum est, Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. & rursum, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c. & iterum, Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini. Quòd si caro Christi in sacramento editur, certè frangitur, dentibusque fidelium atteritur. Vtrunque enim ei cibo, quẽ edimus, est & coniunctum, & proprium. Quid? quod per Lucã, si Græci sermonis habetur ratio, Dominus ait, Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur? Nec verò nobis Diuus Thomas in 4. sentent. obijci debet, cùm in 3. par. quæst. 77. articul. 7. ad tertium argumentũ, nostræ huius sententiæ auctor fuerit vel præcipuus: quem quis non præferat sexcentis Oecolampadijs? De postremo igitur argumento diximus satis, satisque proinde de quarto loco diximus.

Ad sequentem deinceps transeamus.

Quinti libri finis.

DE

DE ECCLESIAE ROMANAE AVCTORITATE, QVAE QVINTO LOCO continetur, Liber Sextus.

CAPVT I.

Vbi ponũtur argumẽta, quibus huius loci auctoritas impugnatur.

IN eum locum incidimus, quem longè lateque patentem Theologi, præsertim iuniores, copiosè tractare solent. propterea quòd sedis Apostolicæ non auctoritas modò & grauitas, verùm etiam omnis omninò vis & facultas, cùm semper ab hæreticis impugnata est, tũ multò magis hoc tempore à Lutheranis impetitur, quorum in Romanam ecclesiam cõtentio pertinax & odium æternũ est. Sed non ego persequar quæstiones infinitas de Romani pontificis potestate, tantũ de auctoritate dogmatum videamus. Nolo aũt agere confusè, vt id explicemus hac disputatione, quod quæritur. Itaq; eorũ imprimis argumentationes exponemus, qui locum impugnãt. Deinde loci nos vim & auctoritatem cum catholica ecclesia conseruabimus. Posthæc aduersariorũ argumenta diluemus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine vtilitatis comparata, fortassis etiam breuior videbitur. Qui igitur locũ hunc infirmare pergunt, his argumentis, vt sibi videtur, efficiunt.

Primò, Ioannes vigesimus secundus publicè docuit, iustorum animas non videre Deum vsq; ad iudicij diẽ: cauitq; ne Parisijs Theologiæ gradum quisquam consequeretur, nisi prius in hanc sententiã iurauisset. Errare igitur summus Pontifex atque adeò sedes apostolica in fide potest.

Secundò, Celestinus tertius definiuit, quod cũ alter coniugũ labitur in hæresim, dissoluitur matrimoniũ, vt patet de diuortijs, c. Quanto. Super quo affirmat Ho-

stiensis, Celestini epistolam decretalē habitam olim in corpore iuris. Errauit igitur in fide Celestinus. Nam definitio illa Euangelio contraria est.

Tertiò, Alexander tertius de sponsa duorum, cap. Licet. asserit, quosdam suos præcessores iudicasse: quòd si post matrimonium contractum per verba de præsenti, non consummatum tamen, aliud nouum matrimoniū consummetur, primum dirimitur, secundum est validum. Hic autem error est sine dubio in fide & moribus manifestus.

Quartò, idem Alexander tertius, c. Cùm esses, de testam. definit, alienum esse & à generali eccles. consuetudine, & à diuina lege, & sanctorum patrum institutis, vt testamēta, nisi quinq; vel septem testiū fuerint subscriptione firmata, penitus rescindantur. Constat aūt ciuilem legem, quæ eiusmodi testamenta minus solennia irritat, à viris hodiè ecclesiasticis cōprobari. Falsus est igitur in fide Alexander, vt qui pronunciet legem aliquam esse diuinæ contrariam, quæ re vera contraria non est.

Quintò, Innocentius primus in epistola ad Rufum & Eusebium, c. 1. Qui viduas, inquit, acceperunt vxores, ad summum Sacerdotiū agnoscimus peruenisse. Quod cōtra legis esse præcepta, nullus ignorat: cū Moyses clamet, Vxorem virginem sacerdos accipiat, contra quod præceptum diuina auctoritate subnixum, nulla defensio opponitur, nisi consuetudo vestra, quæ ex ignorantia profecta est. Et Innocentius tertius, cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, cum quandam legem Deut. retulisset, Sanè, ait, cùm Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli cōprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo testamento debeat obseruari. At decreta veteris legis debere à nobis obseruari, sacris etiam literis, non modò concilio Florentino aduersatur.

Sextò, Nicolaus tertius in extrauaganti, Exijt qui seminat, de verborum significatione, decernit, abdicationem proprietatis, omnium rerum tam in speciali, quàm in communi Christum dominum & verbo & exemplo docuisse. Quod erroneum esse Ioannes vigesimus secūdus docet in extrauaganti, Tum inter nonnullos:

Septi

Septimò, Nicolaus ad consulta Bulgarorū, referturq; de consec. d. 4. c. quodam Iudæo, definit, quòd si in nomine Christi aliquis baptizetur, rebaptizari non debet. Cuius oppositum Pelagius papa determinat, in epistola ad Gaudentium episcopum, referturq; eadem dist. cap. Multi, &c. Si re vera, quæ ambo capitula ex eadē epistola sunt deprompta. Cōsentit & cum Pelagio Zacharias papa, c. In synodo, eadem dist. Aut Nicolaus igitur, aut Pelagius falso de fidei quæstione decreuit.

Octauò, Diuus Gregorius in epistola quadam ad Augustinum Cantuariensem archiepiscopum, Gregorius quoque tertius in epistola ad Bonifacium episcopum, ex apostolicæ Romanæque ecclesiæ auctoritate pronunciārunt, quòd si mulier infirmitate aliqua fuerit correpta, nec valuerit debitum marito suo reddere, maritus quidem aliam vxorem ducere potest, ea lege tamen, vt subsidij opem coniugi priori non subtrahat: Quòd autē vir ab vxore, quæ per infirmitatem debitum reddere non valet, discedere possit, atq; ad secūdas nuptias trāsire, doctrinæ euangelicæ apostolicæque aduersum est, vt Gratia. 32. q. 7. dixit.

Nonò, Gelasius contra Eutychen & Nestorium definit, in altaris sacramento, facta etiam consecratione, panis vinique substantiam manere. Id quod à fide catholica alienum est.

Decimò, Romani Pontifices literas sæpè sacras falsò exposuerūt. Nam vt ea loca prętermittā, quæ Caietanus refert in opusculo 27. quæstionū, q. vltima, certè Gelasius papa cum concilio septuaginta episcoporum, & refertur sub nomine Pelagij, 21. dist. cap. Quanuis, atq; Anacletus 22. distin. cap. Sacrosancta, probant, Romanā ecclesiam cæteris esse prælatam, illa Euangelica voce Domini saluatoris, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quod idem plures etiam alios pontifices sensisse constat. Ridiculum autē videtur esse, Euāgelicū testimoniū in eum sensum velle flectere. Ad eundē quoq; modum plerique summi Pontifices ad probandum maiores ecclesiæ causas ad sedem Romanam esse referendas inducunt illud ex Luca, Ego rogaui

pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Quod quàm ineptum sit, vel ex eo liquere aiūt, quòd ibi Dominus Petro solū, non item posteris loquebatur. Subdit enim, Et tu aliquando conuersus, cōfirma fratres tuos. Quæ verba si ad posteros referantur, nimirum Romanos pontifices, prius auersos fuisse oporteret, vt aliquādo conuersi confirmarent fratres suos. Cùm itaq; Romani episcopi sacras literas falsò interpretarentur, falli & fallere in fidei dogmate possunt. Nam ex sacrarum literarum recta intelligentia vera dogmata, ex obliqua verò falsa trahuntur.

Vndecimò, si Apostolica sedes in fide errare non posset, id maximè ex priuilegio Petri, Luc. 22. Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. At, Petri fides defecit, iuxta id quod Ambrosius ait, Fidelior factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse defleuit. Multò ergo magis cæteri successores errare in fide potuerunt. Vt errauit certè Anastasius 19. di. c. Anastasius. Errauit quoque Honorius, vt in con. 6. Constan. actio. 13. & 18. definitur.

Dist. 50. c. fidelior ex jerm. 47. de fide Petri.

Postremò, Hieronymus in epist. ad Euagrium, cùm illi obijceretur Romanæ ecclesiæ cōsuetudo, Si auctoritas, inquit, quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Constantinopoli, siue Alexādriæ, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorē, vel inferiorem episcopum non facit. Cæterùm, omnes Apostolorum successores sunt. Quid ergo mihi profers vnius vrbis cōsuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiæ vindicas? Hactenus Hieronymus. Et Ambrosius lib. 3. de Sacram, capite primo, cùm Romanam consuetudinem sibi opponeret, In omnibus, ait, cupio sequi ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectiùs seruatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolū Petrum: ad hoc eccles. Romana quid respondet? Vtique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiæ Romanæ. Quòd si Hieronymus & Ambrosius eccles. Romanę instituta facilè reijciunt, certè non est cur Apostolicæ sedis

93. dist. c. legimus.

dis præscriptam in moribus regulam sequi debeamus. Eo vel maximè, quòd Trullana synodus canone 55. asserit, Romanam ecclesiam præter ecclesiasticam traditam consuetudinem Sabbatis quadragesimę ieiunare: corrigitq; hunc ecclesiæ Romanæ morem, qui contra Apostolorum canonē 65. inoleuerit. His potissimùm argumentis hunc locum quidam infirmum esse cōtendunt. Credunt enim sedem Apostolicā errare posse, etiam cùm de fidei quæstione iudicat. Inter Parisienses Gerson & Almain huius sentētiæ præcipui auctores habentur. Eandē sequitur Adrianus in 4. senten. de cōfir. quęst. vltima. Aç Thomas quidē VVal. lib. 2. doctri. fid. anti. cap. 19. eandem videtur sequi, tametsi in lib. de sacramētalibus, doctrina 10. longè aliter sentit. Gratianus 19. distinct. §. Hoc aūt intelligendum est. eidem opinioni videtur etiā assentiri. Nec ab hac, vt apparet, alienus est Cardinalis Turrecre. lib. 4. par. 2 cap. 16. Quamuis in lib. 2. cap. 109. 110. contrariam sententiam & tenuerit & ostenderit. Hanç Erasmus libenter amplectitur super epist. Hieronymi ad Damasum de nomine Hypostasis. Quin in libro de ratione veræ theologiæ fenestram dicit aperire ad perniciem veræ pietatis eos, qui doceant, Romanū Pontificem errare non posse, quoties de moribus aut fide pronūciat. Huic Lutherus subscribit, huic VViclefistæ, atque adeò omnes hæretici subscribunt libentissimè.

CAPVT II.

In quo redditur causa, cur sedes Apostolica quintum locum obtineat.

HOrum ergo operationē ex academijs theologicis explosurus sum. Efficiamq;, vt spero, vi argumentorum meorum, si integris animis expendantur. semotis contentione & odio, quibus omne iudiciū exocculari solet. Vt autem euidētiùs intelligatur, quàm sit magnus huius opinionis error, fingamus animo vnum esse Lutherum, in quem stylus hic noster acuatur. Nā errantium multitudo non parit errori patrocinium. Sit ergo primus idemq; solus qui audeat affirmare, summū Pontificem ecclesiamq; Romanam in fidei cōtrouersijs

decernendis posse contra euangelium errare. Nisi ego probauero certioribus argumentis, id esse erroneum, quam probent catholici aut purgatorium esse, aut indulgentias pontificias diuina auctoritate constare, auctoritas hæc mea, quantula eacunque est, apud lectores periclitabitur. Illud verò meliùs ostẽdo, si ad locũ hunc firma ratione constabiliendum, altiùs huius rei fundamenta iacio. Sed antè tamen cur hunc locum quintum fecerimus, paucis explicandum est. Erunt enim fortasse quidam, quibus aptior ordo videretur, si priorem, quo conciliorũ auctoritas continetur, hic locus antecederet. Quinetiam si aberrant à coniectura, video tamen quid sequantur. Nempè sedis Apostolicæ auctoritate sublata, concilia quæcunque non solùm vacillare, sed cadere: at sedem Apostolicam per se etiam sine cõcilijs suam habere auctoritatem. Priorem itaq; esse ecclesiæ Apostolicæ, quàm conciliorum auctoritatem. Rebus autem suam cuique seruare locum natura iubet. Quemadmodum locus elementis suus est cuique proprius. vt terra infimũ teneat, hanc inundet aqua, superior æther, ignibus altissima ora reddantur. Quibus breuiter respondemus, nos homini ingenij habita ratione, naturæ ordinem sæpè negligere. Est autem hominibus comparatum, quod Aristoteles non semel admonuit, vt à notioribus ad ea, quæ minùs sunt nota, proficiscantur. Quamobrem, cũ cõciliorum auctoritas plerisq; sit & acceptior & notior, nihil mirandum est, si naturæ ordinem anteuerterimus. Præterquàm quod concilia ecclesiam repræsentãt, & ab ecclesia catholica concilia catholica seiungere, nõ erat satis ex ordine. Meritò igitur ecclesiæ concilia hærere fecimus. Sed de his hactenus. Iam id, quod erat institutum, persequamur.

CAPVT III.

Tria pronunciata continet, quibus efficitur Petri in fide firmitatem ad successores quoque deriuari.

ETsi nõ sum nescius, quã sit scholastica disputationis forma quibusdã inusa: sed non debeo tamen aliam inire disputãdi rationem, præter eam, quã

& viris clarissimis probatam esse intellexi, & ad errores omnes refellẽdos semper aptissimam existimaui. Certè quæ Augustinus contra aduersarios ecclesiæ disseruit, tametsi & inuẽta sunt acutiùs, & dicta subtilius, quàm vt quiuis ea possit agnoscere, ad eum intendas tamẽ hæreses eo aptiora iudicãtur, quò tenuiùs ad viuũ resecata sunt. Demonstraturus igitur Apostolicam eandemque Romanam sedem errare in fide nõ posse, Scholę more tres propositiones habeo ponere, in quibus huius quæstionis cardo vertitur.

Prima propositio. Petrum Apostolum fuisse à Christo institutum pastorem ecclesiæ vniuersalis. *Prima propositio*

Hanc probat apertè illud apud Ioannem testimoniũ, Pasce oues meas. Qui enim non distinxit inter has oues & illas, alienam à suo demonstrauit ouili, quæ Petrũ pastorem non recognosceret: vt Innocentius, de maio. & obe. cap. Solitæ, & Bernardus lib. de cons. ad Euge. ca. 6. euidentissimè argumentantur. Nec dubitari potest ad Petrum eam curã specialiter pertinuisse, quẽ dominus priusquã oues illi cõmitteret, interrogauit, nec id semel aut bis, sed tertiò etiam, Simon Iona diligis me plus his? Vbi non expressit solùm Simonis proprium nomen, sed patris etiam nomen clarum adiecit, ne vlla posset ambiguitate Petri potestas eludi, aut peruersè in alium torqueri. Atque idem rursus ex altero apud Matthæum testimonio declaratur: Beatus es, inquit Dominus, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & quodcunque solueris super terram, &c. Vbi notandum in primis illud, quod cùm omnes discipuli rogati fuissent, cæteris tacentibus, vnus Petrus respondit. Deinde & illud aduertendum, quod & nomen Petri antiquũ Christus seruauit, inquiẽs, Beatus es Simon, & patris etiam nomen addidit, ne ad Cananeũ possent verba referri. Nomen quoque nouum indidit, quod Petro non commune cum reliquis Apostolis esset, sed propriũ, Et ego dico tibi, ait, non Ioanni, non Iacobo, sed, tibi, tu es, non solùm vocaris, sed es, Petrus, hoc est saxum. Vnde *Cap. 21.* *Cap. 16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Ioannis primo ca. Cephas, id est, petra ingens, seu rupis magno ferendo ædificio idonea, à domino vocatus est. Et super hanc petram, inqt, ædificabo ecclesiã meam, id est, super te ô Petre. Vt exponit Hilarius super Matthæũ. Ambrosius sermone 47. de fide Petri, Cyprianus in epistola ad quintum, Hieronymus 1. lib. contra Iouinia. & super Matthæum, & in epistola quadam ad Marcellam & Esai 2. & 16. cap. quamuis in concione quadã de Pentecoste aliter exposuerit. Chrysostomus homil. 55. in Matthæ. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 12. Origenes hom. 1. in Matth. & hom. 5. super Exodum. Theophylactus Lucæ 22. Gregorius in quadam epistola ad Mauricium Augustũ, & in alia ad Eulogium Alexan. episcopũ 6. lib. epistola 37. Leo concione 2. de Apostolis Petro & Paulo. Sed & in epistola ad Flauianum, Petrus, inquit, à principali petra soliditatẽ & virtutis traxit & nominis. Atq; in epist. 67. ad episc. Viennen. id apertiùs exponit, 19. dist. cap. Ita Dominus. Tertullia. lib. de præscrip. hæret. Epiphanius in lib. Ancoratus, Dionysius item in epist. ad Timoth. Petrum dicit à Paulo vocatum fundamentũ ecclesiarum. Et Conci. Chalce. vocat Petrum petram & crepidinem catholicæ, ecclesiæ atque ex consequenti fatetur, ecclesiam catholicam super Petrum ædificatum. Nec me latet, August. super Ioannem homi. vltima, & de verb. domi. homi. 13. id veritum esse concedere. At lib. 1. retract. cap. 21. hunc communem sanctorum sensum non reprobat. Nec reprobari sanè is poterat, quem non summi modò pontifices, verùm cõcilia quoque probantur, quemadmodum ex his, quæ postea dicemus, perspicuũm erit.

12. dist. c. præceptis

Cap. 6.

Sed non est opus, rem alioqui lucidissimam externis admotis luminibus illustrare. Quorsum enim dicit dominus Simoni filio Ionę, Tu es Πέτρος, hoc est, saxum, nisi vt intelligeremus, cùm cuest[i]giò addit, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, ipsissimum Petrum esse, super quem esset ecclesia ædificanda? Cùm verò idẽ sit secundum metaphoram domus fundamẽtum, quod seruata corporis analogia caput; manifestè colligitur, Petrum vt ecclesię caput, ita etiã fundamentum esse. Cur autem

autem nomen capitis in Petro vereamur, si rectorem ouium Christi eum negare non possumus? Nam populi rectores, capita dicuntur, Amos 6. & Saul, quoniam rex erat, caput populi dicitur, 1. Reg. 15. Sed tẽstimonia patrum Bucerus quærit, negatque Petrum ab vllo vnquam caput ecclesiæ vocatũ. Impudentissimè verò negat. Quoniam Euaristus, Alexander huius nominis primus, Pius etiam primus, Calixtus primus item, Gregorius, Athanasius, Chrysostomus, patres concilij Chalcedonen. Cõstan. septimæ synodi. Petrũ ac successores eius caput ecclesiæ non obscurè appellauerunt. Quorum testimonia paulò post adscripturi sumus. Fateamur igitur, Petrum & caput & fundamentum & rectorem pastoremque esse à Christo constitutum ecclesiæ vniuersalis. Hæc enim oĩa adeò sibi cohærent, vt si vnum ex illis tollas, reliqua tollere necesse sit. At Clemens 6. dispo. lib. Petrus, Iacobus & Ioannes, inquit, quãuis à Christo fuerint omnibus penè prælati, tamẽ non sibi vendicabat primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur iustus, Apostolorũ episcopum statuunt. Non igitur Clementi Petrus erat Pastor ecclesiæ vniuersalis. Huiusmodi scilicet testimonia hinc inde venantur hæretici, vt luci tenebras offundant. Dionysius 3. c. de diuin. nomin. Petrum dicit supremum fuisse decus & Theologorum columen. Euseb. lib. 2. eccle. hist. c. 14. Petrum scribit, probatissimum omniũ Apostolorum & maximũ, fideiq; magnificentia primorum principem. Epiphan. hære. 51. affirmat Christũ elegisse Petrum, vt esset dux suorum discipulorum. Leo in epist. ad episco. Viennen. Euangelici muneris sacramentum, ait, ita Dominum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluisse, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret. His, nam alios enumerare longum est, his inquam, tam multis & idoneis testibus non credunt hæretici: & volunt nos vni Clementi credere, qui dicat Iacobum Apostolorum episcopum institutum esse. Hierosolymorum episcop⁹ Iacobus agnoscitur, Apostolorum episcopus non agnoscitur. Quanquàm Apostoli ædificationis gratia, cùm erãt Hierosolymis, Iacobo sanè plurimũ deferebant: quò poste-

ris

ris episcopis exẽplo essent, vt tanquã subditos in aliena ecclesia se gererẽt. Sed benè habet, q̃ non asserit Clemẽs Dominũ statuisse, sed apostolos modestię causa. Nos verò hac prima, ꝓpositione asserimus, Petrũ à Domino pastorẽ ecclesiæ catholicę institutũ. Quod, quoniã Caietanus in libel. de auctorit. Papæ & cõcilij, & fusiùs adhuc in altero de eccle. Romanę primatu plurimis maximisq; argumẽtis ostendit, nos breuiter demonstrasse sufficiat.

Vide etiam Turre. li. 2. Summæ eccle. c. 15.

Secũda propositio. Petrum, cùm ecclesiam docebat, aut oues in fide firmabat, errare non potuisse. Hæc primùm ostenditur ex illo testimonio, Lucæ 22. Simon, Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. En cùm dixisset Dominus, Satan expetiuit vos, non ait, Ego rogaui pro vobis. sed, pro te nec dixit, Et vos aliquãdo conuersi, sed, Tu aliquando cõuersus, confirma fratres tuos. Cùm autem oratio Christi, vt auctor est Paulus, semper fuerit exaudita quod Christus orauit, id certè consecutus est, ne Petri fides deficeret, vt fratres posset in fide firmare. Deinde hanc etiam demonstrat illud Matthæi 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quæ verba explicans hom. 1. in Matth. Origenes ait: Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec aduersus Petrum, nec aduersus ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorũ. Nam si prævalerent aduersus petram, in qua ecclesia fundata erat, contra ecclesiam itẽ prẽualerent. Petrus ergo firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsum fundata rueret. Prẽterea si Petro peculiari ratione & priuilegio, Claues non vnius cæli, sed cælorum datæ sunt, quemadmodũ hom. 6. in Matth. annotauit Origenes, Claues autem cælos aperiunt, consequens fit, vt omnia cælorum impedimẽta tollant. At ex parte intellectus ingressum in cælos impedit ignorãtia fidei, sicut ex parte voluntatis affectio praua; data est igitur Petro potestas non minus ad tollendã ignorantiã, quàm ad tollenda peccata. Quæcunq; itaq; soluisset & quæcunque ligasset, siue spectarent ad intellectum siue ad affectũ, ea ligata fuissent solutaq; in cęlis.

Bis Simonis nomen in Græco reperitur, & sic legit Agathon, actione 4. sextæ synodi, Hebr. 5.

Quamobrẽ, quæstiones in fide difficiles soluere iure suo Petrus poterat, ligareq; proinde suo iudicio, vt id tenerent fideles, quod ipse decerneret. Atqui falso de fide iudicio fideles ligari non queunt. Quòd si diuinatio in labijs regis, & in iudicio non errabit os eius, vt Prouerb. 16. c. dicitur, cur nos existimabimus, Petrũ regni cælorũ principẽ à Deo constitutum, in grauissimo de fide iudicio errare potuisse? Etsi Caiphas, vir in synagoga impius, cum esset Pontifex anni illius, quia Pontifex tamẽ erat, ꝓphetauit, nónne magis Petrum summũ à Christo Pontificem ecclesiæ datum, diuino spiritu ad veritatem finiendam agi credemus? Si pastor deniq; omnium fidelium Petrus est à Deo constitutus, doctor ergo & magister ecclesiæ supremus effectus est. Quòd si pascua doctrinæ salubris ouibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis ac pernicioſis pascere, nimirum non esset à Christo ecclesię prouisum. Prouisum est autem sine dubio, nisi Petrus ipse nos fefellerit, inquiens: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus nobis elegit, per os meum audire gentes verbum euangelij & credere. Petrũ ergo peculiariter inter cæteros elegit Christus, vt eum gentes in fidei controuersia non audirẽt solũm loquẽtem, sed etiam crederẽt. Ita enim cũm Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo Petro defi nienti consentiens, vt Actorum 15. à Luca refertur.

Tertia propositio. Petro defuncto, diuino iure esse, qui illi succedat in eadem auctoritate & potestate. Nam, cùm oues Christi essent vsque ad consummationem seculi futuræ, desipiet profecto, qui Christum existimabit, ouili perpetuò pastorem temporarium suffecisse. Quòd igitur Dominus instituẽdo pastorale ecclesię munus primo pastori contulit, id ordinariè cuilibet successori intelligitur contulisse, vt Caiet. de prima. eccle. Rom. c. 12. eruditissimè comprobauit. Præterea, regnum Christi futurum erat æternum, ergo & ecclesię principatus nõ fuit temporalis, quod libro etiam superiore probatum est. Alioqui, si Petri potestas ad posteros non est translata, ne cæterorum quidem Apostolorum potestatem ad succedentes episcopos transmissam agnoscemus. Ita nũc in

Tert. propositio.

Ioan. 21.

Cap. 8.

ecclesia,

ecclesia, nulla aut episcoporum aut sacerdotũ potestas erit. Qui est error in fide manifestus. Vtitur etiam Bernardus ad Eugen. lib. 2. c. 6. in huius rei confirmationem, illo Exod. testimonio: Esto tu populo in his, quæ ad Deũ pertinent, vt ostendas populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros sapientes, qui iudicent populũ omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referãt ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent. Si hoc feceris, implebis imperium Domini: Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ Ietro suggesserat. Quòd si Ietro consiliũ & optimum fuisse constat, & Synagogæ maximè necessariũ, vt vnus esset summus iudex, ad quem maiores causæ & quæstiones referrentur; nullo pacto verisimile fit, Christo domino huiusmodi consilium defuisse, quod ecclesiæ erat similiter necessarium. Non ergo Petro solùm ea potestas collata est à Domino, sed ad posteros quoque transijt, nisi Deus maiorem synagogæ curã habuerit, quàm ecclesiæ. Confirmat eam rem vel maximè alterum legis veteris testimonium, quo vsus est Innocẽtius tertius, cap. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi. Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascẽde ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieśq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreśq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus: & docuerint te iuxta legem eius, sequeriśq; sentẽtiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, vt nullus deinceps intumescat superbia. In quibus verbis illud primum aduertendum est, non quaslibet causas ad metropolitanum iudicem summumque sacerdotem esse referendas, sed difficiliores, quàm vt minorum iudicum auctoritate absolui possẽt. Deinde & illud admonendum, supremũ illud tribunal, à cuius sententia iuxta legis normam, nulla prorsus erat appella-

Similis in iudiciorum forma Gallis olim erat vt Cæsar auctor est de bello Gallico, lib. 6.

appellatio, senatum suum habuisse quidẽ Leuitarum & sacerdotum, sed vnum esse primum iudicẽ, summumq; vnum sacerdotem, qui in sententia ferenda, vel solus significatur habere auctoritatem. Qui aũt superbierit, inquit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat, vel præsidenti ad ministrãdum, vt septuaginta transtulerunt. Et rursum: Ex decreto iudicis morietur homo ille. Non ait, Sacerdotum & iudicum: sed, Sacerdotis & iudicis. Nec illud prætereundum, quòd non iubet Dominus, concilium ex tota synagoga cõgregari, sed cõcilium adhiberi iubet sacerdotum & Leuitarum, qui senatus loco summo sacerdoti in ciuitate matricia semper adessent. Quia enim in promptu erat, vt id genus quæstiones & controuersiæ idẽtidem orirentur, paratum, & aditu facile oportebat esse tribunal: id quod non esset, si frequens cogendum esset ex omni synagoga concilium, vt vniuersas cõtrouersias definirent. Sed ne id quidem negligendum est, legislatorem absolutè præscribere, vt post sacerdotis prę́sidentis iudicium omnes suis opinionibus cedant, Facies, ait, &c. sequeriśque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram aut sinistrã. Nec iniuria id quidem præscribit legislator, quoniam antè, vt securos disceptantes redderet, fuerat pollicitus, iudicium illius senatus, ad quẽ consultatio referretur, verum esse futurum. Qui iudicabunt, inquit, tibi iudicij veritatem. Sed, ait Bucerus, vera erunt hæc, si protulerit secundum legem. Sic enim habet Moyses: Facies quæcunque docuerint te iuxta legem eius. Hic primũ, quod isti sæpè contra nos faciunt, reuocare nos libet ad Hebraicam veritatem. Septuaginta quippe hoc modo verterunt: Facies secundũ verbum, quod nunciauerint tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deꝰ tuus. Et custodies valdè, vt facias secundum omnia, quæ sancita fuerint tibi, secundum legem & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies. Et Sanctus Pagninus ita reddidit: Facies secundum sermonẽ verbi, quod annunciabunt tibi: & custodies faciendo iuxta omnia, quæ docebunt te. Iuxta sermonem legis, quem docebunt te, & secundum iudicium, quod dicent tibi facies. Vbi non præcipit Moyses,

vt sacerdotibus credant, si iudicârint secundum legem, sed potius, vt quæ sacerdotes docuerint, ea pro lege habeantur. Alioqui si de legis ac religionis cõtrouersia ad senatũ recurrentibus hãc ansam liceret arripere, nulla vnquã eiusmodi quæstio finiretur. Sẽper enim ille loc⁹ dubitãdi esset reliquus, an sacerdotes proferrẽt iuxta legẽ: cuius dubitationis nullus esset iudex institutus. Sed de his disputatũ est alio loco satis, vt arbitror, diligẽter. Nunc aũt id solũ agimus, Deum, post tẽpora etiã Moysis, quãdiu synagoga futura erat, instituisse maximi põtificis vnum tribunal summum, è cuius iudicio priuati oẽs ciues ac iudices etiã minores penderent. Quid ergo? Moyses prouidit synagogæ, & Christus nõ prouidit ecclesię? An volumus, vt his diebus nõ sit iudex in Israel, sed vnusquisq; quod sibi videatur bonum, id & faciat & sentiat? Volumus, inquiunt, Euangelij libertatẽ. An ne est libertas ciuitati, nullum habere, à quo regatur? Est libertas naui, sine gubernatore vndis vẽtoq; permitti? libertas ergo erit, vt quidã ait, nullum esse in schola prẽceptorẽ, nullum in humano corpore caput, nullã mentem in homine, sed solis cupiditatib⁹ turbari ac misceri omnia, pro libidine. Id verè ne pecudes quidẽ cuperent, quarum interest pastores habere, à quibus deducãtur in pascua, atq; in eis defendantur ab iniuria ferarum. Non itaq;, vt ad propositum reuertamur, domus vna sine patrefamiliàs, vna ciuitas sine rectore, ouile vnũ sine pastore, vno mortuo Petro relictum est, sed est aliquis, qui illi in regẽdi ac pascẽdi oues auctoritate succedat. Quòd si obijcias, ex typo & figura nõ sumi idoneum argumẽtum, memineris, quæ in veteri populo illo quasi delineata ad illius speciẽ & ordinem pertinerent, ea ad speciem ecclesiæ & ordinem referri oportere. Nec nos ex figura argumẽtamur & typo, sed à minori ad maius argumẽtamur, euidẽti sanè ratione. Incredibile est enim, Synagogã componendis de fide, lege, & religione cõtrouersijs iudicẽ & senatum Deo auctore habuisse, ecclesiã nõ habere: præsertim cùm ecclesiæ id sit multò etiam magis necessarium. Quę cùm ex tam varijs nationibus, linguis, ingenijs, institutis, emerserit, necesse est, vt plures

Iudi 17.

vide Phighũ libr. 2.

grauio-

grauioresque habeat de fide & religione controuersias. *de eccle.* Quas nisi huius Reipub princeps valeat componere, ec. *Hier. cõ* clesiæ profectò forma & species turpissima est, & sors multò, quàm synagogæ deterior. Sed ecclesiæ ac synagogæ omissa comparatione, ex fine certè præscribitur auctoritas, quæ principi in vnaquaq; societate congruat. Non enim æqua est auctoritas cuilibet imperanti: sed alia patrifamiliàs, alia prefecto, alia regi cõuenit: vnicuique verò horum tanta, quanta ad cuiusq; societatis finem necessaria erit. Vt eã patrifamiliàs præstemus auctoritatem necesse est, quam ad finem domestici conuictus necessariam esse, ratio recta & doctrina præscripserit. Quoniam in vna domo eodemque tecto, vbi varia est hominum natura, & officium cuiusq; diuersum, non aliter viui omninò potest. Tantam ergo habet summus à Christo institutus põtifex in ecclesia auctoritatẽ, quãta ad cõtinendos Christianę Reip. ciues in fide, religione, officio, est necessaria. Suboriri aũt inter nos necessũ est de fide ac religione controuersias, quibus cõponendis, si nullus est à Christo datus iudex, ad quẽ referretur tandem, eiusmodi quæstio omnis sine fine esset, perpetuaque dissensio, totq; tamque dissonantes de fide ac religione sententiæ, quot sunt in ecclesia, & quàm sunt diuersa capita. Quas ob res si ecclesiæ vnitatem, charitatem, consociationem conseruare oportet: necesse est profectò, vt vnus sit relictus à Christo princeps, qui nõ aliter ac Petrus dissidentium lites, dirimere, soluereque quæstiones possit. Videmus enim principi cuiusque alterius societatis id conuenire, vt si inter socios aliquæ controuersiæ oriantur, præsertim, quæ ad finẽ illius societatis proprie pertineant, dirimere eas valeat, cũ adiuncto sibi seniorum prudentiumque cõsilio. Atq; hæc demum propositio tertia definita est in concilio Constantiensi. Nam 8 sess. ille error VVicleffi damnatur, Papa non est proximus & immediatus vicarius Christi. Et sess. 15. septimus error damnatus est huiusmodi, Petrus non fuit, nec est caput sanctæ ecclesiæ catholicæ. Et tertius decimus, Papa nõ est manifestus & verus successor Petri. Et 27. error, Non est scintilla apparentiæ, q̃ oporteat esse

reat esse vnum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa militanti ecclesia conuersetur & conseruetur. Et in Bulla Martini quinti eidem concilio præsidentis. Vtrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor beati Petri. habens supremam potestatem in ecclesia Dei. Neque hoc nouũ sanè fuit. Quin ecclesia semper vnũ summum pontificẽ, ac totius ecclesię pastorem Petro succedentem agnouit. Quòd si reliqua omnis potestas Petro concessa, siue ad remittenda peccata, siue ad quæcunq; alia Reip. Christianæ necessaria munia, non ad Petrum solùm, sed ad successores pertinet: certè, quod dictum est, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: illud rursum, Tibi dabo claues regni cęlorum: Illud item, Pasce oues meas: illud denique, Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ad summos pontifices, qui Petro in ecclesia succedunt, est referendum. Priuilegium quippe in fide nõ errandi, ob ecclesiæ vtilitatem Petro concessum est. Ideò enim, cùm dixisset Christus, Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua, subdidit protinus. Et tu confirma fratres tuos. Verùm hæc in genere dicta sint, iam in specie, quæ ad hanc controuersiam pertinent, ea euidentius explicabuntur.

CAP. IIII.

In quo ostenditur, quòd Romanus episcopus ille sit, qui Petro & in fidei firmitate, & in componendis religionis controuersijs, diuino iure succedat.

SEquitur, vt doceamus Romanam sedem eã esse, vbi Petri & soliditas & auctoritas, Deo auctore, collocata sint. Quod quoniã nõ hæretici modò impudẽter, verũ etiã catholici nonnulli imprudenter inficiati sunt, diligentissimè est nobis corroborandũ. Tam enim diligenter, etsi minus verè, sed tamen accuratè nõ modò fundatam, verùm etia extructam opinionem, nõ est facile diruere. Si opinio tamen dicẽda est, quæ adeò certis argumentis refelletur. Et quidem hac de re quamuis plura dicta sunt à Caietano, cùm alijs in locis, tùm in libello de Romanæ ecclesiæ primatu, quia tamen vel ob styli

styli quasi ingenitam obscuritatem, vel ob id forsitan, quòd minus attentè à plerisque legitur, nihil etiamnum viris doctis & ingenijs persuasit: oportebit nos de rebus eisdem iterum disputare. Explicabuntur autem hęc fortasse ieiunius, his enim vbertas orationis adhiberi vix potest. Veruntamen de rebus grandioribus atque ad exponendum difficilibus omne, quod dilucidè dicitur, egregiè & præclarè dicitur. Locum igitur arduũ explanaturi, testibus primũ id faciemus, quorum audita testimonia, locum dubitationi non relinquant. Nolo autem quàm plurimis possum testimonijs lectorem onerare: sed grauissima & apertissima solùm adscribam. Ordiar aũt ab ipsis summis Pontificibus, quorum de hac re clara iudicia & certa sunt. Simpliciter autem adscribẽtur, ne, Inquit & Ait, sæpius interponantur.

Anacletus in epistola 1. de oppressione episcoporum. Difficiliores quęstiones & maiores causę ad sedem Apostolicã referantur: quoniã Apostoli hoc statuerunt iussione saluatoris, vt maiores & difficiles quęstiones semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quã Christus vniuersam construxerit ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et in 3. epistola de Patriarchis & primatibus explicat, quidnã per sedem Apostolicam intellexerit in hæc verba: Hæc sacrosancta Romana & Apostolica ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiã potestatis super vniuersas ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c. 22. dist. c. Sacrosancta.

Euaristus. Ad sedẽ Apostolicam tanquam ad caput sunt dubia referenda. Id verò dixit Euaristus episcopis Aphricanæ regionis, cùm illum de fidei quæstione cõsulerent. Dixit etiam eos in hoc normam patrum secutos. Ab incunte igitur ecclesia Romanus pontifex magister fidei est agnitus. Quod erat Petri proprium munus.

Alexander huius nominis primus in epist. ad omnes orthodoxos. Huius sanctę & Apostolicę sedis apici summarũ dispositiones causarum, & omniũ negotia eccle-

siarũ ab ipso Domino tradita sunt, quasi capiti. Probat verò hoc eodem Matth. testimonio, Tu es Petrus, &c.

Sixtus primus ad Gallicanas ecclesias & Eleutherius ad easdem affirmant, à sanctis Apostolis esse institutum, vt episcoporum iudicia, ad sedem Apostolicam referãtur. Scilicet, quia maiores ecclesiæ causæ, &c.

Pius primus in epist. ad omnes ecclesias. Hanc sanctã sedẽ Apostolicam omnium ecclesiarum caput Dominus esse præcepit, dicens principi Apostolorum Petro: Tu es Petrus, &c.

Victor in epist. ad Theophilum, ad Romanum episcopum, episcoporum omnium causas ab Apostolorum tẽpore pertinere definit. Probatque illo testimonio. Quæcunque ligaueris, &c. Citat etiam in hoc, institutum Apostolorum, in quo Romana sedes vocatur vniuersalis Apostolica ecclesia. Eundem quoq; Apostolicum canonem nomine ecclesiæ refert in hoc ipsum Sixtus 2.

Zepherinus in epist. ad episcopos Sicilianos. Maiores ecclesiæ causæ à sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli statuerunt, sunt terminandæ, iuxta illud: Quæcunque ligaueris, &c.

Marcellus ad episcopos Antiochenæ prouinciæ, idẽ confirmat ex illo: Tu es Petrus, &c. Asserit etiã ex diuina iussione, & Apostolorum traditione ad ecclesiã Romanã, tanquã ad caput, referenda maiora ecclesię negotia.

Eusebius ad episcopos Campaniæ & Tusciæ, cùm affirmasset Romanam ecclesiam Petri priuilegio esse donatam, subijcit: Prima salus est, rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Nec potest Domini nostri prætermitti sentẽtia, dicentis: Tu es Petrus, &c. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus. Quia in sede Apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio.

Melchiades in epist. ad Hispaniarũ episcopos. Priuilegium episcopos iudicandi, Dominus beato clauigero Petro sua vice solummodò commisit. Quod eius prærogatiuum suæ concedit sedi futuris hæreditandum temporibus. Quod vtique priuilegium à tẽporibus Apostolorum statutũ est seruare: & illæsum manet vsq; in hodiernum

diernum diem: Ne quando membra à suo discrepent capite, & schismata oriantur.

Marcus ad Athanasium. Sancta Romana ecclesia, quę semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Petro apostolo opẽ ferente, in futuro manebit sine vlla hæreticorum insultatione firma & immobilis. Hęc Apostolorũ viua traditio. Hæc sancta & apostolica mater omniũ ecclesiarum Christi ecclesia, quæ per omnipotẽtis Dei gratiam, à tramite apostolicę traditionis nũquam errasse probatur, sed illibata sinetenus manet, secundum ipsius Domini pollicitationem: Ego pro te, rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Quo eodem testimonio probat idem Lucius ad consulta. episcoporum Gallorum & Hispanorum: & Felix ad Benignum.

Iulius in epist. ad orientales episcopos. Conciliorum conuocandorum iura & maiores causas ad sedem apostolicam euangelicis apostolicisq; institutis referri oportet. Id à sanctis apostolis & successorib. eorum: id à Nicæna synodo definitum est. Affert verò hic Pontifex ad illud confirmandum, testimonium Christi à cæteris repetitum: Tu es Petrus &c. illam quoque rationem, ne membra à suo capite dissideant.

Idem quoque Iulius in epistola ad episcopos congregatos Antiochiæ. Sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam ipse Dominus decenter allocutus est, inquiens: Tu es Petrus, &c. Habet enim potestatẽ singulari priuilegio sibi concessam, & Domini ore sacrata atq; desuper exaltata est. Et sicut beatus Petrus primus fuit apostolorum omnium, ita & hęc ecclesia suo nomine cõsecrata Domino instituente prima & caput est cæterarum, vt ad eam quasi ad matrem & apicẽ omnium, maiores ecclesiæ causæ referantur. Astruit verò in Nicæna synodo esse definitum, non debere præter sententiam Romani pontificis vllo modo aut concilia celebrari, aut episcopos damnari: cui maiora ecclesiarũ negotia ab ipso Domino speciali priuilegio tradita sunt. Citat verò in huius rei confirmationem 18. caput Nicæni concilij in hęc verba: Omnes episcopi in grauioribus causis liberè apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrẽ confu-

confugianr: cuius disposition[i] omnes maiores ecclesiasticas causas antiqua apostolorũ auctoritas reseruauit. Citat rursum 19. caput eiusmodi Nicæni concilij in hæc verba: Quanquam accusati pontificis causam comprouincialibus episcopis scrutari liceat, non tamen inconsulto Romano pontifice definire: cùm beato Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab ipso Domino dictũ sit: Quecunque ligaueris super terram, &c. En Nicænum concilium non obscurè, quæ potestas beato Petro à Domino data est, eam in Romanum pontificẽ asserit esse trãsmissam. Nec obstat sanè, quod hęc capitula in nostris nunc exemplaribus non habẽtur. Tum, quoniam Iulius ipse sub graui iuramento testatur, ea in scrinio Romanæ sedis haberi. Fuit autem Iulius huius nominis primus, qui hoc testimonium perhibet, vir integra & incorrupta fide. Tum, quoniam aduersus eos scribebat epistolam, quorum plerique Nicęno concilio ipsi interfuerunt: nec vllo pacto fieri potest vero simile, quòd canones ijs obiecerit, qui facilè probare possent fuisse à pontifice cõfictos. Tum, quoniam id etiam testantur Athanasius & pontifices Aegyptiorum, Thebaidis & Libię in epistola ad Felicem, qui concilio quoque eidem præsentes fuerunt. Scimus, inquiunt, in Nicæno magna synodo ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absq; Romani pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari. Tradunt autem in eadem epistola eiusmodi capitula, & alia plura necessaria ab hæreticis incensa, nobisque sublata. Eundem item canonem nomine Nicæni concilij, protulerunt in sexta synodo Carthaginensi Faustinus, Philippus, & Asellius, Apostolicæ sedis legati ex literis Zozimi Romani Pont. Testatur etiam Athanasius in epistola ad Marcum Papam, fuisse 70. capitula Nicęni concilij, id quod Marcus ipse eidem rescribens planè confirmat. Et Felix papa in epistola ad episcopos Aegyptios, queritur, ea capitula, de quibus nunc agimus, hæreticos expunxisse. Sed & Pelagius 17. distin. cap. Multis, id quod nos probare nitimur, dicit sanctam synodum statuisse, Nicænam videlicet intelligẽs. Quod expressit Innocentius 1. ad Victricium seu Victorinum cap.

Vide totã epistolã, in qua Romanus Episcopus caput omniũ dicitur, & doctor orthodoxæ doctrinæ.

16. di. c. septuaginta.

cap. tertio, & Leo ad Theodosium Iuniorem. Non ergo dubitari potest, quin nostra hæc sententia fuerit à Nicæno concilio definita, quemadmodum Iulius pontifex asseuerauit.

Damasus ad trium conciliorum Aphricanorum Episcopos, Summas causarum definiri absq; sedis Romanę auctoritate nõ licet. Synodumq; sine eius auctoritate fieri, non est catholicũ. Nec vlla concilia rata leguntur, quę nõ sunt fulta apostolica auctoritate. Est enim firmamentum à Deo fixum & immobile omnium episcoporum, apostolica sedes & vertex ecclesiarum: supra quam Christus vniuersalem cõstruxit ecclesiam, ait enim. Tu es Petrus, &c. Vide eundem quoque in epistola ad Prosperum & cæteros Numidiæ orthodoxos episcopos.

Innocentius primus in epistolis ad concilia duo Carthaginense & Mileuitanum. Congruè apostolicæ sedis arcana consulitis antiquæ regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe nostris esse seruatã, præsertim quoties ratio fidei ventilatur. Breuiter, quoniam omnium verba referre molestissimum esset, idem omninò confirmant Leo epist. 54. ad Anastasium, & epist. 67. ad episcopos Viennẽsis prouinciæ, Gelasius ad Anastasiũ Augustum, & in decretis, quæ cum 70. episcopis tulit, & in epistola ad episcopos Dardaniæ, Vigilius in decretis suis cap. vltimo, Pelagius 2. ad episcopos qui conuenerant in ciuitatem Constantinopolitanam, Diuus Gregorius in epistola ad August. Anglorum episcopum, alijque multi pontifices, quorum testimonia habes 12. dist. & 17. & 19. & 20. & 21. & 22. & 80. dist. c. vrbes, & 96 dist. c. benè. Et 24. quæstio. 1. per multa capita, & 25. quæstio. 1. & de electione, capit. Significasti. & de Priuileg. capi. Antiqua. & de Baptis. cap. Maiores. & de elect. in 6. cap. Fundamenta. & in extrauag. Vnam sanctã. Quam extrauagantem enouauit & approbauit concil. Lateranense sub Leone decimo.

19. d. c. ita dominus.

Cùm ergo omnes episcopi, Petro in ecclesię Romanę sede succedentes, vnanimi consensione asseruerint, fidei soliditatem Petro collatam, ad Romanos põtifices, tanquã ad legitimos successores, pertinere, certè, si Irenæi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Li.1.con. Valen.

Canon verus est, qui hoc negauerit, ecclesiæ auctoritatem ipse negat. Quæ causa idonea fuit, vt si quæ ecclesiæ à Romana sede defecerint, non aliter à summis pōtificibus ad vnionem ecclesiasticam fuerint receptæ, quàm sub huiusmodi confessionis forma.

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest domini nostri Iesu Christi prętermitti sentētia dicentis, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculā semper est catholica seruata religio: anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanā & apostolicam ecclesiam suas erigunt ceruices, sequentes in omnib. apostolicam sedē, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas: Profitemurq; sequestratos à communione ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes sedi apostolicæ eorum nomina inter sacra recitanda non esse mysteria, qui videlicet sanctę Roman. & Apostol. ecclesiæ priuilegia cassare nituntur. Hanc confessionis normam præscripsit Bonifacius secundus in epist. ad Eulalium Carthaginen. episcopum, hanc Ioannis Constantinopol. episcopus fecit, cum ecclesia Constantinopolitana Romanę, à qua Acatio auctore defecerat, vniretur. Eandem Hormista. Papa ad episcopos Hispaniæ misit, vt si qui ex schismate venientes ecclesiasticam cōmunionem ab eis exposcerent, secundum illam professionis formā admitterētur. Hanc denique Adrianus Papa dedit ad Syno. generalem. Satis igitur persuasum esse debet, nisi valdè sumus pertinaces, in Romana sede Petri auctoritatem & firmitatem esse sitam.

CAPVT V.

Vbi conclusio eadem ostenditur sanctorum veterum testimonijs manifestis.

NEc verò audiendi sunt illi, qui reprehendunt & irrident, quòd eorum hic testimonia referamus, quorum tanquam in propria causa iudiciū merito & optimo iure detractare aduersarij possunt. Nō enim

nim pontificum Romanorū causa isthęc propria, sed ecclesię gentiumq; omnium cōmunis. Atq; in ijs testibus quidā Latini erāt, alij Gręci, partim Hispani, partim Aphricani, partim Galli & Germani, quibus ferè hominibus ecclesię Rom. causa non solùm propria non erat, sed erat etiam aliena. Fuerūt quoq; in his viri plurimi adeò graues integriq; doctrina, vita, moribus, vt eorū fides suspecta esse nec debeat, nec verò possit. Accedit, q̄ nōnulli ex his vel apostolorū fuēre discipuli, vel illi certè seculo proximi, cui nullā fictionis notam inurere nisi impijs, & perfrictæ frontis hominib. permissum est. Sed ne vllus tergiuersandi locus relinquatur, libet quoq; sancto rum veterum, qui Romani pontifices nō fuēre, testimonijs vti. Nam ij causam cur aut ignorarent, aut fingerēt, nullam profectò habuerunt. Irenæus lib. 3. aduersus hęre. cap. 3. Sed quoniam omnium ecclesiarum numerare successiones valdè longum est: maximæ & antiquissimę, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro & Paulo Romę fundatæ ecclesię, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, peruenientem vsq; ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui prætерquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiā propter potentiorem principalitatē, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles, in qua semper conseruata est ea, quę est ab apostolis traditio. Hactenus Irenæus. Qua re persuasus Augustinus cōtra epistolam Manichæi, c. 4. Multa sunt, ait, quę in ecclesiæ gremio me iustissimè tenent. Tenet ab ipsa sede apostoli Petri, cui pascēdas oues suas Dominus cōmendauit, vsque ad prędentem episcopatū, sacerdotum successio. Hanc etiam apostolicam cathedram & principatum in Romana ecclesia agnoscit idem Augst. in epist. 162. ad Glorium & Eleusium, & in epist. 106. ad Paulinum, & in Ioan. tract. 56. & lib. 2. contra Petilag. & Celest. & lib. 2. contra Donatist. c. 1. *2.q.7.c. Pu to.24. q.1. cap. Pudē.*

Cyprianus lib. 1. epi. in epistola ad Cornelium, & lib. 4. in epist. ad Pupianum, & in tract. de simpl. Præl. eandē sententiam apertissimè tenet. *da.24. q.1. c. Loquitur dominus,*

Ambrosius quoq; eiusdem rei testis est clarus, in lib. de *& 93.*

d.cap Qui cathedrã. de excessu fratris sui Satyri. cã. 7. & sermone 47. de fide Petri.

24.q.1. ca. Quæ dignior.' & 22.q.2.ca. Omnes. Cyrillus apud D. Tho. in libello contra errores Græcorum multo euidẽtiùs, quàm auctores cæteri huic veritati testimonium perhibet. Nec mireris, quod in libris Thesau. è quibus illa à diuo Tho. referuntur, ea nunc reperire non licet. Detruncârunt enim hæretici librum illum, & quę in eo ad Romani põtificis auctoritatem pertinebant, hæc eraserunt omnia. Quod idem in cõmentarijs Theophylacti super Ioannẽ hæreticos fecisse, à viris hodie catholicis & deprehensum & patefactũ est. Quãquam non omnes libri Thesau. latini facti sunt. Nam in syno. 6. citatur 32. liber, qui nobis non est redditus.

Ioan. 12.

Maximum quoque refert Diuus Thom. eandem sententiam non asserentem modò, verùm etiam eo argumento confirmantem, quòd Paulus apostolus ad Petri magisterium venit, formam videlicet futuris præstans, vt ad Petri successores Romanos Pontifices simili causa recurrerent.

Hieronymus insuper in epistola ad Damasum de nomine Hipostasis, huius rei testis locupletissimus est. Cuius verba retulit Gratianus 24. quæstione 1. capit. Quoniam vetusto. Nam quod ea. causa, & quæst. cap. Hæc est fides, refertur, ex explanatione Symboli ad Damasum, consultò prętereo: quoniam Erasmus eam epistolã Hieronymi esse negat. Sed benè habet, quòd illa ad Damasum de nomine hypostasis Hieronymi sine cõtrouersia est. Adde, quod lib. 1 apolo. aduersus Ruffinum, pro eodem habet, quempiam Romanam fidem tenere & catholicum esse.

Bernardus quoq; à nobis facit in epist. 131. ad Mediolanenses, & 166. ad Innocentium, & 189. ad eundem, & 237. ad Eugenium, & 242. ad Romanos. Referrem alios, nisi hi satis abundè essent ad eius rei faciendam fidem. Quid enim? tot tantorumque patrum consentiens, conspirans, continuataq; sententia, quem non coget ea, quę dicuntur, comprobare? Præterquam quòd ea sentiunt, quæ sanctarum etiam synodorũ testimonia confirmãt, id quod capite sequenti demonstrabitur.

Cap.

CAPVT VI.

Vbi conciliorum clarissima testimonia referuntur, quibus ecclesiæ Romanæ vis & auctoritas comprobatur.

His duobus capitibus superioribus nec summorũ omnium verba pontificum, nec veterum sanctorum adscripsimus, ne longior atque adeò molestior fieret oratio. Tantùm loca indicauimus, quæ quum videat lector, tum planè intelligat, nihil nos obscurum, nihil ineptum, aut quod ad rem non faceret, attulisse. Nunc synodica hac de re nõ iudicia solũ, sed verba quoque referemus: vt aduersarij nube etiam horum testium grauius opprimantur.

Primum igitur sit concilij Nicæni testimonium, quod quoniam capite quarto adscriptum est, non est operæpretium hic resumere.

Alterum sit concilij Chalcedonensis, quod retulit D. Thomas in opusculo contra errores Græcorum, in hæc verba: Veneramur secundum scripturas & canonũ, definitionem sanctissimum antiquæ Romæ episcopum, primum esse & maximum episcoporum. Et infra: Si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiã appellandi ad Beatissimum episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi, secundum claues à Domino sibi datas: & omnia ab eo definita teneantur, tanquam à vicario apostolici throni. Ac re vera in huius synodi actione 1. Leo dicitur Apostolicum gubernare thronum, & sedes Romana caput omnium ecclesiarum. Et actio. 2. cum esset lecta epistola Leonis, Patres clamauerunt, Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonẽ locutus est. Et in actio. 3. Romanum episcopum dominũ nostrum vocant, eique acclamantes apostolicum & vniuersalem appellant: & eius doctrinam vt beati Petri amplectuntur, atque vniuersa concilij dogmata optant sedis Apostolicæ auctoritate confirmari. Et cum Leo Dioscorum condemnãsset, synodus ait, Sanctissimus archiepiscopus magnæ Romæ vnà cum ter beatissimo Petro, qui est

qui est petra & crepido catholicæ ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum episcopatus dignitate. Et in epistola synodali ad Leonem gratulantur patres, quod tantum antistitem apostolicæ sedi, vnde religionis nostræ fons & origo manat, Dominus dederit. Atque hæc in conci. Chalced. quidem, ea verò, quę D. Thomas refert in huius temporis exemplaribus non habentur. Sed ab hæreticis erasa Gregorius queritur, lib. 5. epist. epist. 14. ad Narsem comitem.

Tertium testimonium extat in synodo quinta generali, apud Constantinopolim celebrata. In sententia siquidam illa, quam contra Anthymum pronunciauit Mennas Constantinop. archiepiscopus, cui videlicet omnes concilij patres subscripserunt, hæc verba ipse idem Mennas adiecit: Nos apostolicam sedem sequimur, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus. Synodus ergo quinta generalis, Mennæ iudicio subscribens, apostolicæ sedis decreta tanquã certa amplectitur. Non enim aliter eos in vniuersum catholicos haberet, qui Romanæ apostolicæque fidei communicâssent, nec illos damnaret omneis, quos apostolicã sedes damnauisset.

Aliud testimonium grauissimum habes, in sexta synodo generali, actione quarta. Vbi scribitur professio fidei, quam Agatho Romanus episcopus ad concilium misit. Quam etiam repetit Agatho idem in suggestione synodica, sic enim ibi appellatur, cui innumerabiles episcopi subscripserunt. Atque hæc suggestio, ne quis calumnietur, probata est ab omnibus concilij patribus, actione 8. 13. & 17. Verba autem professionis synodicæ hoc modo habent: Beati apostoli adnitente præsidio, hæc Apostolica eius ecclesia, nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Huius auctoritatem, vtpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia, & vniuersales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt: omnesq; venerabiles patres Apostolicam eius doctrinam sunt amplexi, per quam & probatissima Christi luminaria claruerunt, quam & sancti

sancti doctores orthodoxi venerati & secuti sunt: hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odijs insecuti. Hæc enim Apostolica Christi ecclesia per Dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt ab exordio Christianæ fidei percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet: secundum ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, Petre, Petre, ecce Sathan expetiuit vos, &c. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua Et tu confirma fratres tuos. Quod apostolicos pontifices, meos prædecessores, confidenter fecisse semper est cognitum. Hactenus Agatho Rom. episcopus. Et actione 18. ipsa synodus apertè profitetur, Romanum episcopum Agathonẽ successorem esse in sede principis apostolorum.

In septima etiam synodo generali act. 2 lecta est epistola synodica Adriani primi, qua definit ecclesiam Romanam caput esse omnium ecclesiarum. Recepta verò epistola est atque probata à concilio generali, vt patet ead. actio. 2.

In octaua quoque synodo generali habetur libellus Adriani huius nominis secundi, ab ipsa synodo acceptus & confirmatus, qui illam fidei confessionem continet, quam in capitis quarti fine posuimus. Patres verò huius 8. synodi, Romani pontificis doctrinæ in hæc verba consentiunt. Sequentes in omnibus Apostolicam sedem spe ramus, vt in vna communione, quam sedes apostolica prædicat, esse mereamur: in qua est vera & integra Christianæ religionis soliditas. Quare non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra, mysteria non sunt recitanda. Hactenus Patres. In eadem rursum synodo approbata est epistola Ignatij Constantinop. Patriarchæ ad Adrianum, vbi eadem hæc res apertè docetur. Approbatus quoq; est libellus ecclesiæ Romanæ, & synodus item Nicolai, in quibus eadem doctrina est. Sed & in postrema sessione canone 21. Romanam sedem vocat synodus sedem Petri principis apostolorum.

Hanc licet in me- dum refert Turrecremata, lib. 2 cap. 109. Act. 1. fy- no. 8.

Syno-

96.d.ca. Bene.

Synodus Romana insuper sub Symmacho assentitur, Romanæ sedis præsulem, meritò beati Petri apostoli per vniuersum orbem primatum obtinere sacerdotij, & statutis synodalibus solere tribuere firmitatem.

25.q.1.c. Si quis.

Præterea, synodus alia vniuersalis, cui Nicolaus præsedit, Si quis, ait, dogmata, vel decreta pro catholica fide aut ecclesiastica disciplina, à sedis apostolicæ præsule promulgata contempserit; anathema sit. Quam ferè sententiam Lucius 3. accepit c. Ad abolendam: de hæreticis.

Leo quoq; huius nominis nonus in epistola Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham astruit, sanctã Romanam & apostolicam ecclesiam caput esse omnium ecclesiarum, ad quam maiores causas esse referendas. Cõcilia inquit omnia, & sanctus sanctorum, rex regum confirmant. Præterea, concilium Lateranen. sub Inno. 3. sic habet: Noluimus quicquam abbati Ioachim derogari, cùm omnia scripta sua assignari mandauerit, apostolicæ sedis iudicio approbanda, vel etiam corrigenda, firmiter confitens se illã fidẽ tenere, quã Romana tenet ecclesia, q̃ disponẽte domino cunctorũ fideliũ mater est & magistra. Quod idẽ cõciliũ Lugdunẽse sub Gregorio docuit. Ex domini itaq; institutiõe Romana ecclesia fideliũ magistra est, ac pinde Romanus episcop⁹ Petro succedit in ecclesię magisterio. Idem tradit concilium Lugdunẽse sub Inno. 4. Idemq; omninò tradit concilium Tridẽtinum sess. 7. in hæc verba: Si quis dixerit, in ecclesia Romana, quæ omnium ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam; Anathema sit.

De sum. Tri. c. Damnamus.

De sum. Tri. in 6.

De homi. c. vinco in 6.

Concilium verò Lugdunense sub Gregorio dicit Romanum pontificem esse vicarium Iesu Christi, successorem Petri, rectorem ecclesiæ vniuersalis.

c. Vbi periculum. de elect. in 6. Clemen. vnica de sum. Tri.

At concilium Viennense sub Clemente asserit, dubia fidei declarare, ad sedem Apostolicam duntaxat pertinere.

Præterea, patres concilij Florentini, Definimus (inquiunt) sanctam Apostolicam sedem, & Romanũ põtificem in vniuersum orbem tenere primatũ: & ipsum pontificem

tificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrẽ ac doctorẽ existere: & ipsi in beato Petro pascendi & gubernãdi vniuersalem ecclesiã, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse: sicut in gestis œcumenicorum cõciliorum continetur. Hactenus cõcilium Florentinum. Sed conciliorum testimonia satis multa retulimus, rationibus modò Theologicis ea, quę posuimus, corroboranda sunt: idque magis Romanum pontificem, cùm de fide iudicat, errare non posse.

CAP. VII.

Rationibus Theologiæ probat, Romanum Pontificem fidei controuersijs finiendis errare non posse.

ROmanum Pontificem in Petri locum, fidem auctoritatemque succedere, ecclesia ab Apostolorũ tempore semper agnouit. Quod, quoniam totius orbis consensione vsuque firmatum erat, ne Ariani quidem negare potuerunt, vt Sozomenus lib. 4. histo. trip. c. 15. & 16. prodidit. Ad Romanam porrò sedem episcopos ecclesiarum in causis quibuscũq; grauissimis prouocasse, ab illius ore fideles, fidei semper oracula petijsse, illius iudicium catholicos omnes in religionis controuersijs expectasse, illius denique & vim & auctoritatem sacra omnia efflagitasse concilia, adeò certum & manifestum est, vt sim ego ineptus, si velim ostẽdere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, cõflatur & efficitur id, quod quærimus argumentum, quo ex multis magnisq; haud facilè quis dixerit aliud, aut euidẽtius, aut certius. Si enim legũ Christi interpres nullus sanior est, quàm perpetuus ecclesiæ vsus, ecclesia verò in fidei religionisq; quæstione ac cęteris grauissimis cõtrouersijs nõ ad Antiochenum, Alexandrinum, Cõstantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Colonięnsem, Toletanum, aut Bracharẽsem episcopos, sed ad Romanum omni semper ætate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem vt successorem Petri, ita quoque do-

ctrinæ Apostolicæ magistrum quæstionumq; de fide iudicem habemus? Nã si aliquem eiusmodi post Petrum, ecclesia instituenda atque in veritate continenda reliquit Christus, nimirùm aut hic est, aut nullus est. Quippè cùm de aliarum ecclesiarum episcopis nulla quæstio sit, quin nõ fuerint loco Petri, vniuersalis ecclesię doctores pastoresq; à Deo dati. Romanus igitur episcopus, ecclesię vsu interpretante, ille est, cui Dominus in Petro ait, Super hanc petrã ędificabo ecclesiam meã: &, Tibi dabo claues regni cælorum: &, Quodcunq; solueris, &c. ac rursum, Pasce oues meas: & iterum, Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: & tu cõfirma fratres tuos.

Quid? quod ipso etiam rerum experimento compertum est, Christi de Petro & successoribus vaticinia in ecclesia Romana manifestius impleri? Hanc enim cõstat, fixam & immobilem, orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide & auctoritate Petri permansisse. Et cùm cæteras Apostolorum ecclesias, vel ab infidelibus occupatas, sine fidei vestigio, vel ab hæreticis aliquando affectas viderimus: at aduersum hanc vnam Romanam sedem, nec Pagani, nec hæretici prævalere potuerunt. Pugnatum est siquidem vehemẽter, non à Græcis solùm, sed ab alijs plerisque totius orbis episcopis, vt Romanæ ecclesiæ priuilegium labefactaretur. Atque habebant pro se illi quidem & imperatorum arma, & maiorem ecclesiarum numerum: nunquam tamen efficere potuerunt, vt vni Romani pontificis potestatem abrogarent, aut in alium transferrent episcopum. Quinimò, qui à Romana quidem sede defecerũt, hi schismatici semper in ecclesia sunt habiti: qui verò huius sedis de fide iudicia detrectârunt, hæretici. Quæ profectò omnia satis ostendunt, non humano, sed diuino decreto ecclesiam Romanam, & cæteris esse præpositam, & Petri priuilegia iure sibi suo vendicasse, & eam demum petram esse, supra quam Christus vniuersalem construxit ecclesiam, aduersus quam portæ inferi prævalere non possunt. Quod ni ita esset, qui potuisset ecclesia Romana tot tamq; magni principibus repugnãtibus, tã multis hæreticis contradicentibus, tam varijs

ecclesijs

ecclesijs defectionem molientibus, obsistere? Quòd si commentitia vanaque opinione hoc Romani episcopi priuilegium Theologi asseruissent, non tam stabilis sententia permaneret, nec confirmaretur diuturnitate tẽporis, nec vna cum seculis ætatibusque hominum inueterasset. Etenim videmus opiniones fictas atque vanas, viris præsertim eruditis aduersantibus, diuturnitate extabuisse. Opinionum enim commenta delet dies, fidei iudicia confirmat. Adde, quòd Apostolicarum traditionum synceritas non posset ad nos vsque seruari, alias ecclesias hæreticis episcopis toties occupantibus, nisi vna sedes Apostolica, inter tot orbis tumultus, fixa intemerataque consisteret. Ad hæc cùm concilia & prouincialia & generalia sine Romani pontificis auctoritate nõ nunquam errauerint, nunquam autem, si Romani episcopi auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet, conciliorum atque adeò totius ecclesiæ firmitatem à Romano pontifice deriuari. De quo, quoniam in loco superiore multa diximus, illinc lector assumet, quę ad huius argumenti explicationem pertinebunt. Atque si definienda fidei quæstione Romanus episcopus errare posset, redditur statim incerta nobis multarum hæresum condemnatio: pleræq; enim non sunt damnatæ per generalis concilij, sed Romanæ ecclesiæ iudicium & decretum.

Præterea, si inter patres concilij est cõtrouersia, vel de intellectu sacrarum literarum, vel vno quolibet libro an canonicus sit, nec ne, vel de alia huius generis quæstione, ad hanc litem componendã iudicem ponere necesse est, cuius tamen, si errare possit, incertum iudiciũ erit. Iudex autem inter patres concilij dissidẽtes nullus in ecclesia, nisi Romanus episcopus est agnitus.

Præterea, ecclesiæ consuetudo hoc manifestè declarat. Nunquã enim admissa est appellatio in causis fidei à sede Romana, sed hæreticos ab ea iudicatos ecclesia semper hæreticos etiã iudicauit. Et certè si Romanæ sedis iudicium fallax esset, cõcilij verò esset verax & certum, naturæ rationi veræq; Theologiæ aduersaretur, qui appellationem à pontifice ad concilium denegaret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo vno argumento ostendit Gelasius, Sedem Apostolicam de tota ecclesia iudicare, ipsam verò ad nullius pertinere iudicium. Iam illiusmodi appellationes, in fidei præsertim dogmate, ecclesia nescit, nam ijs hæretici solùm vruntur. Quòd si ad singulos hæreticos cõdemnandos opus esset congregare generale concilium, tum id sæpenumerò non modo difficile, verùm etiam impossibile sit, licebit profectò interim hæreticis impunè viuere, donec synodus è tota ecclesia cogatur. Id si alienum esse constat à Christi prouidentia, fateamur potius Romanæ sedis auctoritatem satis esse ad hæreses reuincẽdas. Ita fiet, vt huius tribunalis de fide iudicium certum omninò habeatur. Quid, quòd nõ solùm ecclesiam catholicam credimus, sed etiã Apostolicam? At ecclesia Romana patrum fideliumque consensu Apostolica dicitur: cùm reliquæ omnes iam inde à multis annis hoc cognomen amiserint.

Sed quæris, Erit ne hæreticum asserere, Romanã ecclesiam degenerare quoq; vt cæteras posse, & Apostolicam etiã sedem à fide posse Christi deficere? Huic quæstioni breuiter respondemus. Nolumus hîc nos ecclesiæ sententiam præuenire, sed si ad generale cõcilium referatur, hæreseos nota errori illi inuretur. Nec enim video, cur, quid ipse sentiam de hac re, non audeã dicere. Quã eo melius cernere mihi videor, quòd & eam propiùs diligentiusque contẽplor, & sine affectu perturbationeq; contemplor. Quòd si in hoc erro, quòd Romanæ sedis priuilegia à Christo illi concessa & tueor, & cõtradicentes hæreseos nomine condemnandos esse credo, nõ solùm tutò, sed libẽter erro: nec mihi errorem vtilẽ, quo etiam delector, sine rationis præsertim vi extorqueri volo. Nam me non solùm ratio ac disputatio impulit, vt ita crederem, sed nobilitas etiã summorum Theologorum & auctoritas. Hieronymus prophanum esse & periturum dicit, qui cathedræ Petri & Romanæ sedis fidẽ nõ fuerit secutus. Cyprianus alienum ait esse, prophanũ esse, hostem esse, qui vniuersalis ecclesiæ non tenet vnitatem, hoc est, lumen vnum, vnde multi radij radicẽ vnã: vnde multi rami, fontem vnum: vnde multi riui, petram vnam, supra quam ecclesia ædificata est: vnum pontificem, qui cæteros omnes sua & vi & auctoritate contineat. A quo, si radiũ tollas, extinguatur: si frangas ramũ, intereat: si præscindas riuum, arescat. Sic enim ille declarat. At, qui in fidei controuersia Apostolicæ sedis fidem iudiciumq; detractat, is nec vnitatem tenere potest, nec lumen, nec radicem, nec fontẽ. Atq; Cyprianus idem, Qui cathedram, inquit, Petri, supra quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse non confidat. Ambrosius pro eodem pẽnitùs habet, catholicum esse, & cũ Romana ecclesia cõuenire. Gregorius sic sedis Romanæ auctoritatẽ in religionis fideiq; causa existimat esse amplectendam, vt qui noluerint, ab eius petrę, supra quam Christus vniuersalem fundauit ecclesiam, soliditate cõuellantur. Leo exortẽ diuini mysterij eum esse affirmat, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere, & impiã præsumptionẽ, quæ Petrę istius firmitatem Deo ædificante constructam nititur, violare.

De nomine Hypostasis ad Damasum. De simp. præ. tract. 3.

Lib. 4. epi. 9 Lib. de exce fra. sui. Saty. c. 7. 12. dist. c. Præceptis 19. d. nta dominus mnes.

Nicolaus finit, quòd qui Romanę ecclesiæ priuilegiũ ab ipso summo omnium ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur. Nam fidẽ, inquit, violat, qui aduersus illam agit, quę est mater fidei. Hanc verò Nicolai sententiam noli quæso lector contemnere. Quæ scilicet actione 1. & 7. synodi octauæ confirmata est. Vbi & condemnati sunt Photius & Michael, qui hoc sedis Romanę priuilegium patefacere nitebũtur. Quòd si in hæresim labitur, qui Romanum episcopum Petro successisse negat, & ecclesiam proinde Romanam cæteris esse præpositam: ecquid de illo sentiendum est, qui priuilegia Petro ob ecclesię vtilitatem à Christo data, priuilegia, inquam, quæ Petro vt Põtifici, doctori & pastori concessa sunt, ea ad successores quoq; pertinere negauerit? At enim, doctrina sana oues pascere, fratres in fide cõfirmare, vniuersas gentes per os illius audire verbum Euangelij & credere, supra illum ædificare ecclesiam, vt portæ inferi non prę-ualerent aduersus eã, non Petro vt priuatò homini, sed vt reip. Christianę profectò congruebãt. Quocirca ambigi inter catholicos nec debet, nec verò potest, quin

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanę ſedis de fide & religione iudicia certa ſint. Prętereà, qui negaret in ligando atque ſoluendo eādem poteſtatem in Romano nunc epiſcopo ineſſe, quam Petro Chriſtus contuliſſe creditur, is iure ac meritò haberetur hæreticus: qui ergo firmitatē Petri ad fratres in fide cōfirmādos, his, qui petro ſuccedūt, denegauerit, hic hæreticus iudicādus erit. Adhęc faciamus, ambiguā eſſe aliquā inter fideles de religione controuerſiam. Tum quęrimus, ſi Romana eademq; Apoſtolica ſedes, vt diſſidentiū eccleſiarū lites diſceptationesq; cōponat, è Petri cathedra tribunaliq;, pnunciet: an ſeq illius ſentētiā debeamus, an nō? Si ſequimur, Rom. ſede errante, eccl. tota in illius errore verſabitur. Si nō ſequimur, vbinā illud eſt, Quodcūq; ligaueris ſuper terram, erit ligatū & in cælis? Vbinam rurſum illud, Deus elegit in nobis per os meū audire gentes verbū Euangelij & credere? Quod igitur, ſaltem in rebus ambiguis, ligauerit ſucceſſor Petri, id ligatum erit, & quod in quæſtione de fide propoſita docuerit, hoc gentes non audire habent modò, verùm etiā credere. Non hic refero, quę Leo in huius rei confirmationem dicit 20. diſt. cap. de libellis. non quę Damaſus & Adrianus 25. quæſt. 1. cap. Violatores, & cap. Generali. Illud referam, quod in concilio Complutenſi cōfirmato à Sixto 4. condemnatus eſt Petrus Oxomenſis nomine etiam hæreſis, in eo quod aſſeruit, eccleſiā vrbis Romæ errare poſſe. Quem item errorem eodem quoque hæreſis nomine damnauit Sixtus idem, in extrauagāti aduerſum Petrum Oxomen. edita. De qua quoniam in relectione de pœnitentia ſatis multa diximus, eò lector reuocandus erit. Coactus eſt igitur ille ſententiam recantare in hanc formā: Conſentio ſanctę matri eccleſię Romanæ & ſedi Apoſtolicæ, & ore ac corde confiteor illam me fidē tenere, quam dominus Sixtus papa auctoritate Apoſtolica & Euāgelica tenet. Et omnes, qui contra hāc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuncio. Hactenus ex conc. Cōplu. Martinus verò quintus in fine concilij Conſtantien. Sacro, inquit, approbante cōcilio mādamus archiepiſcopis, epiſcopis, &c. vt qui de ſacramēto corporis & ſanguinis Domini, vel de baptiſmate, ſeu

ſeu peccatorū confeſſione, pœnitentię pro peccatis inūctione, vel reliquis eccleſiæ ſacramentis, ſeu fidei articulis, aliter ſentit ac docet, quàm ſacroſancta Romana eccleſia docet, & obſeruat, eos tanquā hęreticos iudicetis. Concilium ergo Conſtantien. illos eſſe hæreticos iudicauit, qui Romanæ eccleſiæ fidei & doctrinæ refragarentur. Illud poſtremò addam. Cùm ex traditionibus Apoſtolorum, ad euincendam hæreſim argumentū firmum certumq; trahatur: conſtet autē, ſi teſtimonia rationesque hoc loco poſitas cū ijs regulis conferas, quas in 3. lib. poſuimus, Romanos epiſcopos Petro in totius eccleſię pōtificatu & fidei magiſterio ſucceſſiſſe, ab Apoſtolis eſſe traditū, cur non audebimus, aſſertionē aduerſam tanquam hæreticam condemnare? Sed, vt dixi, nolo ego eccleſię iudicium anteuertere. Quanquam nō videor anteuertere: cùm iam ipſius eccleſiæ ſermo, noſtram omnem cōprobarit de Romanæ ſedis auctoritate ſentētiam. Sed hoc vix ægrè dico propter viros quoſdam & doctos & pios, qui nobis contradixerunt. Illud aſſero, ac fidenter quidem aſſero, peſtem eos eccleſię ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum pontificē Petro in fidei doctrinęque auctoritate ſuccedere, aut certè aſtruunt Summum eccleſię paſtorem, quicunque tandem ille ſit, errare in fidei iudicio poſſe. Vtrumque ſcilicet hæretici faciunt, qui verò illis in vtroque repugnāt, hi in eccleſia catholici habentur. Quamobrem non quidem intelligo, quónā concilio fideles quidā hęretico rum, quàm catholicorū opinionibus fauere malint, nā hæretici video quid ſequantur: Nempè viuendi docendiq; licentiā, & in his omnib. impunitatē. Volunt ſine capite corpus, vt neq; pes, neque mens ſuum officiū faciant. Volūt ſine paſtore vno oues, vt cùm lupi ipſi ſint, paſtores tamē eſſe videātur. Volunt ſine iudice lites, vt diſſidiorum nullus finis ſit. Atq; ita cùm amoto arbitrio aduerſus doctos dimicent, victores à turba iudicentur. Turbari demum omnia volūt, quoniam, vt in Hiſpanorum prouerbium eſt, Turbatum flumen piſcatori eſt lucrū, nos aūt communē catholicorū ſententiam ſequamur, tutò enim ſequimur, quoniam cōmunis catholi-

corum est. Præterquam quòd ea sentiunt, quæ sacrarum etiam literarum testimonia confimant, pontificum decreta finiunt, veterum sanctorum chorus concinet, cõciliorum patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus ecclesiæ vsus obseruat. Quapropter, si ea quæ dixi, sole ipso illustriora & clariora sunt, si omnia dixi hausta ex ecclesię scripturęq; fontibus, si tota oratio nostra certis Theologiæ rationibus, integrisq; & incorruptis testibus omnem sibi fidem confirmat, assentiamur tandē, ex Apostolicæ sedis auctoritate, firma Theologos argumenta sumere, ad fidei Theologiæq; dogmata comprobanda. De quinti igitur loci firmitate tãtùm dixerimus. Nunc aduersariorum argumentationes refellamus.

CAPVT VIII.

Vbi argumenta capitis primi refutantur.

Nota dist. aliquorum

ATque in illis argumẽtis, quæ à principio sunt posita, Theologi nõnulli, minimè mali illi quidem, sed non satis acuti, quoquo modo possunt, tergiuersantur. Romanam quippè ecclesiam à Romano pontifice discernunt: aiuntq;, hunc in fide errare posse, illam non posse. Sic sibi videntur omnia propemodum argumenta diluere. Nam pleraque, ex illis non ecclesiæ Romanæ, sed summi Pontificis fidem impugnant. Atqui, ecclesiam Romanam isti, non Romanum episcopum ab errore vindicãt. Verùm si de errore in fidei iudicio atq; decreto loquimur, vt verè loquimur, nullum ego discrimen inter Apostolicam sedem & Apostolicæ sedi insidentem inuenio. Primùm, quoniam, cùm ad sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, nõ singulos Romanæ ecclesię fideles interrogamus, nec ecclesiam ipsam Romanam in concilium cogimus, sed pontificis maximi iudicium quærimus, eiusque sententiam expectamus.

Rursum, quoniam non Romanus populus est, qui ecclesiam vniuersalem docet ea, quę ad fidem attinẽt, sed Romanus episcopus. Nec potestas iudicandi de causis fidei, ligandi, soluendi, pascendi, in populo Romano est,

est, sed in Romano pastore vicario Iesu Christi. Concilia quoque non exigunt confirmationem & robur ab ipsa Romana plebe, sed à plebis Romanæ antistite.

Præterea, priuilegiũ infirmitatis, vt antè probatũ est, Petro fuit peculiariter datum. Ego, inquit, rogaui pro te *Luc. 22.* Petre, ne deficiat fides tua, & tu cõfirma fratres tuos. Et iterum, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meam. Quocirca si veræ Theologiæ ratione se- *Matt. 16.* quimur, quæ capite tertio explicata est, in Petro & successoribus primùm firmam certamq; doctrinam asseremus, mox verò in ecclesia Romana, cuius Petrus cũ successoribus & caput & fundamẽtum est. Atque illud etiã animaduerto, quod sicut omnibus simul episcopis docentibus errores falsos, necesse esset sanè totã ecclesiam vario errore versari: ita si pastor eccl. Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oues quoq; errante pastore dispergerentur. Testimoia demũ, quæ retulimus, id ferè probant, summum eccl. pontificem, Petri successorem & Christi vicariũ, cùm de fide pronunciat, errare nõ posse. Quò magis illos reprehendẽdos iudico, qui se dirempturos cõtrouersiam putauerunt, si Apostolicã sedem *Vide li. 5. c.* ab Apostolico præsule secernerent. Non recipit istam re- *5. q. 3.* sponsionẽ ratio, aspernatur, repellit. Illud potiùs sumit, errorem esse duplicem: alterum personalẽ, alterum iudicialem. Nec enim scholæ propria vocabula, etiam si minus Latina sint, auersari debemus, sed malle, q̃ Augustinus ait, apertos, quã nitidos habere sermones. Er- *58. d. Sedulo.* ror itaq; personalis priuatus est, cuiusq; error, iudicialis est publicus. Edidit Innocẽt. huius nominis 4. in libros decretaliũ commentaria, si in his quicquam errati est, *Error duplex.* hominis nimirũ est, nõ pontificis, quanuis ea cõmentaria à pontifice edita sint. At si idẽ Innocẽtius in iudicio de fidei quæstione definiret quippiam, quod reuera falsum esset, iam hic error à publico ecclesiæ censore proficiscereturesset̃que proinde iudicialis.

Qua ex re primum argumentum facilè refellitur. Nec enim historia fide digna docet Ioannẽ vigesimũ secundum post summũ adeptum pontificatũ, de eiusmodi re aliquid definisse, quin potiùs quum ad huius rei defini-

finitionem separaret: vt Benedict. vndecimus in extra. sua ait, morte præuentus definire nequiuit. Nec, si, antequã esset pontifex, errorem illũ habuerit, hæreticus censendus est: sicut nec Irenæus, nec Chrysostomus, nec Theophylactus, nec Bernardus, quos re nõdum expressè per ecclesiam definita, illius opinionis fuisse, sunt qui contendant: verè ne an falsò contendant, non est dicti loci que huius disputare.

Secundum soluitur. c. Quanto, de diuor.

Ad secundum etiam eodem modo respondetur. Non enim Celestinus quicquã definiuit. Verba quippè Innocentij tertij sic habent: Licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur. Sensisse, ait, non Definisse. Sed ne Innocẽtius quidem definit quicquã, sed explicat sententiam & opinionẽ suam inquiens, Non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, possit ad secundas nuptias transire. Quod profecto verũ est. quanquam per illam Innocentij decretalem non firmiter definitum. Nec enim statim, si aliquid iuris volumine continetur, fidei dogma esse credendum est. Quod penultimo superioris libri capite latiùs explicatum est.

Tertio fit satis.

Tertio verò argumento nullũ negotium est respondere. Nam verbum, Iudico, frequenter in ea significatione vsurpatur, vt idem sit, quod sentio, seu opinor. Quomodo Alexander accipit, cùm ait, quosdam prædecessores suos aliter iudicasse.

Quartum diluitur.

At quartum argumẽtum longè difficillimum est, nec potest ita breuiter expediri. Apertè enim Alexander docet, consuetudinem illam ciuili etiam lege confirmatã. quę testamẽta minus solẽnia rescindit, & à diuina lege, & à patrum institutis, & à generali ecclesiæ consuetudine alienam, Quòd autem ex auctoritate pontificia hoc fanè loco pronũciet, illud est euidens argumentũ, quod sub interminatione anathematis, phibet, ne quis eiusmodi audeat rescindere testamenta. Vnde & capite proximè sequẽti iudicib. mãdat, vt in id genus causis tres duósue solummodò testes exigant, nec ciuiles leges, sed canonica decreta sequantur. Si ergo iussit ecclesiæ pontifex, & anathematis interminatione iussit, vt nemo ea irritet testamenta, quæ duorum, vel trium testium sunt testimonio firmata: nimirum nõ vt priuatus quiuis homo, sed vt publicus ecclesiæ iudex eam quæstionem definiuit. Atqui non est Dei Euangelijque præceptũ, quod tamen Alexander videtur astruere, vt omnes causæ tribus duobúsve tãtum testibus absoluantur. Alioqui, nõ solùm Leo quartus, sed Syluester etiam in Synodi Romanæ capite 3. legem euangelio Deoq; contrariam edidissent. Decreuerunt enim, vt, nisi in 72. testibus, non dãnaretur episcopus. Qua ex re intelligitur, legem ciuilẽ, quæ tollendis è repub. fraudibus cauet, vt testamenta non valeant, nisi quæ septem fuerint testibus obsignata, non esse legi euangelicæ aduersam: quemadmodum ne illa quidem, quæ, vt conflatę in episcopos inuidiæ occurreret, statuit, vt ad episcopi condemnationẽ duo solùm testes nõ sufficerent. Atque si mortalium vita esset mediocriter instituta, moresque ad naturam non auaritiã compositi, duorum hominum testimonium idoneũ profecto erat, vt quæcũq; in iudicio causa finiretur. Sed sicut iuramentum à malo est, non illius, qui iurat, sed eius qui verum dicenti non credit, sic plures, quàm duos testes requirere, à malo quidem fuit non requirẽtis legis, sed hominis defraudantis. Sed hæc disserere, non est huius aut loci, aut temporis. Illud propriè huc pertinet, an Alexander errauerit.

2. quæst. 4. *Nullam.* 2. quæst. 4. *Præsul.*

Et quidem in decretis pontificijs duo cum primis distinguenda sunt. Vnum est, tanquam intẽtio cõclusioq; decreti: alterum quasi ratio & causa à pontifice reddita eius rei, quam constituerit. Atque in conclusione pontifices summi errare nequeunt, si fidei quęstionem ex apostolico tribunali decernant. Sin verò pontificũ rationes necessariæ non sunt, ne dicam aptę, probabiles, idoneę, in his nihil est, videlicet immorandum. Non enim pro causis nos à Pontificibus redditis, tanquam pro aris & focis depugnamus. Alexander igitur non definit, cõsuetudinem illiusmodi, esse diuinę legi cõtrariam, sed, quod iuris peritis ferè placere video, iubet, vt in legatis pijs duo, vel tres solùm testes à iudicibus exigantur. Hæc decreti huius conclusio est, hic finis: nec dubium est, quin rem eam pontifex iure quodam suo potuerit præscribere. Sed

re. Sed si in eius præscripti cõfirmationem Deuteronomij lege vtitur, hanc quippè diuinam nuncupat, si ad canonum statuta reuocat, si ecclesię morem affert, non est operæpretium rationes illas ad viuum resecare. Quemadmodum si cõcilia quædam definiant, duas esse in Deitate personas, patrem & filium, afferantque in hoc illud quoque Gene. testimonium, Pluit dominus à Domino, non protinus in fidei iudicio errãt, quanuis ex illo loco parum aptè Trinitas comprobetur. Extat item synodus, vbi de perpetua Mariæ virginitate pronunciatum est. Ea resuadenda referunt patres portam apud Ezechielem clausam. Irrideat si quis vult, sed ridebit tamen frustrà. Non enim semper patres in fidei quæstione causas afferunt necessarias, sed interdum vero similes. Quòd si etiã pontifices huiusmodi ponendis causis quandoque falluntur, ne calumniandi sunt quidem, tantum abest, vt inde loci huius auctoritas infirmetur. Porrò autem, si valere quicquam iudicium meum potest, neque in conclusione Alexander, neque in causis errauit. Nam suis in vtroq; foro subditis ferebat leges, Hostiensibus nempè ciuibus ac iudicibus Vellenen. Non ergo legem ciuilem, qua imperatores in regionibus suæ ditioni subiectis vtuntur, improbare voluit Alexander: sed voluit iudices etiã laicos in ecclesiæ patrimonio non secundum imperatorum leges, sed secundum statuta canonum de testamentis iudicare. Nec enim æquum esse censet, vt in rebus tẽporarijs adiudicandis, tam sunt soliciti sacri canones, q̃ sunt leges ciuiles: honestiusq; esse credit, in ciuitatibus & oppidis, quę in ecclesię iure ac dominio sunt, nõ legis ciuilis, sed canonũ consuetudinẽ obseruari. Quo fit, vt, si decretalis huius ratio prestius teneatur, non solùm in terris Romanæ ecclesię subiectis, sed in quibuscũq; alijs, quę sub episcoporũ ecclesiarumq; dominio sunt, lex hęc Alexandri debeat seruari, non in his modò, quæ pietatis causa ecclesiæ relinquuntur, verùm etiam in alijs q̃busq; legatis. Honesta ergo Alexãdri lex est, sancta, legitima. Sed ne in causis errauit quidem. Nam licet non sint necessariæ, non sunt tamen prorsus ineptæ. Cõsuetudo, inquit, quæ plures, quam tres duósve testes postulat, primum

mũ aliena est à diuina lege, veteris, scilicet instrumenti, quæ duos solũ tresve, vtplurimũ, testes exigebat: aliena etiã à patrum institutis, hoc est, à more iureq; canonico, vbi in rebus præsertim tẽporarijs duo testes sufficiunt: aliena demum à cõsuetudine ecclesiæ generali, quæ in eiusmodi causis duobus, vel tribus testibus est cõtenta. Aliena aũt, nõ quasi contraria, sed tanquam noua & extranea: ob idq; parũ in ecclesiæ iudicio probanda. Quòd si hanc animi synceritatẽ dextramq; de testibus opinionem, si hanc veteris legis ac iuris canonici cõsuetudinẽ principes seculi in tribunalibus suis sequi nolint, sed, vt fraudes tollãt, maiorum testium numerũ in testamentis ciuiũ suorũ exigãt, suo quidẽ iudicio liberè possunt vti, nihil enim Alexander impedit per illam epistolã decretalem: quæ nimirum eos solùm ligat, qui ecclesiæ in vtroque foro fuerint subiecti. Sed de quarto argum. satis superq; dictum est.

Refellitur quintum

Quintũ verò facillimè diluitur ex ijs, quę in quarti argumenti refutatione sunt dicta. Causas enim pontifices quãdoq; adferũt, nõ quæ cogant, sed q̃ suadeãt. Nã, quia leges quasdã synagoga olim à Deo habuit, non modò ad gubernandũ vtiles & accõmodas, verùm etiã ad plebis cuiusq; mores ac religionem instituendã propemodùm necessarias: ecclesia eas Christi in suũ vsum vendicauit. Quamobrẽ & summi pontifices & iuris periti horũ auctoritate confirmati, leges aliquot veteres probatas rursum ac denuò restitutas ab ecclesia, diuinas vocant. Nõ quòd Dei nunc præcepta sint, cùm lex illa vetus sit abolita, sed quòd Dei præcepta fuerint, seruanda etiamnum à nobis, non ex vi quidem veteris legis, quòd falso pontificibus doctissimis impingebatur, sed ex ecclesiæ noua institutione. Quæ tamẽ noua ecclesiæ institutio seu restitutio potiùs, ex veteri diuina lege probabiliter suadetur.

Ad sextum argumentũ Turrecremata respondet lib. 2. c. 112. nullam esse inter pontifices illos pugnam. Quin Ioannes exponit Nicolaum. Nam post verba prædicta Nicolaus subiunxit, Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdũ Christus loculos dicitur habuisse: infirmorũ enim personã Christus suscepit in loculis. Id verò est, quod

Ad sextum respon.

q̃ Ioan. vigesimus secundus definiuit, nẽpè hæreticũ esse, negare, Christũ & Apostolos aliq̃d habuisse in cõmuni, quod cõtrariũ ex Luc. 22. Ioan. 4. & 13. Acto. 4. constaret.

Ad septimum primùm dicitur q̃ neuter ibi pontifex definiuit eiusmodi controuersiã. Respondent enim sæpè Pontifices ad priuatas huius, aut illius episcopi quæstiones, suam opinionem de rebus propositis explicãdo, non sententiam ferẽdo, qua fideles obligatos esse velint credendum. Certè, vt de Pelagio taceamus, Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quidem quæstionem attineat, decreuit. Non enim illi proposita fuerat quæstio, An Baptismus in nomine Christi collatus esset validus: sed An baptizatus à Pagano, vel Iudæo, verum baptismi sacramentum suscepisset. Obiter autem & in transcursu, cùm huic quæstioni propositæ respõderet, de suo, nõ interrogatus, adiecit, baptisma in nomine Christi conferri. Qua in re falli sine dubio potuit. Imò adeò fallus est, vt in 4. sent. libro magnis argumentis ostendimus.

Deinde duo hi Pontifices fortasse non pugnant. Nam Nicolaus intelligitur docuisse, quod in simili necessitate, qualis Apostolorum tempore fuit, si cætera paria sint, baptismus in nomine Christi nunc etiam ratus erit. Pelagius autẽ definit, circa eiusmodi necessitatẽ non valere. Quemadmodum si nunc deesset balsamum, aut liber & calix qui tangeretur, & confirmationis & ordinis sacramenta manu solùm imposita conficerentur, vt ętate Apostolorum à principio statim fieri consueuit. At vbi non esset similis necessitas, nec ordinatio fortè nec cõfirmatio sine eiusmodi sacramentorũ materia valeret. Hæc autem de baptismo in nomine Christi communem secuti opinionem diximus. Primùm enim nusquam, vt ego quidem sentio, baptisma in eam formã administratum est, Ego te baptizo in nomine Christi. Quod & D. Ambro. & plerique alij videntur intellexisse. Sed si qua eiusmodi forma Apostoli vsi sunt, ea fuit: Ego te baptizo in nomine Iesu Christi. Act. 2. 10. & 19. Deinde, non necesse est Apostolos sub alterutra illarũ forma, Baptismi sacramẽtum cõtulisse. Nec si scriptura dicit, quicquã in Christi nomine fuisse gestum, statim cogimur existimare, his cõ-

Forma qua vtebantur Apostoli.

ceptis verbis rem gestã administratãq; fuisse. Exempla sunt in diuinis literis plurima. Illud est in prõptu, *Psal. 43.* In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Item, Cæsis denũciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu. Actorũ 5. Item, Paulo dicitur fiducialiter egisse in nomine Iesu. Act. 9. Hebreis porrò id in alicuius nomine fit, quod auctoritate ac virtute cuiuspiã trãsigitur. Quare qui regis loco & tanquam illius minister quidpiam agit, hic in nomine regis eam rem dicitur agere. Rectè igitur qui tanquam Christi administri, in aqua & spiritu homines sanctificabant, eos in nomine Christi baptismi gratiam exhibuisse interpretamur. Non ergo necesse est sentire, quòd Apostoli baptismi formam à Christo præscriptam immutarunt. Nam & hodie nos verè in Christi nomine, hoc est, loco, vi, & auctoritate, baptisma conficimus. Ac si præscripta illa formula nominis Iesu Christi Apostoli baptizarunt, non putandi sunt tamen Spiritus S. patrisq; nomen omisisse: sed in nomine patris & filij eius Iesu Christi & Spiritus sancti baptizasse. Quod alterius loci est demonstrare. De septimo igitur argumento satis.

Ad 8. arg. In octaui argumenti explicationem multa quidẽ dici possent, sed nos in pauca conferemus. Sanè Gratianus 32. quæst. 7. audacius sanè multò, quàm disertius ait, illã Gregorij sententiam Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ esse contrariam. A quo ego longè dissentio. Nam, vt Romanorum pontificum auctoritatem negligamus, nõ possumus tamẽ vtriusque Gregorij & primi & tertij cõtemnere definitionem, cùm fuerint ambo tum doctissimi, tum etiã sanctissimi. Itaque non errarunt, quod Gratianus falso existimauit, sed locuti sunt potius de ea, quę ante matrimonium per infirmitatem inepta erat ad copulã coniugalem, hoc est, vt scholæ verbis vtamur, quæ erat impotens ad soluendum debitũ. Cuius simile exemplum habes de frigidis, cap. Consultationi. Atq; ipse idẽ Gregorius hoc modo sententiam suam explicat, in epist. ad Rauennatem archiepiscopum, refertur̃que à Gr. 11. 33. q. 1. ca. Requisisti. Nec desunt huic argumento alię etiam responsiones, sed hæc & planior & expeditior est. Quã quoque

quoq; Glos. sequtur 20. d. c. Delibellis, in verbo, Iunioris,

In nono argumẽto nobis Lutherani, præsertim Oecolãpadius, Bucerus & Caluinus insultant. Sed pueriliter tamen. Quoniam librum illum Gelasij Romani pontificis nõ esse, magnis argumẽtis à me & animaduersum & patefactum est. Primum enim auctor opusculi dicit, esse recentem altercationem de veritate duarum naturarũ in Christo. Non autem erat recens tempore Gelasij, sed olim profligata à Leone & concilio Chalcedonen. vbi Eutychis & Nestorij explosa sententia est. Rursum in toto libro nec Leonis, nec concilij Chalcedonensis meminit. Id quod maximè feciſſet, si auctor esset Gelasius. Nam in epistola ad Faustum, huius concilij auctoritate libenter vtitur, libentiùs hic vsurus, vbi aduersarios posset tantæ synodi testimonio reuincere. Ac certè cùm Damasum contra Arrium citauerit, citasset ac multò magis etiam Leonem contra Eutychem, si post tempora Leonis scripsisset. Atque Gelasius multis annis fuit Leone posterior. Quid q̃ auctor ille Damasum nomine episcopi Romani nullo alio honoris titulo retulit, quod à more posteriorũ põtificũ, cùm priorum testimonia referũt, valdè est alienum. Præterea eius operis auctor ad probãdam vtriusque naturæ in Christo veritatem, inter magistros ecclesię catholicos censet Eusebiũ Pamphili, ejusq; testimonijs vtitur. Quem tamen apertissimum impietatis Artianę ꝓpugnatorem fuisse, Hieronymus affirmat in epistola ad Pammachium & Oceanum, cui⁹ initiũ est, Scedulę. Quinetiam tanquam Arrianus, Eusebius hic cũ suis operibus damnatus est, actio. 5. & 6. septimę synodi generalis. In asserenda itẽ Christi vtraq; natura, è patribus Latinis auctor ille solùm Ambrosiũ refert: qui si esset Gelasius, Hilarij, Hieronymi, Augustini testimonijs vteretur, nec quosdam Græcos ibi scriptores excitasset, qui Latinis demortui semper & sunt & fuerunt. At Gelasius scripsit de vtraq; Christi natura aduersus Eutychem & Nestorium. Non inficiamur, sed quinq; libros scripsisse legitur, non hoc paruum opusculum, quod ementito titulo circumfertur. Gennadius quoque contra Eutychẽ scripsit, cur magis hoc opus Gelasij, quã Gẽnadij ꝛa-

teamur?

teamur? Fuit etiã Gelasius quidam episcopus Cæsareæ Palæsthinæ, quẽ Hieronymus tradit, quædam eo tempore scripsisse, sed cælasse. Huic ego opusculum tribuerẽ, nisi quòd purum & politum sermonem dicit eũ Hieronymus habuisse, qualem in hoc libello equidem non agnosco. Nisi bono & eleganti auctori cõtigit malus & impur⁹ interpres. Falluntur aũt, qui opus hoc Gelasio põtifici Romano tribuũt, ex verbis illis, cùm sedẽ Apostolicã vestra dilectio vnanimiter teneat, cõstanter prędicet, sapienterq; defendat, quo loco legendum esse fidẽ Apostolicã, vel me nõ demonstrante lector probaturus est. Nec nouũ est sanè, vt nomine põtificum Romanorum, libri eiusmodi proferantur. Nã actione 5. synodi 7. Iconomachi duos libellos prodiderunt auctore Vigilio Roman. pont. Sed falso tamen. Atq;, vt opus cõstaret esse Gelasij, nihil tamẽ affertur. Cùm enim edunt libros de re qualibet Romani põtifices, sententiam suã, vt homines alij docti, exprimunt, non tanquã ecclesiæ iudices de fide pronunciant. Nonum igitur argumentum satis, vt arbitror, euidenter confutatum est.

Decimo autem refutando, quæ Caietanus in illo 27. quæstionum opusculo dixit, non sunt hîc ea nobis resumenda, ne acta agamus, quod vetamur veteri prouerbio. Quod nunc instat, id diligenter explicandum est, quid videlicet consequentię sit, vt si super Petrum Christus ecclesiam ædificauit, Romana statim sedes cæteris esse præposita diuino iure intelligatur. Inde enim plana quoque erit illa collectio, Si Petri fides iuxta Christi orationem non defecit, maiores ecclesiæ causæ ad Romanum episcopum sunt referendæ. Video autem, eiusmodi res planè & perspicuè expedire non posse, nisi doctum & intelligentem virum. Cuius rei tãtæ tamq; difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse præ me fero. Ea enim exponenda in hoc me opere suscepisse constat, non quæ essent peruia, & omnium sermone trita, sed quæ vix adhibita etiã diligẽtia à doctissimis quibusq; intelligerẽtur. Quòd si succedat conatus, iure est laudãdus: sin verò nõ succedat, non est certè reprehendẽdus. Sed hæc hactenus. Rem iã ipsam

Decimum soluitur.

Vide Caietan. de prima. eccle. Rom. c. 13.

explicemus. Primùm autem illud cõmemorandũm est quod aliàs sæpè diximus, quæ Petro dicta in Euangelio à Christo sunt, nõ vt homini priuato, sed vt ecclesię præfecto, ea ad successores quoque sine vi aliqua, aut literæ inuersione pertinere. Quemadmodum, quæ Dominus Apostolis commendauit æquè congruentia fidelibus vniuersis, eadem futuris Christianis omnibus in sensu literali cõmendata sunt: iuxta id, quod Christus ipse Mar. 13. explicuit, inquiens, Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Vigilare quippe ad omnes æquè pertinet: quare, etiam si Christus id nõ adeò diserte fuisset interpretatus, vt ille explicuit, ita nos quoq; necessariò explicaremus. Pari item ratione, quæ Dominus Apostolis locutus est, ad ipsos quidẽ spectãtia quatenus ecclesię sacerdotes: hæc non ad fideles omnes, sed ad reliquos futuros in ecclesia sacerdotes catholici referimus. Quale illud est Luc. 22. Hoc facite in meã commemorationẽ. Cùm enim Domin⁹ pane & accepto & fracto, eleuatisq; in cælũ oculis Deo gratias egerit, calicemq; simul & acceperit & leuauerit, sine dubio Eucharisticũ sacrificiũ, hoc est, gratiarum actionis, Iudęorum ritu obtulit: nisi stultus fuit & ingratus, qui, cùm referre patri summam gratiã posset, quæ ab illo nobis acceperat summa dona eidem referendo, minimè retulisset. Iubens itaq; Apostolis suis Christus, vt hoc ipsi facerent, quod scilicet illũ videbant facere, nimirùm id præcepit, vt hostiã Eucharistiæ & gratiarum actionis offerrent. Quod & Cyprianus ad Cecilium, & Irenæus lib. 4. c. 32. diuinè exposuerunt. Quia ergo sacrificium facere, sacrificorum & sacerdotum proprium munus est, quod eo loco Dominus Apostolis commendauit, id propriè ad futuros ecclesię sacerdotes spectat: nõ ad vulgus etiam mulierecularum, quod hæretici credidère. Porrò, quæ ijsdẽ Christus, quia pastores ecclesiæ futuri erant, mandasse legimus, hæc ipsa episcopis & pastoribus succedentibus ad literã credamus esse mandata. Huius rei exẽplum est illud Matth. 18. Quæcunque alligaueritis, &c. Et illud item Ioan. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, &c. Hanc verò regulam si sacris literis explicandis

De conf. d. 2. c. scriptura.

plicandis tenuerimus, vitabimus procul dubiò permixtam illam & tenebricosam confusionem, quam in scripturæ intelligentia hæretici patiuntur. Quorsum hæc? Nempè, vt ea, quæ Petro in Euangelio dicta sunt, aptè ac prudenter distinguamus: & si quid illi, vt priuato, congruit, hoc ad singulos fideles spectare existimemus. Cuiusmodi illud est, Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum, &c. Sin verò quicquam illi conuenit, vt Apostolorum principi & ecclesiæ pastori, hoc citra controuersiam putemus ad succedentes in ecclesię pontificatu esse referendum, idque in genuino literæ sensu. Nam & quę legislator ciuilis suis delegatis præscribit, non ad eum solùm, cui viua voce loquitur, sed ad cæteros, qui illi in eodem officio succedunt, referuntur. *Matth. 18.*

Deinde illud quoque magnoperè aduertendum est, Romanum pontificem Petro succedere, non esse per se quidem in sacris literis reuelatum, sed aliunde cõstare: ex eo scilicet, quòd historię grauissimę prodidère, Petrum Apostolum, suam cathedram Romæ demùm collocasse, ibique cùm esset episcopus, fuisse defunctũ. Hoc Velenus, hoc Sebastianus Francus, hoc hæretici quidem alij negant: quinetiam aiunt Petrum, ne Romam quidẽ inuisisse. Quod tamen, cùm historici omnes graues prodiderint, malitiosè negatur. Non enim existimãdi sunt isti, quod verbis negant, id mente sentire: nisi pueri & pueri stulti esse creduntur. Quid enim tam stultum, tamq; puerile dici potest, quàm si ea non esse olim in Rep. gesta negemus, quæ gesta esse vir quisque ante nos grauissimus affirmauit? Quòd si eius rei, de qua disserimus, auctores quæris, Dionysius vnus est in epistola ad Timoth. Dionysius Corinthiorum episcopus alter est apud Euseb. lib. 2. eccle. hist. ca. 25. Tertius testis est Clemens in epist. 1. Quartus est Anacletus in epistola de ordinatione episcoporum. Quintus est Marcellus, 24. q. 1. c. Rogamus. Sextus Leo in concione prima de festo Petri & Pauli. Septimus est Gelasius cum concilio 70. episcoporum. Octauus est Innocentius 3. in ca. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi. Nonus est Nicolaus 3 ca.

Fundamen. de elect. in 6. Decimus, est Leo 9. in epistol. synodica ad Petrum Antiochenum patriarcham. Vndecimus, Constantinus in edicto ante Nicænam synodum 96. d. ca. Constantinus. Duodecimus, Epiphanius hæresi 27. quę est Carpocratis. Tertius decimus, Irenęus lib. 3. cont. Valent. ca. 3. Quartus decimus, Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, & lib. de præscr. hære. Quintus decimus, Ambrosius in orat. cont. Auxentium de Basil. trad. Sextus decimus, Hieronymus in lib. de viris illust. in Petro. Decimus septimus, Egesip. 3. libro de exci. Hierosol. c. 2. Decimus octauus, Augustinus lib. 1. contra Iuli. Pelag. Postremus, Euseb. lib. 3. eccle. hist. ca. 14. & 18. lib. quoque 3. c. 2. & 25. Quibus locis etiam refert, Origenem, Caium, Papiam. Tam verò multis & incorruptis testibus, qui non credit, is aut stultum, aut hęreticum certè se esse demõstrat: vt publicam Romanę vrbis vocem, loca item ipsa vrbis prætereamus, quæ etiãnum vitæ mortique Petri testimonium perhibent. His itaque positis, difficilis & perobscura quæstio facilè explicatur: quæ quidem, vt dixi, doctissimos viros ita implicuit, vt se expedire non valuerint. Quòd enim pastor post Petrum à Christo in ecclesia suffectus, potestatem Petri ordinariam habeat, ac cætera priuilegia propter ecclesiam Petro concessa, ex Euãgelio habetur: iuxta ea, quæ primo documento animaduersa nobis & demonstrata sunt. Quòd verò ille, quem Christus Petro mortuo suffecit, Romanus fuerit episcopus, è re gesta colligitur. Nam si Petrus semper Antiochiæ sedisset, vt cœpit, sine dubio episcopus Antiochenus illi legitimè in pontificatum successisset.

2. quæ. 7. beati.

Sed & id postremò considerandum, est enim res magna ac diligenti contẽplatione dignissima, nõ illud modo ad doctrinam catholicam pertinere, quod Apostolis expressè reuelatum est, verùm hoc etiam, quod ex altera propositione reuelata, & altera certa in lumine naturali, syllogismo collectioneq; euidenti conficitur. Vt Christum Dominum habere voluntates duas, duosque intellectus, vtriusq; item actiones & creatam & increatam, aut Christum etiam ridere suapte natura, vt homines cæ-

nes cæteros posse: in sacris fortè literis non habetur expressum. Sed quoniam traditum in illis est, filium Dei esse hominem, & naturali ratione constat, omnem hominem habere voluntatẽ intellectumque creatum, operationesque vtriusque potentiæ etiam creatas, omnem item hominem, vt flere, ita quoque ridere posse: qui vnumquodlibet horum negauerit, is hæreticus iudicabitur. Propterea, quòd negando cõsequens, scilicet filium Dei habere intellectum intellectionemque creatam, negat proinde antecedens, ex quo illud colligebatur, hoc est, filium Dei esse hominem. Esto aliud exemplum. Cõcilium Nicænum in fide non errasse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nec in sacris libris, nec in Apostolorum traditionibus explicatum est. Sed id solùm, concilia in spiritu sancto legitimè congregata errare nõ posse. At, quòd concilium Nicænum, Chalcedonen. Ephes. legitimè fuerint coacta, ex diuina reuelatione non creditur. Creditur tamen ex humana fide & traditione historiæ fide dignæ, per quam habemus, eas synodos indicentibus, & confirmantibus veris ecclesiæ pastoribus ex vniuerso orbe conuenisse. Vnde licet earum rerũ certitudo ac veritas, quæ in eiusmodi cõcilijs definitę sunt, ex duobus quasi principijs pendere videatur, quorũ alterum reuelatum à Deo est, concilia videlicet legitimè congregata certissimæ veritatis esse: alterum verò sola certitudine naturali credatur, per ea, quę scriptores graues & incorrupti memoriæ prodidêre. At hæreticus erit, qui negârit earum synodorum scita atq; decreta, nõ aliter ac si negaret Euangelium. Esto quoq; aliud exemplum apertissimum. Quòd sacerdotes nostræ huius ætatis à veris episcopis ritè fuerint consecrati, non est sacris literis proditum: sed res gesta potius est, quę ex verbis & animo cõsecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio, quod humana certitudine tenemus, videlicet hos sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in ecclesia nunc sit verum Eucharistiæ sacramẽtum. Quod qui inficiaretur, hunc ecclesia existimaret hęreticum. Tametsi solùm enunciatio vniuersalis per reuelationem accepta sit, omnes veros sacerdotes, si rectam

Universidad de Deusto
Biblioteca

intentionem habeant consecrandi, verum Eucharistiæ sacramentum conficere. Sed, quòd ij, qui modò viuunt, sint eiusmodi, non Euangelium solùm, sed grauis & cõstans naturæ ratio simul cum Euãgelio probat. Ad eundem profectò modum, qui negauerit Romanum pontificem eandem habere potestatem, quam Petrus à Christo accepit, fidei aduersarius censendus est, quamuis ex Euangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri successores eundem habere cum Petro principatũ. Quia si huic Euangelicæ conclusioni illam addas, episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historijs à traditione virorum grauissimorum accepimus, manifestè colligitur Romanum episcopum & cæteris episcopis superiorem esse, & eandem habere in ecclesia potestatem & auctoritatem, quam habuit Petrus. Aptè igitur summi pontifices atq; prudenter testimonia illa Euangelica, ad Romanum episcopum, sedemque Apostolicam retulerunt.

Quòd si sententia hæc nostra minùs viris doctis fuerit probata, quanquam haud scio, cur probetur minùs, habemus tamen adhuc aliã huius rei explicandæ formam: vnde liqueat, Pontifi. Romanum ex diuina institutione fuisse Petri in ecclesiæ totius põtificatu successorem, atque adeò Romanis episcopis ea testimonia cõuenire, quæ Petri probant & primatum & fidem. Diximus quippè retrò, fidem nostram non solùm scripto, sed etiam traditione cõtineri. Ita, licet Romanos episcopos Petro succedere, in sacris libris non habeatur scriptum, ab Apostolis tamen ecclesiæ, quasi per manus traditum est. Iam, quòd hæc fuerit Apostolorum viua traditio, ex his scilicet vijs manifestè cõstat, quas in tertio libro nos vel aperuimus, vel indicauimus. Non enim singillatim sunt nobis explicanda omnia, ne longa oratione negotium lectori facessamus. Certè huius rei illud est euidẽs argumentum, quòd nõ ante Phocam modò & Cõstantinum, non ante Nicænã solùm synodum, verùm etiam ante quemcunque post Neronem imperatorem, ante quodcunq; ecclesię concilium, ante quoscunq; post Petrum pontifices maximos, semper à viris ecclesiasticis Roma-

Romanus episcopus Petri successor est agnitus. Atque apostolicam traditionem fuisse, nõ obscurè tradit Anacletus Petri discipulus, in epistola prima de oppressione. Et Eleutherius ad easdem, Victor in epistola ad Theophilum, Sixtus secundus in epistol. ad Gratum episcopum, Zopherinus in epistola ad episcopos Sicilianos, Marcellus ad episcopos Antiochenæ prouinciæ, Melchiades ad episcopos Hispaniarum, Marcus in epist. ad Athanasium, Iulius ad Orientales episcopos. Nec verosimile fit, vt rem tam necessariam ad ecclesiæ vnitatem continendam, Christus Dominus Apostolis suis non reuelârit. Si enim Moysi locus ille reuelatus est, quem Dominus elegerat, vt indè à Iudæis diuina oracula peterẽtur, quãtò magis credẽdus est Christus Petro manifestasse, quisnam esset ille locus, vbi constituerat regni sui & principatum & sedem collocare? Atque si, vt transferretur ecclesia Hierosolymitana in ciuitatem Pellam, voce Domini sunt Apostoli admoniti, vt Eusebius 3. lib. eccles. hist. c. 5. & Epiphanius lib. 3. con. hære. c. vlt. referũt, multò magis credemus, vt è ciuitate Antiochena Romam emigraret Petrus, cathedramque inde transferret, Dominicis oraculis fuisse commonitum. Quod si ita est, vt reuerà est, nec aliud nisi absurdissimè credi potest, iam hinc fideles intelligãt, vnde illa vox Lutheranorũ fuerit, qua inter cæteros articulos, VVormaciæ propositos, hunc etiam posuêre, vt abrogaretur Romani põtificis potestas, quam sibi sumit supra cæteros episcopos, intelligant rursum, quidnam illi moliantur, qui Romani episcopi monarchiam asserunt fuisse post Diui Hieronymi tempus exortam. Nam qui Phocam scribunt instituisse, Romanam ecclesiam omnium esse ecclesiarum caput, piè quidem fortasse id, nullius enim animum ego iudico, sed imprudenter tamen scripserunt. Intelligant etiam vnde Diuus Thomas libro quarto aduersus gentes capite septuagesimo sexto affirmat, eorum præsumptuosum errorem esse, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Romanum pontificem, vniuersalis ecclesiæ pastorem non

Vide Innocen. 1. ad concil. Carthagi. & Mileuitanũ. Et Gel. ad Anastas. Aug.

Erasmus in censura epist. Hier. quæ inscribitur, de oblatiõ. alta. Beatus Rhenanus in lib.

Tertullia. de præla. hære. Matheus Palmerius & Hermanus.

recognoscentes. Intelligant demũ, qua ratione Leo decimus Lutheri articulũ vigesimum quintũ condẽnauerit in hęc verba: Romanus Põtifex Petri successor, nõ est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias, ab ipso Christo in beato Petro institutus. Decimo igitur argumento, quoniã in eo exponendo difficultas erat maxima, nõ potuit à nobis verbis paucioribus responderi.

11. refellitur.

Ad vndecimum verò sic respondeo. Non est profectò admittendum, fidem etiam personalem Petri defeciſſe. Nam Petri iudicium in fide publicum falsum asserere, hæresis est manifesta. Sed cum Apostolorum nemo in fidei doctrina errare posset, id peculiare Petri priuilegium fuit, vt eius ne personalis quidem fides deficere potuisset.

Mar. 16.

Quod enim quidam afferunt, Christum Dominum recumbentium vndecim exprobrasse incredulitatem, &c. hoc Petrum apostolũ ne tangit quidem. Nam cùm Lucas c. 24. scripsisset: Mulieres vndecim Apostolis, ea quæ à Domino audierant, annũciasse, nec illos credidisse mulieribus, sed earum verba deliramẽta iudicasse, protinus subdidit, Petrus autem cucurrit ad monumentum. Non enim cucurrisset, nisi credidisset. Et cõiunctio aduersatiua, qua Euangelista vsus est, satis ostendit, Petro verba mulierum nõ esse visa deliramenta. Atq; oratio Christi pro Petro fusa, id apertè demonstrat, Petri fidem non defeciſſe. At exponunt aduersarij, orasse Dominum, ne fides Petri deficeret finaliter, sic enim loquũtur, sed nullius discipuli fides hoc modo deficit. Ita oratio Christi non in singulare Petri priuilegium cederet, quod non solùm Chrysostomo, Theophylacto, Ambrosio, & Bedę, sed contextui etiam contrarium est. Cùm verò Ambrosius Petrum fidẽ amisisse ait, nomen fidei pro fidelitate accipit, quam scilicet amico suo, Christo non seruauit. Quanquam illud etiam est frequens, vt fides pro fidei confessione vsurpetur. At ridiculum est, vt si Christus collegium Apostolicum increpasse dicitur, singulos increpasse intelligitur. Quasi verò non à Prophetis sæpè populus arguatur, in quo multi essent, ad quos reprehẽsio nullo modo attineret. De qua re libro quarto vberius

Contra auctorẽ cõm. in Psalm. q̃ Hieron. titulo circumferuntur: in illud psalmi 88. Perfudisti eum confusione. Luc. 22.

rius disputatũ est. Id verò, quod de Anastasio & Honorio additur, non paruam ingerit quæstionem. Quoniã si oratio Christi non ad Petrum modò, verùm ad posteros quoque Romanos episcopos referẽda est, quã ratione Petri fides nec publica nec priuata deficere potuit: eadem etiam nullius successoris deficiet fides, nec in iudicijs publicis, nec in colloquijs, aut consensione priuata. Sin verò cùm ad posteros oratio illa refertur, intelligenda solùm est de fide publica, scilicet in quæstionibus fidei decernendis: temerè profectò & inconstanter eo testimonio videmur Petri fidem, etiam personalem, vindicasse.

Huic loco Albertus Pighius Campensis non aliter potuit occurrere, quàm omnes Romanos põtifices erroris nota liberando. Ita contẽdit nullum vnquã in hæresim incidisse. Atque vt Anastasium in libertatem assereret, Gratianum vexauit contumelioſissimè, Iurisperitis turpissimè maledixit. vt verò Honorium tueretur, sexta generalis synodi exemplaria falsarios corrupisse, multis coniecturis suadere nisus est. Deinde etiam in eam opinionem inclinauit: vt crederet epistolam Honorij ad Sergium à Græcis de more fuisse vitiatũ: Synodum autem in eo iudicio deceptam. Quin adeò duorum cõciliorum sexti & septimi acta omnia calũniatus est, ac pro sua certè virili amborum labefactauit & auctoritatem & fidem. Hæc verò Alberti opinatio, noua quidem in ecclesia est, sed ea etiã ratione confirmari potest, quod non est verosimile, vt homini, qui hæreticus esse possit, fidei summam Dominus cõmiserit. Rectum enim est regula sui & obliqui, vt Aristoteles docet, quare si fides Romani pontificis dirigere ipsum nõ valet, multò minus, vt videtur, alios in fide rectos efficiet. Quid, quod imbecillius in fide, fratres in fide confirmare nequit? Si igitur Romanus episcopus iuxta Christi pollicitationẽ fratres suos confirmaturus est, firmum ipsum esse oportebit. Quanuis autem multis in locis dicat Pighius, sicut hic dicit, satis probabiliter de summi pontificis auctoritate: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid cõsentaneum sit ei dicere: cui veritatem tueri ac retine-

4. li. eccle. Hier. ca. 8.

In diatriba de actis 6. & 7. Syno.

re ſententia eſt. Dicit itaque ille multa multis locis de hac re quidem, ſed aqua hæret, vt aiunt. Defendat Liberium Pighius, quem tædeo victum exilij in prauitatem hæreticam ſubſcripſiſſe, auctor eſt Hieronymus in Chronicis. Excuſet Marcellinum, quem timore fractũ idolis ſacrificium obtuliſſe, memoriæ proditum eſt. Victorẽ vindicet, quem Paulianiſtæ ſuum eſſe mentiti ſunt, vt ſcribit Euſeb. 3. lib. eccl. hiſt. cap. 2. Anaſtaſium liberet, quem ſine certo & probabili teſtimonio Gratianus hæreſios inſimulauit. At, Honorium quomodo ab errore vindicabit? Quem hęreticum fuiſſe, tradit Pſellus in carmine de ſeptem ſynodis, Tharaſius ad ſummos ſacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, ſanctæ vrbis, vt 7. ſynodo actione 3. ſcriptum eſt, Theodorus cum ſynodo ſua Hieroſolymitana in confeſſione fidei, quæ habetur eadem actione tertia, Epiphanius reſpondens hæreticis in cõſpectu concilij eiuſdem actione 6. tomo 2. tota demum ipſa 7. ſynodus actione vltima, & in epiſtola ad omnes ſacerdotes & clericos. Adrianus quoque Romanus põtifex in actione 5. Synodi octauæ generalis, De Romano (inquit) pontifice quemquam iudicaſſe non legimus: licet enim Honorio ab orientalibus poſt mortem Anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quòd fuerat ſuper hæreſi accuſatus: propter quam ſolùm licitũ eſt minoribus maiorum ſuorum motibus reſiſtere. Hactenus Adrianus. Vbi etiã addit, ſententiam in Honorium latã ex Romani pontificis conſenſu fuiſſe. Id quod exploratum eſt in 6. ſyno. generali, actione quarta. Vbi Agatho in epiſtola ad concilium, Honorium ipſum anathematizat. Beda item, de natura rerum c. 67. in ſexta ſynodo (ait) Macharius cum ſuis ſequacibus ſimul & præceſſoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pyrrho, anathematizatus eſt. In libro præterea pontificali refertur Leo ſecundus ſextam ſynodũ ſuſcepiſſe, in qua condemnati ſunt, Cirus, Honorius. Atque in fine ſextæ ſynodi ponitur epiſtola Leonis ad Conſtantinum, vbi poſt ſuſceptum confirmatumque cõcilium, Anathematizamus (inquit) Cirum, Sergium, nec non & Honorium, qui hanc apoſtolicam eccleſiã non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed prophana proditione immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt.

Præterea illud caput, Si Papa, 40 diſtin. quod pro nihilo habet Campenſis, nos maximi habere debemus. Quoniam ille vnus caſus, in quo oues paſtorem ſuũ iudicare poſſunt, ſcilicet cùm fuerit hęreticus, habetur, vt alia loca præteream, in quinta ſynodo Roma. 218. epiſcoporum, in hęc verba: A multis anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum atque firmatum eſt, vt oues paſtorem ſuum nec reprehendere, niſi à fide exorbitauerit, præſumant. Idem tradit Anacletus in epiſtola 3. de patriarchis & primatibus, inquiens: Paſtor eccleſiæ, ſi à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: ſed pro reprobis moribus magis eſt tolerandus, quàm diſtinguẽdus, quia rectores eccleſiæ à domino ſunt iudicandi. Idẽ Euſebius docet ad epiſcopos Aegyptios, referturq; 2. q. 7. c. Oues. Idem Ioannes Papa in epiſt. ad Zachariã. Idẽ in 8. ſynodo traditum eſt, vt nunc referebamus. Refert etiam Burchardus lib 1. cap. 13. 138. 139. Calixtum, Clementem, Gagum, in hanc eandem ſententiam. Non eſt igitur negandum, quin ſummus pontifex hæreticus eſſe poſſit, cuius rei exemplum vnum & item alterũ forſitan proferetur, at quòd in fidei iudicio cõtra fidem definiẽrit, ne vnum quidem proferre poteſt. Itaque obiectioni poſitæ hoc reſponſum habeto: Aliud eſt in Petro, quod ſpectat ad hominis priuatam excellentiam: aliud, quod pertinet ad communem eccleſiæ vtilitatem. Quòd negârit Chriſtum, hominis erat; quòd cõfirmârit fratres, erat eccleſiæ. Illud proprium, hoc commune erat. Similiter, quòd fides Petri, ppria ſemper interiùs ſeruaretur, hominis priuilegiũ erat; quòd verò alijs cõfirmandis ſolidam fidẽ proponeret, nec in fidei iudicio deficeret, eccleſiæ publicum priuilegium erat. Romanus igitur epiſcopus nõ fuit hęres aut priuilegiorum, aut culparum Petri propriarum; quæ videlicet ex accidenti, publicæ Petri poteſtati coniungebantur, ſed ſucceſſit in his, quæ ſpectabant ad eccleſiæ communes & neceſſarias cõmoditates. Nam priuilegia Apoſtolis à Chriſto cõceſſa, aliter ad ipſos, aliter ad ſucceſſores referuntur. Quippè in Apo-

Apostolis fuerunt etiam priuilegia personalia amplioris gratię, quã in posteris. Vt, verbi causa, p illa verba, Quęcunq; ligaueritis super terram, &c. & per illa, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c. intelligimus, potestatem generalẽ in vniuersum orbem Apostolos suscepisse. Ita pares Petro dicuntur 21. distin. cap. In nouo & 24. q. 1. ca. Loquitur. Sed episcopi posteriores nõn succesśêre Apostolis in potestate generali extraordinaria, sed in ordinaria, quã singuli in suis ecclesijs Apostoli habuerũt. Vt Simeõ Iacobo in ecclesia Hierosolymitana, &c. Esto aliud exemplũ. Ex verbis illis, Ego rogabo patrẽ, & aliũ paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis: rectè quidem Theologi colligunt, Apostolos post spiritus sancti aduentum in gratia confirmatos. Cæterũm non ita transijt hic spiritus in episcopos succedentes, vt in eis æternũ maneat per gratiæ confirmationem. Quod Apostolis ex priuilegio personali donatum est, sed id solùm transijt ad posteros ecclesiæ pastores, quod necessarium erat ad ecclesię communem vtilitatem. Sic omninò priuilegium fidei indeficientis, quod in Petro personale etiã fuit, ad episcopos Romanos transmissum est, non in eo, quod Petri erat peculiare, sed in eo, quod commune erat ecclesiæ. Vnde & aliæ obiectiones repelluntur, quæ pro Alberti sententia positæ sunt. Non enim fides interior Romani pontificis ecclesiæ est necessaria: nec illius occultus & priuatus mentis error ecclesię Christi nocere potest. Quapropter non est necesse, vt interioris fidei conseruatione Romanis pontificibus Deus semper assistat. At quod, dum ea decernunt, quę fidelibus credenda sunt, dũq; ecclesiã Christi in fide dirigunt, non deficiant, sed diuina manu teneãtur: id ecclesię opus est, idq; proinde Romanis episcopis etiam imbecillis, & alias priuatim errantibus, nõ negabitur: ne videlicet per publicæ potestatis errorem ecclesiam faciant in cõmuni veritatis ignoratione versari. Vndecimum igitur argumentum abundè, ni fallor, confutatum est. At postremo argumento refutando illud non sunt lectores admonendi, est enim in promptu, malos vrbis mores, si quos fortè vrbs malos habeat, nõ esse

Postrem. dilaitur.

esse huius loci defendere. Nõ sumus tam rudes & stupidi, quàm Lutherani nos esse calumniantur. Oculos etiã nos eruditos habemus, sed modestos tamen. Scriptum est enim, quòd Patris nudata verenda boni filij auersi veniendo texerunt. Auersari autem id dicimur, quod reprobamus. Quid autem est, filios verẽda patris superiecto dorsis pallio auersos operuisse, nisi vt Gregorius ait, bonis subditis sic præpositorum suorũ mala displicere, vt tamen hæc ab alijs occultent? Operimentum, inquit, auersi deferunt, quia iudicantes factũ & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt. Sic magistrorum vitam discipuli probi iure apud se taciti reprehendunt, & eos, etiam cum displicent, venerantur. Super cadedrã, inquit Christus, sederunt scribæ & Pharisęi, quæcunque dixerint vobis facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Sed hæc hactenus. Illud est potius lector admonendus, vt animaduertat, Romanas cõsuetudines alias esse Romæ cum tota ecclesia communes: quas videlicet ex apostolorum Petri & Pauli traditione creditur accepisse. De quibus Augustinus in epist. ad Ianuarium, numero 118. multa, sed plura fusiùs Innocentius primus in epistola ad Decentium tradit. Aliæ verò sunt consuetudines, quas ecclesia Romana vel à se habuit priuatim instituas, vel à Petro quidem Apost. accepit, non tamen in vniuersum orbem promulgandas. De quibus Augustinus diserte loquitur in epist. 86. ad Casulanum, & in epist. 118. 119. ad Ianuarium. Priores igitur consuetudines, quas ecclesia Romana nõ modò tenet, verùm etiam ab vniuersa ecclesia docet esse seruãdas, omninò tenere debemus: Vt Iulius 11. dist. cap. Nolite: Innocẽtius ea. dist. cap. Quis nesciat: & Calixtus 12. dist. cap. Non decet: & Gregorius ea. dist. cap. Præceptis: docuerunt. Posteriores verò ecclesiæ Romanæ consuetudines nõ oportet priuatas ecclesias sequi, vt Diuus Augustinus locis positis tradidit, & Nicolaus 12. dist. cap. Scit: & Gregorius ea. dist. cap. Nouit. Idemque omninò traditur. 31. dist. cap. Quoniam, & cap. Aliter. In vna enim fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa: vt habetur de con. dist. 4. cap. De trina. Atque de huiusmodi consuetudinibus & Ambrosius & Hie-

Genes. 9.

25. Mora. c. 22.

d. 12. ca. illa.

& Hieronymus intelligendi sunt in ijs locis, quæ sunt obiecta. Illud verò, q̃ ex Trullana synodo affertur, facilè diluitur. Quoniam, vt superiore libro latiùs explicatum est, synodus hæc nullam habet in ecclesia auctoritatem, in his præsertim, in quibus concra ecclesiam Romanam Græca se contentione erexit. Nec conciliorum conatus de legibus aut ferendis aut abrogandis quicquã valet, nisi summi pontificis decreto & sententia confirmetur. Et cõsuetudinem illam de ieiunio sabbati ex his esse constat, quas in posteriore genere collocauimus: vt etiam Ambrosius dicit, 12. dist. cap. Illa. Quocirca vanè de hac re à Concilio Trullano ecclesia Romana reprehenditur. Sextus igitur liber hunc in modum absolutus sit, quem plus fortasse nimio longum fecimus: tametsi non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Sexti libri finis.

DE SAN.

DE SANCTORVM AVCTORITATAE,

QVAE SEXTO LOCO CONtinetur, Liber septimus.

CAPVT I.

SAnctorum auctoritas sexto iam loco nobis constituenda est, quã hæretici, maximè Lutherani, de gradu deijcere moliuntur. Ac primũ quicquid antiqui sancti asserũt, incertum esse suadent, D. Aug. plurimis testimonijs, quæ retulit vniuersa, Grat. 9 dist. decre. ex procœmio lib. tertij de tri. ex lib. ad Vincen. Victo. 2 ex epist. ad Hier. 19. ex epist. itẽ altera ad Marcell. 7. ex epistola rursum ad Vinc. 48. ex epist. quoq; alia ad Fortuna. 111. ex li. deniq; 2. de bap. cõtra Dona. cap. 3. His enim locis oĩbus sui Augustinus similis idẽ dicit, hoc est, præter auctores sacros, qui libros scripsere Canonicos, alios oẽs ita legendos, vt quantalibet sanctitate doctrinaq́ue polleant, nõ ideò verum sit putandũ illud, quod asseruerint, quia ipsi ita senserunt: sed quia nobis vel auctorum sacrorum testimonio, vel probabili ratione id persuadere potuerunt: licereq́ue proinde contrà atq; illi sentire, & salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorũ scriptis improbare atq; respuere. Hoc autem Diui Augustini testimonium tam constans, tamq́ue multis locis non obscurè repetitum, si verum esse credimus, fateamur necesse est, nullũ omninò à sanctis auctoribus firmum argumentum sumi posse, ad fidei Theologiæve dogmata corroboranda. Id quod Diuus Thomas Diui Augustini auctoritate confirmatus 1. parte quæst 1. ar. 8. ad 2. arg. planè testatur in hęc verba, Auctoritatibus canonicæ scripturæ vtitur sacra doctrina ex necessitate argu- *Num. 1.*

argumentando, auctoritatibus autem aliorum doctorũ ecclesiæ probabiliter arguendo. Atque eius rei causam etiam subdit, quòd innititur fides nostra reuelationi factæ ijs, qui canonicos libros scripserũt, non autem reuelationi si qua fuit alijs doctoribus facta. Quòd si duo hi testes clarissimi contemnuntur, si ratio quoq; Diui Thomæ contemnatur, rationibus certè alijs minimè contẽnendis id ipsum confirmari potest. Nam si in libro canonico vna quælibet falsitas inueniretur, quemadmodum superiore quodam loco argumentabamur, totius libri certitudo interiret. Cùm ergo in libris sanctorum scriptorum vnam, & item alterã falsitatem liceat reperire, vel in his etiam, quę ad fidem pertinent, fit consequens, vt sanctis scriptoribus certam fidem habere nõ sit necesse. *In epi. ad Theophilũ aduersus Ioannem Hierosolymitanum. Num. 2.* sarium. Scio, inquit Hieronymus, me aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam vt homines aberrare.

Præterea, ne de singulorum auctoritate disseratur, quam incertam esse satis exploratum haberi potest, maius aliquid aduersarij conficere argumentando volunt. Nempè sanctos scriptores, etiam si pleriq; in eandẽ sententiam conueniant, probabilem quidem fidem facere posse, certam non posse.

Nam plurimi ex eis asseruere, mũdi huius partes omnes nõ eodem simul die, sed multis potiùs fuisse editas, ornatas, absolutas. Asseruit certè Bas. in homilia 2. Exameron, & alijs sequentibus. Euseb. in principio suę chronographicæ, Chrys. homilia secũda super Genesim, Damas. li. 2. suæ theologiæ. Ambr. lib. 1. Exameron, cap. 7. Greg. 32. moralium cap. 10. Sed & Mag. senten. in 2. dist. 12. & 13. Hieronymum in hanc sententiam citat. Posset autem facilè tum Bedam, Raba. Strab. tum alios huius ordinis viros commemorare, qui communi sensu opera illa, quæ Geneseos 1. cap. enarrantur, sex diebus succedẽtibus condita esse intellexerunt. At communis hic sanctorum consensus nullum argumentum certum theologis subministrat, quin vnius Aug. opinio cæteris omnibus aduersa probabilis semper in ecclesia est habita: non itaque ex cõmuni sanctorũ sententia firmum argumẽtũ promi-

promitur, quò conclusiones Theologicæ, aut etiã fidei dogmata confirmentur. Atque huius rei, vt in eodẽ versemur, aliud quoq; exemplum proferre possumus. Plurimi namq; ex sanctorum scriptorum numero tradiderunt, Moysen Dei naturam, dum in hoc mortali corpore viueret, apertè, &, quod dici solet, ad faciem non vidisse. Tradit item Hier. ad Damasum papam in sextum ca. Isaię. Greg. Nazãzenus 2. lib. suæ Theologię, D. Gregor. 18. moralium c. 36. Chrysost. homi. 14. in Ioannem, Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 22. Euarist. Papa in prima sua epistola decreta. Dio. in lib. de mystica Theo. ca. 1. Orig. lib. 1. periar. ca. 4. At opinio Augu. contraria non modo non est reiecta, verùm etiam habetur apud Theologos probabilissima. De communi igitur sanctorum cõsensione nihil certi in Theologia conficitur, id quod hoc etiam argumento confirmari potest. *Auguſt. ſequutus eſt Baſil. hom. 1. Exa. & Ambroſ. 1. Exa. ca. 2. Num. 3.*

Sancti nanq; omnes, qui in eius rei mentionem inciderẽ, vno ore asseuerârunt, beatam Virginem in peccato originali cõceptam, hoc videlicet Ambro. astruit super Psal. 118. concione 6. Hoc Augustus. super Psalmum 34. in illum versiculum, Ego aũt cùm mihi molesti essent, &c. & lib. secundo de baptismo paruulorum capit. 24. & 10. super Genesim, ad literam capit. 18. & lib. 53. cõtra Iulianum, cap. 9. hoc Chrysost. super Matthæ. hoc Eus. Emis. in 2. concione Natiuitatis Domini, hoc Remigius super Psalmum vicesimum primum, & Maximus in sermone de Assumptione beatæ Virginis astruxêre. Idem quoque affirmat Beda in homilia super Missus est. Anselmus in libr. cur Deus homo, capit. 16. Bernardus in epistola ad Lugdunenses 174. Erardus episcopus, & martyr in concione quadã de Natiuitate beatæ Virginis, sanctus Antonius Paduanus in concione etiam de Natiuitate eiusdem sanctæ Virginis, sanctus Bernardinus in sermonũ suprũ opere tertio, in tractatu de beata Virgine, cõcione 4. Diuus Bonauentura 3. sent. distinctione 3. quæstio. 1. articul. 2. Diuus Thom. 3. parte, quæstio. 27. articul. 2. Diuus Vincen. in sermone de Conceptione beatæ Virginis. Diuus Anto. 1. parte, titu. 8. Damas. lib. 3 sententiarum suarum. Hugo de sancto Victore de sacram. part. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

c.4 & cùm nullus sanctorũ cõtrauenerit, infirmũ tamẽ ex omnium auctoritate argumentum ducitur, quin potius cõtraria sentẽtia, & probabiliter & piè in ecclesia defenditur. En argumẽtum illud Achillicum, quo Erasmus omnium etiã sanctorum testimonio non se existimat obruendũ, si quando vniuersis repugnauerit. Cuius sentẽtiæ ratio etiã illa suffragatur, quod sancti vniuersi, præter auctores sacros, qui libros scripsêre Canonicos, humano spiritu libros suos ediderunt. Nã si spiritu sancto inspirante ipsi etiã locuti sunt, nihil videtur obstare, quò minꝰ eorum libri in canonicis habeãtur. Infirmus igitur hic locus est, quo sanctorũ auctoritas cõtinetur. Humana enim veritas firma & certa esse nõ potest. Omnis quippè homo mẽdax. Osiander verò 1. lib. Anno. in harmoniã Euangelicã, illud argumentum addit, quòd oẽs veteres cõmentatores à tẽpore Apostolorũ, id quod Matthæus de Christo affert, Ex Aegypto vocaui filium meum. in genuino literæ sensu ad Israelem referunt, iuxta allegoriam verò ad Christum. Cùm tamẽ, vt ait, allegoria, vtcunq; fingatur, constare nõ queat, quoquò enim te vertas, nihil simile videtur esse, præterquam, ꝙ vtrique fuerunt in Aegypto. Ita cõtendit, literę sensum à principio capitis de Christo Domino esse, qui Rex Israelis est, & auroræ meritò cõparatus. Quòd si in sacrarum literarum expositione sancti omnes errãt, horum certè auctoritas firmum argumentum Theologis exhibere non potest. Ecce argumenta, quibus aduersarij nostri locum hunc aggredi & expugnare contendunt.

CAPVT II.

Num.1. Augustinus est Orig.1. Petri. Origenes verò Clem. Alex.6. Stroma.

NObis autem pro eius definitione vehemẽter pugnandum est, illudq; in primis ponẽdum, de auctoritate sanctorum, trifariam disputari posse. Primùm de vnius aut alterius proprio placito, quale fuisse videtur Augustini de opere sex dierum. Rursum de communi plurium sanctorum consensu, à quo tamen vnus aut alter sanctorum desciuerit. Postremò de omnium vnanimi concordique sententia, nam de his omnibus facta in argumentis mentio est.

Idrursum

Idrursum cõsiderandum est, sanctorum testimonia referri posse, vel ad philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones, aut fidei, aut Theologiæ cõprobandas. Erant enim ex sanctis scriptoribus quidam non in sacris literis modò, & alijs, quæ ad Christianam pertinebant disciplinam eruditi; verùm etiam in his, quæ philosophi tum de natura, tum de motibus docuêre. *Num.2.*

Illud demùm & quidem diligentissimè est aduertendum, inter auctores etiam ecclesiasticos duo esse disputationum genera. Alterum earum rerum, quæ verè ad fidem spectant doctrinamq; catholicam: Alterum earũ, quæ citra iacturam pietatis ignorari non ab imperitis modò, verùm à doctis etiam possunt, quòd nec fidei dogmata sunt, neq; ex illis deriuantur. *Num.3.*

Hæc autem duo rerum genera non est facile discernere, quoniam etsi nonnulla, quæ alioqui per se quidẽ ad fidem pertinebant, vt Apostolis, Prophetis, atq; Euangelistis reuelata, in dubium venire possint, antequam sint ab ecclesia definita: sed id tamen per ignorantiã fit, qua videlicet excusantur, qui ea vertunt in quæstionem, quæ aliàs diuinitùs sunt tradita, vt processionem spiritus sancti à patre & filio tanquam ab vno principio, ante ecclesiæ definitionem Græci quidam negare sine culpa potuêre, tametsi Euangelium id Apostoliq; tradiderunt. At hęc nos sub priori genere complectimur: quippè cùm fidei catholicæ dogmata non ex accidenti imprudentium hominum ignorantia, sed ex diuina reuelatione hoc sanè loco metiamur. Illud ergo asserebamus esse difficile ad discernendũ, ecquæ res sub illud primũ genus, ecquæ autẽ sub hoc secundum sua quasi sponte, & natura veniant. & quidem generaliter, vnaq; cõprehensione in prõptu definire licet, in illo primo rerum genere omnia ea contineri, quę Apostoli vel scripto vel verbo ecclesiæ tradiderunt: illa rursum, quæ inde certa connexione probantur existere. Quemadmodum in secundo genere ea sunt, quæ neq; à Christo, neque ab Apostolis accepimꝰ, neq; ex ijs certè colligũtur, quę Christi & Apostolorum auctoritate retinemus. At omnia hęc speciatim certa definitione præscribere vix possumus,

quanquam exemplis peculiaribus quædam horum indicare possumus. Vt verbi causa, An gratia, qua iustificamur, qualitas quædam sit animo impressa, quæ ipsi præstet & esse & viuere, vnde qualitates aliæ cõsequantur, hoc est, virtutes quædam tum Theologicæ, tũ morales infusæ, per quas animus diuinas & supernaturales habeat actiones, inter scholasticos quidem disputatur. Item, An Sacramenta, quæ causa gratię & virtutum esse dicuntur, huiusmodi effecta vi quadam, & qualitate inexistente diuinitùs indita efficiant nécne, magna multorum dissensione certari solet. Huius generis verò quæstiones in posteriorum ego numerum redigo, neq; sacrarum literarum testimonia de his qualitatibus intelligenda esse existimo: neque controuersiam catholicorum cum Pelagianis de gratia ad credendum, ad sperandum, ad amandum, ad implendum legem, ad perseuerandum, de qualitatibus potissimũm esse, sed de Dei auxilio gratuito & speciali. Rursum, si quis fortè curiosè disserere voluerit, An Euangelista Ioannes è vita iã excesserit, an potiùs cum Elia & Enoch maneat viuus, vtque iam mortuus fuerit, an caro eius viderit corruptionem, an proximè fuerit suscitatus, vtrinque rationes afferre poterit: & salua fide vtrũlibet vel probare vel improbare. Nam tametsi statutum sit omnibus hominibus semel mori, sed vnum aut alterum ex illa generali lege per priuilegium eximere, non perinde sacris literis aduersatur: vt non queat in dubium reuocari. Tria verò hæc principia, quoniam per se ipsa rationi consentiunt, non est opus diligentius persequi: nam si quæ sunt perspicua, in quibus non est controuersia, viri docti argumentari non solent: perspicuitas enim, vt ait Cicero, argumentatione eleuatur. His itaque omnium assensu approbatis prima conclusio est.

CAP. III.

Num. 1. SAnctorũ auctoritas, siue paucorũ, siue plurium, cùm ad eas facultates affertur, quę naturali lumine cõtinẽtur, certa argumenta non suppeditat: sed tantùm pollet, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit. Primùm

Primùm quidem, quoniam sancti auctores non erãt adeò soliciti in Philosophiæ dogmatis perscrutandis, quin philosophorum libros, vt totos sese diuinæ sapientiæ dederent, aut valere sinebant, aut etiam interdum à limine salutabant. Gregorius quippè Nazanzenus & Basilius tredecim annos, omnibus libris secularium remotis, solis diuinæ scripturę voluminibus operã dedisse reseruntur à Ruffino, lib. ecclesiasticæ historiæ suæ secundo cap. 9. & Hiero. in proœmio commẽtariorum 3. libro super epistolam ad Galat. Plusquã quindecim anni sunt, inquit, ex quo in manus meas nusquam gentiliũ literarum quilibet auctor ascendit: & si quid fortè inde dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somni recordamur. Et de studijs nostrorũ paulò pòst, Quotusquisq; ait, nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros nouêre vel nomen. vix in angulis ociosi eos Senes recolunt. Rusticanos verò & piscatores nostros totus orbis loquitur, vniuersus mundus sunt. Hactenus ille. Plura exempla non quæro, cùm manifestiùs hoc sit, quàm vt pluribus indigeamus.

Accedit quòd ex sanctis antiquis nõnulli Physicen & Metaphysicen vel nõ habuêre quidem, vel certè leuiter attigerunt. Alij verò magna ex parte fuêre Platonici, priusquam cõuerterentur ad fidem. Quamobrem cũ in Philosophiæ quæstiones incidunt, aut vulgi & Rhetorum opiniones sequuntur, aut etiam quas a Platonicis acceperant, in Christianorum scholam inuehunt. Ita viri docti errores fortè quosdam (quod ad Philosophiam quidem humanam attinet) in sanctis antiquis deprehẽdunt. Atque huius rei exempla proferre facillimum esset, sed non libet etiam in his paruis maiores nostros designare.

Num. 2. Secunda conclusio. Vnius aut duorũ sanctorum auctoritas, etiam in his, quę ad sacras literas & doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum verò non potest. Ita despicere, & pro nihilo habere, impudentis erit: suspicere & habere pro certo, erit omninò imprudentis. Atque hanc conclusionẽ demonstrat ratio illa manifesta, cui nulla prorsus via

sus via occurri potest. Quòd cùm sanctorum quisque, his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo errarit, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, apertè constat ex huiusmodi auctoritate exploratam fidē fieri non posse. Quo in loco admonendi sunt hi, qui præceptis Theologiæ nullis acceptis, post bonas, quas vocant, literas, statim ad sanctorum veterum lectionem appellunt animum.

Non enim quæcunq; ibi legerint, ea sunt probanda omnia. Nec quenquam hoc errore duci oportet, vt si quid Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamq; huius temporis fecerint, locutiúe fuerint, idē sibi arbitretur licere.

Primùm, quoniā res nonnullæ non erant tunc adeò in ecclesia definitæ, vt nunc esse videmus. Deinde, quoniam magnis illi & diuinis bonis quandam licentiā faciendi dicendiq́ue assecuti sunt, quæ non est passim cuilibet permittenda. Atque etiam si nostra hac ætate illi fuissent, quædam profectò aliter & facerent & loquerētur. Quid? quod, vt antè dicebamus, in rebus quoque ipsis, quæ ad fidem attinent, sancti nonnunquàm errauêre? à quibus si ne transuersum quidem vnguem discedendum sit, necesse est sanè in magnos quandoque errores, fidei etiam aduersos, incurrere. Num. 3.

At Gela. 15. distin. decre. cap. Sancta Romana, probat opuscula Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazanzeni, Basil. Ambrosij. Nihil ergo in his fidei catholicæ contrarium reperitur. Alioqui cur Ruffini opera non eodē modo ibi probata sunt, sed potiùs repræhensa: quod Hieronymus eum in quibusdā de arbitrij libertate notauit? Cur item Originis libri damnantur, non etiā Ambro. aut Cypria. si hi quoque in nonnullis fidem orthodoxam contradixerunt? Aut igitur damnentur omnes, in quibus error aliquis doctrinæ sanæ contrarius inuenitur, aut probentur omnes quālibet vno, & item altero errore sint aspersi. His videlicet argumētis. Gloss. 9. dist. decre. docet, ea D. Aug. testimonia, quib. certa fides veteribus derogatur, intelligēda esse secundū illa tempora cum

cùm scripta sanctorum patrum authentica nō erant, libet enim verba Glossę vsurpare. Sed hodiè, inquit, iubētur omnia teneri vsq; ad vltimum iota. Verùm hic error ab alijs confutatus nō desiderat orationē meam. Quid enim? An hoc agere Gelasius voluit, in veterū libris nō esse quicquam erroris? Atqui laterem, vt aiunt, lauerit quisquis isthuc conetur. Hanc siquidem felicitatē Deus in solis diuinis voluminibus inesse voluit, quemadmodum Aug. grauissimè ac verissimè tradidit. Cætero qui nemo quantumuis eruditus & sanctus nō interdū hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hęreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore & sensum pœnę & dolorem fuisse negauit. Sanctus fuit, qui in Chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterij culpam vxorem repudianti alterū matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animis piorum vsq; ad iudicij diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animā hominis ex traduce esse putauit. Sanctus fuit, qui animam Adę ante corpus fuisse editā opinatus est. Sancti fuêre, qui angelos multis ante mūdum corporeum æternitatibus creatos esse existimarunt. Atq; horum opuscula à Gelasio comprobata sunt. Hos ego tamen reuerentiæ causa proprijs nominibus non appello. Malo enim antiquitati sanctitatiq; parcere, quàm otioso lectori facere satis. Legentur itaq; à nobis patres veteres cum reuerētia quidem, sed vt homines, cū delectu atque iudicio. Quòd si quis aliter sapit, nec sanis consilijs acquiescit, hic iam non sanctorum religione, sed sui ipsius amore capitur; & sub veterum nomine nouas opiniones inuehere conatur. Qua de re Vincentius Lirinen. O rerum, inquit, mira conuersio. Auctores eiusdem opinionis catholici, cōsectatores verò hæretici iudicantur. Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli. Quod quidem mihi diuinitus promulgatū videtur esse iudicium, propter eorum maximè fraudulentiā, qui, cùm sub alieno nomine hęresim cōcinnare machinētur, captant plerunque veteris cuiuspiam viri scripta paulò inuolutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati Num. 4.

suo cõgruant, vt illud, quod profertur, ne primi, nec soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam odio dignam iudico. Quòd sancti cuiusque viri memoriam, tanquam sepultos iam cineres, prophana manu ventilãt, et quę silentio operire oportebat, rediuiua opinione diffamant, sequentes omninò vestigia actoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit. Longè aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam reuerendi patris nec suis temerare oculis, nec alienis patere voluerũt: sed auersi, vt scribitur, texerunt eum. Quod est, erratum sancti viri nec adprobasse, nec prodidisse. Hactenus ille.

Num.5. Ac rursum, Quid, inquit, si in ipsa vetustate duorum, aut trium error deprehendatur? Curabimus omninò, vt paucorum insciticæ vniuersalis concilij decreta præponantur. Quę si desint, collatas inter se maiorũ sententias lector coniulat eorum, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen ecclesiæ catholicæ cõmunione ac fide permanentes, magistri probabiles extiterunt. Et quicquid non vnus aut duo tantum, sed omnes pariter vno eodemq; consensu, apertè, frequenter, perseuerãter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit: id sibi quoq; intelligat absque vlla dubitatione credendum. Hæc Vin-

Num. 6. centius Lirinen. non minus prudenter, quàm verè dicit. Quibus ex rebus Caluini calumnia facilè retũditur, qua apud regem Galliæ Franciscum, vt Lutheranorũ impudentiam excusaret, Catholicorum innocẽtiam traduxit. Cùm enim Lutheranis verissimè ac grauissimè obijceretur, quòd patrum essent vbique & contemptores & aduersarij: Multa, ait Caluinus, ignorârunt sancti illi viri, sæpè inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsi pugnant. Tum deinceps, quotquot patrũ errores colligere potuit, falsè etiam illis affictos, enumerat, quærit q; Cur nos item à patribus discedamus? nos autem Diui Augustini partitione primùm vtimur, qui libro aduersus Iulia. 1. capit. 2. Alia sunt, inquit, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage non consonãt: alia verò, quæ ad ipsa fidei pertinẽt fudamenta. In prioribus illis à patribus nos quandoq; discedimus, in posterioribus Lutherani. Ac nos quidem modestè at reuerẽter oculos à patrum errore auertimus; Lutherani autem patres, aut irridendos, aut certè despiciendos propinant. Deinde nos ab vno interdum aut altero patrum dissentimus: at Lutherani ab omnibus consentientibus sæpè dissentiunt. Aliud est autem vnius, aut duorũ sanctorum priuatum dogma repellere, quod hac secunda conclusione aliquando licere dicimus, aliud verò contra omnium cõmunem fidem & doctrinã dicere, quod quatenus liceat, & quomodo, sequentibus conclusionibus demonstrabitur. Si priùs tamen explicatum fuerit quid sibi ecclesia velit, cùm sanctorum patrũ libros approbat. Id nanque à nobis in hac fortè disputatione desideratur. Nondum enim argumenta diluimus, quæ illius Glossæ opinionem confirmabant.

Ecclesiastici auctores etiam probatissimi non eodem *Num.7.* gradu & loco sunt omnes. Nec magnoperè conandum est eorum hic stultitiam refellere, qui libris canonicis Hieronymi, aut Augũstini opuscula æquârint. Quemadmodum autem res à Deo conditæ, probatæ quidem fuêre vniuersæ (Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona:) sed rerum variæ differentesque naturæ non eundem locum, vim, stabilitatem accepêre. Nã sunt corpora cælestia & corpora terrestria. Sed alia quidem cęlestium gloria, alia autem terrestriũ. Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. 1. Corinth. 15. Sic sanè scriptores ecclesiastici probati sunt, qui scilicet Spiritus sancti illustrati luce ecclesiam ipsi illustrârant. Sed alia tamen claritas Matthæi, alia Hieronymi, alia Isaiæ, alia Ambrosij. Atque auctores canonici, vt superni, cælestes, diuini, perpetuam stabilemq́ue constantiam seruant. Reliqui verò scriptores sancti inferiores & humani sunt, deficiuntq; interdum, ac monstrum quandoque pariunt, prẽter conuenientem ordinem institutumq; naturæ. Quin ergo probatur Eusebius Cæsarien episcopus? Quin Ruffinus? Quin Origenes? Nam & hi ecclesiam Christi suis literis illustrârunt. Nempè aliud fuit errare in rebus obscuris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quæ non erant est tempore explicatæ ac definitæ: aliud in apertis, & quæ tũc etiã in ecclesia firmissimè credebantur. Illud aut Cypriano, aut Ambrosio, aut Augustino accidit: hoc Origeni, Eusebio, ac Ruffino, Cyprianus item, Ambrosius, Hieronymus in nullo à sanctę Romanæ ecclesiæ consortio deuiarunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius gratia semper fuêre participes, vt Gelasij verbis etiam vtamur, at Origenes deseruit vnitatem, & fons Arrij iure ac meritò existimatus est. Hinc schismaticus à Gelasio dicitur. Hinc etiam Eusebius Origenis laudator nimius, Arrij fautor acerrimus repræhẽditur. Nam Ruffinus vir alioqui religiosus, præterquam quòd in lib. arbitrio re videlicet manifestissima errauit; Origeni, Origenisque discipulis vehementer fauisse conuincitur. Fuit autẽ ecclesia semper non solùm cauta, sed etiam acris & seuera in Origenistas, vt à quibus grandem in doctrina ecclesiastica pestem fuerit experta. Sed de secunda conclusionis. Iam pergamus ad reliquas.

Num.8. Terta conclusio. Plurium Sanctorum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, firma argumẽta Theologo sufficere & præstare nõ valet. Id ꝙ ex secũdo argumẽto antè posito satis ostẽditur. Angelos quoque esse corporeos, Augustac pauci quidẽ alij inter veteres sanctos asseruerunt: & quamuis opinio hęc falsa sit, sed tanquam fidei aduersa ex communi veterũ sententia euinci non potest. At Thom. VValden. in procemio doctrinalis fidei antiquę docet, ꝙ maior pars patrũ ab Apostolis senserit, id esse catholicæ ecclesiæ fidem. Idẽ quoq; Vincen. Lirin. tradit in libro aduers. ℞phan. nouationes. Vera sunt hęc, nõ inficior. Sed tunc, cum vnius aut paucorum contrariam sententiam ecclesia penitùs explosit, vt illorum, qui putarunt ab hæreticis venientes esse iterũ baptizandos: illorum etiam, qui Melchisedech non hominem quempiam, sed Spiritum S. esse dixerunt. Vtrunq; enim horũ post ea tempora ecclesia semper exhorruit. Porro autẽ si vnius, aut paucorũ opinatio non fuerit ab ecclesia reiecta, tum plurimorum auctoritas quemadmodum diximus, nihil certum firmumque

mumq; cõficiet. De tertia igitur conclusione hactenus.

Quarta conclusio. Omnium etiam sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit: certam tamen non facit. Quam ego cõclusionem postremo illo argumento abundè probatam existimo. Quòd enim ea controuersia nõ sit ex illarum numero, quę catholicam fidem aut promouere, aut immouere possint, vel ex eo perspicuum est, quòd beatam Virginem à peccato originali fuisse penitus liberam, è libris sacris iuxta germanũ literę sensum nusquam habetur. Quinimò lex generalis in eis traditur, quæ vniuersos filios Adam, carnali scilicet propagatione creatos, sine vlla exceptione complectitur. Nec verò dici potest, per traditionẽ Apostolorũ id in ecclesiam descendisse. Cùm huiusmodi traditiones non per alios, quàm per episcopos illos antiquos, & sanctos auctores Apostolis succedentes, ad nos vsque perue nerint. At constat, priscos illos scriptores non id à maioribus accepisse. Traderent enim bona fide & ipsi posteris suis. Non igitur ad fidem illud attinere potest, quod neque in sacris literis, aut Apostolorũ traditionibus inuenitur, neq; ex eis certa valet connexione confici. Cæterùm, quòd opposita etiã assertio, hoc est, D. Virginẽ peccatum originale à parentibus contraxisse, nõ sit in numero dogmatũ catholicorũ, manifestissimè colligitur ex eo, quòd à lege vniuersali per singulare priuilegiũ vnã Dei matrem excipere, saerarum literarum fidei nullo pacto aduersum est. Alioqui cùm sacrę literæ in vniuersum clament, Non videbit me homo & viuet, Deum nemo vidit vnquam, qui Paulum aut Moysen excepisset, sacras literas contra pugnasset. Atque ea causa est, nisi toto cælo animus meus errat, quamobrẽ nec Sixtus 4. nec concilium Lateranen. sub Leone 10. nec synodus Triden. sub Paulo & Iulio tertijs inchoata, eam quæstionem definierunt. Neutram enim ex illis opinationibus, poterant tanquam dogma catholicum approbare. Ita is errauit, qui asseruit, erroneum esse, aliquem præter Christum à lege illa originalis peccati liberare. Errauit ac multo etiam magis Basileense cõcilium, cùm definiuit, doctri

nam

Num.9.

nam illam, quæ docet beatam virginem Mariam nunquam originali subiacuisse peccato, tanquam consonã scripturæ sacræ ac fidei catholicæ amplectendam fore, nullique de cætero licitum esse in contrarium docere. In pari quippe errore versantur, qui alterutram partem ad catholicam fidem attinere posse credunt. Difficile est hoc dicere. Credo, si in concione quæratur, at hoc loco & disputatione facillimum. Non enim hic cum vulgi imperitia certamus, sed eos instituimus, qui veræ germanæque Theologiæ solidam & expressam effigiem tenere cupiunt, nec fugientes vmbras persequi. Propositum est autem, veri reperiendi causa, & contra nostros & pro alienis etiam dicere: &, cùm res postulat, vtrosque nullius accepta persona reprehendere. Atque in eo opere maximè, quod ad ecclesiæ publicam vtilitatem cudimus, priuatis non debuimus affectibus inseruire. Nec deerunt post hæc etiam ex viris planè doctis, qui me obiurgent, erunt etiam qui vituperent, quòd in quæstionem multis nominibus inuidiosam cõsultò & cogitatò inciderim, vt rem aliàs grauissimã nullius in Christiana religione esse momenti asseuerarem. At ego & benevolos obiurgatores placare, & inuidos vituperatores confutare possum, vt alteros reprehendisse pœniteat, alteri didicisse se gaudeant. Non mihi, fateor ingenuè, alia via patuit ad illud Erasmi argumentum eludẽdum, quo sanctorum auctoritatem acutè ille quidem tentauit eludere. Nec fuit integrum, quod hæreticis semper proprium fuit, antiquorum patrum libros corrumpere, & bonam etiam partem voluminum detrũcare, vt ore saltem reclamãte, licet conscientia possem, Bernardũ, Augustinum, Ambrosiũ, alioscq; item patres in ea fuisse opinione, negare. Quid enim prodest, si verum scire cupis, sanctorũ testimonia membranis inscripta radere, cùm animo insculpta abolere non possis? Porrò, si, vt sanctorum auctoritatem in doctrina catholica tueremur, quod erat ecclesiæ Dei apprimè necessarium, quorundã opinationes, ne dicam factiones, asseruimus non esse ad fidem & mores necessarias, quid est, per Deum obsecro, quòd nos ea de re valeat quicquã aut admonere amicè, aut ini-

aut inimicè insectari? Atque hæc quidem hactenus in quartæ conclusionis confirmationem dicta sunt. In qua etiam causa habemus testem satis idoneum & grauem Vincent. Lirinen. in libro aduersum prophanas nouationes. Vbi antiqua, ait, sanctorum patrum consensio nõ in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regula, magno nobis studio & inuestigãda est, & sequenda. Id quod quinta conclusione explicãdum est. In qua, quoniam huius loci cardo vertitur, etsi multa prętereunda, multa tamen dicenda sunt, & ad cognitionem sacrarum literarum vltissima, & ad scholæ vsum necessaria.

Quinta igitur conclusio est. In expositione sacrarũ literarum communis omnium sanctorum veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat, ad Theologicas assertiones corroborandas. Quippè cum sanctorum omnium sensus Spiritus sancti sensus ipse sit. Quam ego conclusionem magnis quidem argumentis cõfirmaturus sum, & q̃, nisi me fallit animus, controuersiam decernere ita possint, vt inter catholicos vltra referri quæstio nequeat. Aggrediar autem ad eam rem, si prius pauca quasi de fama Caietani dixero. Ego virum hunc, vt sæpè aliàs testatus sum, semper feci maximi. Plurimum enim ecclesiam Christi suis literis iuuit. Longum est autem hominis commendare siue eruditionem, siue ingenium: molestum etiam vniuersa ipsius opera commemorare. Illud breuiter dici potest. Caietanum summis ædificatoribus ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam quasi cuiusdam lepre admixtiõe fœdãsset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenij dexteritate confisus, literas demum sacras suo arbitratu exposuisset, felicissimè quidẽ ferè, sed in paucis quibusdam locis, acutius sanè multò, quàm felicius. Nam & vetustæ traditionis parum tenax, & in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa sed maiorum traditione, vera scilicet verbi Dei clauę, aperuerunt. Ita quum plurima scripsisset egregiè, vertit ad extremum omnia, & nouis quibusdam, scripturę expositionibus aliorum, quæ vel grauissimè dxerat, aut

Num. 10.

eleua-

grauissimè dixerat, aut eleuauit, aut imminuit certè auctoritatẽ. Inuitus quidẽ facio, vt doctissimũ virũ nomine etiam expresso reprehendã, sed, cùm noĩs ac gloriæ celebritas hoc loco à Lutheranis obijceretur, notandã temeritatem putaui. Atq; error, in quẽ incidit, est eiusmodi, vt eum ego submouere omni ratione debeam, nec sine summi tamẽ viri aperta reprehensione possim. In initio siquidem commẽtariorũ in Genesim, Si quãdo, inquit, occurrerit nouus sensus textui cõsonꝰ, quamuis à torrẽte doctorum sacrorum alienus, æquum se præbeat lector censorem. Et paulò pòst Nullus, ait, detesteretur nouũ sacrę scripturę sensum, ex hoc quod dissonat à priscis doctoribus: non enim alligauit Deus expositionem scripturarum sacrarum priscorum doctorum sensibus, sed scripturę ipsi integræ sub catholicæ ecclesiæ cẽsura. Alioquin spes nobis & posteris tolleretur exponendi scripturam sacram, nisi transferendo, vt aiunt, de libro in quinternum Hactenus ille. Ac re vera sequi maiores nostros pomnia, & in illorum vestigijs nos quoque pedes nostros figere, vt pueri faciũt per lusum, nihil videtur esse aliud, quàm ingenia nostra damnare, iudicio nos priuare nostro & facultate inquirendæ veritatis. Sequamur veteres, benè habet, sed vt duces, non vt dominos. Nõ enim fidei nostrę dominaturi sunt, nec illis ita debemꝰ esse addicti & mancipati, vt sacris literis exponẽdis nullum habeamus arbitrium. Hoc scilicet argumento Caietanus moueri potuit, vt quintæ cõclusioni aduersaretur. Nam Lutherus crassioribus coniecturis commoueri solet. In prologo siquidem assertionis suorũ articulorum, patrũ auctoritate dicit neminẽ esse cogendũ, quòd in omnium scriptis multi inueniãtur errores, sæpè sibijpsis pugnẽt, sæpè inuicem dissentiant, & scripturas torqueant. Leges autem interpretandi verbi Dei nullas patitur. Quòd verbum Dei nõ debeat esse alligatum, sed liberum. Quodque eiusdem sit leges cõdere & interpretari. Quare homines legum quidem humanarum certos interpretes esse posse, diuinarum aũt nullo modo. Hãc eandem sententiam tenuit VVicleffus apud Thomam VValden. lib. doct. fi. anti doctrin. 3. eandem quoque Petrus Abailardus

Si nouus sẽsus esset, sed non sanctorum sensus discors et dissidens: benè haberet fortasse. At nouus sensus qui ita à priscorũ sententia discrepet & abhorreat, vt sit verè contrarius, erroneus sit necesse est. De hoc autem Caietanus loquitur vt patet. Num. 11.

dus tenuit in ipso statim suarum disputationũ exordio: vt auctor est Diuus Bernardus in epistola ad Innocen. numero 190. Ecclesiasticorum doctorũm, inquit Bernardus, vnam omnium de hac re Petrus Abailardus dicit esse sententiam, & ipsam ponit ac spernit, & gloriatur se habere meliorem, non veritus contra præceptum sapientis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri. In eadem etiam erroris naui fuêre Arrius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, vt septima synodo actio. 1. Anathematismo 7. Basilius ipse fatetur. De Arrio certè eiusque discipulis habes testem Alexandrum Alexandriæ episcopum lib. 1. histo. tri. cap. 14. Nestorius autem dum eloquens fuisset, & se putaret doctum, libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusque se meliorem putabat esse, vt lib. 12. hist. trip. cap. 4. refertur. Eadem etiam via ingressus est Paulus Samosatenus, Eusebio auctore lib. 7. ecclesiast. hist. ca. 26. Seueriani quoque eadem via ingressi sunt, vt idem Euseb. lib. 4. eccle. histo ca. 29. testatur. Quid verò Vincentius Lirinen. aduersus prophanas nouationes de Origene referat, non pigebit adscribere, vt vel hoc vno exemplo viri pij sacris literis exponendis discant esse modesti. Cùm igitur is auctor Origenis ingenium, eruditionem, eloquentiam, virtutesque alias admirabiles extulisset, Hic idem, ait, tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cùm paruipendit antiquam Christianę religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria contemnens, quędam scripturarũ capitula nouo more interpretatur, meruit vt de se quoque diceretur: Si surrexerit in medio tui, ppheta, &c. Deute. 13. Hæreticorum itaq; & schismaticorum communis fuisse videtur Caietani illa sententia. Nec ego hic tamen hęreticos volo argumentando reuincere. Quid enim illis facias, qui eadem impudentia & apostolicę sedis iudicia, & cõciliorum dogmata, & apostolorum traditiones, & sanctorum omnium doctrinam contempsêre? Aduersus *Num. 12.*

Caietanum

Caietanum omnis oratio suscipitur à nobis, qui, vt erat ingeniosus, nostras rationes expenderet: vtq; erat pius auditis grauissimis testimonijs minimè refragaretur. Atque nobis vnum sat erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. Sed Caietanus auctoritatem contemnit, ratione pugnat: patietur igitur rationes meas cum sua ratione contendere. Quanquam à Philosophis quidem rationem philosophicæ conclusionis iure forsitan postularis, in sacrarum autem literatum intelligentia maioribus nostris debes, nulla etiam ratione habita, credere, & quas sententias de lege, de fide, deque religione abillis accepisti defendere. Ego verò eas defendam, semperque defendi. Nec me ex eo sensu, quem à patribus accepi, vllius vnquam ratio, aut docti, aut indocti mouebit. Sed agè, ratiocinemur, ostendamusque in expositione sanctarum scripturarum concordem antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse catholici. Sed prius tamen quid maiores nostri de ea re senserint, explicemus. Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo quid didicerim, non modò Theologorum ratiocinationibus, verùm etiam testimonijs antiquitatis.

In exposi. Sanct. scri. tenẽdus est sensus anti quorum cõ cors.

Num. 13. Epist. 5. 37. dist. c. Relatum.

Clemens in primis ad discipulos Hieros. Relatum est, inquit, quosdam docere, non secundum traditionem patrum, sed iuxta sensum suum. Multas enim ex his, quæ legunt secundum ingenium hominum verisimilitudines capiunt. Ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei non secundum propriam intelligentiam doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi quisq; spontè præsumpsit. Quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleritis, alienum & extraneum debetis quærere, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat: vt & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Hactenus Clemens. Qui & li. 10. recogniti. (si liber hic modò recipitur) documẽtum hoc à Petro apostolo se accepisse testatur.

Lex Dei nõ est docenda secundum propriam intelligentiam.

Dionysius item 1. ca. lib de cæleſt. Hierar. Ad sanctissimarum

simarum, ait, scripturarum intelligentias, prout illas à patribus accepimus, cõtuendas pro viribus pergamus. Accedit eodem testis locuples Irenæus, qui etiam scribit lib. 4. ca. 63. expositionem legitimam scripturarum per traditionem maiorum accipiendam.

Epiphanius rursum, cùm hæreticos, qui se vocabant Apostolicos, refutat, Scripturæ, inquit, speculatione indigent, ad cognoscendam vniuscuiusque argumenti vim & facultatem. Oportet autem & traditione vti, nõ enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Hæc Epiphanius. Traditionem autem sine dubio vocat intelligentiam & sensum à patribus acceptum. Illam enim clauem verbi Dei esse, auctor est Petrus apud Clementem lib. 10. recogni. hanc autem legisperiti habuisse dicuntur, ad quos, scilicet traditiones Moysis & seniorũ, quasi per manus venerant.

Here. 61.

Clemens verò Alexandrinus Strom. lib. 7. qui aduersus ecclesiasticam traditionem scripturas interpretantur, hos regulam veritatis amisisse affirmat. Et posteà eodem quoq; lib. de hæreticis disserens, Gloriæ, inquit, tenẽtur desiderio, qui ea, quæ ex sua natura conueniũt, sermonibus diuinitùs inspiratis tradita, à beatis Apostolis & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni. Nã inter eos viros, qui tanti erãt in ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum à Marcione, Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi recta via? neq; enim eos, qui præcesserunt, superare poterant sapientia, vt aliquid adinuenirent ijs, quæ ab illis verè dicta sunt. Sed benè cum eis actũ esset, si scire potuissent ea, quæ prius sunt tradita. Atque Origenes tractatu in Matth. 29. Quoties hæretici, inquit, canonicas proferũt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Hæc Ori.

Ambrosius quoq; tertio ad Gratianum de fide libro, *Cap. 7.*

Seruemus, ait, præcepta maiorũ, nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus, librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum à cõfessoribus, & multorum iam martyrio consecratum?

Alij legunt designare.

Hieronymus insuper in epist. ad Euagrium, Reuolui me, inquit, ad veterum libros, vt viderem, quid singuli dicerent, vt tibi quasi de multorum cõsilio responderem. Et deprehendi, horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse, vt diceret Melchisedech hominem fuisse Chananæum, & post multa, quæ narrare longissimum est, Habes ait, quæ audierim, quæ legerim de Melchisedech. Meum fuit recitare testes, tuum sit de fide testium iudicare. Quòd si omnes repuleris, tuum certè illum spiritualem interpretem non recipies, qui tanto supercilio & auctoritate Melchisedech Spiritum sanctum pronunciauit, vt illud verissimum comprobârit, quod apud Græcos canitur: Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Et in Danie. 12. c. Scripturæ, inquit, sanctæ intelligentiam absque Dei gratia & doctrina maiorum sibi imperitissimi vel maximè vẽdicant. Et in epistola illa ad Paulinum celebri, multis & testimonijs exemplisq; & rationibus elegantissimè docet, neminẽ in scripturis sacris sine præuio & monstrante semitam posse ingredi. Id quod Clemens Alexand. 5. Strom. libr. docuerat. Et Cicero, In vniuersum nulla ars, inquit, literis sine præceptore & interprete percipi potest. Is autem ad sacras literas sine doctore aggreditur, qui neglecto sensu antiquorum patrum, arcanam scripturam ex suo interpretatur.

Vide etiã eundẽ Augu. in proœm. lib. de doctri. Christ.

His etiam similia concinit Augustinus in libro de vtilita. cred. ad Honoratum cap. 7. Cùm enim sacros iste libros sine aliena ope & legere & intelligere se posse arbitraretur, ità ne est, Augusti. ait? Nulla imbutus poëtica disciplina Terentium sine magistro attingere non auderes, Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poeta possit intelligi, tu in sanctos libros sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam. & capit. 17. Si vnaquæque disciplina, inquit, quanquam vtilis & facilis, vt percipi possit,

possit, doctorem, aut magistrum requirit, quid temeratiæ superbiæ plenius, quàm diuinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere? Hactenus Augustinus. Gregorius etiam lib. 28. Mora. capit. 9. hanc etiam conclusionem confirmat, exponens de sanctis doctoribus illud, Super quo bases illius soli datæ sunt.

Vnum his Cassiodorum adijciam in proœmio, li. diuinarum institu. differentem in hæc verba: Ad diuinam scripturam ascendamus per expositiones probabiles patrum, velut per quandam scalam visionis Iacob, vt eorum sensibus prouecti, ad cognitionem domini efficaciter peruenire mereamur. & lib. eod. c. 11. Sunt nõnulli, ait, qui putant esse laudabile, si quid cõtra antiquos sapiant, & aliquid noui, vt periti videantur, inueniant. Et cap. eiusdem libri 25. Cuncta, inquit, quæ antiqui expositores probabiliter dixerunt, solicita mente tenenda sunt: illa verò, quæ ab eis intacta sunt relicta, ne infructuoso labore fatigemur, primùm rimanda sunt, quas virtutes habeant, aut ad quæ nos instituta perducant.

Adde huc quoque Gregor. Nazan. & Basil. qui vt libro 11. Eccles. histo. Ruffinus tradit, diuinarum scriptu- *Cap. 91*
rarum intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate secuti sunt. Quos & ipsos ex Apostolica successione intelligentiæ regulam susc episse constabat. Hactenus ibi. Atque hæc satis erant homini modesto, vt in nostram sententiam induceretur. Nam clarissimis monumentis contestata consignataq; antiquitas, quem non moueat? Certè cùm Clementem, Dionysium, Irenæum, Epiphanium, Nazan. Basi. Amb. Hier. August. Cassio. Bernar. audio vnũ idem præferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidẽ & sanctissimorum, attamẽ hominum, me audire sententiã: sed Catholicæ Ecclesiæ, cuius illi fuere columnæ præcipuæ. Nec enim aliud viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, quàm quòd communiter ecclesia catholica sentiebat. Sed habemus præterea grauiores testes ad huius rei fidem plenam & integrã faciendam. Dixerit enim fortasse quispiam testimonia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferè illa, quæ retulimus, aduersum Lutheranos magis, quàm Caietanum facere. Non enim hîc adeò fuit insolens, vt aut omninò veterum magisterium cõtemneret, aut eorum in sacras literas commentaria. Negauit solũ communem antiquorum intelligentiam certam esse lineam, ad quam intelligentias nostras semper dirigere debeamus. Id quod nondum adhuc videmur refelliſſe. Verùm, vtcunque hæc habeant, placet mihi iugulũ causæ petere, ac propiùs conferre pedes, vt Caietani error certiſſimis argumentationibus refutetur.

Num.14. Primùm aũt in synodo sexta generali sess.11. ob id damnati sunt Origenistę, quòd easdem expositiones, quas hîc nouas Caietanus infert, conati fuerint contra maiorum traditionẽ inuehere. Multa alia, ait Sophronius, extra Apostolicam atque paternam traditionem asseuerunt, paradysi plantationem proijcientes, in carne Adam formatum fuisse nolentes, ex eo Euam formatam fuisse vituperantes, serpentis sonitum refutãtes. Hactenus ille. Est autem probata hęc Sophronij epistola Synodica actione 13. eiusdem sexti conci. generalis.

Deinde Canon 19. Synodi Trullanæ sic habet: Oportet eos, qui præsunt ecclesijs, clerum & populũ docere, ex diuina scriptura colligentes intelligentias & iudicia veritatis, & non transgredientes iam positos terminos vel diuinorum patrum traditionem. Sed etsi ad scripturã pertinens cõtrouersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo ecclesię luminaria & doctores suis scriptis exposuerunt, & maiorem ex his laudẽ assequantur, quàm si ea, quę à se dicuntur, cõponant. Ne, dum quandoq; ad id hæsitant, ab eo, quod conuenit, excidant. Hactenus concilium Trullanum.

Adhæc, cùm de intelligẽtia illius testimonij Ioannis *Ioan.19* Euangelistæ, Ad Iesum aũt cùm venissent, vt viderunt eum iã mortuum, &c. inter fideles quæstio esset exorta, eaque ad Viennen. Conci. referretur, Clemens concilio *Clem.1. de sum. Trin.* præsidens ita loquitur: Nos ad sanctorum patrũ & doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem conuertentes, sacro approbante concilio declaramus, &c. Sedes ergo Apostolica & Viennen. conci-

concilium, cùm de fide & intelligentia sacrarum literarum pronunciant, sanctorum communem sensum tanquam Thesei filium tenent, eosque quasi duces intelligentiæ sequuntur.

Concilium quoque Lateranen. sub Leone decimo, acti. 11. præcipit omnibus, qui Euangelicam veritatẽ populo docturi sunt, vt sanctam scripturam iuxta interpretationem doctorum, quos ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, explanent. Nec quicquam eis proprio sensu contrarium aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ à præfatorum doctorum interpretationibus non discordant.

Est prętereà idẽ definitum apertius in synodo Triden. sess. 4. in hæc verba: Decreuit sancta synodus ad coërcẽda petulãtia ingenia, vt nemo suæ prudẽtię innixus, in reb. fidei & morũ ad ædificationẽ doctrinę Christianę pertinentium, sacram scripturã ad suos sensus cõtorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, aut etiam contra vnanimem cõsensum patrum ipsam scripturam sacrã interpretari audeat. Hactenus concil. Triden. Poteram huc addere decretum quintæ synodi ex Iuone titulo 11. libro 2. cap. 14. Alterum etiã simile cõcilij Melden. cap. 11. ex Burch. libro 1. cap. 61. sed multa prætermimus, ne disputatione longa negotiũ lectori faceſſamus. Sed enim è sacris quoque literis ad eiusdem rei confirmationẽ habemus testimo- *Num.15.* nia non pauca. Ac primum illud ex Ecclesiastico cap. 8. Nõ te prętereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniã ab ipsis disces intellectum, & in tẽpore necessitatis dare responsum. Deinde illud Apostoli ad Ro. 12. Nõ plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei: Habẽtes donationes secundum gratiã differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, *Prophetæ* &c. Illud verò constat, Prophetæ vocabulum Apostolo *vocabulũ* vsurpari nõ modò pro eo, qui futura videt atq; prænũ- *vario modo* ciat, verũ etiã pro eo, qui Spiritus sancti dono, Prophe- *in scriptu-* tarum, Christi, Apostolorũ, oracula intelligit & exponit. *ra sumi-* Iubet autem Paulus, vt qui eiusmodi munus in ecclesia *tur.*

Universidad de Deusto Biblioteca

suſceperit, primũ quidem non plus ſapiat, quàm oportet, ſed ad modeſtiam & temperantiã ſapiat: deinde, vt prophetiam habeat ſecundum rationẽ fidei. Hoc eſt: Ne ſacris literis exponendis humani acumen ingenij, aut naturæ vim rationemq; ſequatur, ſed eas iuxta fidem à maioribus acceptam, & huius fidei proportionalem rationem interpretetur. Nam philoſophos quidẽ poteris forſitan exponere iuxta rationem ſcientiæ, nulla etiam adhibita fide, at ſacros libros, ſobriè ſine maiorum fide & doctrina non poteris. Sed & qui explicando Ariſtotele veteres omnes Peripateticos pro nihilo haberet, & his magna conſenſione reclamantibus ex philoſophi ſententia paradoxum nuſquam auditum noua nobis interpretatione præſcriberet, parum ille ſobrius haberetur. Multò verò etiam magis, qui in Apoſtolorum libris ſuopte ingenio nouas quaſdam ſententias comminiſcitur, eaſq; Apoſtolorum diſciplinis & antiquis omnibus interpretibus aduerſas, hic non eſt profectò, cur ſatis ſanus habeatur. Sed de ſecundo teſtimonio ſatis.

Tertiũ 1. ad Corin. 14. habes, Prophetæ, inquit, Apoſtolus, duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Ne quis autem à reliquis temerè diſſentiat: Non eſt aũt, ait, diſſenſionis Deus, ſed pacis: id eſt, non eius, qui à cõſentiendi vnitate defecerit, ſed eorum, qui in conſentiendi pace permanſerint, vt Vincen. Lirinen. expoſuit. Sicut in omnibus, inquit, eccleſijs ſanctorum doceo, hoc eſt, Catholicorum. Quæ ideò ſanctæ ſunt, quia in ſanctorum communione perſiſtunt. Ac ne quis tandem harum rerum iudicium ad ſe vnum deſpectis cæteris reuocaret, paulò pòſt addit: An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit? Si quis videtur eſſe propheta, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Mandatũ vtiq; eſt, vt ſi quis eſt ſpiritualium rerũ magiſter, ſummo ſtudio vnitatis cultor exiſtat: vt nec opiniones ſuas cõmunibus reliquorum omniũ præferat, & ab vniuerſorũ ſenſib⁹ nõ recedat. Id fiet aũt, ſi duo præcepta teneantur. Vnum, vt ſacrarum literarum interpres ſemper in priores ſpectet, à quibus verbũ Dei proceſſit in poſteros. Huius enim rei Apoſtolus Corin-

Corinthios monet, inquiens, An à vobis verbum Dei proceſſit? Alterum, vt ne ſenſum ſuum tenaci contentione defendat, ſed prius reliquos eccleſiæ doctores conſultat, vt ſi viderit omnibus id probari quod ſentit, tutò iam teneat: ſin reprobari, tutò iam deſerat. Hoc enim ſignificat Apoſtolus dicens, Aut in nos ſolos peruenit? Sic enim mihi planè videor Pauli ſententiam interpretari. Quòd ſi hoc Apoſtoli teſtimonium videbitur cuipiam ad ſuadendum magis, quàm euincendum idoneum; cum illo non exiſtimarim equidem contentioſa diſputatione certandum. Non enim vel ipſi credimus, omnia argumenta, quibus vtimur, eſſe palmaria. Quartum porrò eiuſdem apoſtoli teſtimoniũ grauiſſimum eſt. Habetur autem ad Ephe. 4. in hęc verba: Et ipſe dedit quoſdã quidẽ apoſtolos, quoſdam aũt prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus magiſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti, vt non ſimus iam paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionẽ erroris. Quæ quidem Pauli verba, quoniam in tertio loco vberiùs explicata ſunt, leui nunc brachio attingemus, quãtumq; ſatis erit ad id, de quo nũc agimus, confirmandũ. Ex his itaq; verbis planè intelligitur diuinæ prouidentię fuiſſe, vt non ſolùm prophetarũ, apoſtolorũ, & euangeliſtarum codices haberemus; verumetiam ſanctorum doctorum in illos cõmentaria. Ob eam enim certè cauſam, poſt prophetas, apoſtolos, & euangeliſtas eccleſiæ à Chriſto doctores dantur, vt illorum ſacros hi libros interpretentur. Hos ergo in eccleſia Dei diuinitus per tẽpora & loca procuratos, quiſquis in ſcripturæ ſenſum eundem conuenientes contempſerit, nõ hominem contemnit, ſed Deum: à quo in id illi fuêre deſtinati, vt populum Chriſtianum ſacras prophetarũ, apoſtolorum, euangeliſtarumq; literas edocerent. Quòd ſi ſancti omnes, dum illos interpretarentur, errarunt; Deo auctore erraret eccleſia, cùm doctores ſibi à Chriſto datos ſequeretur, & in ſacrorum codicum intelligẽtia eorum veſtigijs inſiſteret, Nec me clam eſt, Paulinũ, Auguſtinumque in e-

in epistola 58.& 59. Prophetas in hoc Apostoli testimonio nō eos accipere, qui antè domini aduentum futura prædixerāt, quorū nos scripturas vt canonicas ac diuinas retinemus, sed illos, qui in ecclesia Christi tempore apostolorum prohetandi gratia eminuēre. At, quoniam vtrosque ecclesiæ à Christo datos negare non possumus: nihil mirum videri debet, si neutros ab apostoli verbis excluserimus. Sed quærat hic forsitan aliquis: Cùm sit perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, vt ei sanctorum & intelligentia iungatur, & auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sui & altitudine & obscuritate non vno eodemq; sensu omnes accipiunt, sed aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter nanque illam Nouatus, aliter Sabellius, aliter Arrius, aliter Donatus exponit. Quorcirca necesse est, vt propheticæ & apostolicæ interpretationis linea propter tam varij erroris an fractus secundum normam aliquam dirigatur. Ob id ergo post prophetas, apostolos & euāgelistas, sanctos quoque doctores accepimus; quò eorum catholicam, hoc est, vniuersalem intelligentiam, tanquam ecclesiæ regulā à Deo præscriptā sequeremur. Præclarè igitur illud adiectū est, Ad cōsummationē sanctorum, in ædificationē corporis Christi, ne simus paruuli &c. Ac de verbis quidem apostoli hactenus. Nunc Salomonis vnicum testimonium addemus, quod si diligentiùs expendatur, multum conferet ad eam rem, de qua disserimus, corroborandam. Verba sapientium, ait, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi. Quæ per magistrorum conciliū data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras. In quem locū Hieronymus, Exceptis, inquit, his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, & à cōcilio atq; consensu probata sapientium, nihil tibi vindices, maiorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes. Hæc Hieronymus. Nos verò, quis ille vnus pastor sit, per Ezechielem intelligimus: Suscitabo, ait, super ea pastorem vnum, qui pascat ea, ipse erit eis in pastorem. Ne autem existimares quod ipse per se Chri-

Vincen. Lirinen. & quærit & respondet.

Aduersum quos durū sit recalcitrare.

Ezec. 34.

Christus hoc semper esset facturus, per Hieremiā monet inquiens, Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos sententia & doctrina. Quòd autem verba sanctorum data fuerint ab illo pastore vno, talis tantusq; omnium consensus ostendit, nec enim intelligere idem omnes vna mente possent, nisi vno eodemq; Christi spiritu in ea vnitate cōtinerētur. Vnde diuinè ait Salomō per magistrorum concilium data esse à pastore vno. Sanctos quippè antiquos sapientes fuisse nemo negat, ecclesiæ fuisse magistros certò cōstat, à Deo fuisse ecclesiæ datos, Christi ergo ecclesiam prouidentia manifestat: datos esse vt apostolorum, prophetarū, euāgelistarūq; oracula exponerēt, Paulus innuit: ab vno pastore tam multos atque adeò diuersis & loco & tempore fuisse procuratos, sentētiæ vnitas & concordia mōstrat. Vt nihil aliud, quàm magistrorum concilium liceat intueri, quod ab vno veritatis spiritu fuerit congregatū. Certè, vt Augustinus lib. aduersus Iulianū 2. dicit, Si episcoporum synodus ex toto orbe cōgregaretur, vt cōtrouersiam decernerent circa sacros lib. exortam; nec tales possent facilè sedere, nec tot. Quia nec sancti vno tēpore fuerunt. Te nūc, Caietane pater, si filio patrem appellare licet, appello, te Caietane, inquam, appello, te in concilium voco, te non in lyceū aut Academiam induco, sed in sanctorum patrum pacificum honorandū. que conuentū. Pone tibi ob oculos, rogo te, tam numerosam seriem eruditissimorum virorū, quos in hunc vsque diem tot seculorū consensus approbauit: quos præter admirabilem sacrarum literarum peritiā, vitæ quoque pietas mira cōmendat, Aspice illos, obsecro te, quodammodo aspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi, Itáne nos, fili Caietane, in sacrarum expositione literarum simul omnes erramus? Itáne nobis omnibus, quos ecclesiæ Christus præceptores dedit, spiritus intelligentiæ defuit? Itáne tu vnus aduersum nos pugnare audes, & ecclesiam credis vnius sensum hominis secuturam, huius verò grauissimi sanctissimique senatus commune iudicium deserturam? Vtrum plus tribuendum esse iudicas, tot eruditorum, sanctorum martyrūq;

Cur sancti Doctores in ecclesia dati sunt.

Num. 16.

præiudicijs, an tuo singulari priuatoque iudicio? Respō debis ne ad hæc, aut omninò hiscere audebis? Videre mihi videor, Caietane pater, modestiam tuam ingenijq; candorem, atque adeò in sanctos religiosam reuerentiā & pietatem, & quasi coram esses audio vocem tuam aures meas circumsonantem, vicimus vtrique. Vterq; nostrum palmam refert: tu mei, & ego erroris. Sed nescio, *Num. 17.* bone lector, quò me impetus animi & nimius discrendi calor euexit. Nam & Caietanus eo iam diu loco est, vbi omnes sine mea disputatione vicit errores: & egonō consueui eorum insultare erroribus, quorū miror ingenia. Sed nos, vt cœpimus, persequamur, & Theolog. quoque rationibus hūc errorem cōfutemus. Licet enim ad fidem in Theologia faciendam auctoritas plus polleat, quàm ratio; quippè cū ea sine ratione satis habeat momenti, ratio sine auctoritate non multum valeat. Sed auctoritati tamen ratio coniuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem viriū. Et nos iam inde à principio pollicebamur hanc cum Caietano causam, ratione magis, quàm testimonijs transacturos.

Primūm autem, qui nouā hanc exponendi sacras literas rationē suscitant, hi, præterquàm q̄ veteres obterūt maiorum laudes, cum vanis hominibus, tum magis hæreticis exemplo sunt, vt nouis falsisq; commentis sacrarum literarum vera sensa contaminent. Quòd si semel admissa fuerit hæc licētia, vt libros sacros pro suo quisque arbitrio interpretetur, horreo dicere, quantum abolendæ religionis periculum consequatur. Etenim vna qualibet particula sanctarum scripturarum humanorum ingeniorum liberari permissa, alia quoque atque alia & omnes iam quasi ex more reliquę humanitùs tractabuntur. Porrò autem si totam scripturam diuinā, hominum quorumlibet ingenio arbitratuq; exponi liceat, nihil firmum relinquetur. Sed sit ibi deinceps errorum lupanar necesse est, vbi erat antè castæ & incorruptæ sacrarium veritatis, quemadmodum Vincent. Lirin. non minùs verè, quàm eleganter asseruit. Quin etiam præter incommoda, & multa & magna, quæ futuris in ecclesia fidelibus hæc opinatio affert, ecclesiam, quæ nos antecessit,

cessit, erroris grauissimi nota liberare nequit. Cū enim siue concionatores, siue scriptores omnes, qui sanctis antiquis succesſere, sacræ scripturæ sensum populo tradiderint, iuxta doctrinam à sanctis acceptam: populus autem sensum eundem fideliter acceperit: nimirum qui concordem sanctorum veterum expositionem reijcit, intelligentiam, quam hactenus ecclesia habuit, reijcere cōuincitur. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latiùs. Sancti omnes exposuēre, Euam è costa Adæ, vt litera sonat, fuisse conditam. Id quoniam sacerdotes sequentes ita inuenēre à sanctis expositum, populo Christiano sedulò significarunt, & populus ipse bona vtique fide credidit. Ita efficitur, vt sanctis antiquis erantibus in illius loci interpretatione, tota ecclesia in eodem fuerit errore versata. Atque sanctorum & ecclesiæ ignorationem esse coniunctam, Nestorius planè intellexit à concilio Ephesino damnatus in hæc verba: Inuecti sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quòd sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicunque ante se magisterij munere prēditi diuina eloquia tractauissent. Totam etiam nunc ecclesiam errare, quæ, vt ipsi videbatur, ignaros doctores sequeretur. Hactenus Ephesi. concilij, refertur autem à Vincen. Lirinensi. in libello verè aureo, aduersum prophanas nouationes.

Adde, quòd vt iam pridem dicebamus, in his, quorū cognitio non pertinet ad populum, Ecclesiæ fides, fides maiorum est. Cùm igitur è scriptura sacra veram & synceram intelligētiam acciperenon spectet ad plebem, nisi Lutheranorum insaniam sequi volumus, patrum certè nostrorum in libris sacris intelligentia, ecclesiæ intelligētia ipsissima est. Quamobrem si sancti omnes antiqui diuinis literis intelligendis errarunt, ecclesia dubio procul errauit: idque Deo præcipiente. Peccaret enim populus, si scripturæ iuxta sanctorum omnium sensum expositæ repugnaret: in his præsertim, quorum iudicium non ad plebem, sed ad maiores spectat.

Nō spectat ad plebem veram intelligentiā ex scriptura sancta hauire

Præterea, ab omnibus sanctis, cōmuni, vnaq; mente idem sentientibus, non potuit Dei verbum recedere. Vt vide-

videlicet omnes simul haberent aliquam scripturam pro canonica, quæ canonica non esset, aut ediuerso aliquam communi consensu exploderent, quæ canonica esset. Ergo nec vera intelligentia verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Vtrumq; enim ecclesiæ promissum est, & spiritus & verbum: & si vtrumlibet omnibus sanctis doctoribus defuisset, Ecclesiæ quoque pariter defuisset. Illud autem, quod priore loco assumptum est, si minus intelligitur, ex alijs fidei dogmatis percipi potest: in quibus sanctos simul omnes errare non posse, magnis argumentis ostēsuri sumus: nec ita multò post, sed pauca antè dicenda sunt. Quod verò & verbum & spiritus intelligentiæ in ecclesia coniuncta sint, quemadmodum posteriori loco assumebamus, per Isaiam Dominus in hæc verba testatur, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodò vsq; in sempiternum. Semen verò Christi fidelium ecclesiam esse negabit nemo, qui vel parum fuerit in sacris literis exercitus. Quis est igitur, qui res à Christo in ecclesia copulatas audet errore diuellere, & aut verbū aut verbi sensum sanctis omnibus ac proinde ecclesiæ tollere?

Omnes sancti simul errare nō possunt.

Isa. 59.

Præterea, vt Hieronymus in comment. super 1. caput epist. ad Galat. ait, ecclesia Dei, quæ à posteris Apostolorum fidem audiuit, non accepit hominis euangeliū, sed Dei. Doctores enim ecclesiæ, inquit, non tam ipsi docēt, quàm in ipsis Deus, qui ad sanctos loquitur, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Qui autem dij sunt, tradunt Dei euangelium, & non hominis. Marcion & Basilides & cęteræ hęreticorum pestes, nō habent Dei euangeliū: quia nō habent spiritum sanctum, sine quo humanum fit euangelium, quod docetur. Hactenus Hieron. Et eodem loco statim, Nec putemus, inquit, in verbis scripturarum esse euangeliū, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: nō in sermonū folijs, sed in radice rationis. Alioquin & diabolus, qui loquitur de scripturis, & omnes hæreses inde sibi consuūt ceruicalia. Grande periculū est in ecclesia loqui, ne fortè interpretatione peruersa de euangelio Christi hominis fiat euangelium aut

Psalm. 81.

aut, quod peius est, diaboli. Hæc quoque Hieronymus. Quæ, vt conferamus in pauca, hanc rationem habent: Si à sanctis antiquis Apostolorū successoribus fideles sensum scripturæ falsum accepêre, certè non receperūt Dei euangelium, qui non est in verbis scripturarū, sed in sensu: non in litera occidente, sed in spiritu viuificante: non in membranis, sed in cordibus. Id quod non Hieronymus modò, verùm etiam Hilarius in lib. ad Constan. Augustū tradit. Et si lex spiritualis est & spiritu indiget, vt intelligatur, ęp in primo iam loco abundè mōstrauimꝰ, ecqua rogo tanta demētia est, Spiri. S. mihi vni affuisse dicere, sanctis oībus defuisse? Agè enim, vt à diuinis ad humanas rationes nostra dēfluat oratio, si in scripturę interpretatione quicquā tribuitur ingenio & eruditioni, quid Græcorū ingenijs aut acutiꝰ aut perspicacius? Quid in literis sacris exercitatius? Nec verò Latinis sanctis defuit ingenium, nec literarum sacrarū peritia defuit. Nolumus enim modò aut Latinos Græcis, aut Græcos Latinis anteponere. Vtrosque constat & ingenio & eruditiōe valuisse. Quòd si in hoc iudicio magis spectatur vitę sanctimonia, quis homo recens veteres illos ecclesiæ primarios viros excellet? verū, aiūt, Sed homines erāt. At ego & nouicios istos interpretes homines esse reor. Audio, quid multitudo facit ad sensum spiritus? Respōdeo, Quid facit paucitas? sed & in his, quę vel apud homines fide creduntur, nonnihil facere solet testium multitudo, maximè seniorum. Nam veterrimi quiq; solent esse grauissimi. Iuniores autem quasi pueri, si speciem afferant veritatis, non est illa quidem protinus repudianda: vetustas tamen suo loco conseruanda est. Maxima enim est vis & auctoritas vetustatis: & vbi cum nouitate certet, est illa sine dubio pferenda. Sed nescio quomodo à rationibus grauissimis ad has leuiores oratio nostra delapsa est. Iam ad illas redeamus, easq; ipsas concludamus aliquando. Illud ergo vrgentius & instātius premebamus, qui sanctos veteres in vniuersum omnes, sacrę vno quolibet scripturæ loco exponendo errasse affirmat, eum catholicæ ecclesiæ hunc ipsum errorē attribuere. Id quod hoc etiam argumento confirmari potest. Vbicunq; est

enim

enim ecclesiæ corpus, ibi etiam est spiritus veritatis, vt
Lib. 3. Irenæus docet, imò Christus Dominus inquiẽs, Ego rogabo patrem, & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat
Ioan. 14. vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Docet quoque idem aperte Paulus ad Ephe. 4. & 1. Corinth. 12. Spiritus autem in corpore non eisdem omnibus corporeis partibus tribuit functiones, quẽadmodũ Apostolus ad Roma. 12. & prioris ad Corinthios cap. duodecimo, elegantissimè persequitur. Alij nanque datur per spiritum sermo sapientiæ, alij prophetia, alij interpretatio sermonum, &c. Nec enim in ecclesia omnes Apostoli, nec omnes Prophetæ, nec omnes interpretantur, &c. Certum est autem, quòd sacrarum literarum intelligentia sanctis doctoribus, si quibus, maximè, per spiritum data est. Qui ergo spiritum veritatis, sanctis omnibus in scripturæ sacræ interpretatione negat, hic sine dubio eundem spiritum ecclesiæ tollit. Qui madmodũ qui ab oculis videndi munus aufert, hic reliquas etiam omnes corporis
Luc. 11. partes obscurat. Nam si oculus nõ fuerit lucidus, totum corpus tenebrosum erit. Atque hæ sunt quintæ conclusionis causę grauissimæ. Possunt enim esse aliæ leuiores. Certè patrum optimorum & sapiẽtissimorum exemplũ non omninò leue est: qui quanquam erãt acerrimo ingenio, scripturę tamen sanctę interpretationes ita referũt, vt à maioribus didicisse, non ex se reperisse videantur. Ad quam legem nos non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti esse debemus. Acde quinta conclusione dictum est satis.

Concl. 6. Sexta cõclusio. Sancti simul omnes in fidei dogmate errare nõ possunt. Hanc primùm ostendit Diuus Augustin. libr. aduersus Iulianũ primo, capite secundo. Cùm enim Iulianũ vellet sanctorũ testimonijs in dogmate fidei, de quo erat controuersia, reuincere, Nõ omniũ, inquit, de hac re sententias cõmemorabo, sed ponã pauca pauco-
rum, qbus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si vllus in eis vel Dei timor vel hominũ pudor tãtũ malũ peruicacię superauerit. & posterius, Alia sunt, ait, in quibus inter se etiam doctissimi atq; optimi regulæ catholicæ defensores, salua fidei compage non con-

non consonant, & alius alio de vna re melius aliqd dicit & verius. Hoc aũt vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Et libro secundo aduersus eundẽ ita loquitur, Hoc ꝓbauimus catholicorum auctoritate sanctorũ, nec ꝓ hoc non est consequens, vt falsum sit. Tales ꝙp Num. 20.
pè ac tanti viri secundũ catholicã fidem hoc verum esse confirmant, vt vestra fragilis & argutula nouitas sola auctoritate cõteratur illorũ. Præterquàm ꝙ ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur. Sed nunc, auctoritate primitus eorũ vestra est cõtumacia cõprimenda, vt dum tales homines Dei in fide catholica errare potuisse non credis, ausus præcipites refrenetis. Et paulò inferius, Ego te, inquit, ante istos iudices cõstituo, quos non amicos meos & inimicos tuos in hac nostra disceptatione cõstituti cognitores, nec quorũ sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertę sunt, inani cogitatiõe cõfixi: sed sanctos & in sancta ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis (quãquã & in his nõnulli ex eis docti fuêre) verùm oẽs sacris literis eruditos nominatim sicut oportebat expressi, vt in eis timeas nõ ipsos, sed illũ, ꝙ sibi eos vtilia vasa formauit. Qui tũc de ista causa iudicauerũt, cũ ab odio, amicitia, inimicitia, ita vacui erãt. Quod inuenerũt in ecclesia, tenuerũt. Et posterius: Vsqueadeò, ait, permiscuit imis summa lõgus dies, vt videant Pelagius, Celestius, Iulianus. & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Cyprianus? Sed qualiscunq; homo sis, tamẽ quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, (si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis) & quodammodo audio vocem tuam qua respondes: Absit, vt audiam cæcos istos viros vel cogitare vel dicere. Et in fine libri tandem, qui sanctos reijcit, eos vniuersam Christi ecclesiam reijcere testatur. Et Vincentius Lirinẽsis, Necesse est, inquit, omnibus catholicis, qui sese ecclesię legitimos filios probare student, vt sanctorum patrum fidei inhęreãt, adglutinẽtur, immoriantur: prophanas verò nouitates detestẽtur, horrescãt, persequãtur. Cõcilio enim Ephesino diuinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas.

quitas. Hactenus ille. Nec Ephesina solùm synodus ita sensit, sed Constantinopolitana sexta, actione 12. in hæc verba: Et dixit sancta synodus, Omninò necesse est non solùm secundum sensum sequi sanctorum patrum dogmata, sed eisdem vocibus vti cum illis, nihilque penitus innouari. Et iterum, Sanctorum patrum dogmata tanquam legem sanctæ Dei suscipiunt ecclesiæ. Nec obstat, has sententias Sergij esse, non synodi. Tum, quoniam si hæreticus ipse Sergius, publica ecclesiæ consensione victus, hanc nostram conclusionem negare nō potuit, certè inimici nostri sunt iudices. Tum, quoniam synodus acti. 17 & 18. sanctos ipsos patres tanquam regulam sequitur, & synodus Later. sub Mart. 5. cano. 12. & 13. quæ omnes consonantes ecclesiæ patres respuunt, ea catholica & apostolica ecclesia respuere dicit, & quæ credunt, credere. Id quod non modò Aug. Vincen. conciliorumque grauissimis testimonijs, verumetiam inuictissimis rationibus confirmari potest. Nam si sancti in aliquo fidei dogmate falsi sunt, & populi, qui eos sequebantur, falsi fuissent. Constat enim populum Christianū ante nos fidei sanctorum doctorum acquieuisse. Neque enim aliter fidem in Iesum habere poterat, nisi haberet etiam in sanctos eius. Gratias ago Deo meo, ait Paulus ad Philemonem, audiens fidem quam habes in Domino Iesu & in omnes sanctos eius. In quæ verba Hieronymus, Quicūque, inquit, Deo credidit, aliter eius fidē recipere negat, nisi credat & in sanctos eius. Non est enim in Deum perfecta fides, quæ in ministros eius infidelitate tenuatur.

Qui Deo credit, & in sanctos eius credere necesse est.

Præterea, cùm quædam ad fidem pertineāt, quod etsi sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpius, quæ plebs penitus ignorat: si sancti omnes in fide rerum huiusce modi decepti fuissent, ecclesia certè fuisset decepta. Admodum hæc, sanctorum omnium fide repulsa, magna ex parte Christi & Apostolorum traditiones repellentur. Non enim aliunde apertius, quàm ex sanctorum veterum testimonijs pleraſque Apostolicas traditiones agnouimus. Vnde in septima synodo generali, actio. Anathematismus 7. Basilij pœnitentis sic habet: Qui doctrinas sanctorum patrum & traditionē catholicæ ecclesiæ contēnūt, quique

quique causantur, & voces Arrij, Nestoris, Eutychis, & Dioscori iactant dicentes, Quòd nisi satis ex veteri & nouo Testamento instructi essemus, sanctorum patrum & catholicę ecclesiæ traditiones sequeremur; execratio. Hæc igitur duo ita sunt connexa atque coniuncta, vt diuelli ac dissociari nō possint, doctrina sanctorum patrū, & ecclesiæ traditio. Quisquis vnum istorum tentārit labefactare, alterius quoq; fidem cōcutiat necesse est. Atque eiusdē synodi actione 6. tomo quinto, Epiphanius pro synodo sic ait: Quòd si is, qui hanc expositionē cōtra venerandas imagines edidit, asserit, se à sanctis patribus, qui circa ea tempora floruerunt, non fuisse receptum; quomodo ea, quę sancti patres non probauerunt, nos qui indigni sumus, vt discipuli eorum nominemur, recipiemus? Neque synodus hæc modò, verūm reliqua concilia omnia, omnes pontifices ac sancti doctores, hac via & ratione vniuersas hæreses refutārunt. Non enim commodè aliter poterant, nisi & in scripturis ipsis canonicis, & in reliquis fidei decretis maiorum sententiam, vt acceperant tenuissent. Qua de re, libet prorsus verba Vincentij Lirinensis adscribere: Sacra, inquit, vetustatis auctoritate prophanæ nouitatis conteremus audaciam. Neque hoc sanè nouum, siquidem mos iste semper in ecclesia viguit, vt quò quisque floreret religiosior, eò promptiùs nouellis adinuentionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, summatim nonnulla ac breuiter perstringemus; vt omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorū beata successio, qua via semper ingressa nouas doctrinas refutārit. Intelligebāt enim viri sancti atq; prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, qua fide à patribus suscepta forent, eadem filijs consignarentur. Idque esse proprium Christianæ modestiæ ac grauitatis, non sua posteris tradere, sed à maioribus accepta seruare. Ducatum quippè præbet nobis religio, non nos religioni. Nec maiorum sensa quà volumus trahemus, sed potiùs quà illa trahunt retrahunt. Quę sequemur. Hactenus ille. Vnum verò idemque præcipuum eius rei, quam dixerat, exemplum affert ex E-

Proprium Christianæ modestiæ est, non suæ posteris dare, sed à maioribus accepta seruare.

phesino concilio, vbi cùm de sanciẽdis fidei regulis cõtra Nestorium disceptaretur, decretum est, vt sanctorũ patrum in medium sententiæ proferrentur. Quod cùm ita factum esset, Nestorius tanquam catholicę vetustati contrarius damnatus est, Cyrillus verò tanquã sacrosanctæ antiquitati cõsentaneus est probatus. Sed, vt ipse idem dixerat, exẽplis talibus plena sunt omnia. Sic enim Hieronymus Heluidij dogma reuicit. Sic Basilius ad Amphilochium spiritus sancti diuinitatẽ asseruit. Sic Augu. Donatist. & Pelagianos refellit. Sic Paulus Samosatenus à celebri quodam scriptore superatus est. Sed Theodoritus Alexandrini concilij definitiones comprobauit. Sic Leo Papa apud Leonem imperatorem Eutychem huiusque sectatores confudit, astruxitque à sanctis doctoribus consentientibus nullos nisi impios & hæreticos discrepare. Sic Agatho Papa ecclesiasticum dogma de duplici Christi voluntate & operatione firmauit, nempè sanctorum scriptorum consentientibus testimonijs. Quibus ea solùm ratione hæretici respondere se posse existimârunt, si libros deprauassent, & aliæ ex eisdem sanctis testimonia vel mutila, vel etiam conficta in cõfirmationem erroris adduxissent. Neque enim negare sanctorum auctoritatem integrum vel hæreticis videbatur. Quorsum autem post vetera exempla nunc nouitia proferamus? ex Bernardo epistola 77. ad Hugonem, ex Innocen. De presbytero non bapti. cap. Apostolicam, ex concilio Florentino, ex multis quoque alijs, quos, ne longum sit, missos in præsentia faciemus. Satis enim nobis, si modò in philosophia Christiana aliquid profecimus, positis exemplis rationibusque & testimonijs persuasum esse debet, sanctorum omnium communem sensum certam fidẽ facere catholicorum dogmatum, ac proinde ex omnium auctoritate certa argumẽta depromi Theologicis conclusionibus confirmandis. Id, quod sexto hoc demùm loco erat nobis cõstituendum. Constituimus autem longa oratione id quidem, quomodo enim rem tantùm verbis paucioribus explicaremus? sed adeò præclarè tamen, vt tenebræ, quas aduersarij veritatis offundere suis argumentationibus conati sunt,

Euse. 5. lib. eccle. histo. c. 28.

Lib. 6. hist. trip. c. 20.

6. Synod. actio. 4.

sunt, iã superioris disputationis luce fugatæ esse videantur. Certè primum, secundum, & tertium argumentũ, post ea, quæ dicta sunt, nulla responsione egent. Sed ne ratio illa quidem deinceps apposita. Eadem enim non magis contra veteres sanctos, quàm contra patres consiliorum omnes, atque adeò contra totam ecclesiã valet. Ita nos antea duobus illã locis refutauimus. Osiandri ergo & Caietani scrupuli modò restãt, qui si fuerint exempti, nihil profectò erit amplius, quod sexto loco explicando desideretur.

CAPVT IIII.

CVm igitur contendit Osiander, expositores vsque ab Apostolis vniuersos, in prophetiæ illius intelligentia errasse, primũ nihil nobis contrarium affert. Nam, vt Vincentius Lirinensis rectè dixit, antiqua sanctorum patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regula nobis certò est sequenda, atq; in his præcipuè quæstionibus, quibus catholici dogmatis fundamenta nituntur. Quod etiam capite superiore paulò latius explanauimus. Porrò an ut Oseæ Prophetia in sensu literali, an in allegorico ad Christum referenda sit, ad fidei quæstionẽ nõ pertinet. Ita quamuis sancti in hoc falsi fuissent, non in re graui, sed quæ parui momẽti in ecclesia est, fuissent falsi. Deinde, falsum est omnes auctores, vsque ab Apostolis locũ illum in sensu solùm allegorico ad Christum retulisse. Referũt quidem omnes ad populum Israel, & ad Christum quoque referunt, sed non omnes afferunt per allegoriam id fieri. Quin nonnulli affirmant, eundẽ scripturæ locum plures habere interdum sensus literales. Postremò, si dicamus sensum esse allegoricum, nullus est error. Nam obiectioni Osiandri Hieronymus in cõment. super Oseam doctè respondet. Vana igitur ista ratio apud eos valet, qui ipsi decipi fallique volunt. Grauiores constantioresque admonendi sunt, vt animaduertant, ne callida altera ratione capiãtur. Apertè enim sophisticantem nemo non videt, nisi qui admodum est indoctus: Callidus ille & occultus sophista, ne veritatis

specie fallat, studiosè cauendum est. Nec enim facilè agnoscitur. Nec verò existimari velim Caietanum aut in sophistis esse censendum, aut astutè, vafrè, malicioséue quempiam fallere voluisse. Sed vir ingeniosus & doctus non fallebatur, nisi specie quadam obscuræ rationis. Quocirca quoniam vim habet maiorem, quàm cæteri ad decipiendum, maiori cura & diligentia hic sanè cauendus est.

Argumentatur itaque Caietanus: Nō alligauit Deus expositionem scripturæ sacræ priscorum doctorum sensibus, &c. Imò verò alligauit, si omnes ad vnum in eandem sententiam cucurrerint. Tenentur enim vniuersi catholici sensum ecclesiæ sequi. Sensum autem ecclesiæ fuisse, qui idem fuit doctorum ecclesiasticorum omnium, explicatum est paulò antè satis, vt arbitror, diligenter. Nec ecclesia nunc de scripturarum sensu iudicat diuinando, sed ex traditione maiorum eas interpretatur. Quemadmodum enim, si qua alia fidei quæstio occurrerit, ecclesiæ iudicium nihil noui auribus Christianæ plebis infert, sed maiorum antiquam in ea re fidem & inquirit & sequitur: ita cùm de sacrarum literarum sensu existit aliqua cōtrouersia, nullam nouam intelligentiam à censura ecclesiastica expectare debemus, sed eam, quę magna facta disquisitione patrum nostrorum communem esse constiterit. Spes, inquiūt, nobis & posteris tollitur exponendi sacras literas, nisi transferendo de libro in quinternum. Minimè verò gentium. Nā, (vt illud præteream, quòd in sacris Bibliis loci sunt multi, atq; adeò libri integri, in quibus interpretum diligentia ecclesia desiderat, in quibusque proinde iuniores possent & eruditionis & ingenij posteris ipsi quoq; suis monimenta relinquere) in illis etiam, quæ antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos Christiano populo, si volumus, præstare & quidem vtilissimè possumus. Possumus enim vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorē, obscuris lucem, fastiditis gratiā, dubijs fidem, omnibus naturam suam & naturę iuę omnia. Sed quoniam huic Caietani argumento Vincentius Lirinensis doctissimè elegantissimeque respondit, verba

verba nos ipsius ascribemus, digna illa profectò, quę aureis literis scriberentur. Esto, inquit, ô Doctor quasi Beseleel, & pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorē, gratiam, venustatē, intelligatur te exponēte illustrius, quod antea obscuriùs credebatur. Eadem tamen, quæ didicisti, doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua. Sed forsitā dicet aliquis, Nullúsne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur intelligentiæ? habeatur planè & maximus. Sed ita tamen, vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquæq; res amplificetur. Ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transuertatur. Imitetur animarum ratio rationem corporum: quæ licet annorum processu numeros suos euoluant & explicent, eadem tamē, quæ erant, permanent. Parua lactentium membra, magna iuuentum: eadem ipsa sunt tamen. Quot paruulorum artus, tot virorum. Et si quæ illa sunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione præsertа sunt; vt nihil nouum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam antè latitauerit. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est, vt totū corpus vel prodigiosum fiat, vel etiam antecedat vel certè debilitetur. Ita enim sacrarum literarum intelligentia sequatur has decet progressum leges, vt annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate: incorrupta tamen illibataque permaneat. & paulò post: Quodcunque igitur, ait, in ecclesiæ paradiso, Dei agricultura, patrum labore satum, hoc idem filiorū industria colatur, floreat, maturescat, proficiat, perficiatur. Et prisca illa cælestis philosophiæ dogmata à posteris excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas est, vt commutentur, detruncētur, mutilantur, humanorumq; ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hactenus ille. Cuius tota oratio eò mihi videtur probabilior, quò magis ex

Exod. 39.

Apostolo ad Ephesios quarto videtur esse deprompta. Vbi illam corporalis augmenti similitudinem adeò & apertè & copiosè persecutus est, vt nulla mea oratione opus sit. Tantùm fuerunt lectores admonendi. De sexto autem loco hactenus. Iam ad septimum trãseamus, hoc est, scholæ nouæ auctoritatem. De qua etsi nonnihil fortasse noui dicturus sum, ea tamen, quæ pios lectores probaturos esse confidam.

Septimi libri finis.

DE AVCTORITATE DOCTORVM SCHOLASTICORVM, QVAE SEPTIMO LOCO POSITA EST,

Liber Octauus.

CAPVT I.

SEquitur locus huic disputationi vel maximè necessarius, qui scholæ Theologicæ continet auctoritatem. Quam hæretici iuniores non modò eleuant & extenuant, verùm etiam explodunt & exibilant. Ac signifer impietatis Germanicæ Lutherus, VVicleffi in hoc, vt in alijs, discipulus, in libro quidem aduersus Iacobum Latomum asserit, Theologiam scholasticam esse aliud nihil, quàm ignorantiam veritatis, inanemq; fallaciam, quã ad Colos. cap. 2. Apost. præcauet. In lib. autem de abrogan. Missa priuata, Academias dicit esse Antichristi lupanaria. Philippus verò Melanch. in Apologia contra Parisien. Lutetiæ natam esse, ait, prophanã scholasticẽ, qua admissa, euangelium obscuratũ, ac fidem extinctã. Breuiter Lutherani omnes ad vnũ scholæ nostrę auctoritatẽ & mirificè contẽnunt, & inimicè insectantur. Atq; hinc fortasse tanquam ex primo fonte, reliquæ istorum hæreses deriuatę sunt. Principio nanq; quod erat facilè, scholę auctoribus cõtemptis, scholæ quoq; iudicia contempserunt. His neglectis, mox necesse erat, Hieronymus, Aug. Greg. Amb. Basil. negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum concilia. Vnde consecutum est, vt & libros quosdam canonicos, & ecclesiasticam auctoritatem Lutherani cõcederẽt. Adeò verũ illud est, qui minima negligit, paulatim defluit. Absit inuidia verbo. Nec enim minima scholæ auctoritas esse potest, quam breui facere

nemo sine fidei discrimine potest. Cõnexæ quippè sunt ac fuêre semper, post natam scholã, scholæ contemptio & hæresum pestes. Quamobrem tuear etiam hunc locũ, neq; facilè ac breuiter, vt mihi videtur, expediam. Nam etsi facultatem disserendi, à Dialecticis exercitationib. acceptam, scholastica in nobis Theologia amplificauit, neque enim mediocrẽ à primo tempore ætatis, in eo studio operam curamq; consumpsimus, at hic sanè quanquam in loco proprio versamur, non ad copiam nostrã nos in vtramq; partem exercere volumus, sed ad nostrũ motem tenuiter angusteq; disserere. Sed in omni oratione memẽto Lector eam me defendere scholæ doctrinam, quę sacrarum literarũ fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse scholæ doctrinã, quæ se titulis magisterij defendat: miserã etiam, atq; haud scio an multo magis, quæ detracta scripturæ sacræ auctoritate syllogismis cõtortis de rebus diuinis philosophatur. Imò ne de rebus diuinis quidẽ, sed nec de humanis, verum de his, quæ nihil ad nos attinẽt. Intelligo autem fuisse in schola quosdã Theologos ascriptitios, qui vniuersas quæstiones Theologicas friuolis argumẽtis absoluerint, & vanis inualidisq; ratiunculis magnũ pondus rebus grauissimis detrahẽtes, ediderint in Theologiam cõmentaria, vix digna lucubratione aniculariũ. Et cum his in sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex graui philosophia quidem, sed ferè puerilibus disciplinis scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum fæces in schola inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum. Quem verò intelligimus scholasticum Theologum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de Deo rebusque diuinis aptè, prudenter, doctè è literis institutisq; sacris ratiocinetur. Quòd etsi ita esse pluribus verbis postea disserendum est, illud tamen nunc breui confitendũ est, nisi qui is sit, esse Theologum scholæ neminem.

Intel-

Intelligo etiam in schola fuisse nonnullos, quasi ad discordiam natos, qui tum optimè disseruisse se putant, cùm contra doctores dixerint, vt non tam verum inuenisse velle videantur, quàm aduersarios conuincere, cõcertationibusque & rixis totas chartas implere. Atque hos, sunt in ecclesia multi, tanquam milites auctoritati vel tuentur vel impugnant, & tota eorũ de re Theologica disputatio, partium studium est contentio atque dissidium. Quos ego probare nec debeo, nec possum. Nam quamuis dissentientium inter se repræhensiones non vituperandæ, concertationes tamen in disputando pertinaces indignæ philosophia prophana, nedum sacra doctrina, mihi videri solent. Nec enim, quod Cicero disertissimè dixit, disputari sine repræhensione, nec cum pertinacia rectè disputari potest. Atque illud verè à Publio dictum est, veritatem nimium altercando amitti. Minimè verò assentior ijs, qui ex circulorum scholasticorum disputationibus ortã esse pertinaciam volunt, irritationemq; scalpendi omnia. Quin istiusmodi malorum existimo in moribus esse culpam, non in schola. Moderati enim, nec contentiosi homines, nec pertinaces, quascunque res sobriè ad temperantiamq; definiẽt. Quod cùm omnibus est faciendum, qui disciplinã quãlibet profitentur, tum nemini potiùs quàm Theologo. Fuêre autem sine dubio in schola multi, qui his vitijs declinatis, rem Theologicam grauiter sanè ac modestè tractarunt. Nam quos isti pertinaces vocant omniaq; scalpentes Theologos, paucos, si verè loqui volunt, significare possunt. Qui etiam mihi, si cui maximè displicent: sed propter paucorum vita non est omnium corona traducenda. Quod & si plerique Theologi in his vitijs essent, iniqua esset adhuc ista calumnia. Quemadmodum enim nemo iustus & prudens vniuersos adolescẽtes accusat, quamuis plurimũ sint libidinosi, quoniã libido nõ est omnium adolescentum, sed non proborũ: sic quoniam ista scholastica pertinacia Theologorum leuium est, non omnium, iniquè profectò, vt modò dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quæ non sunt scholæ, sed inertis, vanæ, contentiosæ scholæ.

Theologos itaq; scholasticos, qui modò hoc cognomine digni sunt, asserere quidem & vindicare volo, idq; faciam, si prius scholæ propriũ institutum, & rationẽ docendi propositam ostendam, qua minimè intellecta, nihil rectè aut pro illis, aut contra illos dici potest.

CAPVT II.

THeologiæ scholasticæ proprium munus, quãtum à maiorib. accepimus, & huius facultatis alumni quotidianis ferè cõgressionibus experimur, illud primũ est, vt quę in sacris literis Apostol. traditionibus addita continentur, ea in lucem quasi è tenebris eruantur. Colligit enim Theologus ex principijs fidei à Deo reuelatis cõclusiones suas, atque in principijs ipsis implicitas per argumentationem naturæ consentaneam explicat. Quemadmodum enim Musica facultas ex ijs, quę sunt in Arithmetica posita, ea ratiocinãdo cõnectit quę sunt in numeris sonantib. aut consona, aut dissona: ita scholę Theologia ex his, quę fides posuit, ea quę sunt consequentia, naturę ratione conficit, de Deo rebusque diuinis. Quòd si Astrologia, Musica, perspiciendi facultas, atque aliæ id genus disciplinæ, tametsi alienis facultatibus quasi mendicæ, sed habẽtur in pretio tamen, tãquam vtiles & necessariæ: ecquisnam iste malus genius est, scholasticam disciplinam profligare velle, quæ non ex Arithmetica, non ex Geometria, nõ ex Physica, sed ex sacris diuinisq; & literis & institutis docet, quid consequens sit, quid contrà repugnans? Nec verò audiendi sunt, qui scholasticas quæstiones, vt curiosas reprehendunt, & scholæ temeritatem insimulant, quòd de rebus longè semotis à captu nostro audeat pronunciare, & tã multa definire, quæ citra salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui. Huius generis exempla ponunt. Quid discernat Patrem à Filio, quid ab vtroq; Spiritũ sanctũ, quid interfit inter filij natiuitatẽ & spiritus processionem, vtrum Spiritus sancti à Patre & Filio proficiscentes vnicum sit principium, an duo. Ita censet id præclari & magni Theologi esse, nihil vltrà quam sacris literis proditum est, definire, hoc est, in

Erasmus in proœmio super Hilarium.

Theo-

Theologiæ principijs hærere, mentẽ à consequentibus & repugnantibus reuocare. Quorum sententia quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm sola disciplinæ principia habere definita, conclusiones verò, quæ certo atque euidenti syllogismo ex illis conficiuntur, aut ignorari velle, aut in ambiguo relinqui? Quod si in Geometria, Physica, Astrologiave quisquam assereret, verè, & iure stultissimus haberetur. Sed de his hactenus. Non libet enim mihi rem exploratam suadere, quod multi, & hi docti sæpè fecerunt. Itaq; pergamus ad reliqua.

Habet rursum hæc disserendi in schola facultas aliũ propositum scopum, fidei nostrę aduersus hæreticos defendendæ. Est quippè doctoris scholastici, vt Magister sententiarum in proœmio ex Augustino tradit, scire, quemadmodum fides catholica & pijs opituletur, & aduersus impios defendatur. Quòd si scholæ doctor non possit docere fideles doctrinam sanam, & eos qui sanam non habent redarguere, apud vulgus theologus esse aliquãdo poterit, re vera nunquã erit. Atque ob eã causam scholasticorum disputationibus adeò sunt hæretici infensi, quòd intelligunt, catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, horum studio doctrinaque muniri. Agnoscunt sanè lupi canes, eosque odio prosequuntur: & scholæ nomen istis inuisum est, quæ lupos arcet à gregibus, & eorum insidias porrò cauet. Atq; in hoc genere nihil est quidem admirandum, illorum autem hominũ genus mirari non desino, qui cùm catholici & habeantur & sint, his plausus tamẽ excitare solent, qui nesciũt iuuentutem ad linguarum studiũ adhortari, nisi priùs theologos scholasticos maledictis figant, totisq; concidant voluminibus. At suauissimè maledicunt. Venenũ animi linguæ mella tegunt, eoque pernicioſius paratũ, quò suauius obbibitũ. At sunt morosi & prolixi scholastici theologi, si quærimus anxiè, etiam superstitiosi. Sed hæc, vt dixi, morum vitia sunt, non scholæ. At morositas tamen, & ea vitia, quæ theologis obijciuntur, habẽt aliqd excusationis, vel iustæ, vel quæ probari posse videatur. Nã de rebus multis & varijs nõ solũ in genere, sed

14. de Tri. ca. 1.

sed singulatim etiã differentes, non potuerunt hæc breui oratione conficere. Hinc autem myriades articulorũ, quas isti reprehendunt, quæ si essent adagiorum, nõ reprehenderent, sed suspicerent. Accedit, quòd perspicuitas non solet esse coniuncta breuitati. Obscuri nanque fiunt, qui breues esse laborãt. Ita perspicui theologi esse cupientes, longiores aliquantò fuêre. Adde, quod res difficiles & obscuræ, quas plurimas theologi edisserunt, paucis explicari non queunt. Rudibus quoque & imperitis schola sese attemperat, atque adeò plura & quærit & definit, quæ doctis hominibus, ijs etiã qui ingenio multùm valent, superuacanea videntur. Scholastico demum more in vtramque partem theologi disserentes, necesse est, vt quæcunque docent, longiore ea sermone complectantur. Anxia verò superstitio quæ dicitur, religio est, non superstitio. Nempè non licet apud nos susque deque omnia ferri, sed scholæ norma decretoque vniuersos, qui aut disputare aut scribere de re theologica velint, certis oportet limitib⁹ ac p̃scriptis lineis cõtineri. Hinc illæ lachrymę. Illis libertas placet, imò verò licẽtia dicẽdi scribẽdiq; nos cũ de rebus theologicis disputamus, licentiã omnẽ & temeritatẽ perhorrescim⁹. Sed totũ hoc scholastic um disserendi genus spinosum est: & pes spinis confixus, gressum deinde figere nõ valet. Scilicet tenerrimi istorum pedes sunt: & quos errores non pungunt, pungit disciplina. Quam, vt antè dicere cœperam, ob id odio isti prosequuntur, quòd ars est, quæ doceat tum propugnare fidem, tum hæreses expugnare. Id quoniam postremo libro sumus susè ac diligenter explicaturi, breuiter & sine disceptatione modò ponendum est. Nec enim decet omnia eodem loco demonstrare.

Spectat deniq; ad scholasticorum functionem Christi ecclesiæque doctrinam, quantum fieri potest, ex disciplinis humanis aut illustrare, aut etiam confirmare. Nã, quòd Augustinus docuit, vasa argentea & aurea, cęteraq; Aegyptiorum supellectilem, etiam si commodatam acceperimus, iure quasi nostra facere possumus, inque fidelium vsus vẽdicare: & alienigenã mulierem, vt Hieronymus admonet, rasis crinibus reiectisque superfluis, ad Dei

Lib. 2. de Do. Chri. cap. 4.
Deut. 21.
In epist.

ad Dei populum introducere. Id quod si, quo decet, tem- *ad ma-*
peramento grauitateque fiat, nemo, vt opinor, tam stul- *gnum ora-*
tus futurus est, qui reprobet, nisi horum nihil vnquam *torem, &*
reputauerit. Discũt theologi à Dauid extorquere de ma- *ad Dama-*
nibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput pro- *sum de stio prod.*
prio mucrone trũcare. Discunt à Paulo, vel inscriptionẽ *1. Reg. 17.*
fortuitam arte torquere in argumentum fidei, & quę in *Act. 17.*
alium vsum scripta sunt, ea ad emolumentum ecclesiasticæ doctrinæ cõuertere. Discunt cum Daniele ac Moyse Chaldæorum Aegyptiorumque sapientiam, si non vt indicent atque conuincant. Nec æquum est, vt si aduersum Philosophos disputant, ignorent dogmata philosophorum: nam & si quispiam aduersus Mathematicos velit scribere impitus Mathematicos, risui patet. 37. d. ca. Qui de mensa. Possem persequi multa huius rei argumenta: sed ea ipsa, quę dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscet autem Lector. Nam & studio rerum nostrarum prouectus sum, & schola est paulò loquacior, ne ab omnibus eam vitijs videar vendicare. De his igitur hactenus. Egi enim secùs, atque initio dixeram: & in loco presso atque angusto spacia dicendi video r quęsijsse. Sed difficile erat rem & ab alienis conscissam, & à quibusdã è nostris male tractatam, ne leui quidem ratione sarcire.

Tres itaque fines veræ theologiæ constituendi sunt, Nec enim tantum de scholastica, sed de omni omninò theologia disputo. Lutheranorum autem hæresis, si sibi consentanea esse velit, de scholę instituto nihil queat dicere, in qua nunquam se exercuisse vel ipsa fatetur. Nemo autem audiendus est, qui de ea re, quam nec vsu nec ratione habet cognitam, disputabit. Quòd si tria illa veręs theologiæ sunt communia, ea verò schola omnia prę- stat, certè in ijs perniciosus est error, qui scholam negligendam esse existimant. Hæc est enim vera theologia, in qua omnia insunt, quæ sunt in theologo requirenda, scientia Dei, cælestium rerum cognitio, humanarũ prudẽtia & vsus. Vt cùm hæc adsint, perfecta doctoris Christiani disciplina sit, & sine his esse non possit, Quod cùm optimũ maximumq; sit, si id volumus adipisci, theologiæ scholasticæ opera danda est, sine qua nullã omninò perfectam

perfectam in Ecclesia doctrinam consequi possumus. Ea verò neglecta qui se Theologos esse arbitrantur, tum se denique errasse sentient, cùm eos aut disputatio cũ hæreticis, aut grauis aliquis & perplexus conscientię casus experiri coget. Nec verò quisquam scripturæ sanctæ studiosus vereri debet, ne ex scholę studio, sacrarum literarum studium retardetur. Nam & ad hunc fructum ferendum non modò non retardat, verùm etiã inuitat atque allectat schola. Nosque ipsi quicquid ad sacras literas attulimus, si modò aliquid attulimus, à doctoribus atq; doctrina scholastica, instructi ad eas & ornati accessimus. Sed iam tẽpus est, vt doceamus, quod est nobis hoc loco præcipuum institutum, an scholasticorum auctoritas firma argumenta theologo præstet, an infirma.

CAPVT III.

INfirma autẽ ea omnia argumenta esse, quę ab scholę auctoritate deriuantur, illa primum ratio suadet, quę nec è sacris literis, nec ex apostolorum institutis, neq; ex ecclesiæ definitione, scholæ auctoritas comprobatur. Cumque scholasticis auctoribus spiritum veritatis nusquam Dominus fuerit pollicitus, errare vt homines possunt, atque adeò nullum argumentum ex eorum auctoritate firmum erit.

Item nullum est in schola certum dogma, sed partiũ factionibus plena sunt omnia. Nihil igitur certi ex scholæ auctoritate confici potest Præterea, theologi scholæ omnes asseruêre, matrimonium etiã sine ecclesiæ ministro contractum, esse verè ac propriè nouę legis sacramẽtum. At hæc omnium communis sententia non solùm non facit certam fidem, sed ne probabilis quidem videtur esse. In nulla igitur re alia scholæ testimonium certum erit.

At nos & quid sentiamus, & cur etiam sentiamus, paucissimis quàm fieri poterit, exponemus. Pugnabimusque pro scholæ auctoritate, non affectu, sed ratione. Quanquam non sumus ignari, multos studiosè contra esse dicturos. Quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omninò scriberemus.

CA-

CAPVT IIII.

QVod fuerit Academiæ theologicæ initium, quis progressus, quos institutores habuerit, quósve auctores, tametsi ad scholæ commendationem attinet, nõ est tamen huius loci dicere: vbi hoc solum conamur explicare, quantum habeat virium ad faciendam fidem, argumentum ex scholæ auctoritate depromptum. Ea igitur explicanda, sit prima conclusio.

Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alij cõtrà pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorũ, vel grauior etiam auctoritas comprobarit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modò graues secum habet, poterit sanè aduersum plurimos stare. Non enim numero hæc iudicantur, sed pondere. Hanc verò cõclusionem probare argumentis non debeo. Nam si quid est euidens, de quo inter omnes cõueniat, argumẽtari nõ soleo: prospicuitas enim, vt ait Cicero, argumentatione eleuatur. Certè vbi variæ sunt doctissimorũ hominũ discrepantesq; sententię, academicorum temperamentum imitari, & à rebus incertis certam assensionem cohibere debemus. Quid enim tam temerariũ, tamq; indignũ sapientis grauitate atq; constantia, vt idem Cicero elegãtissimè tradit, quàm quod non satis explorate præceptũ sit & cognitũ, id sine vlla dubitatiõe defẽdere? Quo loco sanè arguendi sunt scholastici nõnulli, qui ex opinionũ, quas in schola acceperunt præiudicijs, viros aliàs catholicos notis grauioribus inurunt, idq; tanta facilitate, vt meritò rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiã dat, vt quodcunq; maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere: sed non licet tamen eos, qui nobis sunt aduersi, temerè acleuiter condẽnare. Alia sunt scholæ placita, de quibus mox dicturi sumus, alia sunt præcepta sectę, de quibus modò logmur. Quæ ab illis dissident, ea notam habent, quę ab his, non habẽt. Nec enim si quid aut Scoticis aut Thomisticis præiudicatis cõtrarium est, error illicò est. Sed hæc hactenus.

Coxelis.

Secunda

2. Conclu. Secunda conclusio, Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententia, in re quidē graui, vsque adeò probabilia sumuntur argumenta, vt illis refragari temerarium sit. Nam in quacunque arte peritis credendum esse ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in nauigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac, de Theologiæ dogmatibus disserendi, experientibus & exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certè temerarius est. Deinde in Clemen. Vni. de summa Trinit. Patres concilij Vien. Opinionem illam, inquiunt, quæ dicit, tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorum, & doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, fore à catholicis, eligendam. Si ergo in re, quæ olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controuersa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud patres in concilio fuit, quantò magis nos res omni tēpore ab schola præscriptas tenere ac reuereri debemus? Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communi fidem facit concilio, illudque inclinat, vt definiat huiusmodi opinionem esse tenendā, quid si non ex opinione, sed ex certo & minimè circumductili animo quicquam theologi omnes præfinierint? An non existimas concilium Viennense pro eiusmodi dogmatis firmiter in schola receptis grauiore censura iudicaturum? Scholæ igitur communem consensum, non nisi impudenter & temerè reijciemus. Præterea, cùm inter ipsos theologos scholasticos magna ferè vbique dissensione certetur, ita vt in hac parte iure forsitan reprehendantur, certè non idem omnes asserent, nisi eodem diuino spiritu permouerentur. Nec minùs mirandū est varias scholæ factiones doctoresque, tam inter se discrepantes in vnam eandemq; sententiam concurrisse, quā septuaginta interpretes diuersis (vt ferunt) cellulis inclusos, in vnam eandemq; conuenisse interpretationē. Non igitur poterit esse verum illud, quod scholasticorū theologorum choro idem concinenti fuerit contrarium.

Irenæus, Euse. Epiphan. August Clemens Alexan. Iustinus martyr.

Tert. cōclu. Tertia conclusio. Concordem omnium theologorum

scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. Scholæ portò placita, si ita vocare libet, in duplici sunt differentia. Altera ad philosophiæ magis rationem expediunt, quàm fidei. Altera ad fidem pertinent moresque Christiano populo necessarios. Quæ ab illis dissonant, ea scholastico theologo non sunt hæretica. Quæ verò huic posteriorum rerum generi sunt aduersa, ea nos hic tanquam venena refugimus. Nam ijs hæreseos crimen, vt quod sit ipsum per se atrocissimum, impingere apertè & simpliciter non audemus. In quo equidem sæpè Theologorum requiro prudentiam. Absurdum est enim, vt crimē graui ssimū nisi reb⁹ quoq; grauissimis impingatur. Sed ad rē. Illa conclusio, vt est à me posita, primū ostenditur, quòd nullum dogma reperietur, quod eadē mente oreq; scholastici omnes certò ac firmiter asseruerint, quin idem in vniuersum ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod inuenire hæretici possunt, proferant, & tacebimus. Quòd si nullum proferri potest, sine dubio, velint nolint id, quod scholæ totius auctoritate firmatur, verum est, si ad fidem, vt dixi, moresque pertineat. Adde, quòd nullum tam proprium scholæ decretum est, quod vel ex sacris literis, vel ex Apostolorū traditione, vel ex conciliorum, aut pontificum definitionibus non habeat certam originem. Ita qui scholæ decreta refutârunt, hi semper inuenti sunt & fontem, vnde illa manant, repudiasse. Atq;, vt vno verbo dicā, nemo qui in catholicis habeatur, omnes sine discrimine Theologos explosit. Quod abundè satis magnum argumentum est, sine fidei discrimine huiusmodi scholę placita negari non posse.

Præterea, si qua in quæstione vniuersi Theologi eadem inter se concinunt, profectò si in eo errant, ecclesiā item errandi periculo exponunt. Siue enim qui confessiones audiunt, siue qui ad populum habent conciones, vtriq; plebem instituunt, vt à Theologis acceperūt. ita fit, vt Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. Error enim, cui nō resistitur, approbatur: & veritas, cùm non

defenditur, opprimitur, vt Innocẽtius ait 83. dist. Error. Atq; Deus ipse si Theologorum omnium errorem non aperiret, in necessarijs Christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus nisi eos sequi, quos pro illo tempore ecclesiasticæ doctrinæ magistros accepit? An post hæc omnia scholæ Theologia contemnenda est? Crederem, nisi eius auctoritate ecclesia res plurimas definisset. Quippè trecentos ab hinc annos, si quas ecclesia hæreses condemnauit, si quæ de fide & moribus decreta tulit, in vtrisque scholasticorum subsidio & diligentia vehementer adiuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est, doctores scholasticos simul omnes in fide & moribus errare non posse.

Præterea, cùm Dominus dixit, Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit, non modò ad primos Theologos, hoc est, Apostolos verba illa referebat; sed ad doctores etiã in ecclesia futuros, quamdiu pascendæ essent oues in scientia & doctrina. Quẽadmodum igitur qui Theologos Christo succedentes contẽnebat, Christum is etiã Dominum cõtemnebat: ita qui Theologos iuniores antiquis succedentes despicit, hic Christũ quoque ipsum despiciat necesse est. Vnde Chrysostomus, siue quis alius fuerit, in commentarijs super Matthæum imperfectis, homi. 42. Cùm audieris, inquit, aliquẽ beatificãtem antiquos doctores, proba qualis est circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus viuit, sustinet & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, illos contempsisset. Hactenus ille in ea verba Christi, Væ vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. Itaq; testimonio estis vobismetipsis, quod filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Nimirum Pharisæorum instar hæretici ratiocinãtur. Si essent scholastici doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Basilius, sequeremur eos: si in diebus Augustini, Ambrosij, Hieronymi fuissemus, non essemus socij Manichæi, Nouatij, Vigilantij, Pelagij, Iouiniani. Itaque testimonio sunt, quòd filij sunt eorum, qui sanctos antiquos contempserunt, cùm iuniores scholæ Theologos pro nihilo putant. Postremò, vt ad Ephes. 4. Apostolus docet, Alios dedit Christus in ecclesia Apostolos, quosdam prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Quamdiu igitur Christi corpus, hoc est, ecclesia fuerit, ad diuinam procurationem pertinebit, vt ij, qui in ecclesia sacræ doctrinæ doctores habentur, tanquam à Deo dati veritatem in fide teneant, ne populus paruulorum more circumferatur. Nec verò si hoc Apostoli testimonium æquè pro antiquis & iunioribus facere dicimus, iuniores Theologos priscis illis mox æquamus: (scimus enim quantum antiquitati deferẽdum est, quantum etiam sanctitati:) sed firmum esse hunc etiam locum, tum ex multis alijs, tum ex hoc Apostoli testimonio, pro nostra quidem virili contendimus. Rectè ne an secus, aliorum esto iudicium. Non enim in argumento nouo, vbi nullum, quem imitaremur, habebamus, quæ nobis probabilissima visa sunt, ea lectoribus exposuimus. Si quis verò sic nostra reijciat, vt adducat meliora, volentes ac libentes amplectemur. Nihil autem necesse est, de me ipso dicere mihi. Quanquam non est verendum, ne vera & aperta de me prædicans, nimis videar aut insolens, aut loquax. Sed vtcunque hunc scholæ locum ego tractaui, gratissimum, vt puto, Theologis feci. Quoniam cùm explicatissimè de ea re disseruerim, discent hodiè à me, quibus facilimè rationibus scholasticæ Theologiæ asserere & grauitatem possint, & auctoritatem. Atque hęc hactenus. Nunc obiectiones à principio contrà positas repellamus. 25. q. 1. c. 7

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. V.

Primũ argum. refellitur.

AC primo quidẽ argumento refellendo non est opus quicquã, præter ea, quæ sunt dicta, adijcere. Ostẽdimus enim, vt opinor, scholasticę Theologię asserendæ nõ deesse ecclesię scripturæq; sanctę testimonium. Quæ testimonia nos habuimus, ea iã protulimus: ab alijs fortè post & plura & grauiora proferẽtur.

Ad secundũ respondetur.

Secundum etiam argumentum nihil minus confutatum est. Diximus enim id, quod etsi sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpius, factiones in schola, quasi iuratas, studium cõtradicendi, & si quæ sunt similia mala, non scholæ, sed hominum vitio contigisse. Alioqui decreta multa sunt inter scholasticos certa & firma, eoque magis, quò nulla vnquam factio ea in quæstionem reuocauit.

Ad tertiũ respondetur.

At tertium argumentum difficilimum est, egetq; disquisitione non parua.

Quare si longiorẽ orationem huius argumenti difficultas exigit, non debet Lectori molestum esse: nam & orationis longitudo magnitudine vtilitatis pensabitur. Principio aũt Theologos omnes admonitos esse velim, vt sepositis nõ affectibus modò, sed opinionum etiam præiudicijs, de causis fidei prudenter grauiterq; decernant. Nõ enim si quidquam in schola bonis etiam temporibus inueterauit, mox fidei dogma existimãdum est. Sunt autẽ nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus à principio sunt imbuti, de rebus grauissimis sententiam ferunt, temeritate quadam sine iudicio, repentino quasi vento incitati, quæ longè alia esset, si iudicio considerate constanterque lata fuisset. Hi autem in eo primùm errant, quòd scholæ opiniones à certis constantibusque decretis non separant. Deinde errant in eo, quòd duo rerum genera confundunt, vnum earum, quæ ad religionẽ attinent, earum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem. Ac si sanctorum veterum consensio, vt libro superiore definitum est, non in omnibus legis quæstionibus sequenda nobis & tenenda est, sed solùm in fidei regula: nec quæuis illorum etiam in re graui cõmunis opinio

Vide lib. 7. c. 2. & 3.

opinio fideles astringit, sed firmum constansque iudicium: ecquid de recentioribus scholæ Theologis dicere oportet, quos veteres illi longè & vitę merito & scripturarum vlu, & auctoritatis pondere superârunt? Verùm his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me viri multi pij cupiunt commemorare, tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat præteribo. Quoniam verò vtriusque erroris exempla, cùm aliàs sæpè posui, tum in duodecimo libro varia etiam adiuncturus sum. Vno nunc exẽplo contentus ero, quod satis erit tamen, vt ij, qui in censuris Theologicis præcipites esse solent, suæ temeritatis admoneantur. Magister ergo sententiarum dixit baptismi sacramentũ fuisse ante Christi mortẽ, & à Christo ipso institutum, & ab Apostolis ministratum. Huic D. Thomas, cęterique scholæ Theologi assensi sunt. Nimirum Diuum Augustinum Magister secutus est, cuius opiniones schola libenter amplectitur. Atenim si quispiam fortè contrà fuerit opinatus, baptismа nouæ legis verum & proprium, idemq; primum sacramentum, quod nõ priùs à Christo editũ, q̃ in cruce passus sit, non statim vexare eum graui Theologiæ censura debemus. Sed primũ illud expendere, nũ Theologi hoc loco, quasi re certa & confecta, quicquã planè suo iudicio definiant, an potius re nondum satis adhuc quidum explorata probabiliter opinentur. Deinde id etiam vestigare, pertineát ne ad catholicam fidẽ, Christũ sacramentum hoc ante passionẽ suam edidisse, an nõ. Ac Magister sententiarum quidẽ nihil certò statuit, sed probabiliorẽ opinionem elegit. Cõmodius, inquit, dicitur, &c. Augustinus quoque, Baptizabat Christus, inquit, non per seipsum, sed per discipulos suos. Quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, siue quod magis credibile est, baptismo Christi. En Augustinus non certò pronunciat, Apostolos prius esse baptismo Christi baptizatos, quàm illud baptisma administrarent, cuius Ioannis tertio & quarto cap. mentio fit. Quin vbique docet, nos ignorare, quando Apostoli fuerint baptizati. Nullo aũt pacto fit verisimile, si Apostoli veri sacramenti baptis-

4. dist. 3.

In Ioan. tract. 5. & 13. Et in epist. ad Seleutianã.

In epist. ad Seleutianam.

De origę. animæ. ad Vincentium Victorem. lib. 3. cap. 9.

matis iam inde administri erant, eos non prius idem sacramentum accepisse. Quo fit, vt vtrunque iuxta in opinione, non in firmo constantique decreto situm sit. Præterea, & in forma baptismatis illius scholastici dissident. Nã Magister & Adrianus existimãt, Apostolos tum etiã in nomine Trinitatis baptizasse, id quod ego mihi persuadere nõ possum. Alij verò tradunt, eos baptizasse in nomine Iesu Christi, id quod vero simili9 est. Sed hęc in baptismi forma tanta dissensio à certitudine dogmatis aliena est. Nõ itaq; certum quippiã Theologi de hac re statuere voluerunt. Nec D. Thomæ verba, si quis attentè legat, aliud præ se ferunt. Videtur, inquit, q̃ baptismus ante Christi passionẽ fuit institutus, &c. Quo scilicet verbo D. Thomas vti ferè solet, cũm res nõ est plana & definita. Itaq; existimo D. Thomam, cùm dixerit, Videri, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, videri modò, non etiam oportere. Quid autem definisset vir alioqui prudens & grauis in ea re, quam rem ad fidem nihil attinere intelligeret? Non enim aut è literis sacris, aut ex Apostolorum institutis colligi certò potest, baptismą, quod Apostolis statim à cõuersione sua in vsu erat, peccata remittere, gratiam conferre. Nam quod Augustinus refert, Qui lotus est, nõ indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, id non oportet de baptismi mundicie intelligi, sed de ea, de qua posteà, Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locut9 sum vobis. Quod verò à quibusdam refertur, Ego nesciebam eum, Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eũ, hic est, qui baptizat Spiritu sancto, id nihil etiã cogere, vltrò quoque ipsi fatentur, qui eo testimonio abutũtur. At constat Apostolos baptizasse, Ioannis tertio & quarto, & nõ baptismo Ioannis, vt notum est, ergo baptismo Christi. Sic enim Magister argumentatur. Sed hoc argumentũ infirmius & incertius est, quàm vt quid firmum certumq́ue conficiat. Baptismus enim Ioannis dupliciter vocari potest, aut Ioãnis instituto & auctoritate exhibitus, aut baptism9 aquę, quale baptisma Ioãnis erat, qui videlicet nihil aliud esset, quàm meditatio quędã & præparatio ad nouæ legis sacramentũ. Baptismus item Christi aut sic vocari potest, quia Christo iubente & auctore ministratus est, aut quia institutus à Christo ad abluenda peccata. Dicitur ergo, nec absurdè id quidem, illud apostolorum baptisma, cuius Ioan. 3. & 4. capite mentio fit, non fuisse Ioannis Baptistæ in priore sensu, sed in posteriore tantùm. Fuisse autẽ baptismum Christi, quoniã illius præcepto & auctoritate apostoli baptizabant. Vnde si quis colligat, iam tum illum fuisse verũ nouæ legis sacramentum, pari ratione argumẽtabitur, Vnctionem, qua apostoli ante passionẽ vsi sunt, iam inde à principio fuisse verũ & propriũ extremæ vnctionis sacramentum. Quod tametsi nõnulli Theologi asseruerint, nõ tamen expeditum est. Apud viros sanè graues-que Theologos, Vnctionẽ extremam sacramentũ esse, fidei dogma est: an ante Christi passionẽ, an post fuerit institutum, nihil ad rem existimant pertinere. Quod idẽ & de sacramẽtis Confirmationis & Pœnitentiæ sentiũt. Nec video cur de baptismo nos aliter sentiamus, putemúsue fidei quęstionem esse, num ante passionem Christi hoc sacramentum fuerit institutum. Institutũ enim esse, dictu quidem est procliuè. Itaque ferè Theologi loquuntur: sed quis est tandẽ, qui hoc esse verũ idoneis argumentis ostenderit? Quid? quòd Theophylactus in ca. Ioannis tertium, & Chrysostomus homilia in Ioannem 28. disertè negant, illud baptisma, de quo agimus, sacramentum esse, quod peccata remitteret, gratiamque conferret? Quid? quòd Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, cùm duplex baptisma distinxisset, perfectum & imperfectum, nõ obscurè docet, nisi in cruce & resurrectione nullum baptisma perfectum esse? Quamobrem Ioannis baptisma fuisse perfectum. Quid? quòd Leo in epistola ad episcopos Siciliæ inscripta, eorũ omninò videtur sententiæ subscribere, qui contenderent Baptismi sacramentũ non quando Christus à Ioanne baptizatus est, sed post resurrectionem editum & cõstitutum? Quæ non eò dixi, candide Lector, quò scholæ communes opiniones improbarem. Nos enim ea Theologia plus vtimur, in qua dicuntur ea, quæ non multũ discrepant

Ioan. 13.

Ioan. 15.

ab opinione communi. Quid ergo est? Primùm opinionem à dogmate secerni & internosci volumus. Deinde Theologos admoneri, ne affectu animi, qui plerunque breuis est & ad tempus, sed maturo iudicio de rebus hisce pronuncient, in quibus præsertim non ita facilè expediri potest, ad fidem pertineant nec ne. Nam si in exẽplo, quod modò posuimus, eas rationes scripturęq; testimonia libéret adiungere, quib. à cõtraria parte aduersus comunem scholæ opinationem pugnari potest, quæstio sortè in vtranque partem adeò ambigua redderetur, vt difficilè esset iudicare, vtra cum fide magis & religione consentiat. Sed, vt dixi, nõ disputo nũc, scholæ cõmunis opinio veráne an falsa sit: quanquã ab instituto nostro non adeò fotassis alienum, sed id ago, scholasticas opiniones oportere à decretis seiungere, fideiq; quæstiones ab his, quę modò huc, modò illuc trãsferuntur, & sine pietatis iactura possunt in vtranq; partem disputari. Decreta, arctè tenere debemus, accurateque defendere: opiniones nõ item, sed si non cũ Academię, at cum Christianę modestię tẽperamento. Pro fide, etiam cum vitæ discrimine pugna sit: pro his, quæ fidei non sunt, sit pugna, si ita placet, sed incruenta sit tamen. Hæc præscripta seruantem licet magnificè, grauiter, animoseq; disserere, licet iudicare constanter, verè, doctisque & indoctis vtiliter. Quorsum hæc, inquies, non solũ longè, sed longis etiã ambagibus repetita? Nempè vt explicaremus, id ꝙ cap. superiori in conclusionbus breuiter significatum est, nos non in scholę opiniones, sed in certa constantiaq; de fide moribusq; iudicia iurasse. Hæc huius loci est defendere, illas alterius & loci & tẽporis. His igitur expositis, facilè, vt opinor, tertium illud argumẽtũ refelli potest. Nego enim scholæ certo constãtiq; decreto finitũ Matrimonium sine ecclesię ministro cõtractum, esse verè & propriè sacramentum. Nego eam rem ad fidem & religionem attinere. Nego omnes scholæ Theologos id asseruisse. Hæc tria cùm docuero, argumentum positum omni ex parte refutatum erit.

Ostendam ergò primũ opinionem communem illam esse, non scholæ dogma firmumque iudicium. Qui hoc intel-

intelligi potest? Quia de hac re Theologi videlicet ita disserunt, vt nihil fuisse velle videantur. Lege Magistrũ, D. Tho. Scotũ, Bona. Ricar. Palud. Durã. cæteroscq; scholæ Theologos, & nisi statim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis; tum verò me aut stultũ, aut temerarium iudicato. Nam & cùm quęrũt. An Matrimoniũ conferat gratiam; id quod eo loco maximè fiendũ erat, non definiũt tamen: sed in his referunt, quę in hominum opinione sunt posita. In materia item & forma huius sacramenti statuenda, adeò sunt inconstãtes & varij, adeo incerti & ambigui, vt ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepãtia rem aliquam certam, cõstantem, exploratam, conetur efficere. Quod si in forma & materia sacramenti, quæ res in sacramentorum tractatione, vel grauissima est, ambiguè Theologi inconstanterq; loquuntur, nec definiunt omninò quippiam: cur in ea quæstione, quę & leuior est, & minus ad sacramenti huius constitutionem necessaria, aliquid eos certi præscripsisse fateamur? Cõcilium certè Florentinum de materia, forma, ministro sacramenti Matrimonij, præstitit nihil, id quod sine dubio faceret, cùm hoc in cæteris omnibus ecclesiæ sacramentis fecisset, si de ijs rebus videret quidpiam esse à Theologis in schola definitum. Præterea, num Matrimoniũ sine ecclesiastico administro nouę legis sacramentũ esset, nec propriè & expresè in quæstionem Theologi vocârunt, nec via & ratione, vt solent, vestigarunt, nec argumentis vllis concluserunt. Qui igitur vult eos, sine disquisitione attenta, sine diligenti tractatu, sine idoneis argumẽtationibus, certò de rebus Theologicis pronunciasse; hic videat, ne eadem opera illis & iniurius sit, & in reb. quoq; grauissimis deroget fidẽ. Adde quod in cõciliorũ scriptis, ac summorum Pontificũ epist. decretalib. id obseruandũ est, vt non quæuis simplex aut affirmatio aut negatio certum sit exploratumq; iudiciũ, sed sunt notæ quędam peculiares, quib. certas conciliorũ Pontificumque definitiones internoscimus: quẽadmodum libro 5. latiùs explicatum est. His ergo notis ac multò etiam magis scholę quoque decretis secernendis vti debemus.

D. Thom. Bona. S. Palud.

Cap. 5.

Alioqui si quæcunque scholasticorum simplex assertio dogma fidei certũ est; maior est profecto horum, quàm Pontificum & conciliorum auctoritas. Quod si probari nemini potest, illud certè probari omnibus necesse est, Theologos hoc loco & quęstione nihil omninò definisse. Etenim nec sentẽtiam aduersam hęreticã erroneámue dixerunt, nec quod dixerunt, id firmiter catholicis amplectendũ, breuiter nullam notã interposuêre earũ, quę certa cõstantiaq; iudicia iudicare solent. Quæ cùm ita sint, id quod primùm conficiendũ erat, cõfectum est: Theologos ea de re, quam modò versamus, nihil certò & constanter decreuisse, sed incerta inconstantique opinione probabilem vnius sensum cæteros esse insecutos. Ita casu quodam cõmunis fortè consensio facta est. Cũ contrà vsu quoq; venire potuerit, vt si primus asseruisset, nõ omne fidelium Coniugium sacramentum esse, sed quod religiosè sacrateque fuisset constitutum, secũdus, tertius, ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur. Sequitur, vt ostendam, quicquid Theologos opinari contigerit, nihil tamen ad fidem spectare, an eiusmodi Matrimonium ecclesiæ sacramentum sit, an non sit. Quod vt mihi videor, vno hoc argumento facilè & euidenter expedio. Tres sunt res, quibus efficitur aliquid ad fidem pertinere: aut enim in sacris libris habetur scriptum, aut apostolicis institutis est traditum, aut ex vtri libet planè certa complexione & consecutione colligitur. Nulla autem harum rerum efficere potest, Matrimonium sine ministro prophanè contractum, esse nouæ legis sacramentum. Vbi ego, si Thomistæ omnes cum Scotistis existãt, si cum antiquis iuniores volent contra me pugnare, tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodũ nonnulli putant, omnia sunt in Theologorum auctoritate. Est quædam tamen ita perspicua veritas, vt eam infirmare nulla res possit. Experiantur hic quantum possunt vires suas, si qui fortè contrà voluerint dicere, & cũ in hac eos causa sacræ literæ, apostolorum traditiones, Scholæ syllogismi destituerint; tum verò, nisi rudes & hebetes sunt, mecum omninò intelligant, eam quæstionẽ mini-

minimè ad fidem pertinere. At argumẽtabitur quispiã, fidelium Matrimonium esse nouę legis sacramentũ, non autem maiorem rationem de vno, quàm de alio, omne igitur fidelium Matrimonium esse sacramentum. Appelletur verò hic Theologus, aut hoc etiam nomine dignus putetur? Dum quidem ita argumentabitur, non modò Theologus, sed Philosophus, aut etiam Dialecticus omninò habendus non erit. Annè ad hunc modum graues Theologi ratiocinantur? Annè hisce argumentis adducti de rebus fidei pronunciant? Equidem Baptisma sacramẽtum esse scio, sed si formam sacram ministrúmue non habeat; baptismus erit, sacramentum non erit. Vnctionis quoque sacramentum agnosco; sed sine sacra forma, sine ecclesię ministro, vnctio quidem esse poterit, sacramentum verò esse non poterit.

Pœnitentiæ demum sacramentum amplector; at sine forma sacra & ministro pœnitentiam reperio, sacramẽtum reperire nec debeo, nec verò possum. Sic igitur, tametsi Matrimonium sacramentum est, non ideò tamen coniugium quodcunq; venerare cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, & à vero ecclesiæ ministro consecratum sit. Alioqui, si quodlibet fidelium coniugium Theologis necessariò sacramentũ est, quis Scotum tuebitur, qui coniugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse sacramẽta? Ac nisi me fallit animus, rectè negat. Etenim nõ Magister & Diuus Tho. modò, verùm etiam concilium Florentinum docet, omnia sacramẽta verbis constare, quæ si desint, nullum omninò confici sacramẽtum. Quod si semel admittimus, formam sacramẽti esse posse aliquãdo, nutus verborum loco substitutos, nullo pacto effugere poterimus, quin & mutus sacerdos à peccatis absoluere, & mutus episcopus sacris initiari possit. Atque Matrimonium non alijs quandoque nutibus cõtrahitur, quàm carnali copula. Cùm enim post sponsalia sponsus & sponsa effectu maritali coeunt, fatẽtur omnes & iurisperiti & Theologi verum matrimonium confici. At carnis commixionem nouæ legis propriè sacramentum dicere absurdũ est. Spiritus quippè sanctus & sacramenti gratia per coitum nõ datur. 32. quæst. 2. c. Con-

Connubia. Non igitur ecclesia docet, quodlibet fideliũ matrimonium sacramentũ esse. Nisi quis adeò desipit, vt Caietanum dãnet, qui & probabilissimè, & me quidẽ iudice verissimè Matrimonium, q̃ inter absentes per literas procuratoresq; contrahitur, sacramẽtum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Caietanum errasse clamãt, hi non intelligunt nec quę loquuntur, nec de quibus affirmant. Quòd si nullo idoneo & necessario argumẽto, sed stultis turbulentisq; clamorib. alienas refellere sententias pergunt, atque adeò damnare quæ probabiliter & verè dicta sunt, tum nos in quiete & silẽtio taciti illorum stultitiam amentiamq; ridebimus. Concedant illi, vnum pro altero sacramentum sumere, cùm pro altero contrahit. Concedant, sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemq; & gratiam conferre & peccata remittere. Nos enim quoniam hęc absurda sunt, concedere potiùs volumus, eiusmodi cõtractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramẽta nullo modo. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, nõ solùm non esse dogma fidei, omne fidelium matrimoniũ sacramentum esse; sed etiã contrariã omninò sententiam, probabiliorem esse. Quòd si licuit Scoto ac Caietano, vt verè licuit, matrimonia, quę vel non verborum, sed rerũ notis, vel per procuratores cõficerentur, ab ecclesiæ sacramentis eximere; ecqua religio nos astringit, vt matrimoniũ quod ciuiliter & prophanè Iudęorũ, Saracenorum, Ethnicorũ more, sine sacris cęremonijs, siaeq; ecclesiæ ministro contrahitur, sacramentum esse propriè fateamur? Præsertim cũ contraria sententia non modò probabilior, sed & ad catholicam fidem tenendam facilior, & ad Lutheranorũ tela depellenda solidior sit. Agè verò, quãdo me in hunc locum deduxit oratio, quibus ego argumentis persuasus sum, eisdẽ Lectori persuadere conemur, Matrimonium eiusmodi sacramentũ propriè non esse, quod scilicet & signum sanctificationis sit, & eiusdẽ sanctificationes in sumentibus dignè causa sit. Quem laborem spero me non fruſtrà susceptum, cùm videam mecũ & rationes & testimonia, & sacramentorum demum naturam totã mirificè consentire. Illud verò mihi persuasi primùm, quoniam sacramenta propriè dicta sacræ sunt religionis cæremoniæ. Sacrorum enim vsus ad religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quocirca sacramentum opus est religionis. In sacramentis quoque profitemur, nos salutem à Deo salutari quærere, hæc verò professio, quæ fidei interioris externa testatio est, ad eam virtutem attinet, qua Deo cultum exhibemus. Atque peccata, quæ in sacramentorum abusu sunt, virtuti religionis aduersantur. Et Augustinus non quodlibet signum rei sacræ definit esse sacramentum, sed quod sit sacrum signum. Quibus rebus efficitur, vt sacramenta diuini cultus ac religionis, sacra quædam opera sint. Cùm igitur Matrimonium solis verbis viri & fœminæ, ciuiliter prophanèque contractum, licet rei sacrę signaculum sit, non sit tamen opus religionis sacrum: certe non est propriè sacramentum. Alioqui si rebus satis est significationem affigere, vt sacramenta dicantur, serpens æneus atq; manna propriè sint sacramenta, atque adeò in vniuersum omnia, quæ gratia significandi res sacras instituta sunt. Id quoniam absurdum est, cõsentiamus, verum illud esse quod posuimus, connubia sine sacro ministro, sineque aliqua religionis sacra cæremonia inita, nõ esse Christianæ religionis sacramenta.

Decimo de Ciui. Dei c. 5.

Deinde, concilium Florentinum, enumeratis septem nouæ legis sacramentis, Hæc omnia sacramenta, inquit, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquã materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. At in matrimonio, quod modò versamus, nullus est sacramenti minister, nullum ergo conficitur sacramentum. Nec verò audiẽdi sunt illi, qui putabunt, virum ac fœminam esse sibi vicissim sacramenti ministros. Quos ego manifestis argumentis euincerem, nisi ad alia grauiora festinaret oratio.

Præterea, fideles non se existimant esse sacrilegos, si non sunt in gratia, quo tempore sic prophanè contrahunt, in animis ergo fidelium inscriptum est, eiusmodi contractum non esse ecclesiæ sacramentum. Nam si sacramentum

cramentum esset, sacrilegiũ haud dubiè cõmitteret is, qui in peccato mortali coniugem duceret. Atq; si excõmunicatus matrimonium huiusmodi cõtraheret, sacrilegus quoq; bis esset, vtpote qui sacramẽtis ecclesiæ se indigne ingereret, quibus priuatus p ecclesiam est. Quæ
Epist. 23. omnia quam abhorreant à fidelium communi sensu, facilè, etiam si ego non admoneam, intelligitur. Adhæc, Augustinus in epistola ad Bonifaciũ tradit, oportere res ipsas corporeas, quibus sacramenta constant, imaginem & similitudinem gerere eius sanctificationis, cuius signa & causæ esse dicuntur. Vt baptismus lotione exteriùs administrata spiritualis ablutionis, quam efficit, imaginẽ & figurã habet. Eucharistia refectione potus cibiq; visibilis, inuisibilẽ refectione adumbrat. Eodemq; omninò modo in cæteris sacramentis, externa quadam actione & repræsentatione, sanctificatio interior delineatur, & quasi ob oculos ponitur. Matrimonium autẽ huiusmodi ciuile & prophanũ, nec sanctificationis imaginẽ gerit, nec ad sanctificandum, sub quadam exteriore sanctitatis specie exhibetur: Non est itaque propriè sacramentum.

Præterea, cõcilium Florentinum docet, idque Theologorum omnium decretum est, omnia sacramenta verbis constare tanquam forma, qua perficitur sacramẽtũ. Incredibile est autem nisi à forma sacra sacramẽtum p. fici. Quemadmodum enim humana forma hominẽ efficit, & albedo facit album, ita prorsus necesse est à forma sacra quodcunq; sacramẽtum existere. Atqui in matrimonio, quod ciuili more prophaneque contrahitur, nulla verba sacra sunt: nulla igitur est ibi sacramenti ne facies quidem. Nec verò dici potest, verba, quibus vtuntur contrahentes, nempè, Ego te accipio in meã, &c. esse huius sacramenti formam. Primò, quia verba eius, qui suscipit sacramẽtum, materia sacramẽti esse possunt, forma esse non possunt. Forma siquidem ab agente existit in passum, mediantibus causis administris. Sacramẽtorũ ergo formæ à Deo per sacrorũ ministros in eos prodeũt, qui sacramenta recipiunt. Id quod inductione manifestissima liquet in omnibus sacramentis, quę sine cõtro-

uersia

uersia sacramenta sunt. Tum quia in omnibus sacramẽtis, licet materia sit res aliqua naturalis, & quæ antè in humanos vsus conferri soleat, forma tamen supernaturalis sit oportet, cuius scilicet & vis & significatus nõ à natura, sed à causa quadam superiore oriatur. Cùm enim sacramẽtum quiddam supernaturale sit, forma, qua constituitur, per fidem accipienda est, non item per naturam. At illa verba, Ego te accipio in meam, vndiq; naturalia sunt, atq; omnibus vsurpata gentibus, quæ etiã sine fide contrahunt. Adde, quod forma sacramenti significat eum spiritalem effectum, cuius causa sacramẽtum esse dicitur. Nam sacramenta, vt in scholæ prouerbio est, efficiunt quod figurant. Significatio autem sacramenti in forma vel maximè elucet. Illa verò verba, Ego te accipio in meã, nullius effecti spiritalis signa sunt. Verba insuper, quæ sunt sacramentorum formæ, diuina institutione præscripta & determinata sunt, neque possunt hominum arbitrio immutari, quemadmodum D. Thom. in tertia parte demonstrat. At verba, quibus matrimonium contrahendum sit, nulla sunt omninò definita: sed innumeris verborum formis, non synonymis, sed varijs & dissimilibꝰ, eiusmodi cõtractus fieri potest. Non ergo verba illa, quibus vtuntur sponsus & sponsa ad contrahendum, forma sacramenti Christiani sunt. Præterea, quando verba aliqua sunt forma sacramenti, si nutus vel scriptura, vel aliud vnumquodlibet signum, eorum loco verborum substituitur, inanis nimirum actio est. At si contrahentes loco verborum nutus vel scripturam supponant, æquè conficiũt matrimonium, ac si verborum milibus vterentur. Quod profectò, si quis rectè consideret, non leue argumẽtum est, cur verba contrahentium huius sacramẽti materia sint. Nã præterquàm quòd materiã sacramẽti is, qui suscipit, administrare potest, formam non potest, cùm in idẽ forrè sacramentum verba loco materiæ formæque recurrũt. pro verbis, quę materię vicem habent, nutus aliaq; signa poni possunt, pro verbis aũt, quæ formæ vice sunt, poni non possunt. Quæ res in Pœnitentiæ sacramento facilè cernitur. Verba igitur contrahẽtium, pro quibus omninò verbis

nō verbis signa quæuis alia substituere licet, materia sacramenti esse forsitan queant, forma non queant. Id q hoc etiam argumento confirmari potest. Nomen enim sacramenti pro materia accipi solet, pro forma nō item: quemadmodum D. Thomas egregiè disserteque docet 4. sent. d. 1. q. art. 1. q. 5. ad 1. & dist. 3. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 2. Baptismus enim, id est, ablutio, sacramentum est, nō illa verba: Ego te baptizo, &c. Vnctio, Confirmatio, Pœnitētiaq; similiter. Verba autem contrahentium sunt sacramentum, vt idem auctor testis est additionū q. 44. artic. 1. ad 1. Dicimus nanque matrimonum esse sacramentū. Matrimonium autem contractus ille est, qui ex amborū verbis constituitur. Verba igitur contrahentium materia sacramenti sunt, forma non sunt. Iam illa falsa & cōmentitia esse quis nō videt, quæ iuniores Theologi confinxêre, vt ciuilem hunc humanumque contractū Christi & ecclesiæ sacramentum esse tuerentur? Quæ quidem plæraque in fidelibus valde nugatoria sunt, fidelibus aūt parūm solida. Hic tibi dicit contrahentes ipsos esse materiam sacramenti, hic, non ipsos, sed consensum, alius, gestus & nutus, qui à viro fœminaque exceptis verbis adhibentur, alius, prioris loquentis verba materiam esse affirmat, posterioris formam. Quę vtinā grauiter, verè, probabiliter dicerentur, ne iure ab hæreticis rideremur. Quorsum autem attinet, in re grauissima tenuiter, ne dicam ridiculè, philosophari? Quorsum in re ad fidem & religionem necessaria tanta varietas & inconstantia? Non enim, vt Hieronymus ait, potest vnquam verum asseri, quod diuersum est. Et rursum, Verum, inquit, non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur. Quid? quod materiam nos & formam sacramenti quærimus, hoc est, res quasdam religione sacras, hi verò de forma materiaq; contractus prophani naturalisque respondent. Nam, si apud Ethnicos de pactis illius conuentionisq; materia & forma cōtrouersia esset, non aliter profectò illi ac nostri Theologi loquerentur, Ita Luther⁹ more suo Theologos satis iocosè lusit, quòd religionis nostræ sacramentum ex his, vel integrum & perfectū constituissent, quę penitus omnia in matrimonijs

nijs paganorum reperirentur. Ac certè materiam & formam ciuilis naturalisque contractus, quibus in omni semper lege omnes vsi sunt, quæque perpetuò & fidelibus & infidelibus fuére communes, easdem omninò esse materiam & formam, quibus integra & perfecta nostræ religionis constituantur sacramenta, non Lutheto dicam, sed vix cuiquam persuaderi poterit, nisi ci, apud quem tantum opinio præiudicata potest, vt etiam sine ratione valeat. Equidem cùm ad respondendum argumentis Lutheri me comparo, quibus ille multipliciter sacramentū hoc conatur euertere, non id defendēdum sumo, matrimoniū eiusmodi sacramentum esse, in quo nulla sacri facies appareat, quodq; vniuocè cū cæteris sacramētum esse, ne cogitatione quidem informari posse videatur. Sed siue nostra opinio vera siue falsa sit, nihil enim moror, si Lutherani de hoc matrimoniorum genere disceptare voluerint, intelligant se in scholæ disceptationes incurrisse. Nec oportere catholicum ad eorum argumenta respondere. Sin verò argumentētur, Matrimonium cū sacris cęremonijs, cum sacra materia, cum sacta forma, à sacro ministro administratū, quemadmodum in ecclesia Romana semper vsq; ab Apostolis administratum est, si hoc, inquā, argumentētur, sacramentum ecclesiæ nō esse, tunc catholicus respondeat fidenter, animosè defendat, securè contra pugnet. Poterit enim consentaneas causas omni poscenti reddere de ea, quæ est in ecclesia, firma, perpetua, cōstansq; doctrina. Poterit fidem quoq; nostram & suauiter insinuare fidelibus, & grauiter ab infidelium calumnijs vindicare. Quam ego cum Lutheranis disputationē libentissimo nunc animo aggrederer, si id huius libri institutum pateretur. Video autem me plus, quàm ratio argumenti positi postulabat, digressum esse. Si digressio tamen dicenda est, vbi, quod in vtranque partem adeò probabiliter disputari potest, hoc nos contendimus nō ad catholicam fidem, sed ad scholæ opiniones referendum. Atea res verbis paucioribus addici poterat. Poterat sanè. Verùm difficile est, vt in omni loco verba rebus quasi paria & dimensa respondeant. Et libuit tandem quàm

dem quàm plurimis argumentis addicere, sine ecclesiæ ministro coniugij sacramentum nullum esse, vt inde pateret eam quæstionem nullo modo ad fidem attinere, quod secundo loco pollicitus sum. Attende nunc Lector, dum illud quod postremum erat, absoluimus. Non omnes, inquam, scholæ Theologi in eam sententiam conuenerunt, quemadmodum in argumento sumitur. Quin etiam nonnulli graues auctores nobiscum sentiunt. Atque in primis Guillermus Parisien. in libro de sacrament. tractat. de Matrimonio, ca. 9. quæst. 1. negat, matrimonium veri nominis sacramentum esse, & sacramentalem virtutem habere, nisi sacerdotali ministerio consecratum fuerit. Nam Magistrum & Durandum non refero, qui in vniuersum opinantur, matrimonium gratiam nō conferre. Qui profectò hoc loco non errassent, nisi communis opinio in extremo posita eis vehementer improbaretur. Patres item concilij Coloniensis apertè inficiantur, clandestinum matrimonium esse propriè sacramentum, atque ijdem quoque nō obscurè asserunt, aliud esse verbum, quo contrahitur matrimonium: aliud, quod efficit matrimonij sacramētum. Nec satis esse ad sacramentum ea verba, quibus mutuus cōsensus exprimitur. Sed aliud verbum requirendū, quod, vt in cæteris sacramentis, accedens ad elemētum faciat sacramentum. Quod vtique verbum fidei sit, non naturæ. Quorum in hoc sententiam difficile est factu non probare. In eo non probo, quòd verbum illud, quo sacramenti forma continetur, nō inde petunt, vnde semper catholicis petitū est. Enimuerò quibus ritibus, quibusque omninò verbis sacramenta ecclesiæ conficieda sint, non aliundè verius, tutiùs, constantiùs peti potest, quàm ab ecclesiæ Romanæ perpetua consuetudine. Sed de his nō est hic locus disserendi. Alio fortè oportuniùs propriā huius sacramenti materiam & formā explicabimus. Nunc ad id, quod instituimus. Non ij solùm, quos diximus, nostræ sententiæ assentiuntur, sed Petrus Palud. 4. sent. dist. 5. q. 2. imprudēs in eā quoq; descendit. Nam quūm vir & fœmina ciuiliter cōtrahunt, etiā si peccatores sint, nec pœnitentiā agant, nō credit eos esse reos sacrile-

Vide etiā eundem c. 1. de bap. tismo.

gij. Id quod nullo modo probabile esset, si eiusmodi matrimoniū esset verum ecclesię sacramentum. Oēs quippe sine cōtrouersia sacrilegi sunt, qui post peccatū mortale sine pœnitētia Christi sacramēta percipiūt. Diuus verò Thom. licet in scriptis cōmunes ferè opiniōes sequeretur, sed à veritate tandē rationeq; coactus nostrę opinioni subscripsit. Cum enim in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. docuisset, verba in omni sacramento necessaria esse, quinto id argumento impugnauit in hunc modum: Pœnitentia & matrimonium sunt sacramēta: sed de integritate eorum non sunt verba aliqua, &c. Cui argumento ille quidē respondit, q̄ matrimonium secundùm quòd est in officium, & pœnitētia secundùm quòd est virtus, nō habent aliquam formam verborum. Sed secundum quod vtrunque est sacramentum, in dispēsatione ministrorum ecclesię consistens, vtrumq; habet aliqua verba. Hactenus D. Thom. Et 4. lib. aduersus gent. c. 78. non aliter docet, nuptias sacramentum esse, nisi ad modum, quem diximus, per ecclesiæ ministros populo dispēsentur. Ea, inquit, quæ per ministros ecclesiæ populo dispēsantur, sacramēta dicuntur. Matrimonium igitur, secundùm quòd consistit in coniunctione maris & fœminæ intendentem prolem ad cultum Dei generare & educare, est ecclesiæ sacramentum. Vnde & quædam benedictio nubentibus per ministros ecclesiæ adhibetur. Hæc ille. Ac patrum quidē memoria matrimonium propriè esse sacramentum, ita demū proditum est, si sacerdotis ministerium interueniat. Sic Calixtus in epistol. ad omnes Galliarum episcopos prodit. Sic Cyricius ad Cumetium Tarraconen. episcopum c. 4. Sic Nicolaus 31. q. 2. c. Lotharius. Sic Hormisda, Euaristus, Isidorus, quos refert Gratianus 30. q. 5. prodidēre. Sic concilium Carthaginen. 4. cap. 13. refertur que 30. q. 5. ca. Sponsus. Sic concilium Lugdunense, & referrur 35. q. 3. ca. Nulli. Sic concilium Lateranense de simo. c. Cùm in ecclesię corpore. Sic concilium Constantiense sub Martino 5. in fine concilij. Sic Clemens de priuileg. Religiosi. Sic Ambro. lib. 1. epistolarum, epist. 1, quę scribitur ad Vigilium. Quorum ego testimonia, nec adscribo, nec expendo, quoniam, vt

3. q. 4. consanguinea-rum.

In epistol. decretor. Iucrum.

dixi, alterius & loci & tẽporis est disputatio. Certè Eurristus matrimonium clandestinum sine sacerdote contractum, tantum abest, vt sacramentum ecclesiæ fateatur, vt adulterinum etiam contubernium appellet. His adde, quòd nostræ etiam opinioni subscribunt iurisperiti propemodum vniuersi. Qui, quùm negãt matrimonium gratiã conferre, sine dubio id intelligunt de contractu ciuili, quẽ sacramentum latiùs vsurpato vocabulo appellant. At cùm administratio sacerdotalis accedit, nõ obscurè iurisperiti tradunt, per actũ sacerdotis consecrantis coniugium, gratiã conferri. Idcoq; non licere pro eo pecuniam accipere: quia sacramentũ ecclesiasticum est. Vbi iureconsulti probabilius, vt equidẽ sentio, quàm Theologi loquuntur. Tametsi Theologi etiã quidam docti sanè & graues inuenti sunt, quibus communis illa reliquorum sententia displiceret. Pro quo si qui adhuc contra nos steterint, non habent statim nostra placita damnare, sed idonea aliqua argumentatione refellere. Ego enim etsi non is sum, qui nihil vnquã falsi approbem, sed ea, quæ dissero tamen, non arroganter præiudico, nec reuoco ad arbitrium meum, sed vel sanctorũ testimonijs, vel ratione probabili consentaneaq; confirmo. Sic iure ac meritò possum à viris doctis postulare, vt de me non nisi causa cognita iudicẽt. Quòd si rationibus, quibus ego ducor, falsam me habere sententiã doceant, gratissimè acceprurus sum. Vt vero sine argumẽtis quisquã sola me assẽueratione vincat, fieri certè vix potest. Sed de scholæ auctoritate dictum est satis.

CAP. VI.

De auctoritate iurũ Pontificij prudentium.

ATq; hic quidem liber concludi iam poterat, nisi Theologiæ iuris pontificij prudẽtia iungeretur, esseturq; proinde hoc etiam loco explicandũ, quantum iuris huiusmodi prudẽtium auctoritas Theologo ad argumentandũ conferat. Sunt enim quidã vsq; adeo in ea facultate doctis infensi, vt illorum auctoritatẽ ab vsu prorsus Theologiæ remotã esse arbitrẽtur. Nos vero huiusmodi doctorum auctoritas quãti sit Theologo facienda,

facienda pauris ostendemus, illo principio sumpto, Theologis, qui pontificum canones ignorent, nimisq; multa deesse ad vsus Theologiæ necessarios.

Principiò enim, si à Theologis animarum cura nõ est aliena, sed potiùs animas regere, eorum quasi peculiare munus est, proculdubio canonici iuris scientia est illis necessaria. Nam quemadmodum non est in Abbate eligendus, nisi qui antè fuerit in regula cõpetenter instructus, vt c. Officij, de elect. Inno, tradit, ita ne cura quidẽ ecclesiam gubernandi est ei committenda, qui ecclesiasticas regulas nescit. Theologus igitur, qui vel episcopus vel parochus futurus est, nisi canones ante didicerit, qui animarum bus fideles debent in Christiana religione & ecclesiæ cẽremonijs institui, nõ habebit profectò ad rem hanc publicam gerẽdam Theologicę officinam satis instructam. Atq; hinc illa sunt ex Celestino, Leone, Augustino, septima synodo, concilio Carthaginen. concilio Toleta. 4. cõcilio Aurelianẽ. 4 Quę partim à Gratiano, partim à Burchardo referuntur. Quibus omnibus locis idem omninõ præscribitur, hoc est, sacerdotes Canonum ecclesiastico rum oportere esse peritos. Episcopis item iuris canonici intelligentiam esse necessariam, facilè ostenditur ex cap. Accedentibus, de excess. prælat. Vbi definit Pontifex, ad Episcopum pertinere de causis matrimonialibus cognoscere, publicas pœnitentias vel iniungere, vel tollere, indulgentias concedere. At hæc omnia nisi sciat, quomodo & quatenus perius liceant, nulla ratione ritè agere potest. Qua de re quoniam latè disserunt Innocẽ. Hostien. Anto. de Butri. Cardin. Abbas, & cæteri iurisperiti in cap. Cùm in cunctis, de elect. io. & in cap. Nisi cùm pridem. de renun. & in c. 1. de consanguini. & affini Gratianus quoque 21. dis. Cosmus in pragma. sanctione Gallicana. titu. de collatio. §. taliter. Ioan. de Annonia in cap. Quia nonnullis de magistris. August. de Anco. in lib. de potestate eccles. quæst. 108. art. 3. Antõ. 3. part. titu. 5. ca. 2. nos hic nihil superaddemus. Solum argumẽtabimur, canonici iuris cognitionem Theologo esse perneccssariam. Cùm enim Theologi propria functio sit, exhortari fideles in doctrina sana, ijdem quippè Theologi, qui

D. An 3. p2 Tit. 22. c. 3. 2. §. 6. Scientia iuris Canonici est necessaria his, qui curam animarum habent. Grat. 38. et 61. d. Burchar. 2. c. 159.

qui magistri animarum esse dicuntur, doctor verò ecclesiæ non diuinas modò leges, verùm etiam ecclesiasticas populũ docere debeat, absurdum sanè est, auferre à Theologi munere canonum disciplinam. Nam licet in scriptura sacra præcepta viuendi maiori ex parte tradãtur, sed, vt Cardin. Turrecrema. in proœmio decret. docet, doctrina morum in specie, secundum gradus singulos & ordines officiorum ecclesiæ, sine iuris ecclesiastici cognitione non habetur. At sermones morales absoluti esse nequeũt, si generatim & nõ speciatim habeantur, vt Aristote. in ethicis suis monet. Ad disciplinæ igitur ecclesiasticæ cumulum theologus nimirũ sacras ecclesiæ leges, debet addiscere. Confirmat autem hoc vel maximè Conci. Lateranen, sub Innocen. 3. in capit. Quia nonnullis. de Magistris. Præcepit enim, quod theologus in ecclesia Cathedrali ad docendum constituatus, sacerdotes doceat in sacra pagina, & in his præsertim informet, quæ ad animarum curam spectare noscuntur. Atqui in canonibus plurima sunt instituta, quæ ad animarum pertinẽt curam, canones igitur non habet theologus ignorare.

Sermones morales debent esse non solùm generales sed speciales.

Theologus non debet ignorare Canones.

Præterea, omnis doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docẽdum, arguendum, & corripiendum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. 2. Timoth. 3. At canones ecclesiastici instinctu Spiritus sancti sunt editi, vt Damasus ait 25. quæstione prima, ca. Violatores.

Præterea, Theologi à summo pontifice & episcopis asciscuntur, tanquam adiutores & comministri, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus & pœnitẽtijs iniungẽdis, ac cæteris eiusmodi, quæ ad salutem animæ pertinent: vt ex cap. Inter cætera. de offi. iudi. ordina. tum etiam rerum experimẽto docemur. Cõfessiones autem audire, ac pœnitentias iniungere sine iuris peritia vix quisq; potest. Nam, quod Caietanus dicit, pœnitentes in excommunicationibus, suspensionibus, irregularitatibus, aljisque eiusmodi pœnis, ad iurisperitos remittendos esse, ne confessor ipse alterius facultatis onere prægrauetur, id ignoro prorsus, quem-

In summa verb. cõfessori necessaria.

quemadmodum sine magnis incommodis fieri queat.

Primùm enim interdum in pœnis iuris incurrũt fœminæ, quas pro conscientiæ remedio iurisprudentium adire domos absurdum erit, ac certè parum muliebri verecundiq; consentaneũ. Deinde etiam, cùm iurisperiti & scientiam & verba locare soleant, ad confessionis sacramentũ non nisi prius data pecunia erit accessus. Adde, quòd homines vel sacerdoti verẽtur sua peccata detegere. Quòd si ad iurisperitos etiam relegentur, sacramenti huius onus grauius efficietur, quàm vt ferri ab imbecillis possit. Sed quid ego incommoda numerare pergo, in quæ confessores incidãt necesse est, atq; adeò pœnitentes, si cõfessores ipsi canonũ sunt ignari? Cũ manifestiora sint, quàm vt indicare debeamus. Fatẽdum est igitur iuris peritiam theologis magno vsui futuram. Nec adeò longè repetita argumẽta conquirere opus est, cũ passim ipsi videamus, quãta canonum multitudine theologorum sint referta volumina, illorum præsertim, qui indices quæstionum scripsere, quas summas nuncupare consueuimus. Vbi quantũ ius canonicum theologis cõferat, vel ipsi indices esse possunt, qui, quãtumuis eximia doctrina polleant, has & legunt, & amant epitomas. Sed & summa ipsa Caietani, si, quę ex iure canonico multa cõtiner, demas, magna ex parte imperfecta reperietur.

Præterea, cùm ad theologum nullæ causæ frequentiùs referãtur, quàm matrimonij, si non respondeat, indoctus habebitur, sin circa iuris peritiam respõdeat, ne dicam impudens, erit imprudens. Nam, vt Alexand. cap. primo, de con. & aff. tradit, causæ matrimonij nõ sunt tractãdæ per quoslibet; sed per viros discretos, & qui statuta canonum non ignorent. Adhæc, summorum pontificum decreta à iure diuino, hoc est, à libris vtriusque testamẽti dimanasse creduntur, id quod habes de transla. epist. cap. 1. & de accusa. cap. Qualiter & quando. secundo. Cùm ergo Theologia ex eisdem fontibus suos riuulos ducat, ineptè nimirũ theologus faciet, nisi opera summorũ pontificum velit vti: qui cùm multorũ consilijs exquisitis, tum spiritu sancto suggerẽte, ex diuinis oraculis dogmata & leges, siue ad fidem, siue ad fideliũ

mores & ecclesiasticos ritus, & ceremonias collegerunt, Item theologica facultas non est eiusmodi, vt tantùmodò animo rem cernat, sed etiam aliquid molitur & facit. Est enim, vt scholę verbis vtar, partim speculatiua, partim practica, quemadmodum Diuus Thom. prima part. quæst. prima, articulo quarto demonstrat. At iuris canonici disciplina Theologia quædam practica est, vt Aluarus Pelagius docet lib. de planctu eccles. secundo, art. 20. tum, qua eius facultatis finis est, dirigere animas per canonicas leges in salutē æternam: tum etiam, quia in solo volumine decretalium multi casus & articuli continentur, vtiles & necessarij tam in concilijs animarū & pœnitentię foro, quàm in regendis & disponendis ecclesijs & rebus ecclesiasticis. Agit enim liber ille de baptismo, de sacra vnctione, de celebratione missarum, de Matrimonio, de ordinibus, & cæteris sacramentis: de statu Monacho. de clericorū honestate, de voto, de iureiurando, atq; alijs eiusmodi. De Simonia, de periurio, de vsuris, de furtis, & reliquis id genus criminibus, de irregularitate, suspensione, excommunicatione, interdicto, pœnisq; similibus. Quæ omnia si theologus ignoret, nō solùm idiota erit, vt cap. Ex multa. de voto. Innocen. vocat, sed in multis, præsertim quæ ad actionem pertinēt, & ad mores Christianos, hallucinabitur. Atq; vtinam theologi, qui iuris canonici sunt penitùs ignari, vel à decernendis conscientiæ casibus abstinerent, ne imperiti risui haberētur, cùm de his nonnunquā respondent vt magistri, quę nunquam vt discipuli didicerūt, vel certè ea essent modestia præditi, vt iurisperitos consulerēt, ne diuinando de sensu proprio responderent. Quòd si docere vellemus in quot errores theologi nonnulli ob iuris pontificij ignorationem incurrerint, facillimum quidem esset, nisi esset longū, & aliò nostra oratio properaret, Sentiamus igitur, id quod positum est, iuris canonici doctrinam theologo esse valdè necessariā, eò vel maximè, quòd summi pontificis, & conciliorū auctoritas, quæ huius doctrinæ voluminibus continetur, theologis argumenta subministrat propria theologicæ facultatis, vt abundè duob. antè libris demonstratum est.

Vide Imo. super proœmia Decre.

Notent hic confessarij.

Cap.

CAPVT. VII.

SEd enim hoc posito nō adhuc apparet, cuinam vsui iuris interpretes & professores, theologis differentibus esse possint; quæue argumenta & qualia, eorum auctoritas theologicis disputationibus administret. Id quoniam nemo, vel leuiter attigit, dicā ego, vt potero, inconditè fortasse, sed tamē vt res possit intelligi. Iuris pontificij volumina circa varia rerū genera versantur. Primùm enim catholicam fidē & profitētur & explicāt, vt in titu. de sum. trinit. Deinde de moribus definiunt & religione Christiana, quantum aut ex euangelica lege, aut naturę ratione definire licet: vt videre est in tit. de vsura, de iureiurando, de diuortijs, de simonia. Prętereà differūt quoq; de moribus ecclesiasticis, deq; religionis cæremonijs, & officijs ministrorum ecclesiæ; quatenus hæc omnia disponuntur legib. positiuis. Nam scholastico verbo libēter vtimur: nec Grammaticorum censuras pertimescimus. Alioqui, vt Aristoteles ait, res grauissimæ interdum nitore verborum atq; ornamentis immo dicæ diligentię deformātur. Atq; hæc mihi causa est, cur sermone eo quandoq; vtor, qui scholæ notus est, ne, vt quidam latinissimè loquentes, ab scholę theologis iure optimo irrideat. Quoniam verò scio, graues sentētias inconditis verbis elatas, delicatiorum præsertim aures offendere, adhibere soleo sermonis mundıtiam, non odiosam nec inquisitam nimis, tantùm quæ fugiat agrestem quorundam negligentiam. Sed ad rem. Humanas ego leges de ritibus & moribus ecclesiasticis, quoniam sic vocant, positiuas appellaui. Quales sunt multę in tit. de celebra. Missā. de cleri. peregri. coniugatis, & cætera. ætate & qualit. ordi. de obser. ieiu. & breuiter in lib. 1 decre. de officijs iudicum, & in 2. de ordine iudiciario. Postremò autem huiusmodi pontificia iura prescribūt pœnas his, qui leges vel euangelicas, vel naturales, vel etiā ecclesiasticas, perruperint, vt in titu. de exco. de rapto. de apostā. de hæreti. licet cernere.

Theologi nō tumens censuras Grāmati corū, cū vtātur quibusdā vocabulis.

Hoc igitur fundamento posito, sit prima conclusio. In his, quæ ad fidem pertinēt, iurisconsultorum auctoritas

1. Conclu.

ritate theologus non eget. Quin potiùs eorum titulorũ expositionẽ, qui de fide decernunt, legisperitus à theologo mutuari debet. Ratio vero in promptu est. Siue enim pontifices, seu concilia, quę in volumina iuris coguntur, quicquã definiant, q̃ ad fidem spectare videatur, id certè, vt alio iam loco explicuimus, nõ ex sensu suo, vel ex sacris literis atq; Christi & Apostolorũ traditionib. colligant necesse est. Cùm ergo principia, vnde pontifices & concilia ad quæstionẽ fidei decernendam proficiscũtur, propria sint Theologicę facultatis, cuius est cognoscere, quæ à Deo sunt reuelata, queq; his sunt, vel cõsequentia, vel repugnantia: planè cõficitur, in ejusmodi rebus canonũ sacrorum intelligentiã nõ à iurisperitis, sed à theologis esse petendã. Id q̃ patres, quibus est fidei cognitio mandata, libenter agnoscunt. Non enim priùs quẽquam hęreseos crimine damnãt, quàm theologi definierint, quod in iudicium venit, id hæresim esse.

Quæ cùm ita sint, non video equidem quónam cõsilio nunc apud nostros in negotio cognitionis fidei partes postremæ, ne dicam nullæ, theologis permittantur, iure consultis verò vel primæ vel etiam omnes. Cumq; præcipuus sit in hoc negotio labor decernere, quid hæresis sit, quid hæreticũ faciat, quid fides teneat, quid cõtra cum fide pugnet, quantum & quatenus doctrinæ sanæ ac catholicæ aduersetur, id quod reus asseruerit: ad reorum quidem pœnas decernẽdas, quod posterius est, decreti sunt in republica iudices, ad illud autẽ, quod & grauiùs est, & in fidei negotio prius, nullos habet respublica theologos patres conscriptos, quorum de culpis iudicium, cùm de pœnis iudicant, iurisperiti sequantur. Faxit Christus, cuius hęc causa est, vt principes Christiani, qui huic operi, quo fides & religio continetur, libentissimè fauere solent, rem, quam semel cœperunt, absoluant, & grauissimo tribunali theologos probatissimos, probatissimos inquam, adiungant, ad huius diuini negotij absolutissimam moderationem. Id enim si fuerit ecclesiæ præstitũ, nihil erit, quod in sanctissimo & maximè necessario inquisitionis officio desideretur. Sed de prima conclusione satis. Iam pergamus ad reliquas.

Secunda

Secunda conclusio. In his etiam, quæ ad mores pertinent, quatenus vel lex euangelica, vel ratio Philosophię de huiusmodi præscribit, iureconsultorum auctoritas parum aut cerrè nihil theologo conferre potest. Quin rectam & sanam earum rerum cognitionem iurisperiti à theologis mutuam accepturi sunt. Nam quemadmodũ Musicus ab Arithmetico conclusionum suarum rationẽ sumit, quòd hæ conclusiones à principijs Arithmeticæ deriuantur, ita & si quæ dogmata de moribus ius pontificum vel ex euangelio, vel ex Philosophia colligit, ea planè tanquam à proprijs principijs accepta theologus agnoscet, rectiusq; & intelliget, & interpretabitur. Qua ex re facilis coniectura est, iurisperitos quõsdam in summo errore, & magna veritatis ignoratione versari, cum asserunt in materia vsurarum, simonię, & alijs eiusmodi in quibus de peccato mortali agitur, ad iurisperitos potiùs, quàm ad theologos recurrendum. Quo in errore fuerunt Ancharranus in disputatione, cuius initium est, Antiquis & modernis temporibus, & Ioannes de Anania in cap. in ciuitate, de vsuris. & Alexander in concilio primo, & Aluarus Pelagius lib. 2. arti. 20. & Hostiensis in cap. penul. de æta. & quali ordi. Quos tamen non est difficile refellere. Nam cùm theologo sacrarum literarũ cognitio propria sit, quæcunque de moribus, vel in sacris literis continentur, vel ex eisdem per certam connexionem conficiuntur, vbi iuris theologus inuenerit, ea tãquam sua vendicabit: iurisperitus autẽ vt aliena mutuabitur. Cumq; rursum Philosophiæ principia à theologis etiam habeantur, vt qui de virtutibus & vitijs, de fine humanæ vitę deq; actionibus, quibus ad hunc finẽ pertenitur, longè lateq; differant, & super harum rerũ iactis fundamentis morum fabricam extruant: certè quæ in iure de moribus ex principijs naturæ ratione constitutis præscribuntur, ea theologus quasi iure assumet, iureconsultisque exposita & enucleata tradet.

2. conclu.

Tertia conclusio. In tertio illo genere rerum, vbi scilicet de moribus ecclesię & religionis institutis, per leges tantùm pontificias decernitur, in illo etiam postremo, vbi pœnæ iuris præfiniuntur, iurisperitorum omniũ cõmunis

3. conclu.

munis consensus concorsque sententia, Theologo magnam fidem facere debet, si quando incidat quæstio circa res huiusmodi. Vt si exempli causa, veniat in dubium, An hic aut ille homo sit vel irregularis, vel excommunicatus, vel interdicto, vel suspensioni obnoxius. Item An delegatus possit subdelegare, an episcopus in his illisve possit dispensare, scholæ verbis liceat vti, an ecclesiæ pastor rite sit electus, num iudex ecclesiasticus causam in iudicio legitimè definierit. In his alijsque sexcentis huius generis, theologus insolentissimus erit, si, quod ignorat, iudicarit: insolentior, si, posteaquam iurisperitos consuluerit, omnium auctoritati refragabitur. Etenim, vt aliàs sæpè diximus, cuiusquerei peritia non alijs certius meliusque contingit, quàm eiusdem rei peritis hominibus. Ita, doctissimis quibusque in arte sua fidem habere opus est. Iuris ergo pontificij prudentibus in his, quę propria sint illius facultatis, nõ credere, erit profectò temerarium.

Deinde in eiusmodi canonum interpretatione ecclesiæ iudices & administri, concordem omnium iureconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel iudicijs ecclesiasticis, suo sensu & non communi iurisperitorum omnium duceretur, sine dubio suo illum iudicio ecclesia coërceret. Ita ecclesia vsum iudicum approbando, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in ecclesiæ administratione sequuntur. Nec alienum est à vera coniectura Christum dominum iuris huius peritis quodammodo etiam adesse in legum ecclesiasticarum vera interpretatione. Cùm enim sacri canones, instigante spiritu sancto, ad ecclesiæ sint vtilitatem editi, vt Damasus Papa definit, consentaneũ est, vt ecclesia, cui canones illi sunt necessarij, quò in religione & moribus ecclesiasticis contineatur, interpretes à Deo sanos acceperit, earum legum & institutorum, quibus est administranda. Parum enim profuisse leges mortuas in membranis scriptas habere, nisi haberet quoque respub. Christiana viuos interpretes, qui rectum earum legum sensum assequerentur. Deus itaque, quoniam non deficit in necessarijs,

De consti. cap. 1.

Sacri canones editi fuerunt inspiratione spiritus sancti.

sarijs, non in theologos solum, sed in iuris pontificij peritos spiritum veritatis effudit. Quapropter ex concordi omnium sententia probabilissimum argumentum sumere theologus potest, ad eas quæstiones decernendas, quæ circa illa duo rerum genera posteriore loco posita exorientur. Exorientur autem in vtroque genere plurimæ, quarum definitionem theologis ignorare fas non est: his vel maximè, qui aut laicorum & clericorum confessiones audiunt, aut etiam Theologiam in Academijs profitentur. Hi enim, quoniam de multis, quæ ex iure pendent, magnum munus respondendi sustinent: si responsa atque decreta iurisconsultorum negligant, periculosè nonnunquam ac turpiter errabunt. Quæ autem cum viris in sua quibusque arte peritis consuluntur, ea aut minimo, aut nullo certè periculo respondentur. Ac de septimo quidem loco satis dixisse mihi videor.

Octaui libri finis.

DE

DE OCTAVO LOCO, QVI RATIONIS NATVRALIS ARGVMENTA continet. Liber Nonus.

CAPVT I.

SEquitur, vt doceam, quidnam argumentorum ratio naturalis Theologo suppediret, quod in octauo loco me acturum pollicebar. Agam autem, quantum res ipsa patietur, breuissimè. Est enim hic locus latè patens, & quanquam non est theologiæ proprius, sed alienus, magnus tamen est, & cùm ab scholasticis reliquis, tum à Diui Thomæ familia excultus vberrimè. Non quòd de loci huius aut vi, aut vsu quisquam adhuc scholæ theologus disputauerit, sed quòd vniuersi philosophiam, cæterasque naturali ratione partas disciplinas, vel in scholam Christianam inuexerint, vel certè ab alijs inuectas excoluerint, pro sua quidem facultate quisque, sed in theologorum, vt ita dicam, grege sine controuersia D. Thomas excelluit. Principio autem in huius loci tractatione duos errores cõtrarios fugere debemus. Vnum eorũ, qui vsque adeò argumentis à ratione ductis addixerunt se, vt siue disputent, seu scribant, scripturam sacram sanctorumq; patrum libros ne legisse quidem videantur. Qui parum illis dissimiles sunt, quos Euseb. 5. lib. histor. eccle. postremo capite cõmemorat, in tantum stultitię prolapsos, vt si quis sermonem de scripturis proposuisset, illi è contrario proponerent; vtrum ille sermo, de quo agebatur, coniunctũ an separatum genus syllogismi faceret. De quibus rursum Eusebius, Derelinquentes, ait, sanctas scripturas dei, geometriam tractant, & qui verè de terra sunt, de terra loquun-

loquuntur: & ideo eum, qui de sursum est, & de cælis venit, ignorant. Denique Euclides apud eos vel maximè in Geometriæ disciplinis viget. Sed & Aristoteles & Theophrastus ab his in admiratione habentur. Galenus verò à nonnullis eorum adoratur etiam. Ac fuisse olim in ecclesia nonnullos, qui ratiõem auctoritati prę-ferentes, rem theologicam syllogismis absoluerint; Augustinus in epistola ad Dioscorum, numero 56. Bernardus quoque epistola 189. testes locupletissimi sunt. Hoc vero seculo fuisse etiam in academijs multos, qui omnem fermè theologiæ disputationem sophisticis ineptisque rationibus transegerint, vtinam ipsi non fuissemus experti. Egit autem diabolus, quod sine lachrymis non queo dicere, vt quo tempore aduersum ingruentes ex Germania hæreses, oportebat scholæ Theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsus haberent, nisi arundines longas, arma videlicet leuia puerorum. Ità irrisi sunt à plerisque, ac meritò irrisi, quoniam veræ Theologiæ solidam effigiem nullam tenebant, vmbris vtebantur, easque ipsas vtinam sequerentur. Feruntur enim è scripturæ sacræ principijs, cuius isti vel vmbras non sunt assecuti. Quocirca homines verbotenus in Theologia magistri, pugnauêre illi quidem aduersum ecclesiæ inimicos, sed valdè tamen infeliciter. Malè enim se res habet, cùm, quod ingenio & eruditione effici debet, id tentatur à viris, qui & ingenio parum valent, nec sunt admodum eruditi. Errabant autem à principio statim studiorum suorum. Cùm enim facultates eas, quæ linguam expoliũt, mirum in modum neglexissent, cumq; sese in sophistica arte torsissẽt diutiùs, tum demum ad theologiam aggressi, nõ Theologiã, sed fumũ Theologię sequebãtur. Quod si vituperandi sunt, qui per ignorantiam errauerunt, quid de ijs existimandum est, qui volentes & prudentes in errorem inciderunt? Nam cùm rem perditam & collapsam sua restituere auctoritate deberent, tempori, vt inquiunt, seruiẽtes, non modo sophismata non profligârunt, verùm etiam auxerunt. Quæ nimirũ cum à philosophia, tùm verò magis à Theologia tollẽda sunt, eaque argutandi ars, quæ

vult

vult illa quidem videri se esse Dialecticam, sed abest ab ea distatq; plurimum. Dialectica enim est locata in peritia vsuq; partiēdi, finiendi, argumētandi, id quod Theologo est pernecessarium, sophistice autem nihil habet nisi argutationes vanas, quarum nullus in Theologia fructus est. Quin adeò nulla pernicies Theologiæ maior inueniri potest, quàm in sophismatū fæce simulatio Theologiæ. Ex quo illa absurda nascuntur, vt sophistæ Theologi esse videantur. Quòd si quem etiam ista delectant, ne bellum omninò indixisse videar sophismatibus, quarum est etiam fortasse quidam modus, nō intelligo, quid causæ fuerit viris doctis, vt sub Dialecticæ nomine exponibiles, obligationes, insolubiles, reflexiuas, aliaq; id genus monstra in scholam intulerint, de vsu autem Dialecticæ non fecerint ne verbum quidem vllum. Nónne igitur sunt illa pueris vtilia? sint. Nam nos quoque sophistæ fuimus aliquando, sed obsecro, ita vtilia habeantur ista, non vt ornamenta virorum, sed vt exercitamēta puerorum. Atque vel ipsi pueri intelligant, sophismatum breuem quendam ludum esse oportere, aliūq; vsum à Dialectica requirendum, Philosophię Theologięq; maximè necessarium. Verùm hęc hactenus. Iam ad propositum reuertamur. Qui igitur Theologiæ dogmata humanis metiuntur argumentis, nec ea, quę à ratione ducuntur, volunt præponderari auctoritate, hi primū omnem vim Theologiæ & grauitatē amittunt, deinde faciunt, vt Theologia detracta auctoritate nō solū contemnatur, sed ne Theologia quidē sit. Nam si vera & legitima Theologia est, à fide descēdat oportet, vbi huius facultatis ,ppria principia residēt, quemadmodū in huius operis initio cōstituimus. Fides autē tota, scripturarū & ecclesiæ auctoritate continetur. Quamobrē satis exploratū habere possumus, quā malè valeant ij de re Theologica aut scribere aut disputare, qui sacros libros, Apostolorum traditiones, conciliorū dogmata, iuris pontificij decreta, sanctorum veterum doctorum, vel reijciunt vel ignorant. Itaq; hoc quidem opinantium genus pellatur è medio, est enim totū improbabile & impium, qui opinātur aptiora theologo ea argumēta esse, quę ex ratione quàm

quàm ea, quæ ex auctoritate ducantur. Rebus enim antè dictis apertè intelligitur, cùm de Deo præsertim diuinisque mysterijs disputatio incidit, argumentis philosophiæ præponenda esse argumenta, quæ pertinent ad Dei fidem, qua nihil Theologo debet esse antiquius. Sed prioris huius erroris leuitas, quoniam facilè deprehenditur, non est pluribus refutanda.

CAPVT II.

Alter autem error illorum est, qui solis sacrarum literarum testimonijs, aut interdum etiam scriptorum veterum, omnia definiunt, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrētes, quàm si essent Theologiæ aduersa & inimica. Hunc autem errorem plurimis testibus suadent. At primus testis citatur Gregorius Nazanzenus, orat. 1. in Iulianum, vbi ait, disciplinam nostram esse Pythagoricam. Atqui apud Pythagoræos tantum auctoritas præiudicata poterat, vt sine ratione valeret. Alter est Hieronymus in 10. Matthæi caput, quo loco non vult Euangelij doctores humanæ ratiocinationis præsidiis niti. Quia huiusmodi, vt inquit, virga & baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, & manum perforat incumbentis. Et in 31. caput Hieremiæ, de verbis Dei humano sensu argumentari, dicit esse sacrilegum. Tertius est Augusti. lib. 1. de actis cum Felice Manichæo, capit. 10. Cùm enim Felix Manichæum efferret, quòd docuisset discipulos suos, initium, medium, & finē, & quomodo, vel quare factus sit mundus, de cursu solis & lunæ, deque alijs huiusmodi rebus physicis, Augustinus contrà ait, quòd spiritus paracletus non docet has veritates. Christianos enim vult facere, non Mathematicos. Sufficere autem, vt homines de his rebus propter humanos vsus nouerint, id quod in schola didicerunt, scilicet priusquam ad Christi religionem conuerterentur. Propter humanos vsus, inquit, ad vsum igitur Theologiæ, humanę ratio doctrinę nihil Catholico proderit. Referuntur etiam à Gratiano 37. dist. duo testimonia, vnum ex Ambrosio, alterū ex 4. concilio Carthaginen. quibus suaderi videtur, humanas

Sacra. lib. 1 historiæ sue. c. 8.

disciplinas, vt perniciosas, vel certè vt inutiles, à Theologia repellendas. Cōcilium quippè Carthagin. 4. vetat episcopis, ne libros gentilium legāt. Ambrosius autem dicit Astrologiam, & alias huiusmodi disciplinas nihil valere ad salutem, sed in errorem mittere. Epiphanius quoque hæresi 76. aduersus Aëtium disserens ait, quòd non reuelat Deus patrē & filium per Spiritum sanctum, his, qui de ipso per syllogismos ratiocinātur. Qui ergo in Theologiam humanas rationes inuehunt, hi diuinę reuelationis non possunt esse participes.

Nec solùm testimonijs patrum, sed sacrarum etiam literarum abutuntur in sui erroris confirmationē. Priùcipiò enim afferunt illud Ecclesiastes 1. Ego Ecclesiastes proposui in animo meo quærere & inuestigare sapiēter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Si ergo occupatio pessima est studium humanæ literaturæ, si vanitas & afflictio spiritus, non est profectò à Theologis expetenda. Deinde argumentantur ex illo Prouerbior. 5. Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillās labia meretricis, &c. Et posteà, Quare seduceris, fili mi, ab aliena, &c. hāc autem humanam sapientiam interpretantur, quam nimirum esse fallacem ad Colos. 2. testatur Apostolus in hæc verba: Videte ne quis vos decipiat per philosophiā, & inanem fallaciam. Addunt illud 1. ad Corinth. 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiā prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius seculi? Nónne stultam facit Deus sapientiā huius mundi? Addunt etiam illud ex eodem Apostolo 1. Corinth. 8. Scientia inflat. Aliud quoque 1. ad Timoth. 6. Si quis non acquieuerit sanis sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones. Quo loco volunt Apostolum significare, disciplinas humanas morbos esse, solamque Christi doctrinam esse sanam. Hanc secundum pietatem, id est, religioni conformem & consentaneam esse, illas non esse.

Præterea

Præterea, Apostoli non habuerunt Philosophiā, non egitur Theologo necessaria. Si enim Spiritus sanctus docuit Apostolos omnem veritatem, iuxta Domini pollicitationem Ioannis decimo sexto, & has disciplinas non docuit, sequitur nō esse Christiano doctori vtiles, atq; adeò ne versari quidē circa veritatē. Præterea, vel Philosophia est Theologo necessaria, dum imperfectos in ecclesia instruit, vel dum perfectos alloquitur. Imperfectis lac Apostolus dat, nec existimat se quicquam inter huiusmodi scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. Perfectis verò sapientiam loquitur, nō huius sæculi, neque principum huius sęculi, hoc est, Philosophorum. Nō ergo Theologus Philosophia eget, siue cum paruulis seu cum prouectioribus sermones diuinos conferat.

Pergunt etiam argumentari, quòd si vtilis & necessaria esset Theologo philosophia, hoc esset ob id maximè, quòd non alia via & ratione melius Philosophi Christo repugnantes euincerentur. At hoc constat esse vanissimum. Primùm, quoniam euacuaretur crux Christi, vt Apostolus ait, Si de philosophis & sophistis per humanam sapiētiam triumpharet. 1. ad Cor. 1. Rursus, quoniam, vt idem Apostolus secunda ad Corinth. c. decimo auctor est, arma Christianæ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentē se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Non ergo Theologus, Christi miles, humanarū disciplinarum præsidijs eget, vt fidei aduersarios possit euincere. Id quod exemplo Nicæni concilij facilè demōstratur, vbi Philosopho superando plus valuit simplicis hominis syncera fides, quàm omnes omnium Dialecticorum & Philosophorum argutiæ. Certè Hieronymus ad Pammachium aduersus Ioannis errores, argumenta à ratione ducta & de gentilium fonte manantia, tanquam gentilium arma Christiano dicit esse deponenda. Postremò etiam argumentantur, Christi doctrinam perfectam esse: non itaque Philosophiæ subsidijs indigere. Ruffinus 1. lib. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT III.

HIs argumentis nituntur illi, qui in hoc errore fuerunt. Nam fuisse quosdam testatur Clemens Alexandrinus primo Strom. lib. in hæc verba: Non me autem latuerunt ea, quæ ab aliquibus imperitè tumultuantibus iactãtur, qui dicunt oportere in his versari, quæ finem continent: externa autem & quæ sunt superuacanea transilire, quæ nos frustrà conterunt, & detinent in ijs, quæ ad fidem nihil conferunt. Alij autem etiam philosophiam ex malo ad hominum perniciem existimant in vitam esse ingressam, vt quæ profecta sit à maligno aliquo inuentore. Et rursum eodem libro, Nonnulli, ait, qui se putãt esse ingenioſos, nec Philosophiam attingere volunt, nec Dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, sed solùm & nudam fidem requirũt, perinde ac si cùm nullam vitis curam gesserint, velint ab initio statim botros accipere. Dicitur autem Dominus vitis allegoricè, à quo cum diligentia & agricolendi arte, quæ fit ratione ac sermone, fructus est vindemiandus, &c.

Ioan. 15.

Lutherus etiam, qui omnes omnium hæreticorum hæreses in vnam fecit Camerinam confluere, nõ modò asseruit Philosophiam esse Theologo inutilem & noxiam, verùm etiam omnes speculatiuas disciplinas errores esse. Scilicet morum Philosophiam, nouus hic Socrates mirificè cõplexus est, quæ in contẽplatione versatur, eam solùm damnat. Cornelius quoq; Agrippa vir post hominũ memoriã vanissimus, in suo illo libro, qui de vanitate scientiarum inscribitur, non sicut Zethus ille Pacuuianus, Philosophiæ solùm, sed omnibus humanis disciplinis, atq; adeò diuinis bellum indixit. Atq; horum hominum ingenium quale esse soleat, nõ est necesse disputare: est enim in promptu. Facilè siquidem intelligitur, quamobrem isti discipulos suos à facultatib⁹, quæ ratione constant, alienos esse velint.

Plutarch. de pla. Phi o. Ense. li. 1. præpa. euang. c. 5.

Quemadmodum enim Epicurus reijcit Dialecticam, Alfaquini etiam Machumetis, Saracenos procul ab omnibus disciplinis abducunt, quoniam intelligunt disciplinas

plinas artesque omnes rationales, doctrinæ peruersæ esse contrarias, ita Lutherani, nequando discipulis errores sectæ absurdissimi deprehendantur, cupiunt eos ab omni cognoscendi ratione seuocare. Sed enim cùm veritas veritati nunquam aduersetur, consentiat semper & subseruiat, iure ac meritò scholæ nostræ auctores nobilissimi humanas omnes scientias, tanquam ancillas, ad arcem & ministerium veræ sapientiæ aduocãrunt. Id quod Iulianus inuidens, Christianis lege interdixit studijs bonarum artium. Socrates libro tertio historiæ ecclesiast. capite 12. & 16. Sozomenus libro sexto historiæ tripart. capit. 37. Quapropter mirari non desino, morem eijciendi humanas rationes, cùm in Theologia disseritur, in quibusdam etiam catholicorum Gymnasijs insertum esse, haud parua certè iactura ecclesiasticæ disciplinæ, si illa consuetudo inualescit. Erunt enim ij, si ita res procedit, optimi præstantissimique Theologi, qui plurima loca memoria tenuerint, &, quod iurisperitis obijcitur, qui elenchi fuerint librorum & indices. Id quod in Germania regnãte Luthero accidit, vt sutores, qui nouum Testamentum memoriæ mandãrant, magni & præclari Theologi haberentur: atque adeò mulierculæ, quoniam Euangelia & Paulinas epistolas memoriter recitare poterant, omnium Academiarum Theologos ad disputandum prouocarent, auderentque viris concurrere non virgines, sed mulieres corruptissimæ.

Talis scilicet est Lutherana Theologia, in qua, quoniam nullum acumen, nullum ingenij specimen est, optimo quisque splendidissimoque ingenio, quamlibet acie mentis, & veri perspicientia polleat, quamlibet rerum & diuinarum & humanarum ordinem ac connexionem teneat, quamlibet omnium causas, effecta, antecedentia, consequentia, non animo solùm perlustrãrit, sed etiam compræhenderit, nullo tamen apud istos habeatur in pretio. Sed hæc alio loco fortè tempestiuius dicẽtur. Nunc ad id, quod erat institutum, reuertamur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARG. RATIONIS NATVR.
CAPVT IIII.

AVres itaq; ad naturæ rationes occludere, si quã-
do à Theologis afferantur, id nos in errore ma-
ximo ducimus. Si enim cadit in Theologum ali-
quando, vt de rebus humanis philosophetur, quod pro-
fectò cadit, nisi ex eo extirpatam humanitatem arbitre-
mur, quænam rogo causa est, cur naturales argumenta-
tiones à Theologia pellamus, ne, vt quæ diuina sit, hu-
manis adminiculis eguisse videatur? Nõ egeat his, est: o
cum suis, hoc est, diuinis quasi lineis continetur. At vo-
lumus nẽ nos Theologum, qui solùm diuina calleat, in
humanis erret, labatur, cæcutiat, hallucinetur? Quid
autem interest ratione animi sublata, non dico inter ru-
sticum & Theologum, sed inter Theologum & pecudẽ,
aut saxum, etiam aut trũcum, aut quiduis generis ciui-
modi? Quę verò ista sit mens, vel quæ hominis ratio po-
tiùs, si nec philosophiam nec Dialecticam habeat, nec
vllam omninò humanæ rationis disciplinam? Intelli-
gẽdum est autem Christianæ doctrinæ professores duã-
bus quasi indutos esse personis. Quarum vna est cõmu-
nis, ex eo, quòd omnes participes sumus rationis, à qua
omnis argumẽratio naturæ trahitur, & ex qua ratio in-
ueniendi argumenti naturalis exquiritur: Altera autẽ
quæ propriè Theologis est attributa, vnde argumenta
expectantur, quæ propria sunt Theologicæ facultatis.
Deponat igitur Theologus personã hominis, si ita pla-
cet, cùm diuina tractat, cùm verò tractat humana, quæ
nã rogo stultitia erit, hominẽ ex homine tollere? Quan-
quam, in quacunq; disputatione, siue de humanis, seu de
diuinis disseratur, vtramlibet personã deponere, stul-
tissimum erit. Quid enim stultius esse potest, quàm vel
pedem abijcere, cùm caput munus suum explet, vel ca-
put tollere, cùm pes munere suo fungitur? Nam nec pes
capiti officit, nec caput pedi. Quin etiam, vt Apostolus
monet, non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi
necessarij. Sic nimirum, cùm nec humanarum rerum
intelligentia diuinarum cognitioni obsit, nec diuinarũ
cognitio, humanarum intelligentiæ, neutram debemus
in alterius

Theologus potest indui duplici persona.

1. *Cor.* 12.

in alterius propria functione abijcere, nisi volumus esse
stulti. Porrò qui Theologiam sic instituit, vt nihil ha-
beat cum naturæ ratione coniunctũ, omniaq; egregiæ
disciplinæ dogmata sola scripturarum fide metitur, hic,
si in ea opinione persistat, & non interdum naturæ bo-
nitate vincatur, nec Theologiam colere tueriq; possit,
nec fidem, nec humanitatem. Non humanitatem, sæpè
enim dicendum est, quia sine ratione humanitas extir-
patur: qui autem rationales disciplinas Theologo aufe-
runt, hi suam illi rationem eripiunt. Quoniam si verita-
tem, quę in disciplinis cernitur & hominis intelligẽtia,
à ratione tollas, iacebit profectò, vel nulla erit potiùs.
Nec fides rursum se ipsa sola sine doctrina, & ratione tu-
tari potest. Nam Philosophia, & omni ratione disputãdi
sublata, cum fide sancta rusticitas manet, quę, vt Hierõ.
ad Paulinum scribit, quãtum prodest vitę merito, tantũ
simplicitate nocet, si aduersarijs nõ resistat. Itaq; vacil-
labit fides, nisi fidelis, quod Petrus ait, paratus sit red-
dere rationem, id quod sola fide sine ratione fieri nõ po-
test. Theologia deniq; citra naturæ rationem non con-
stat. Cùm enim sit homo rationalis, est illi ingenita ra-
tiocinatio, siue agat secũ quid, siue cũ altero, siue velit
humana seu diuina cognoscere. Quare vbi homines
differẽt, rationem naturalẽ repellere nec debẽt, nec verò
possunt, nisi homines esse desierint. Ratio enim res om-
nes cõtinet. quoquò te veteris, prẽsto est, nulla disputa-
tione excluditur. Quamobrẽ qui naturalẽ rationẽ ab v-
su Theologię remotã esse volũt, ij omnẽ à Theologia dis
putationẽ excludũt: sine qua tamẽ, quid in vnaquaq; re
verũ sit, discerni & cõprẽhendi non valet. Quocirca hoc
quidem constat, vt opinor, Theologis inter Theologos
necessariam esse rationem: quæ est disputationis cuiusq;
fons à natura constitutus. Quid? quòd gratia non tollit
naturã, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed sus-
cipit? sacra igitur Theologia, humanę naturæ rationem
nõ abijciet. Multa etiã in Theologię principijs cõtinen-
tur, vt alio quodã loco diximus, quę nisi naturali ratio-
ne & discursu interueniẽte, intelligi & explicari nõ pos-
sunt. In principijs verò ipsis hęrere, à consequentibus, &

1. *Pet.* 3.

repugnantibus oculorum aciem seuocare, stultũ erit. Rationem item si à Theologia submoueas, Theologia ipsa, & rem amittet & nomẽ. Nec enim quicq̃ aliud est Theologia, si interpretari velis, quàm sermo ratioq; de Deo. Si aũt rem ipsam quæras, est, vt à veterib. Theologis definitur, rerum diuinarum scientia. Scientia verò, vt Aristoteles demonstrauit, non nisi per syllogismum quæritur. Quòd si etiã illud addimus, quod rectè addi potest, nihil esse ferè cuius in scriptura sacra mentio non fiat, non angelum, non animam, non aerem, non ignem, nõ aquam, non cælum, non terram, cõcedatur profectò verum esse, si ornatè, & eruditè hæc Theologus explicare velit, Philosophiam, hoc est, rerũ huiusmodi intelligentiam eum habiturũ. Maximum itaq; ornamentũ Theologię tollit, qui ex ea tollit Philosophiam, qua scriptura etiam ipsa diuina, nedũ humana ratio excolitur. Ac mea quidem sentẽtia, omnis institutio Theologiæ, humanę rationis adiumenta desiderat, sed illa imprimis, in qua de reb. naturæ disseritur. Disseritur autem de huiusmodi sæpenumerò. Atq; vt illud omittam, quòd sacra doctrina mores naturæ moderationi consentaneas præscribit, vitia rationi cõtraria refutat, quo loco siue in schola discere definias quicquam, siue populo in concione persuadeas recta, praua dissuadeas: naturę, rationis, Philosophię opẽ contemnere, amentis erit: hoc tamen expeditum est, multa in sacris literis haberi, quæ sunt Philosophię, Arithmeticę, Geometricę, Geographiæ, Astronomiæq; subsidijs expedire non queunt. Pleni exemplorum sunt sacri libri, cùm sæpè aliàs, tum maximè, vbi rerũ naturalium, quasi miracula, quę in disciplinis humanis explicãtur, à Salomone, Dauide, Iob, ac cæteris Prophetis, in diuinæ, vel potentiæ, vel sapientiæ, commendationem efferuntur. Quod quoniam in tertio decimo libro fusè sumus ac diligenter persecuturi, non libet in præsentia exponere. Nunc enim satis est fuisse demonstratum, rationes humanas homini Theologo nõ solùm vtiles, sed etiam necessarias esse. Homo quippè rationẽ omnem tollens, Theologus ex auctoritate omnia statuens, esse certè nullo modo potest. Quo etiam magis vi tupe-

1. Post lib.

tuperanda est rei maximè necessariæ tam noxia reprehensio. Vna est enim philosophia in rebus humanis, de cuius vtilitate, ecclesiæ scriptores eodem omnes ore cõsentiunt, quamquam à Lutheranis ipsa contemnitur & fallacia quædam atque ostentatio esse dicitur. Qui autem hoc dicunt, aut nihil contra naturæ rationem existimant dicere, aut censent se gigantum more bellare cum dijs, id est, naturæ repugnare. Si nihil existimant dissonum rationi se docere, quid cum illis disseras, qui rationem naturalem homini theologo eripere, non intelligunt rationi esse contrarium? Sin aduersari quidem rationi putant. errãt in eo turpiter, quòd homini rationali errorem rationi aduersum suadere se posse credũt. Abeant igitur, & quoniam cũ hominibus homines nec ratiocinari, nec philosophari volunt, ei, qui sit ex pecudum genere, sunt etiam quidam homines nõ re, sed nomine, se suamq́ue Theologiam insinuent.

CAPVT V.

Philosophia Theologo cur necessaria.

POrrò vt ad illud, quod de ecclesiasticorum auctorũ consensu diximus, reuertamur. Clemens Alexan. 1. stro. lib. & à nobis stat, & multas etiã causas affert, cur Philosophia sit Theologo necessaria. Vnã ad philosophos edocendos. Simili enim edoc- mur simile. Sicut ergo Apostolus Hebręis Hebræus factus est, atq; adeò omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret; ita Theologiæ professor fiat necesse est Philosophus Philosophis, vt hos conuenientiùs faciliusq; lucretur. Exhibenda enim cuique sunt, quæ ei conueniũt, & quę sunt familiaria, vt per propria ad fidem veniat veritatis. Atq; hanc etiam causam 5. lib. Stro. resumit. Alteram affert, ad refellẽdos sophistas. Nam quo pacto fallaces Philosophorum argutias refutare possumus, nisi arguendi & refellendi artem persequamur? Tertiam, quòd varia ac multiplex præceptoris doctrina, & delectat, & admirationem adfert, atq; adeò auditores captat. Quod variè item multiformi argumẽto suadetur, id firmiùs hæret in animis discipulorum. Apostolus quoque docere se ait in omni sapiẽtia, vt exhibeat omnẽ hominem perfectũ in Christo:

1. Cor. 8.

Coloss. 1.

Psal. 44.

In omni, inquit, sapiẽtia, hoc est, diuina & humana, vt ex
Psal.44. insuis generis homines afficeret perficeretq; in Christo.
Astitit præterea Regina è dextris Christi circundata va-
rietate. Adhęc, quomodo ferri ac silicis concussione ig-
nis, sic hominum doctissimorũ conflictu, & disputatio-
ne veritas elicitur. Quam ob causam Peripateticorum
mos est de omnibus rebus in vtrãq; partem disserendi,
Cicero sibi dicit placuisse. Disputationes autẽ inter ho-
mines humanæ disciplinæ imperitos solent esse ineptis-
Sap.7. simæ. Quod si inutilis est sapienti philosophia, quorsum
Deus Salomoni philosophiam indidisset? Dedit autem
illi Deus harũ, quæ sunt; scientiam veram, vt sciret dis-
putationem orbis terrarum, & virtutis elementorũ, di-
uisiones temporum, stellarum dispositiones, naturas a-
nimalium, vim ventorũ. differentias virgultorũ. Si igi-
Esa.43. tur Dominus horũ rerum scientiam docet, est verò Deꝰ,
qui vtilia docet, vt Esa. ait, certè illa nõ potest esse Theo-
logo noxia, sed erit potiùs accõmoda. Et si hæc scientia
vera est, vt dicit Solomon, quid dicet Lutherus, qui spe-
culatiuas omnes disciplinas errores esse affirmat, ina-
nesq; fallacias? Pergit Clem. argumentari ex eo etiam, q
athleta, qui non se prius instruxit ad certamen, iure cõ-
temnitur. Qui ergo ad certandum cũ fidei aduersarijs
multiformibus, non est etiam multiformi disciplina in-
structus, is nõ est dignus, qui in perfectis Theologis ha-
beatur. Insuper diuidere, inquit voces, quæ in scriptura
efferuntur ancipites, Theologo necessarium erit, ne ex
amphibolia & eludat & eludatur. Hoc autem præstare,
sine Grãmaticę artis auxilio nõ poterit. Quòd si Grãma
tica semel admittitur, qd ni Dialectica? quid ni Philoso-
phia? An volunt Grammatici sibi solis Theologiam vẽ-
dicare, cæteros omnes, Dialecticos, Physicos, Astrono-
mos, Geometras, ab illius participatione secludere? Id
quoniam constat esse vanissimum, fateamur necesse est,
humanas disciplinas Theologo esse perutiles. Quòd si
non sunt, inquit Clemẽs, adhuc necesse est illas addisce-
re, vt ritè valeant damnari. Qua enim fronte de his sen-
tentiã feremus, quæ perspecta, & cognita nõ habemus?
Hactenus Clemẽt. Alex. secuti sumus, nõ vt interpretes,
sed,

sed, vt solemus reliquos, iudicio arbitrioq; nostro quan-
tum quoq; modo videtur è fontibus eorum haurientes. *In versio-*
ne Musculi

Origenes autem, vt Eusebius auctor est lib. sexto ec- *habentur*
clesiast. hist. cap. 15. Philosophiæ studia detrectantibus *hæc, c. 18*
respondet, se huic quidem operam nauasse diligentem, *& 20.*
sed non absq; virorum grauissimorũ exemplo: Panthæ-
ni, Heraclæ, aliorumq; similiũ, qui cùm essent doctores
Apostolici, nihilo secius Philosophorum libros legere,
& in Philosophiæ studijs exerceri solebant. Refert etiã
Eusebius Origeni morem istum fuisse, vt si quos nostro-
rum adolescentulorum ingeniosos videret, traderet eis
etiam ea, quib. Philosophi discipulos suos velut primis
elementis imbuere solent. Dicere verò solitum, non pa-
rum ad intelligentiã scripturarum emolumenti fideli-
bus conferri, si in liberalibus & philosophicis literis ex-
ercerentur. Nostræ enim philosophiæ partes Grȩcos an
teuertisse; nec debere partes suas omittere veritatẽ, quia
eas sibi preueniens falsitas vindicasset. Vide etiam Euse-
bium lib. 4. c. 7. & Soz. m. lib 3. hist. suæ, c. 15.

Theodoritus quoq; lib. 8. histo. tripar. c. 8. Didymum
refert, Grammaticã, Rhetoricam, Arithmeticam, Geo-
metriam, Astronomiam, syllogismosq; Aristotelis didi-
cisse, quod aduersus mendacium arma veritatis existe-
rent. Fortiter enim expugnãtur hostes, quando aduer-
sum eos ipsorũ armis vtimur. Socra. 3. li. c. 16. & Dama-
sus 4. lib. cap. 18. Neque statim praua opinione fallaris
contra hostes hoc esse licitum, in alijs disputationibus
dissimulandum: quia, vt Hieronymus ad Magnum ait,
omnes penè omnium doctorum ecclesiæ libri eiusmodi
eruditionis plenissimi sunt. Quod autem ibidem Theo-
doritus ait, huiusmodi disciplinis veritatẽ, nempè fidei,
non eruditi, id significat, non his Euãgelium quasi tig-
nis fulciri, aut inde catholicæ veritatis probationẽ pen-
dere. Alioqui viri grauissimi ad ea etiam suadenda, quæ
fidei nostræ ac religionis propria sunt, naturalia argu-
menta inseruerunt. Exemplo nobis sunt Eusebius libro
tertio histo. eccles. cap. 25. & lib. 9. cap. 8. Melito rursum
apud eundem libro 4. cap. 26. Iustinus quoque eodem
Eusebio referente lib. 4. c. 8. Tertullianus præterea in A-

polo-

pologe, id quod Euseb. etiã retulit lib. 2. c. 24. Lucianus denique Martyr, & summa eruditione vir, eodem Eusebio auctore, lib. 9. cap. 6. Non hic refero Damascenum 4. lib. cap. 4. non Epipha. hæresi. 79. nõ Aug. lib. 1. de mo. eccles. & toto primo aduersus Cresconium libro, qui vt Grammaticus Dialecticam in Augustino damnabat. Et de vtili. cre. c. 97. & contra epist. Funda. c. 4. & 18. de ciui. ca. 41. non Bedam 37. d. c. Turbatur. non Hiero. ca. d. c. Si quis artem. & c. Qui de mensa. nõ Syno. Euge. papæ, c. De quibusdam. nõ Clemen. c. Relatum. Hæc inquã & alia plura non refero, quoniam libris sequentibus huiusmodi argumentum sum diligentiùs persecuturus. Id modò constat clarissimos viros, non solùm ad ea suadenda, quæ rationi naturæ consentiunt, sed etiam ad ea, quæ lumen naturæ superant, humanis rationibus vsos esse: eiusdemque ab Ethnicis calumniantibus Christianam religionem asseruisse.

Cap. 3.

CAPVT VI.

SEd quoniam hæreticis procliue est, veterum patrũ vsum auctoritatemq; cõtemnere, ostendã deinceps, ipsorũ quoq; apostolorum doctrina, & exemplis rationes naturales in Theologiam inuectas: His adductos exteros ad fidẽ, confirmatos fratres, inuitatos dociles, repulsos repugnantes. Adducuntur primũ ratione exteri ad fidem, & quasi præparãtur. Deus quippè, fide in mortalium mentes inducenda naturę incitamẽtis vtitur, vt primo loco fusiùs explicatum est. Hinc etenim & resurrectionis suæ oculatos testes protulit, & miracula doctrinæ coniunxit. Nimirum, vt Apostoli non solùm per verbum, sed etiam per ipsum opus persuaderent fidem audientibus, vt Epipha. lib. 2. hære. 51. docet, & Ambr. in commen. epist. ad Ro. ca. 1. Testis, ait, doctrinæ virtus est, vt quia quod prædicatur incredibile mũdo est, gestis fieret credibile. & Beda lib. 3. in Luc. c. 7. Concessa, inquit, primo potestate signorum, misit prædicare regnũ Dei, vt fidem verbis daret virtus ostensa. Signis ergo & miraculis via fidei, per sensus & rationẽ sternitur. Sic enim Sergius Paulus vir prudens, cum vidisset factũ, credidit admirans super doctrina Domini. Sic Centurio videns quod factum fuerat, glorificauit Deum dicẽs, Verè filius Dei erat iste. Petrus etiam ac Paulus quò suauiùs audiẽres ad fidem resurrectionis allicerent, ratione naturæ ostendunt locum illum scripturæ, Nõ dabis sanctum tuũ videre corruptionem, de Dauid intelligi non posse, ac proinde de Christo intelligẽdum. Ac Petrus ipse alio iterum loco, Christi resurrectionem insinuat audientibus, primùm testiũ oculatorũ carissimo testimonio, deinde euidẽtia miraculi editi. Nos, ait, testes huius sumus. Et mox, In nomine eius, inquit, hunc, quem vos videtis & noris, Deus confirmauit, & dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. En Petrus, sensus ipsos citãdo, testes clarissimos veritatis Christi resurrectionem suadere conatur. Nec frustrà tamen, multi enim audientium crediderunt.

Clo. Alexã. li. 1. & 7. Stro. c. 8.

Act. 1. 3. & 13.

Mat. 17. Luc. 23. Act. 1. 3. & 13.

Acto. 3.

Confirmantur deinde ratione naturæ fratres. Non enim ait, Præcedentibus, sed, sequentibus signis: nec, Sermonem inferente, sed, confirmante. Marci vltimo cap. Ita Hieronymus in 8. Matth. caput annotat, Dominum, post sermonem illum montis, egregium miraculum edidisse, vt per hoc præteritus apud audientes sermo firmaretur. Petrus insuper persuasurus fidelibus conclusionẽ illam de legalibus, de qua in concilio erat controuersia. Viri fratres, inquit, qui nouit corda, Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, &c Et protinus tacuit omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa in gentibus. En quæ acciderant res externæ & sensuum testimonia referuntur, in controuersia etiam fidei apud catholicos dirimenda. Atque in concilio illo, legem de abstinendo à sanguine & suffocato, idolothyto & fornicatione, apostoli nullo modo tulissent, nisi rationẽ naturę sequerentur. Testimonia siquidem nulla suppetebant, quæ ea lege probanda idonea viderentur. Non modò igitur ad externos, qui naturam ducem solam habẽt, sed etiam ad eos, qui intra ecclesiam sunt, humanis rationibus Theologo licet vti. Id verò eo loco magis, vt antè iã diximus, vbi res naturę lumine cognoscibiles, siue alienis seu no-

Acto. 15.

seu nostris persuadere cupit. Hac enim via Barnabas & Paulus ingressi sunt, vt Acto.14.legitur. Nam cũ sacerdos & populus Barnabę & Paulo sacrificare vellẽt,quod erat naturę rationi cõtrariũ, naturali quoq; ratione ipsi contradixerunt. Viri, inquiunt, quid hęc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.annũciantes vobis cõuerti ab his vanis ad Deum viuũ , qui fecit cælũ & terram,& mare, & omnia, quę in eis sunt, &c. Et quidem nõ sine testimonio semetipsum reliquit, benè faciens de cęlo,dans pluuias & tempora fructifera,&c. Quia ergo res naturales testimoniũ perhibent Deo, quemadmodũ hoc loco Apostolus asserit.non est absurdũ, quin etiã est maximè consentaneum, vt Theologus de diuinis quoq; disserens,huiusmodi etiam naturalium rerum testimonijs vtatur. Nam & Acto 17. Paulus idem probat, Deum nõ indigere aliquo,quod cęli & terrę sit dominus, & deę ipse omnibus vitam & inspirationem & omnia. Probat item Deum non esse longe ab vnoquoq; nostrum, quoniam in ipso viuimus,mouemur,& sumus. Ac prophe-
ta, Psalmo 138.ostendit Deum cognoscere nos & intima nostra , quia formauit nos , & posuit super nos manum suam . Quod idem naturale argumentum habes & psal. 93. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, id quod antè ponebamus, dociles quidem , si in fideles sunt, ratione allici inuitariq; ad fidem, sin verò fideles, confirmari: vtrosque autem in his, quæ naturalia sunt, persuaderi. Quòd si indociles sunt & repugnantes, vt euincantur, ratio quoq; naturę valet. Principes enim
Acto.4. & seniores videntes Petri constantiã & Ioãnis, cõperto quod homines essent sine literis & idiotę, admirabãtur; hominem quoq; videntes stantẽ cũ eis, qui curatus fue-
Ioan.9. rat, nihil poterant contradicere. Cæcus quoq; ille apud Ioannem Iudæos Christo aduersos, naturę ratiõe eludit inquiens, In hoc mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos Dominus itẽ Matth. 12. eos, qui
Exod.3. calumniãtur, quòd in sabbato curãsset ægrotũ, naturali & ratione & exẽplo refellit. & Matth.22.Saducæos refutat duobus principijs positis . Quorum vnum erat Exodi testimoniũ illud,Ego sum Deus Abrahã : Isaac & Jacob:quo posito,& aduersariorũ consensu approbato, alterũ Christus è ratione naturali assumpsit, nempè nõ esse Deũ mortuorũ, sed viuentiũ.Quo syllogismo collegit Abrahami, Isaaci, & Iacobi animas viuere,quod Saducæi repellentes, resurrectionem mortuorũ ex consequẽti negabãt.Rationes itaq; naturales cõtra fidei aduersarios multum valent. Nec sunt arma Saulis,quę pugilem Christi magis grauent , quàm iuuent, vt quidam ineptè per allegoriam argumentantur, sed,si allegorijs agendũ est,sunt potiùs gladius Goliad,quem cum ipse è manibus extorseris, suo illum gladio iugulas. Sed aiunt, Si credo quod traditum est , quid opus est operosa disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Egregio verò dilemmate rem alioqui lucidissimam obscurare volunt.Non credo:adducor, credo, confirmor. Repugno:confundor. Ratione non domina,sed administra,syllogismo non præsidente, sed subseruiente. Quid multa? Nonne videmus,cum reliquorum apostolorum, tum verò maximè Pauli epistolas , & aduersarios concidere,& fidei domesticos instruere,non scripturarum modò testimonijs, verumetiam naturæ rationibus? id quoniam dubium non est,maneat , hunc differendi morem à Christo Domino profectum ab Apostolis repetitum, à Sanctis auctoribus confirmatum,Theologis non solùm vtiliter,sed etiam necessariò vsurpari.

CAPVT VII.

Quæ vitanda sint à Theologo in addiscenda philosophia, ac humana scientia.

IN hoc tamen disciplinarum genere Theologiæ professoribus, & honesto & necessario duo illa vitia maximè vitanda sunt,quæ Cicero commemorauit. Vnum, ne incognita pro cognitis,incertaq; ꝓ certis habeamus. Qua in re etiam in Theologia multa peccantur. Vt illi, q̃ D. Thomæ Scotiq; opiniones vel indiscussas amplectuntur,proq; his nõ aliter pugnant,ac ꝓ aris & focis.Quantuis autem,qui nihil certò cõprehendi posse existimarũt, multa illi absurdè dixerint,hoc præclarè tamẽ, debere sapientem ea,quæ sibi probabilia viderentur,sequi:q̃ contrà improbare,atque affirmandi arrogãtiam vitantẽ fugere temeritatem,quæ à sapiẽtia dissidet plurimum.Sed hoc

hoc vitium effugere qui volet, non satis est, si ad res considerandas adhibeat & tempus & diligentiam, nisi ad eā etiā, quæ ignorat, à doctissimis quibusq; interrogāda adhibeat, & curam, & modestiam. Qui verò in academijs Christiani orbis insignibus literas discunt, hi & eruditissimorum virorum frequenti disputatione instructi, & iuuenum exercitatissimorum quotidiana conflictatione vexati, vitium huiusmodi vitare facilius possunt. Præclarè autem cum eo agetur, cui præceptor contigerit & eruditus & pius: qui cùm certa ab incertis separet, tum vanis quæstionibus declinatis vtiles & necessarias feligat, doceatque discipulos esse quandam doctam, vt ita dicā, ignorantiam, sapientiusq; esse, quædam nescire, quàm scire. Alterum enim est vitium, quòd quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atq; difficiles conferunt, easdemq; non necessarias. Quo in genere multos etiam è nostris peccasse video; vt eas quoque quæstiones latissimè persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed in hac re prudens tamē, vt Platonis) Aristotelisque discipulū possis agnoscere. Qui nec quicquam nisi opportunis & loco & tempore tractauēre, nec quęstiones vllas persecuti sunt, quę iuuenum ingenia obruerent, non iuuarent. Nostri autem Theologi, importunis vel locis, longa de his oratione differunt, quæ nec iuuenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre possit disputatiōes illas de vniuersalibus, de nominum Analogia, de primo cognito, de principio indiuiduationis, sic enim inscribūt, de distinctione quantitatis à re quanta, de maximo & minimo, de infinito, de intensione, & remissione, de proportionibus & gradibus, deque alijs huiusmodi sexcentis, quę ego etiā, cùm nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis & diligentiæ adhibuissem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt. Quid verò illas nunc quæstiones referamus? Num Deus materiā possit facere sine forma, num plures angelos eiusdē speciei condere, num continuum in omnes suas partes diuidere, nū relatione à subiecto seperare, aliasq; multò vanio-

riores, quas scribere hic nec libet, nec decet, ne, qui in hunc fortè locum inciderint, ex quorundam ingenio omnes scholæ auctores æstiment. Illis igitur vitijs declinatis, quod in rebus naturalibus & cognitiōe dignis operæ curæque ponetur, id non modò, vt inquit ille, iure laudabitur: verùm vt id fiat, erit etiam summopere necessarium, si Theologi perfecti pleneque sapientes esse volumus. Prudenter enim Hieronymus Pammachium admoner, vt si adamârit captiuam mulierem, id est, sapiētiam secularem, decaluet eam & illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis vnguibus amputet. Multos tunc fœtus captiua dabit, & de Moaditide efficietur Israelitis.

CAPVT VIII.

QVibus rebus expositis, superest, vt doceamus an hic locus in Theologia firmus, an potiùs infirmus sit. Vbi nihil nobis immorandum esse video, cùm naturæ argumentationes constet vnas certas, alteras incertas esse. Ac certæ quidem sunt, quas Dialectici demonstrationes vocant, hoc est, quæ ex perspicuis exploratisq; principijs aliquid certò euidenterque conficiunt. Incertæ verò, quæ, licet probabiles sint, coniecturis tamen huc atque illuc trahuntur: nullam habent suadendi necessitatem. Firmum argumentum illud est, non longè est Deus ab vnoquoque nostrùm, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Acto. 17. Illud item, Qui plantauit aurem non audiet? aut, qui finxit oculum non considerat? Psal. 93. Atq; illud etiam, Edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua. Lucæ 16. & 1. Cor. 9. Probabile argumentum hoc est, quo Petrus Actorum 2. vtitur: Non enim ebrij sunt hi, cùm sit hora diei tertia. Ita patet naturæ argumentationes, quæ in vsum Theologiæ veniunt, interdum infirmas, firmas nonnunquam esse. Nā qui omnium rerum infinitam volunt esse quæstionem, & nullo loco veritatē fixam constantemq; persistere, ij & in naturam ipsam & in Deum impij sunt. Sapienter siquidē Apostolus, cùm rationes à natura profectas manifestas

esse dixisset, tum demum ad Deum eas auctorē reuocauit. Quod notum est Dei, inquit, manifestū est illis. Deus enim illis manifestauit. Nū per angelos? Num per prophetas? Num per apostolos? Minimè id quidē. Sed inuisibilia Dei, ait, à creatura mūdi per eas, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Conspicuæ igitur & certę sunt quandoque naturæ rationes. Vani etiimq; sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, neq; operibus attendentes cognouerunt, quis esset artifex. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Euidētes itaq; sunt atq; adeò firmæ naturales quædam argumentationes. Non ergo speculatiuæ disciplinæ, quæ ex huiusmodi argumentationibus cōflantur & efficiuntur, errores sunt inanesq; fallaciæ. Quod Lutherus non stultè modò, verùm impiè etiā asseruit. Quod enim humana scientia atque sapientia omnis à Deo sit, nō solùm illo Apostoli testimonio, quod modò posuimus, ostenditur, sed alijs etiam, quę à Clemente Alexandrino referuntur. Vnum est illud, Vocauit ex nomine Beseleel, & impleui eum sapientia & intelligētia ad excogitandum quicquid fabre fieri potest, &c. Fabrilis igitur ars, atque omnis proinde humana disciplina, ad Deum tanquam ad fontem, & primum sapiētiæ eiusq́ue principium referenda est. Ex quo & multis alijs intelligi debet, qui philosophiam errorem esse inanemque fallaciam, eos non solùm stultitiæ, sed etiā impietatis esse damnandos. Deus quippè veritas est, & ab eo error est nullus. Qua ex re facilè etiam intelligitur, cùm Philosophiæ rationes à diuina veritate sint sumptę atque petitæ, qui illas reiciunt, hos Dei veritati, qua illæ subsistunt, refragari. Nec quod tali fundamento nitatur, imbecillum esse aut infirmum potest. Quocirca frustra homines vani conabuntur philosophię, naturęq; rationes euertere. Vtrunq; enim lumen & naturæ & fidei, quorū altero naturalia, altero supernaturalia videre dicimur, à Deo est. Illa enim, Erat lux vera, quæ illuminat omnē hominem: & signatum est super nos lumen vultus tui Domine, ad naturalem etiā mentis illustrationem

Rom. 1.

Sap. 13.

Eccle. 1.
Exo. 31.

Ioan. 1.
Ps. 4. 4.

tionem referuntur. Ita non minus à Deo falleremur, errantes in naturæ lumine, quàm si per fidei lumen erraremus. Luminis igitur naturalis ducatum, inuestigationem, argumenta, repellere, non modò stultum est, quod Augustinus 4. de Trin. docet, verùm etiam impium, quod nos hoc loco abundè docuimus. Qui quidem locus concludi iam poterat, nisi prius argumentis illis respondēdum esset, quæ hæretici contra posuerunt. Prima igitur videamus, deinceps ordine reliqua.

Aug. 4. de Trin. c. 6.

CAPVT IX.

PRincipiò itaque veterum nobis auctoritatem opponunt. Quod dum faciunt, veteribus sunt iniurij. Quid enim est aliud humanas scientias omneis à patribus condemnari, quàm eos fuisse non modò imperitos, verùm etiam alienos ab humanitate? Nā, quoniam homo rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus, & quasi antecessiones inquirit, similitudines comparat, & rebus visibilibus adiungit atq; annectit inuisibiles. Qua mentis inquisitione inuestigationeque efficiuntur naturales in homine disciplinæ, quarum studium, qui vituperat, haud sanè intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Quia verò longum esset alia loca ex eisdem ipsis patribus adscribere, in quibus humanæ doctrinæ commendantur, non libet nisi vnum solum ex Augustino referre, in illo etiam ipso libro contra Felicē Manichæum, cuius testimonium nobis isti, vel maximè obijciunt. Augustinus igitur, quāuis eos hæreticos reprehendisset, qui auderēt auctoritatē ecclesię rationis pollicitatione superare, naturales tamen rationes suo loco & gradu cōmendat, inquiens: Fidei imperator clementissimus, & per conuentus celebertimos populorū atq; gentium sedesq; ipsas Apostolorū, arce auctoritatis muniuit ecclesiā, & per pauciores pię doctos copiosissimis apparatibus etiā inuictissimæ rationis armauit. Verùm illa rectissima disciplina est, in arcē fidei recipi infirmos, vt pro eis iā in tuto positis fortissima ratione pugnetur. Ex quo loco quid Augustino placeat, lectores videt. Cū

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim apud illum ratio cum auctoritate confertur, iacet quidem rationis species, valet auctoritas. Sed nusquam ille tamen has duas argumentandi virtutes ita seiungit, quasi possit quisquam, qui non idem simul & ratione & auctoritate nitatur, esse theologus. Indoctum quippe armat fide, doctum etiam ratione. Non igitur humanas disciplinas naturaleſue earum ratiocinationes damnant doctissimi viri, sed illos, qui cùm in vnitate catholica non sint, & Christiano tamen nomine glorientur, audent imperitos quasi ratione traducere: quia iacere se abiectissimè sentiunt, si eorum cum auctoritate catholica auctoritas cōferatur, vt ab Augustino ad Dioscorum scriptum est. Illos etiam damnant, qui Philosophiā Euangelijs præferunt, quibus Auerrois Paulus est, Alexāder Aphrodisæus Petrus, Aristoteles Christus, Plato non diuinus, sed Deus. Cuiusmodi nos ipsi prę sertim in Italia vidimus multos, qui scriptura sacra neglecta, ad horum Philosophorum doctrinas tāquam ad Syrenum scopulos adhærebant, postq́ue galeros etiam & insulas, non Prophetas, non Apostolos, non Euangelistas, sed Cicerones, Platones, Aristoteles, personabant. Eos quoq; sacerdotes patres nostri reprehendunt, qui plus nimio philosophorum libris indulgent. Noluerūt enim illi, quos occupationibus & grauissimis maximè necessarijs oportebat esse districtos, eos Philosophiæ studijs præpediri. Basilius certè ac Gregorius tredecim annis, vt literis sacris totos se dederent, sapientiæ seculares libris omnibus valedixerunt. Testatur etiam de se in epistola ad Gala. Hieronymus, annis quindecim nullum sapientiū Gentilium librum ne in manus quidem ascendisse. Clemēs porrō Alexandrinus, huiusmodi viris, qui in ecclesia doctores perfecti & absoluti esse debēt, Philosophiæ studia, causa solùm relaxandi animi, in otio permittit, & quoniam ancillas, vt vocarēt ad arcem, sapientia missit, admonuēre patres disciplinas, quas vocant liberales, Theologiæ subseruire oportere, non dominari. Curatum atq; illarum studiosum, ne ancillarū amatorijs delectatus, dominam, hoc est, veram sapientiam negligat. Quinetiam curaturum, vt si Agar Aegyptia Abrahami complexibus insolescit, eijciatur foras atq; exulet, nec sinatur, aut Ismael Isaaci simplicitatē irridere, aut Agar Sarę bonitatem contemnere. Affligat ancillam domina & corrigat, habeat in manibus, vtatur ea vt libitum fuerit. Sic enim modesta, erit vtilis: quæ, cùm ei præter modū indulgetur, est etiam pernicioſa. Fugax est enim vita nostra, & quod plus temporis studijs humanis impartimur, id diuinis adimamus necesse esse, quibus nos Christi religio consecrauit. Qui doctrinis item liberalibus nimiùm vacant, ij ferè errores imbibunt, qui vix elui possunt. Quā de re lege quoque cautum est in concilio Lateranensi sub Leone decimo, sessione decima. Est etiam lex apud nostros sanctissima, quę in huiusmodi disciplinis solùm adolescētes, neque omnes, sed ingeniosos exercet. Grandioribus autem natu ingenioque tardiore studia hæc interdicit. Quòd si legem perrumpunt quidem, aut in philosophia & dialectica plus temporis & curæ sumunt, quàm æquum est, non est propter istorum vitium aut Philosophia speculatiua, aut scholastica Theologia, quę illam in vsum suum vindicat, contumeliosè vexanda. Nam ne illa quidē nos fugiunt, quæ vulgi etiam sermone terūtur, Nequid nimis, Modus omnibus in rebus est optimus. & q̄ versibus persecutus est Horatius, Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines: cęteraque grauissimè. Notū enim lectoribus carmen. Vtrumq; itaque vitium reprehendimus, & eorum, qui Aristotelis Platonisue libros diu noctuq; versant, & eorū, ac multo etiam magis, qui cùm omni rerum naturaliū cognitione vacui sint, vbi primoribus, quod aiūt, labris sacras literas degustarint, tū se Theologos absolutissimos profiteantur, tum Philosophiam quasi reb. Theologicis tractandis ineptam negligunt. Sed ad sanctorum testimonia satis dixisse videmur

Lib. 10. h. ſ. ſuæ. cap. 9. Ruffinus.

Lib. 6. Stro.

Prou 9.

E sacris verò literis Ecclesiastis primū testimonium obijcitur. Cuius tamen veram germanamq́ue intelligētiam facilè assequemur, si libri totius quasi scopū & mētem teneamus. Salomonis autē eo libro prę cipuum institutum est, declarare; quisnam sit hominibus ille finis, gratia cuius sit cōditus, hoc est, quonā loco humana felicitas

Clemens ti Stroma. Gene. 16. & 21.

Hiero. ſer. mo. in prophetis incultus aliquando nō placuit.

licitas sita sit. Nã cętera, quę Ecclesiastes ea cõcione dis-
serit, huc demũ pertinent & reuoluuntur omnia. Ponit
igitur à principio statim generale pronunciatum illud,
Vanitas vanitatum, vanitas vanitatũ, & omnia vanitas.
2. Physi. Arist. quo significat, nulla huius sæculi bona ea esse, quæ finẽ
homini suum exhibere possint, verámue illi præstare fe-
licitatem. Hoc enim sensu res omnes vanas Sapiens vo-
cat. Nec absurdè id quidem. Vanum nanque id definiri
solet, quod fine caret, seu ad finẽ, qui quęritur, otiosum
est. Iure itaque res illæ vanæ vocantur, in quib. quietem
homo si quærat, nõ inueniat: felicitatem si expectet, fru-
stra expectet: finem suũ si persequi ac tenere cupiat, vanã
fiat. themate igitur in hunc sensum ab initio concionis
10. Ethi. li. 1. Hieron. in c. Eccle. 10. Lege, inquit, Plato. Arist. reuol ue versũ tias, Zenõ. & Carnea dem diligẽ tiũ; iniue re, & pro babis verũ esse, quod dicunt, La bor stultorũ afflget eos Veritatem illi quidẽ omni studio quæsi erunt: sed quia nõ ha buerunt ducem & præuium tinerũ,
posito, quo vniuersa huius mundi bona Salomon com-
plexus est, tum deinde singillatim omnia persequitur, o-
stenditque non sapientia, non opibus, non diuitijs, non
voluptate, hominis beatitudinem esse locandam. Mõ-
strat autem primo capite per humanas disciplinas homi-
nem non beari. Id quàm aptè & diuinè probet, non est
huis loci exponere. Tantùm sunt lectores admonendi
vt ne Aristotelis vario versentur errore, qui in contem-
platione rerum supremarum summũ hominis bonum
collocauit. Qui si loqueretur de mentibus, corpore so-
lutis & vitę futuræ felicitatem quæreret, nobis, id est,
Diui Thomæ familię aliquid profectò diceret. Sed cũ de
immortalitate animi, tum hoc, tum illud, nec idẽ dicat
semper, quidq; potissimũ sentiat, difficile sit intelligere;
de altera profectò vita, quã vel nõ habebat explorata, vel
penitus ignorabat, ecquid dictur⁹ erat homo, aut imp⁹,
aut certè varius & anceps, sensuumque præsidio dest-
tutus, quibus ille administris in iudicio rerum omnium
vtebatur? De felicitate igitur præsentis vitæ loquitur.
Hinc enim in Ethicis & Politicis opes, diuitias, ami-
cos, salutem, cæteraq; huiusmodi, caduca etiam & tẽpo
raria bona, quasi felicitatis adiumenta requirit. Et in li.
de bona for. sine exterioribus bonis, quorum fortuna,
vt ait, est domina; negat aliquẽ felicem esse. Quę mob.
rem de iudicio Aristotelis dubitari non potest, rectè ne
autem dixerit an secus, de eo fortasse dubitari potest.

Verùm

Verùm qui ecclesiastis hoc primũ caput intellexerit, is
iam sine dubio poterit Aristotelis errorem facilè depre-
hendere. Nam cuiusmodi felicitatem habebit superna
illa ac supercælestia contemplando animus tanta mole
corporis non onustus, sed obrutus? * Cogitationes,
inquit sapiens, mortalium timidæ, & incertæ prouiden-
tiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat
animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa
cogitantem. Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt, &
quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ in
cælis sunt autem quis inuestigabit? * Ecclesiastes quoq;
primo, Cunctæ, ait, res difficiles: non potest eas homo
explicare sermone. Miranda sanè, & digna Salomone
sententia, quæ declarat, id, quod Aristoteles quoq; ipse
seuerè atq; prudenter dixit, mentis nostræ aciem, non ali
ter ad ea quæ manifestissima sunt caligare, quàm noctuę
oculos ad fulgorem solis. Quo magis Aristotelis consi-
lium nonnulli, ac rectè illi quidem, admirantur quòd cũ
non ignoret, quàm infirmæ essent ingenij nostri vires,
memoria angusta, fluxa, infidelis: acumen retusum, im-
peditum, debile: segnis diligentia & tarda: in eo con-
stituerit felicitatem, quod adeò in hac vita tenue est &
exiguum, adeò obscurum & imperfectum, adeò infirmũ
& instabile, adeò non per se idoneum ad beandum, adeo
denique paucorum hominum; vt nihil propemodum
habere videatur ex his, quæ veræ felicitatis definitio
continet. Qualis enim felicitas est; quæ frequentissimè
intercipitur & rebus abiectissimis cedit? Quæ non est
commune bonum humani generis, sed quod paucissimi
consequi ac tenere possint? Ad quã si omnes homines,
vt par est, ad finem suum currentur, respub. omnis iureri
rei? Quæ aucta hominis requiem non augeat, sed labo-
rem? Quæ hominis desiderium non satiet, sed excitet?
Humana quippè mens, quandiu hic viuitur, rerũ cognr-
tione torqueri potest, satiari non potest. Maneat igitui
vitæ huius felicitatem, in primæ Philosophiæ vsu, hoc
est, in rerum immaterialium contemplatione non cõsi
stere, niet eam?

& humanis sensibus rati sunt se cõprehendere posse sapientiã, ad ciuitatẽ mi nimè peruenerunt. De qua in Psal. dicitur: Domine, in ciuitate tua i- maginem ipsorum dissipabis. Omnes enim vmbras diuersas imagines atque personas, quas sibi in varijs dogmatibus induerunt, in vr be Iua Dominus dissi pabis. * Sap. 9. * Eccl. 7. Alta profunditas, quis inuestiget eam?

Lustraui vniuersa animo meo, vt quærerem sapientiam & cæ.. & post: virum de mille, et cætera. 8. Apposui cor meum vt scirem, &c. & post, Et intel-

Vere quod omnib. &c. Eccl. 1. Qui addit scientiã, addit & laborẽ Eccle. 1. Nõ satiatur oculus visu, nec auris auditu implebitur. & 7. dixit sapiẽs efficiar & ipsa lõgius recessit à me. Eccle. 12.

stere, vt quã morbus tollere valeat, dolor intercederet, inopia interturbare. Nam si ad hanc Aristotelicam felicitatem necessarius est, aliorum etiam bonorum quasi concentus, talem nobis felicẽ Aristoteles fingit, qualis, vt arbitror, nemo vnquam erit: & vt cõfirmare possum, nemo certè fuit. Quid, quòd, vt idem Aristoteles in libro de bona fortuna tradit, vbi plurimus intellectus, ibi minima fortuna, vbi autẽ plurima fortuna, ibi minimus intellectus? Ecclesiastes ca. 9. Vidi, ait, nec sapientiũ esse panem, nec doctorum diuitias, nec artificũ gratiam, sed tempus casumq; in omnibus. Qua igitur ratione fortunæ bona ad felicitatem necessaria esse dicemus, quę cadere subiecta insipienti, quàm sapienti magis obuenirũt? Quantò sapiẽtiùs Salomon hominis finẽ, qualis in hac mortali vita queri potest, in Dei timore & amore constituit. Deum time, inquit, & mandata eius serua, hoc est omnis homo. Atq; sententię huic reliqua omnis diuina scriptura cõsentit. Beatus vir, ait, qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis. &, Beati omnes qui timẽt Dominum, qui ambulãt in vijs eius. Et, Beati immaculati in via, &c. Et apud Matthæũ dominus, Beati, inquit, qui esuriũt & sitiunt iustitiam. Et, Beati mundo corde. Nimirum in præsenti sæculo, aut hæc beatitudo est, aut nulla omninò est. Per hanc enim verã & perfectam felicitatem assequimur, per hanc etiã summè beato, hoc est, Deo maximè appropinquamus. Quemadmodum autẽ quò quidq; est maximè calido propinquius ac similius, eò calidius est: ita quò quis Deo est in hac vita proximior ac similior, eò beatior ac felicior erit. Paulus etiam apostolus non modo Diuus Thomas dixit, dilectionem Dei in hac vita cognitioni scientięque præstare. In dilectione itaque Dei huius vitę felicitas sita est, non in cognitione. Nec si rerum terrestrium atque cælestium cognitio, quã naturales in homine disciplinæ pariunt, neminem facere felicem potest, statim est à Salomone dãnata. Sed studium humanę scientiæ, occupationẽ vocat pessimam, quòd molestissima sit. Malũ enim in scripturis interdum nõ pro culpa, sed pro pœna vsurpatur. Idẽ quoque studium vanitatem nũcupat, quòd nec homini

1. Cor. 13. 2. 2. q 23. e. 1. Num. Caieta ait, dilectionẽ Dei naturalẽ virtutem nõ esse, absurdũ est.

Esa. 45. Amos 3.

finem

finem suum præstat, & ad veram felicitatem consequẽdam otiosum est. Hoc verò testimonio si aduersum liberales scientias aburimur, vituperemus simul opes, diuitias, regna, artes, omnia denique, quę sub sole fiunt. Nam eadẽ de his quoq; Sapiens dixit, illud quoniam stultissimum est, fateamur omninò ex verbis Ecclesiasticis nihil contra disciplinas humanas confici posse.

Multo verò minus ex prouerbijs conficitur, nã verba illa planè de cæca voluptate intelliguntur. Quam apud Ciceronem Plato escam malorum appellat, quòd ea vi delicet homines capiantur, vt hamo pisces. Non est Philosophia meretrix illa vaga & garrula, quietis impatiẽs, procax, blanda, adultrix, præparata ad decipiendas animas, sed, quid tale est, est illa Thamar, quæ causa prolis sedit in triuio, ad quã studiosus & fidelis Iudas declinauit, indeque genuit Phares & Zaram, qui in Euangelijs memorantur. Nõ sunt Musæ Sirenes, vt est apud Pythagoram. Castæ sunt, non meretrices: veraces sunt, nõ fallaces. Qui Sirenum cantibus delectantur, hi sunt in vitio: qui Musas amant, in vitio non sunt. In epistola autẽ ad Colosſ. eodem Clemente auctore, non repræhendit apostolus philosophiã veram, hoc est, quę de naturæ rebus verè sentit, sed Epicuream, quæ videlicet tollit prouidentiam, & in Deorum numerum refert voluptatẽ, & præter res corporeas nihil esse credit. Huiusmodi ergo aliasque similes Philosophorum doctrinas condemnat Paulus, quæ ab ipsis auctoribus Philosophi nomine vẽditantur, cùm nihil re vera minus sint, sed ignorantium hominũ traditiones, quemadmodum eas vocat apostolus. Vera autem & naturalis philosophia non hominũ traditione, sed Dei reuelatione habita est, vt suprà eiusdem etiã apostoli testimonio ostendimus. Cũ verò eodẽ ipso capite scriptum sit. Hoc autẽ dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonis, mirũ est, cur Lutherus, Philippus, & alij, quos, quoniã adhuc in Catholicis habentur, nolo hic nominatim cum hæreticis lacerare; eloquentiã & omnem sublimẽ dicendi caracterem non repræhenderint. Absurdum est enim, vt quibus verborũ disciplinę placent, his rerum cognitio displiceat. Sed pe-

1. Strom. Clemens. In Catone Maio. Prou. 5. & 7. 1. & 6. lib. Strom. Colos. 2.

riculosa curiositas, nam hoc dicit quidã, & nimia in definiendis rebus obscuris audacia, è Philosophiæ studio sunt nobis natæ. Atq; idem excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecans adijcit, se nõ in totum Philosopiam damnandam putare. Hoc autem calumniandi genus, quale sit & cuius hominis, quis nõ videt? Certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non iusti, non viri boni: sed versuti potiùs, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Nõ nascũtur, mihi crede, è studio Philosophiæ vitia, sed ex errore & ignorãtia nascuntur. Quid enim Philosophiæ magis cõtrarium esse potest, quàm aut vana periculosaq; secta ri, aut quod nõ satis exploratum sit & cognitum, id sine vlla dubitatione definire? Quid verò sibi vult oratio illa se non in totum philosophiã damnandam putare? Quã igitur partẽ philosophiæ damnat? An, vt Lutherus, eã, quæ contemplatur & cernit? Explicet atque excutiat intelligentiã suam, vt videat quæ sit in ea species, forma, & notio philosophiæ. Nos enim non more vulgi doctrinã Stoicam, aut Platonicam, aut Pythagoricam, aut Aristotelicam, Philosophiã appellamus: sed, vt homines definiendi periti, si interpretari volumus, studiũ sapientiæ si rem ipsam quærimus, rerum humanarum ac diuinarum, terrestrium atque cælestium scientiam. Quam non dico in totũ, sed ne in partem quidem damnare, vel insignis stultitiæ est, vel malitiæ manifestę. Augustinus porrò lib. 1. de mori. eccle. cath. ca. 21. curiosam naturæ inquisitionem & nimium quendam amorem terrenæ sapientiæ cauendum intelligit, nõ veram philosophiam, quæ est amor sapientiæ moderatus.

Iam verò quod ex priore ad Corint. epist. opponitur, nihil illud mouere potest. Nam quod ait, Perdam sapientiam sapientum, id perinde est ac si dixisset, sapientiam sapientium obscurabo. Quomodo? Nempè illustrando mundum maiori doctrinę lumine, ad quã doctrina philosophorum omnis nulla esse videatur. Sicut etiam sol fulgore suo stellarum lucernarumq; lucẽ dicitur perdidisse. Prudentiam autem prudentium Deus reprobauit, quia nõ elegit, sed quæ stulta sunt mũdi, vt confunderet sapientes. In quem sensum fortes & potentes reprobasse dicitur, qa infirmos & ignobiles elegit apostolos, vt Dei virtus magis in Euangelij prædicatione clareret. Quanquam Clemens 1. lib. & 5. Strom. docet, non esse hic fortè sermonẽ de verè sapientibus & prudentibus, sed de his, qui sibi sapientes & prudentes viderentur. Sicut non vocatur Euangelium stultitia, quòd stultitia sit, sed quòd ita huius mundi sapientibus visa sit. Nam illud, Scientia inflat, facilimum intellectu est. Non enim magis scientiam hic damnat apostolus, quàm opes, regna, pulchritudinem, vires, abstinentiã, virginitatemq; damnaret is, qui hæc omnia inflare testaretur. Clemens verò Alexandrinus 2. Strom. lib. de illis hoc exponit, qui se sapiẽtes existimant, eũm tamen superbi sint, nihil re vera scientes, sed languentes circa quæstiones, Quæ intelligentia ex eo probabilior efficitur, quod statim apostolus subdit, *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire. Non itaq; vera scientia inflat, sed quæ videtur esse, nec est tamẽ, ea inflat. At 7. Strom. lib. nouè exponit, inflare, pro eo, quod est, facere vt magnificè sentiant, qui eam habuerint. Refert verò in hoc illud Ecclesiasti. 4. ca. Η σοφία υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσε, id est, sapientia filios suos inflauit, sic enim vertit interpres. Quod alij exaltauit, Hieronymus verò, vitam inspirauit. Verbum autem ἀνυψόω, eleuare & tollere est.

At verò illi testimonio ex priore ad Timo. c. 6 D. Hiero. in commentarijs super epistolam ad Titum 1 ca. respondet in hæc verba: Quæritur quare ad id, quod apostolus ait, Secundum fidem electorum Dei & cognitionem veritatis iunxerit, quæ iuxta pietatem est; vtrum nam sit aliqua veritas, quę non in pietate sit posita. & nunc ad distinctionem illius inferatur cognitio veritatis, quę iuxta pietatem est. Est planè veritas, quæ non habet pietatem. Si quis Grammaticam artem nouerit, vel Dialecticã; vt rationem rectè loquendi habeat, & inter falsa & vera diiudicet. Geometria quoq; & Arithmetica & Musica habent in sua scientia veritatem: sed non est scientia illa pietatis. Sciẽtia pietatis est nosse legem, intelligere prophetas,

Id sentit Hie. in Es. c. 29.

Quin tradit ibi non de quibusque prophetică esse sermonẽ, sed de sapientibus etmagistris Iudæorum quos in aduentu Christi Dei iudicio exacta tos constat.

*Peribit, ait sapẽtia à sapientib. eius, et intellectio prudentiũ eius abscõditur, *1. Tim. 6.*

phetas, Euangelio credere, Apostolos nō ignorare. Absque pietate verò notitia veritatis delectat ad præsens: sed æternitatem non habet præmiorum. Hactenus Hieronymus. Sanos ergo sermones vocat apostolus eos, qui saltem animæ præstant: pios verò, qui pios & religiosos homines faciunt. Hæc humana scientia non exhibet: sed nō proinde est Theologo inutilis. At apostoli non fuerunt humanis literis eruditi. Fateor: Christus non docuit eos Geometriam, Astrologiam, Physicam. Et hoc itē fateor: Spiritus sanctus docuit eos omnem veritatem, nec Philosophiam, Arithmeticam, aut Geographiam docuit. Verum est & id quidē. Christus nobis & Apostoli non Dialecticam artem, sed nudam sententiam, quæ fide ac bonis operibus custoditur, tradiderunt. Non repugno. Non igitur sunt disciplinæ istæ Christiano doctori vtiles. Id verò est, quod ego constantissimè pernego. Apostolis siquidem, vt ait Clemens, Spiritus sanctus omnia plenè suggerebat, quæ erant & ad scripturam sacram intelligendum, & ad docendum cuiusuis generis homines necessaria. Nos aūt, qui Spiritus hoc peculiare donum non habemus, si humanarum simus literarum rudes & ignari, nec diuinas percipere sanè possumus, nec perfecti esse in Ecclesia doctores. Christus etiam & Apostoli non docuerunt nos humanas disciplinas, vt fides nostra non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei: docere etiam nihil voluerunt, nisi quod esset ad salutem necessarium. Alioqui, si exemplum placet, ignoremus Grammaticam, quoniam Apostoli Grammatici non fuēre. Simus barbari, quia non fuēre eloquentes Apostoli. Nihil consultò ac cogitatò meditatum & præparatum inferamus, quod Apostoli hæreticis, Philosophis, Tyrannisque euincendis repentè atque ex tempore sapientissimè loquebantur. Quomodo autem docti sunt omnem veritatem, Augustinus in Ioannem declarauit. Sunt autem sine dubio humanæ quædam veritates, quas tametsi Apostoli non sunt edocti, nos tamen vtiliter addiscimus. Quòd enim disciplinis humanis subiecta sit veritas, quā tractent & in qua versentur, adeò est manifestum, vt stultum sit & me probare velle, & alios negare. Quo verò tē

Socra. li. 5. hist. ecc. c. 8

1. Strom.

pore

pore, quo loco, quo cum hominum genere disciplinis humanis Theologo sit vtendum, nam & hoc in argumento quæritur, alio libro sumus fuse ac diligenter explicaturi. Itaque nunc res eas prætermittemus: quarum ratio & maior est, & in aliud tempus differenda.

Tantùm ergo postremum illud argumentum restat, cui respondere debeamus. Id quod argutè Clemens Alexandrinus 1. Stromatum libro facit, inquiens: Non per ablationem Philosophiæ perimitur veritas, sed ad eam cooperatrix & adiutrix inuenitur: sicut primus & secundus gradus ei, qui ascendit in cœnaculum, & Grāmaticus ei, qui est philosophaturus. Nam & visus & auditus confert ad veritatem, mens autem est, quæ eam appositè & naturaliter cognoscit. Perspicuitas etiam opem fert ad tradēdum veritatem: & Dialectica, ne prosternamur ab hæresibus. Et est quidem per se perfecta seruatoris doctrina & nullius indiga, cum sit Dei virtus & sapientia. Accedens autem Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem aduersus eam efficit sophisticam argumētationem: & propulsans dolosas aduersus veritatem insidias, vineæ est sepes & vallum. Et quæ est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad viuendum. Quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis & bellarijs. Desinente cœna suauis est placentula, vt ait Pindarus Thebanus. Hactenus Clemens. Hactenus etiā nos de octauo loco dixerimus. Ac si quæ sunt fortè reliqua, ea in nouo, qui statim sequitur, dissererentur.

Socratē etiā vide 3. li. eccl. hist. ca. 16.

Noni libri finis.

DE

DE PHILOSOPHORVM, NATVRAM DVCEM SEQVENTIVM, AVCTORITATE, QVAE NONO LOCO POSITA EST, LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

QVemadmodum argumenta theologo ducerentur à Philosophia atq; ab omni omninò ratione naturæ, satis explicatũ arbitror loco superiore. Sequitur, vt cæteras persequar, quę pertinẽt ad Philosophorũ & historię humanæ auctoritatẽ. Hi namq; soli duo restant ex locis, qui sunt in initio ppositi: de quib. dicere aggrediar, si pauca priùs de instituto ac iudicio meo dixero. Quãuis enim libri nostri non modò in scholastica pugna & concertatione versentur, sed multa etiã alia contineãt ijs vtilissima, qui interiores scrutantur & reconditas literas, tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris scholæ nomen sit inuisum, mirenturq; in ea illustranda tantum me operę & temporis ponere. Ego autem quandiu res scholastica per eos gerebatur, qui iuuentutem ad scholæ Theologiam incitare sunt soliti, meas curas cogitationesq; omnes in id conferebam, vt nie quauis via & ratione ab scholasticis confictationibus liberarem. Nõ enim existimabã, meam operam scholæ theologis quoquo modo necessariam Cùm autem Academia viros illos summos amiserit, & quidã ex reliquis, qui huius rei tuendæ socij esse deberent, studia hęc vel tanquam arida contentiosaq; dimiserint, vel certè, vt laboriosa & molesta declinauerint, Lutherani verò quasi noxia quoque repræhenderint: indignum iudicaui illi me otio dare, quod multis antè mihi magnisq; desiderijs optatã. Itaq; in his

in his studijs ab initio versatus ætatis, existimaui honestissimè me Christianę reipub. inseruire posse, si animum in schola meum, vel repugnantem cõtinerem. Cui cum multum adolescens, discendi causa, temporis tribuissem, posteaquam Teologiam publicè profiteri cœpi, meque ipsum discipulis tradidi, tempus ferè totum consumebatur in docendo, scribendi otium non erat. Sustinebam enim magnum onus, non discipulos modò quotidianis & lectionibus & disputationibus instituendi, verumetiam de multis & verbo & scripto respondendi. Accedebant etiam non infrequentes ad populũ conciones, quibus me vel necessitas adiudicabat, vel voluntas. Plures autem res pręsertim magnas eodem simul tempore non modò agere, sed ne cogitare quidem possumus. Quamobrem de hoc opere absoluendo, in quo tantam difficultatem inesse videbamus, vt viro indigeret, non solum egregiè docto, sed nullis alijs negotijs præpedito, omnem omninò spem sæpius abiecimus. Sed partim discipulorum precibus efflagitati, partim amicorum conuicijs euicti, tuo verò iussu potiùs, Pater optime, cui⁹ studijs, præsertim in re tam iusta, cùm difficile est, tũ ne æquum quidem obsistere, subcisiuis, vt aiunt, horis opus hoc informare decreuimus, vt si quo fortè casu nequeamus absoluere, certè instituisse videamur. Eò verò me minus instituti mei pœnitet, quòd facilè sentio, vt nihil aliud agã, excitare me homines non socordes ad rei magnæ inuestigandæ cupiditatem. Nos enim si non assecuti, at id secuti profectò sumus, vt ea his libris explicaremus, quæ nec satis erant nota nostris, & erant cognitione dignissima. Sed iam ad instituta pergamus. Danda enim opera est, vt etiam si ad alia aberrare aliquando cœperit, ad hæc reuocetur oratio.

CAPVT II.

FVisse olim in Ecclesia nonnullos, qui Philosophorũ auctoritatẽ ab schola Christiana reiecerint, Clemẽs Alexã. perhibet, grauis in primis auctor. Tradit etiam hanc illos persuasionem induisse, quod Dominus apud Ioannem dixerit, oẽs quotquot ante se veniſſent, fu- Ioan. 19.

res

res fuisse & latrones: nec audisse eos oues. Fures autem vocatos aiunt, quòd fuerint sophistæ fallaces Nam sophisticen, quandam furandi artem ipse quoque Aristoteles dixit. Et Iustinus. cùm docuisset Philosophos similes esse latronibus, & tanquam deceptores redarguisset, per insidias Crescentis philosophi interemptus est, vt Euseb. scribit lib. 4. Eccle. histor. ca. 16 Non sunt igitur philosophi audiendi, præsertim cùm nostræ semper doctrinę repugnarint. Nam vt Ruffinus lib. 1. Eccle. histor. cap. 2. refert, Arrio fauebant viri in quæstionibus callidi, & obiectæ simplicitati fidei aduersi. Atque Epiphanius lib. 2. aduersum hæreses, ca. 69. eo nomine taxat Arrianos, quòd fuerint noui Aristotelici, & ab hoc philosopho venenatiacu lationes sibi ipsis affricuerint, reiectaque damni mansuetudine Aristotelem induerint. Ita nec spiritus donum in se habere digni facti sunt. Et Hiero. aduersum Lucif. Arrianam dicit hæresim argumentationum riuos de Aristotelis fonte mutuari.

Paulus deniq; ait philosophos, dicentes se esse sapientes, stultos factos esse, traditosq; in reprobum sensum. Eorum igitur auctoritas nullius apud nos momenti esse debebit. His & similibus argumentis vetustus error ille nitebatur. Quem tamen iam diù sepultum sine vllo etiá argumento Lutherus suscitare conatus est, damnatoq; subinde cùm scholasticos cæteros, tum magis D. Thom. quasi auctor fuerit regnantis Aristotelis vastatoris piæ doctrinæ, sic enim loquitur contra Latomum. Videlicet Domiciani exemplo, philosophos non vrbe solùm, sed orbe pellendos esse credit. Nos autem quid fides Catholica, ratioque sana teneat, breuiter & sine disceptatione docebimus.

CAPVT III.

PHilosophorũ auctoritas eorum, qui falsa senserunt, nostram non potest adiuuare doctrinam, & latentia cognita facere, vt Augustinus ad Dioscorum verè & sapienter scripsit. Quid enim nobis est, ait, propter defensionem Christianæ religionis, quærere quid senserit Anaximenes, Democritus, Epicurus, Parmenides, & Melissus,

lissus, alijq; similes huius farinę philosophi, quorũ doctrina erroribus naturæ rationi contrarijs plena fuit? Non itaque omnes Philosophi, scholæ nostræ probati sunt, sed illi, de quibus apud Platonẽ Socrates, Sunt inquit, in mysterijs multi quidem, qui gestant ferulam, pauci verò Bacchi. Magnifica verò vox & magno viro ac sapiente digna, qua docemur, multos vtique barba & pallio tenus, sed paucos re vera fuisse Philosophos. Paucos igitur hos, qui scilicet naturæ vim & effecta, morum ac vitæ normam, via & ratione inuestigârunt, magnaq; ex parte consecuti sunt, Theologis esse vtiles, hac nostra oratione contendimus. Nec video equidem cur huiusmodi philosophos tanto Lutherani odio prosequantur, nisi quòd auctores obscuros intellectuque difficiles perdiscere nec volunt, nec verò possunt. Etenim optimi cuiusque Philosophi commentaria, præsertimq; Aristotelis, discipulum non modò ingeniosum, sed amantem etiam laboris exigunt. Isti verò cùm parum ingenio valẽt, tum in laboribus è vita etiam Christiana pellendis occupati & sunt & fuerunt. Quamobrem, quod in philosophorum libris difficile atque arduum esse vident id, & horrent ipsi, & ab eo iuuenum animos alienant. Quid autem sibi Theophilus Alexandrinus velit, penitus nõ intelligo, cùm in secundo paschali libro Origenem carpit, quòd Philosophorum argutias tractatibus suis miscuerit, atque ita ex malo exordio in fabulas & deliramenta processerit, ac Theologicum dogma ludum & iocũ fecerit. Quantò illud apud Porphyrium, quanquam ab impio Philosopho dictum est, verius tamen & luculentius dictum est, Origenem Græcorum diuitias omnes ad Christianum dogma locupletandum conuertisse. Sed hæc fortè obscura sunt, cùm lentè argumentis nullis appositis explicantur. Factis primum illustranda sunt summorum virorum hæc. Deinde patrum nostrorum testimonijs. Tum rationibus, apertissimis illis quidem, sed quàm paucissimis. Cum enim in huiusmodi causis, quæ scholæ propriæ sunt, verear equidẽ ne cui ex scholasticorum disputationibus non ex ecclesiæ sensu deprompta nostra videatur oratio, interdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

argumẽta ducta à ratione perſtringimus, & veritatẽ, quam ſequimur, maiorum potiſſimùm auctoritate ſuademus. Intelligẽdum eſt autem, cùm propoſita ſint genera decem, è quibus argumenta rationeſq; manarent, ſplendidiſſimum videri, quod veterum traditione expliſq; conſiſtit. Atque ſi bono loco res eſſent, quæ more aguntur & inſtitutis eccleſiæ, de his nihil erat argumẽtandum, illa enim ipſa certiſſima argumenta ſunt. Lutheranorum verò oratio tota mox erat ejicienda. Eſt enim inimica eccleſiaſticæ regulæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil cõſtans, nihil verum, ſed hęc aliàs. Nũc quod inſtat agamus. Porrò olim eccleſiæ doctorẽs ſummi fuêre, qui ijdẽ fuêre philoſophi, Didymus, Iuſtinus, Origenes, Gregorius Nazanzenus, Baſilius, Gregorius Niſſenus, Damaſcen⁹, Auguſtinus. Tales enim, cùm habebantur, eccleſiaſticæ ſcholæ præfici ſolere, Euſebius lib. 5. eccle. hiſt. c. 10. ſcilicet his verbis: Conſuetudo antiquitùs tradita ſeruabatur, vt diuinarum ſcripturarum doctores in ſchola eccleſiaſtica habeãtur, viri duntaxat ſcientia, & eruditione probatiſſimi. Huius officij auctor & dux tunc ſatis illuſtris habebatur Panthænus, quia in Philoſophis Stoicis prius nobiliter floruiſſet. Tradit quoq; Origenes apud Euſeb. lib. 4. c. 16. nõ ſolùm à Panthæno, ſed ab Hæracla aliiſque pleriſq; doctoribus Apoſtolicis Philoſophorũ libros legi ſolitos. Quod ſi ſanctorum loca referre voluerimus, quibus illi philoſophorum teſtimonijs vtuntur, nõ eorum modò, qui de moribus, ſed eorum etiam, qui de natura ſcripſerunt, verẽdum nobis eſt, ne in cauſa parum dubia teſtib⁹ vtamur minimè neceſſarijs. Legant iſti omnia eorum commentaria, quibus de opere ſex dierũ diſputatio inſtituta eſt, atq; in his vel ſolis videre poterunt, & quãta fuerit maiorum noſtrorum perlegẽdis philoſophis diligentia, & quãtus ſit philoſophorum explicãdis ſacris literis vſus. Vide aut etiã Hier. in 17. ca. Hiere. Et lib. 2. aduerſus Iouinia. vbi etiã cum hæretico diſſerẽs, varijs philoſophorum teſtimonijs vtitur: multiſq; e philoſophorum cõmentarijs, rerum naturalium exẽplis editis, planè docet quantum horum auctoritas Theologo ad argumentandum conferat. Sed de hac re paulò pòſt. Nunc id, quod erat inſtitutum, perſequamur. Sanè vt reliquos præteream, quos ſtare à nobis aduerſarij noſtri non dubitant, Epiphanius certè ipſe, quem nobis obijciunt, Philoſophorum auctoritatem haud ſemel vſurpat. Docturus enim hæreſi 31. quánam ratione eſſent hæretici fugandi, Aiunt, inquit, hi, qui hæc in conſuetudine habuerunt, odore Dictamni, Styracis, Libanotidis, Abrotoni, Bituminis, Thymiamatis, Lapidis Gagatæ, aut cornu cerui fugari reptilia, & venenum iaculantia. Itẽ hæreſi 78. cũ multis argumentis ſuaſiſſet, beatã Virginẽ poſt partum virginitatem cõſeruaſſe, ſubdit: Si verò etiã ab alia quadam ſpeculatione ipſas res accipere conuenit, attingemus quoq; rationum naturæ cognationes. Aiunt leænã non parere præterquam ſemel & vnum. Cumq; ſubieciſſet cauſam, qua eius rei Philoſophi naturales redderent, colligit beatam Virginem, quæ Leonem peperit de tribu Iuda, non niſi ſemel atq; vnicum peperiſſe. En Epiphanius, & Chriſtianos inſtruens, & cum hæreticis de fide certans, Philoſophorum teſtimonia refert. Quin etiam Paulus nõ ſolùm cùm ethnicis perſuadet, ſed etiã cùm fideles inſtituit, Poëtarum & Philoſophorum teſtimonia referre ſolet, exq; ijs argumenta ſumere. Nam ad Athenienſes loquens ex Arati Aſtronomi, Phœnomenis vſurpat illud, Ipſius enim & genus ſumus: ad Corinthios verò ex Euripidis Poëtæ tragœdijs illud, Corrumpunt bonos mores colloquia praua: ad Titum aũ exoraculis, Epimenidis Philoſophi illud, Cretẽſes ſem per mẽdaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Ac ſubijcit hîc protinus: Teſtimonium hoc verum eſt. Si igitur quę dicit Apoſtolus, ea Philoſophorum teſtimonijs cõfirmat, Pauli etiam nõ modo aliorum ſanctorum exemplo facere nos idem & poſſumus & debemus.

Vide Ariſt. 6. anima. & Gell. lib. 13. ca. 7. & Herodo. lib. 3.

Hoc Hieronymus & ad Titum 2. & ad Epheſ. 5. Menandro tribuit, Clemens verò Alex. Euripidi.

Alter erat locus, à patrũ teſtimonijs oſtẽdere Theologis Philoſophos eſſe vtiles, vbi nihil laboris eſſe videtur, cùm teſtẽtur hoc pleriq; quidẽ nõ obſcurè, ſed apertiſſimè, Auguſtinus lib. de doctrina Chriſtiana 2. ca. 40. Socrates, lib. 3. hiſto. eccleſ. cap. 16. Num locupleriores quęris auctores? Citarem alios, niſi aliò noſtra feſtinaret oratio.

oratio. Certè Hieronymus in epistō. ad oratorem Magnum non testatur hoc modò, sed magnis etiam argumentis confirmat. Tertium est propositum, rationibus illud ipsum demonstrare. Id quod faciam planè, & faciam breuius, quàm res tanta fieri possit.

Multa à Philosophis prudenter fuisse & grauiter disputata, multa etiam breuiter, & commodè dicta, multa denique ingeniosè & luculenter exposita, qui negauerint, ij non sunt verbis & ratione, sed vinculis & carcere fatigandi. Atque si etiam hoc naturæ ratio præscribit, vt quæ viri graues, ingenioſi, eruditi, acutè diligenterq; tradiderint, ea iuuenes memoriæ mandent, fieriq; studeant illorum, & scientia, & prudentia docti, necesse est, Philosophorum doctrinam non iuuenibus solū, sed his etiam omnibus esse vtilem, quibus vllum aliquando commercium cum humana sapientia & prudentia futurum est. Quod si ita est, idque nos superiore loco satis ostēdimus, Theologos ad res multas huiusmodi cōmercium habituros, nimirum quoad poterunt & licebit, ab eorum latere non discedent, qui rectè de moribus & natura sentiunt. Idque ipsum si ita est, Philosophorum certè libris Theologi dare operam debent: nō enim alios hodiè reperient, qui de rebus huiusmodi aptius & sapientius philosophentur. Verū aūt primum, verum igitur & extremum. Nam illud quidem absurdū est, quòd quidam dicunt, omnia esse sacris literis prodita, quæ ad rationem hominis instituendam videntur esse opportuna & necessaria. Quorum error, quoniam abundè ex ijs, quæ suprà diximus, exploditur, nō est hic pluribꝰ refellēdus. Quid enim stultius esse potest, quàm aut in scriptura sacra liberales omnes disciplinas traditas credere, aut huiusmodi disciplinis existimare, hominis rationem non benè & vtiliter institui? Quòd si philosophia Theologo vtilis & bona est, eā autem nisi philosophorum libris adiutus consequi non potest, non vtiq; sunt ei philosophi negligendi. Cùm aūt herbarum lapidum, animantium, arborum, elementorū, aliarūq; rerum terrestrium cælestiumq; cognitio, sacris literis intelligendis sit magnoperè necessaria, quemadmodum

Lib 8. & 9.

Auguſt.

Auguſt. 2 de doctrina Christiana li. docet, nosq; etiā sumus idem in 13. huius operis libro fusius demonstraturi, insanus profectò erit, qui in harum rerum cognitione paranda eos auctores neglexerit, qui & summo ingenio, & magna peruestigatione, & multi temporis experimētis, in his cognoscēdis elaborārunt. Cùm igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin Philosophi plurimū Theologis prosint, illud, de quo dubitari à doctis etiam potest, iā statuendum est, argumenta è Philosophorum auctoritate petita, certāne, an potius incerta sint.

CAP. III.

PHilosophorum omnium vna eademque consensio certam fidem facit Philosophici dogmatis. Quod enim in alijs artibus valet, vt auctores probati tantū apud eos, qui eam artem sequuntur, auctoritatis habeant, vt inde non nisi temerè discedi soleat, id in Philosophia, ac multò etiam magis valere debet, ne in rerum naturaliū cognitione vario discipuli versentur errore, nec habeant vnquā quos sequantur. Benè, inquit Aristoteles lib. secundo de cælo, sese habet quemq; sibi persuadere, veteres & maiorum maximè nostrorum sententias veras esse. Atque si in omni disciplina & arte, oportet addiscentem credere, vt & Aristoteles idem prudenter admonuit, & Theodoritus magna exēplorum vi ostendit & patefecit; in Philosophia certè perdiscenda scientiæ huius professoribus, in eandem præsertim sententiā concurrentibus, fidem habeamus oportet. Quanta verò arrogantia erit, quanta temeritas, non cum Platone dicam, Aristotele, Hippocrate, Galeno, Theophrasto, Themistio, Alexandro, Dioscoride, cęterisque huius chori Philosophis, vnum idemq; concinentibus dissentire, quorū scripta & magna cura studioq; elaborata, & posteriorum nō examinatione modo expensa, verū etiā consensione probata sunt: sed contra sui tēporis doctos homines dicere, & singularia placita communibus anteponere. Nempè, id est, vt ille inquit, bellare cum dijs, id est, naturę repugnare: maior enim pars eò deferri solet, quò à natura ipsa deducitur. Ex quo intelligitur,

l. lib. de an. Græc. affe.

non esse alienum, Theologicis institutis ad ea coniectã-
da, quæ in natura dubitationem afferunt, adhibere do-
ctos homines, & si morum quæstio est, vsu peritos: &
quid his de vno quolibet quæstionis genere placeat, ex-
quirere. Quòd si Pictores, & ij, qui signa fabricantur, &
veri etiã poetæ suum quisq; opus à vulgo etiam cõside-
rari vult, vt si quid reprehensum sit à pluribus, corriga-
tur: quantò magis Theologo prudenti nõ vulgi, sed sa-
pientum Philosophorum iudicio, permultę de rebus na-
turæ sententiæ, mutandæ & corrigendæ sunt, licet illi
veræ esse videãtur? At enim in rebus, quæ ad mores per-
tinent, nõ doctissimorum Philosophorũ modò, sed vi-
rorum quoq; optimorum, nulla etiã causa reddita, vale-
bit auctoritas. Nã, quod Aristoteles doctè, vt omnia fe-
rè, tradidit, quẽadmodum de saporibus palatum sanum
rectè iudicat, infectum nõ itẽ: sic vir bonus & iustus bo-
num à malo rectumq; à prauo egregiè discernit, contra
autẽ omnes affectus animi perturbati, tollit iudiciũ ve-
ri, idq; adulterat. Adeò illud verũ est, qualis vnusquisq;
erit, tale etiam iudicium proferet. Atque ipse idem Ari-
6. Ethic. cap. 11. stoteles planè testatur, non minus eorum, qui sunt ex-
perti, & seniorum prudentium q; sententijs, quàm ipsis
demonstrationibus adhibere animum oportere. Tan-
quam oculum enim, ait, per experientiã, habentes prin-
cipia ipsa rerum agendarum cernunt, & ab ijs perinde
20. d. t. de quibus. atq; à natura acti rectè discernunt. Quamobrẽ sanctè ac
prudenter Innocentius, in morum iudicijs sanctorum
exẽpla nos sequi voluit. Grauissimè quoq; Plato in Ti-
mæo, Fieri, inquit, non potest, vt deorum filijs fides nõ
habeatur, etiam si absq; probabilibus, & necessarijs di-
cap. 37. cant demõstrationibus. Et Ecclesiasticus, Cor, ait, boni
consilij statue tecũ. Anima enim viri sancti enunciat ali-
quando vera, melius, quàm septẽ circũspectores sedẽtes
in excelso ad speculandũ. Quæ causa mihi semper fuit
pater sanctissime, atq; optime, vt in reb⁹ huiusmodi gra
uissimum iudiciũ tuum nõ minus expectarẽ, quàm alte-
rius cuiusq; eruditissimi Philosophi atq; Theologi. In-
telligebã enim virtutes illas omnes, quas expertus fuerã
in te, nullo etiam Dialectico syllogismo interueniente,
id quod

id quod rectum esset secuturas declinaturasque contra-
rium. Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est,
sed de proborum genere toto. Neque illam de scien-
tiæ dogmatis, sed de prudentiæ iudicijs potissimum
intellectum velim. Iudicia quippè prudentiæ, mutatis
moribus permutantur, scientiæ verò decreta, non item.
Ab his autem longè dissentio, qui decernendis conscię-
tiæ casibus, sic enim vocant, relictis doctissimis Philo-
sophis ac Theologis spirituales nescio quos homines
consulunt, qui visionem cordis sui loquuntur, nõ de o-
re domini. Multa quoq; perfectione exercitationeq; vir
tutum opus est, quemadmodum ait in 4. cap. Ioannis Origenes, vt bona & mala, vera & falsa dijudicare possi-
mus. Rari autem illi sunt, qui, quod Apostolus ait, exerci
tatos habeant sensus ad discretionem boni & mali. Sed
hæc hactenus. Nunc eò redeamus, vnde huc digressi su-
mus. Constitutum est igitur Philosophorum iudicium,
eorum scilicet, qui magna doctrina excellentique inge-
nio valuerunt, in magno pretio esse nobis habendum, si
nolumus haberi temerarij. Omninò si quicquã est pro-
babile, nihil est profectò magis, quàm naturę principẽ,
naturalis disciplinę doctores aliquos mortalium generi
prouidisse. Quis enim adeò esset insipiens, vt academiã
vnamquamlibet sine præceptoribus instituerẽt? Certè,
quoniã notus in Iudęa Deus, quasi diuinæ scientię Gym
nasium erexit, Rabbinos ibi etiam procurauit. Et quo-
niam apud Christianos Euangelicæ doctrinę academias
esse voluit, Apostolos quoque, Prophetas, Euangelistas, Eph. 4.
Doctores dedit, qui eam in Christi repub. doctrinã pro
fiterentur. Quapropter, cùm vniuersis gentibus edocen-
dis naturę leges ac disciplinas ediderit, nõ fit vero simi-
le, nullos huiusmodi legũ ac disciplinarũ magistros insti
tuisse. Atq; etiã, si ab illa similitudine argumẽtari cõue-
nit, Clemens Alexand. Philosophiam, ait, Græcis à Deo
veluti proprium testamentum esse datam. Quemadmo- 6. Strom.
dum ergo nec Iudæorum, nec Christianorum testamẽ-
ta, ita ne Græcorum testamentum quidem absq; inter-
prete dereliquit. Quocirca diuinę hic quoque procu-
rationis erat, vt nõ omnes simul Philosophi aut in Dei

cognitione aut in morum & vitæ regula, aut etiam in
Rom.1. rerum naturalium intelligentia, quæ quidem ad illa duo propria necessaria, hallucinarentur. Quæ res effecit, vt iuxta Pauli sententiã Græci fuerint inexcusabiles. Qui tamen excusari possent, si eorũ præceptores non ad veritatem bonitatis instructi satis, informatique essent, auctore naturæ optimo duce atq; magistro. Id verò scripturæ etiam diuinæ testantur. De Deo enim in Psalmo
Psal. 93. scriptum est: Quòd docet hominẽ scientiam. Et rursum
Iob. 35. in libro Iob: Quod docet nos super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos. Nimirum sicut quibusdam animantibus, qui tanquam principes, & duces reliquorum à natura dati sunt, concessi sunt quidam instinctus, quibus ad gregis quisq; sui ducatum rectum vtilemque ferantur, ab aliquo retrahantur & noxio: ita in hominũ eorum mentibus, qui natura duces sunt cæterorũ, inditas esse notiones credendum est, quibus in illa, quæ ad imperitorũ & rudium populorum doctrinam spectant, inducãtur. Nec enim melior est belluarũ conditio, quàm nostra. Atq; Boetius magno vir ingenio inprimisq; doctus, cõmunes sapientum conceptiones, sic enim appellat, non minoris facit, quàm si communes essent omnium hominũ. Nosq; ipsi 6. ac 7. loco, ad eandẽ quoq; rationem ostendimus, cõmunia doctorum ecclesiasticorum præiudicia nõ aliter esse accipienda, ac si omnium fidelium essent cõmunes consp irantes sentẽtiæ. Quamobrem id quidẽ non est dubium, quin verũ & exploratum illud sit, de quo omniũ philosophorum ratio cõsentit. Quomodo enim homines & ambitiosi honoris & gloriæ, & cæci ferè auiditate carpẽdi, & plurimis seculis maximisq; locorum interuallis seiuncti, in vnã sententiam cõuenirent, nisi hanc quasi conspirationẽ naturæ impulsu quodã agerẽtur? Ex quo rursum intelligi perspiciq; licet, id, quod paulò antè dictum est, Philosophos ab vno aliquo mortaliũ magistro excepisse ea, quæ populis ac gentib. vniuersis communi cõsensione conseripserint. Verissima ergo sunt communia Philosophorũ placita, nec ab illis licet, si omnes ad vnum idem sentiant, dissentire. At Hieronymus libro 1. aduersus Pelagianos

gianos, cùm aduersarius eam Philosophorum cõmunẽ sententiam obiecisset, qui vnam habeat, eum omnes habere virtutes: respondet eam quidem Philosophorũ fuisse sententiam, sed non apostolorum, neq; esse illi curæ quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Sanè quis sit Hieronymi in dialogo mos, quẽ in argumentis eludẽdis figura, ne longum faciam, hoc loco præteream. Huic enim argumento facile respondetur Hieronymi sententiam hanc eandem & veram consensisse, & Philosophorum auctoritate probasse, vt in Esa. cap. 6. Philosophorũ, ait, sententia est, & Apostoli Iacobi, hærere sibi virtutes, vt cui vna defuerit, huic omnes desint. Et in 56. caput eiusdem Prophetæ, Virtutes, inquit inuicem se sequuntur, ita vt qui vnam habuerit, omnes habeat: & qui vna caruerit, cũctis careat. In dialogo igitur illo nõ vult Hieronymus se in dogmate fidei auctoritate Philosophorũ vrgeri, quam tamen ipse idem alijs locis vsurpat.

CAPVT V.

CVm verò de vnius aut alterius Philosophi secta disseritur, lõgè diuersa quæstio est. Atq; quo quisq; doctior & grauior est, eo est illius quidẽ, & probabilior auctoritas, & fide dignius testimonium. Sed nulli Theologus ita sese adiudicare debet, vt ab eo ne latum quidem vnguem putet discedendũ. Non enim æquũ est, vt apud Christi discẽpulos tantum Ethnici vnius auctoritas possit, vt etiam sine ratione vincat. Refert certè in quacunq; arte plurimum, vnum in illa excellentẽ auctorem legere, cui potissimum te addicas. Nullus tamẽ quamlibet eruditus sentiendi tibi ac dissentiẽdi auctor futurus est. Nemo enim fuit omnium, qui nõ, vt homo, interdum hallucinaretur. Enimuerò quis primas inter Philosophos habeat, quisue proinde ille sit, cui præcipuã dare operam operęprecium sit, variæ sunt doctissimorũ hominum discrepantesq; sententiæ. Nam, vt alios prætereã, in huiusmodi causa aliud D. Augũ. videri solet, cui caue quenquã anteponas, nec enim doctior vir fuit Augustino quisquã, nec clarior. Aliud aũt videtur D. Thomæ, maximo grauissimoque theologo atq; philosopho. D. Au-

Not. quæ ratione philosophi insequẽdi sunt.

D. Augustino Plato summus est, D. Thom. summus est Aristoteles, sic ferè res habēt, vt id doctrinæ genus quisque maximè probet, cui à teneris annis maximè assuetus est. Et exoritur August ratio ex altera parte, nullos esse omnū Christianæ magis doctrinę concordes, quàm Platonicos. Plato siquidē fuit ex Hebreis philosophus, vt Clem. Alexand. auctor est. Imò vero, inquit Thom. Peripateticorum doctrina Christiano dogmati consentit plurimum. Clem. enim Alexand. lib. 5. Stro. etiam refert, Aristobolum multis libris probasse philosopiā Peripatericam, ex lege Mosaica & alijs depēdisse Prophetis. At D. Thomę sententia quidem, & omnium penè gentiū & multorum seculorum vsu probata est. Platonem enim iam inde è multis annis vix in angulis homines otiosi legunt. Aristot. verò magno consensu orbis academiæ resonant. In Aristotelem quoque illud elogium vnicum vniuersæ consentiūt gentes, per antonomasiā philosophum, hoc est, philosophorum primarū fuisse. Iure ergo illum amplectimur, cuius de laude omniū sit fama consentiens. D. etiam Thomæ ita sunt Theologi scholastici assensi, vt in schola theologię, Plato ne locū habeat quidem, ita eam Aristoteles occupauit, illud constat, neminem in rebus naturalibus plenè eruditum esse posse, si solū Platonem legat. Solus aūt Aristo. abundè sat est, vt sit homo in Philosophię tribus omninò partibus eruditus. Sanè, ne quis causetur, misero seculo Aristot. Theologis, Platonē autem meliore eccle. statu placuisse, sciatis, quicunq; est tandem, scholam Aristotelicam Alexādriæ tum etiā vigere solitam, cùm ibi doctores Apostolici vigerent plurimū. Sed enim, vt mihi quidē videtur, nec Augustini, nec Thomę contemnenda est sententia. Nam & ijs concedendū est, qui Aristotelē amant, & ijs forsitan, qui Platonis amici sunt. Quorum iudicium, in eo quod de animi immortalitate, de Dei prouidentia, de rerum creatione, de finibus bonorum & malorum, deque alterius vitæ vel præmio vel pœnis, Platonē apertiùs constat, iusque locutū asserant, difficilè factu est nō probare. Probāda verò magis est Diui Thomæ opinio, sed ita tamen, vt adhibeatur moderatio quædam, sine qua

Strom.

Euseb. li. 7. Eccl. hist. cap 32.

qua probari illa non potest. Placet enim quoque nobis Aristoteles, & rectè placet, modò ne repugnantem etiā illum ad Christi velimus semper dogma conuertere. Id quod interpretes ferè solent. Qui vim contexui sæpè afferunt, atq; Aristotelem cogunt, vt velit nolit pro fide catholica pronuncier. Periclitemur autem, si placet, & in iis quidem exemplis, in quibus errasse Aristotelē vulgus Theologorū fortasse non putat. Nec enim hoc loco de æternitate mūdi, mentiumq; præfinito numero disserendū est. Sed ne de animi immortalitate quidē. Nam illa priora obuia sunt omnibus, hęc aūt quæstio in his cōmentarijs, quos de anima scripsit, accuratissimè est a Caietano disputata. Verùm hæc cōsideremus, quæ difficiliora sunt, & quæ Aristot. vafrè verbisq; de industria ad imponendum compositis obscurè videtur enūciasse: vt si à doctis fortasse viris iure quandoq; & verè reprehenderetur, haberet quò posset elabi, atq; ab amicis excusari. Nec ego hic tamen aduersus Aristot. excusationē instituo virum doctissimum, deq; humanis literis omnibus bene meritum. Sed cùm pleriq; ab illo nunc non aliter atque ab oraculo pendere videantur, secureque omnia illius opera legere, minuenda est hæc opinio, ne ab huius Philosophi placitis dissentire, piaculi loco sit. Auduimus enim Italos quosdam, qui suis & Aristoteli & Auerroi tantum temporis dant, quantum sacris literis ij, qui maximè sacra doctrina delectantur, tantū verò fidei, quantum Apostolis, & Euangelistis ij, qui maximè sunt in Christi doctrinam religiosi. Ex quo nata sunt in Italia pestifera illa dogmata de mortalitate animi, & diuina circa res humanas improuidentia, si verū est, quod dicitur, nihil enim præter auditum habeo. Cùm homines Aristotelis inflati opinionibus turpiter sibi blandiūtur, & inde in maximo versantur errore. Sed hæc hactenus. Nunc ad propositum reuertamur.

Mentes nos angelos appellarunt, quorum numerum ex omnibus Arist. fre- quentiū.

Primus igitur locus, vbi contra scripturarū fidem errasse Aristotelē existimo, habetur de somno & vigilia, quo loco negat Deū immittere somnia, redditq; eius rei causam, quòd si Deus eorum esset auctor, sapientib. vel maximè, & his quidem vigilantibus ea immitterentur

Alte-

Alterum exemplum est in tractatu de bona fortuna, vbi res fortuitas diuinæ gubernationi ac directioni subtrahit, duobus argumentis persuasus: Vno, quòd res secũdę prauis obueniant, quorũ Deum habere curam nõ sit verosimile. Altero, quòd Deus potiùs dirigeret in effecta fortunę homines sapientes, cùm contra ferè videamus, imprudentissimos quosque esse fortunatissimos.

Tertius locus est libro primo de cælo, vbi quicquid genitum esset, id corruptibile asseruit: nec incorruptibile quicquam, quod non esset ingenitum. Posuerat verò ante omnia varias harum vocum significationes, ne rei verbi ignorantia clauderetur. Ratio itaque se aduersus Platonem bonam habere causam, certamque proinde sibi victoriam pollicitus, contra morem suum non obscurè, sed quàm fieri potuit apertè docuit, quicquid incorruptibile esset, id ingenitum esse ac perpetuum oportere, hoc est, nullo vnquã modo incepisse. Sic enim vocem illam interpretatur. Qua ex re fieret, vt anima rationalis aut corruptioni esset obnoxia, aut esset certè ingenita ac sempiterna.

Quartus locus est libro quinto, rursumque duodecimo Metaphysi. quibus locis definit, Deum animal esse perpetuum & optimum. Vocat autem Deum communi nomine substantiam quãcunque cælestem, & diuinam. Nam post hæc incipit inquirere, an ista substantia sempiterna vna an plures sint. Atque eodem lib. 12. consentit benè antiquos res illas præstãtissimas deos appellâsse. Ludit autem per amphibologiam, nunc enim mentem ipsam deum vocat, nunc cælum, cuius anima mens est, id quod libro etiam 2. de cælo videre licet. Sed ne quis admiratus, quòd cælestes substantias animalia hic Aristoteles nuncupet, nam veterum more substantiam animatam siue animam sensitiua, seu intellectiua vocat animal. Itaque arbitratur deum illum vnum principem cęterorum, extremo cælo affixum, per se mouere ipsum, quomodo cæteræ mentes suos orbes mouent, suntq; Arist. ipsorum orbium animæ: vt & D. Tho. 2. con gen. c. 70. admittit. Nec Aristo. aut 8. Physi aut. 12. Metaphy. hominis intelligentiam ad aliud principium reuocat, quàm

Exc. cõ. 13.

quàm ad illam primam mentem, quæ vi sempiterna primum mobile ciet.

Quintus locus, est eodem quoque libro, vbi substantijs intellectualibus cælorum motricibus virtutem tribuit infinitam, quòd infinito tempore moueant.

Sextus locus est eodem etiam libro, vbi, vt mihi quidem videtur, Dei prouidentiam pręmiaque & supplicia, quæ probos & improbos in futura vita manent, fabulas esse significauit, gratia vulgi continendi in officio confictas. Reliqua, ait, fabulosè iam sunt allata ad persuasionem vulgi, atque ad vsum legum vitæque humanæ vtilitatem. Ecquæ enim rogo illa sunt veteribus tradita, in quibus hæc ambo conueniant, vt sint ad vsum legum, & ad vitę humanę vtilitatem tradita, nisi ea, quę nos explicare voluimus, Aristoteles noluit, ne proborum hominum, eorum vel maximè, qui Reipub. curam gererẽt, inuidiam sibi odiumque conflaret? Nam, quòd Aristoteles Deo rerum humanarum prouidentiam adimat, maxima auctoritate Theologi affirmant. Clemens Alexan. lib. 5. Strom. & Epiph 3. lib. aduersum hæreses, c. vltimo. Quos autem locupletiores auctores quærimus, quàm sanctos eruditos, in Græcorumque doctrinis apprimè versatos? Annè ipsius etiam Aristotelis de se testimoniũ expectamus? Nimirum 12. Metaphy. lib. verbis artificiosè excogitatis, ne in hoc etiam à more suo discederet, absurdum esse docuit, Deum de quibusdam intelligere, quod præstet videre aliqua, quàm non videre. Vbi non dixit absurdum esse Deum quædam intelligere, sed de quibusdam intelligere, aut meditari, vt vetus interpres reddidit. Vt non tam simplex rerum vilium intelligentia, quàm prouidentia earum, & cura significaretur. Seu tit itaque Deum magna curare, parua negligere. Atque in libello de mundo, si modò eius est hoc opus, Deum facit similem magno Persarum regi Xerxi, vel Cambysi, vel Dario, qui ipse per se maxima, & pulcherrima regni obeat munia, minora, & sordida mandet alijs. Ac 10. Ethic. libro, Quod si dij, inquit, curam habent aliquam humanarum rerum, quemadmodũ existimatur & creditur, rationabile est, eos amantibus mentẽ honoran tibusq;

Cæle. 2. 2. q. 36 ar. 2.

tibusque fauere, tanquam rerum sibi charissimarum cu
ratoribus ac benè agentibus. Nota, vt existimatur & cre-
ditur, & c. Iam Diogenes Laertius apertè tradit Aristo-
telem, Dei prouidentiam ad cœlestia vsque perstringe-
re. Iam, quod libertatem Deo in naturæ rebus Aristote-
les neget, viri docti & graues ita magnis argumentis sua
dent, vt superuacaneum sit eas hic à me rationes repeti,
quas in promptu est, ex illorum libris cognoscere. Certè
vbi de mundi æternitate velis equisq; vt aiunt, cum Pla
tone certat, si naturæ auctorē liberū faciat, ridiculus esse
videatur. Quid de indignatione ob prospera impiorum
euenta, quam ad bonos mores pertinere secundo Rheto
ricorum libro affirmat? Quid, quod 7. Politic. libro præ-
scribit, nihil mutilum, & imminutum orbatumq; natura
educēdum: scilicet, ne nimia filiorū multitudine res sua
illa publica formam speciemq; congruentem amitteret?
Propter quam etiam causam præuertendos fœtus existi
mat, abortumq; ante animationē faciēdum. Nam post
quam vitā acceperint, nephas putat attingere. Quid de
animarum infinita multitudine? Quam admittat neces-
se est, ne in Pythagoræ μετεμψύχωσιν, incidat? Illa verò
admissa, cùm infinita corpora esse non possè existimet,
demonstratum resurrectionis articulum non admittet.
Quid, quod duo principia Aristoteles posuit, Deū & ma-
teriam, nec enim rerum creationem ex nihilo agnouit.
Cuius quidem rei testes non mediocres, sed haud scio an
grauissimos, Clementem Alexandrinum Epiphaniumq;
lector noli contemnere. Atque hæc quidē Aristotelis sen
sa fuisse, verecundiùs assero propter D. Thomam, qui hu
ius Philosophi solet ferè esse patronus, sed doctores do-
ctissimi probant illum ita sensisse, quos ego in hac parte
secutus sum. Si quis verò pro Aristotelis sensu apologiā
adornet, cum hoc ego non magnoperè contenderim.
Tantùm à Lectore postulo, vt mihi concedat, si potest, A-
ristotelem in his locis erasse, sin hoc nō licet per D. Tho
mā, at illud certè dabit, vel cautè eum vt varium & lubri
cum esse legendum, vel certè esse in nōnullis placitis re-
probandum. Mihi vtrumuis satis est, & tum hoc, tum il-
lud probabilius videtur, nec præterea quicquam proba-
bile.

bile. Quantum ergo Philosophi vel simul omnes, vel se-
paratim singuli, ad faciendam fidem habeant virium, sa
tis, vt arbitror, diligenter, explicatum est.

CAPVT VI.

NVllius verò negotij erit obiectiones contra à
principio positas repellere. Primum enim facilè
intelligitur, non eos, qui missi sunt, sed illos, qui
venerunt vel Pseudoprophetas, vel Pseudophilosophos
à Domino reprobari. Non mittebam, inquit, & ipsi cur-
rebant. Veros autem Philosophos diuinitus fuisse pro-
curatos satis supra, ni fallor, argumentati sumus. Dein-
de Græciæ Philosophos alia ratione fures esse dictos cō-
tendit Clemens, quòd vltra quàm à Moyse & Prophetis
sapientiam subripuerint, gloriolę aucupādę gratia quasi
suam iactare sunt soliti. Pythagoras quidem discipulus
fuit Iudæi cuiusdam Nazareti, vt Alexander in libro de
symbolis Pythagoricis scribit. Quin Diuus Ambrosius
Pythagoram genere fuisse Hebræum non obscurè tra-
didit. Certè fuisse circumcisum Clemens Alexandrinus
auctor est.

Clearchus autem Peripateticus in primo libro de som
no, dicit se nosse Iudæum quendam, grauissimum non
solùm eloquio, sed etiam animo, cum quo versatus est
Aristoteles. Nam Platonem non solum à Pythagora, sed
à nostris etiam doctrinam accepisse, & Augustinus &
Clemens testati sunt, & Ambrosius multis argumentis
suadet. Id quod Plato ipse in Timæo ingenuè fatetur.
Cum itaque ea, quæ philosophis rectè & sapienter dicta
sunt, nostris nos disputationibus inseruerimus, repete-
mus nostra tunc, non aliena mutuabimur. Ac de primo
quidem argumento hactenus, Nam cætera sunt huius
modi, vt negotium lectori facturi simus, si ea modò refu-
temus.

Vide Iosephum cont. Appi. Alex. libro.

CAPVT VII.

QVoniam verò pertinet quidem ad hunc locū iuris
ciuilis auctoritas, & ita pertinet, vt non recondita
qua-

quadam ratione cernatur, sed sit in promptu: necesse est vt de illa quoq; pauca dicantur. Est enim sine dubio iuris legumque peritia, recta morum & vitę disciplina: philosophia autem lex vitæ est ac ratio. Quo fit, vt legum ciuilium periti philosophi censendi sint, scilicet qui verè, vt ille ait, philosophiam profitentur. Ius verò ciuile nulla in parte Theologis prodesse posse, ex eo primum suadetur, quòd huiusmodi iura discere presbyteris atque adeò monachis est interdictum. Repugnat ergo Theologiæ illa facultas, à qua vt clerici abhorreant, lege canonica præscribitur. Cumque Theologia rursum de rebus diuinis sit, ius verò ciuile in rerum humanarum earum̃q; temporalium administratione versetur, vix intelligi potest, quem vsum Theologo de rebus æternis disserenti, scientia, quæ res temporarias administrat, præstare queat. Ac Cyprianus, fatetur quidem pontifices legibus imperatorum vti, sed procursu rerum tantummodo temporalium. Non igitur viri ecclesiastici, cum res Theologicas, hoc est, diuinas sempiternasque tractare volunt, leges imperiales vsurpare debent. Imperatorum quoque edicta, quæ ius ciuile continet, Dei quandoque legibus aduersantur.

Dist. 10. c. quoniam.

11. q. 3. c. Imperatores. dist. 10. c. lege. d. 96. c. Bene.

Non ergo Theologus, ex illis argumentum aliquod idoneum accipiet ad conclusiones theologiæ comprobandas.

CAPVT VIII.

SEd illud verius est, iuris humani facultatem, in multis theologo commodam esse posse. Si enim illi canonica scientia est necessaria, huic autem peritia legum adeò coniuncta, & colligata est, vt vix altera possit ab altera separari, theologus sanè vt ius canonicum, ita quoque & ciuile cum illo connexum vendicare debet. Quod autem sacrorum statuta canonum principũ constitutionibus adiuuentur, vicissimque illas iuuent, testatur Lucius 3. de nou. ope. nun. c. 1. Vnde illud apud Italos, Ij legista senza capitulo vale poco, ma il Canonista senza lege, vale niente, factum est iam tritum sermone prouerbium. Rursum, Pontificum iura plerumque ciuili auctoritate rationeque vtuntur. A theologo igitur, cui ius pontificium familiare esse oportet, non erit iuris ciuilis cognitio aliena. Augustinus præterea non improbat, si terreni imperij leges in suum adiutorium hæretici assumant, id enim fecit Apostolus. Probandus est igitur, ac multò etiam magis theologꝰ, si aduersum hæreticos, cùm vel de rerum temporalium dispositione recta disserit, vel de moribus in rep. aut constituendis aut cõstitutis, legum ciuilium auctoritatẽ adsciscit. Id quod Augustinus idẽ contra Donatistas sępè facit. Nec enim peculiarem aliquẽ locum referre libet, cùm iam multis hoc sit à D. Augustino vsurpatum. Ad hæc, in disputationẽ de iustitia, & iure, incidat theologus aliquãdo necesse est. Quo loco sanè ineptus erit, si ea, quę grauiter à vitis clarissimis de iure dicta sunt, negligere voluerit. Præterea in pactis, stipulationibus, ceteriscq; contractibus: in rerum dominio, præscriptione, testamentis, donationibus, testibus, iudicibus, aliisq; sexcentis huius generis, quoties Theologo opus est, albũ à nigro, æquumque ab iniquo secernere? Sæpè nimirum, si eius munus esse creditur, animarum cauere periculis, earumque saluti consulere. Iniustitia quippè mortale peccatum est, quare nihil est mirandum, si, qui & multorum cõfessiones audire debet, & de iniustitia plurimis respondere, ab eo legum qualem qualẽ cognitionẽ ipse requirã. Quid cùm ad restitutionis materiam aptè exacteque tractandam de rebus huiusmodi Theologus disputaturus est? Num iustitiæ & æquitatis, in foro etiam conscientiæ, rectus arbiter esse poterit, nisi multa à iureconsultis, & ciuili prudentia mutuetur? Minimè id quidem. Nam licet iustum iniustumque internoscere philosophorum, Diuique Thomæ libris Theologus adiutus possit: at id solum faciet in genere, in specie autem sine iuris aliqua peritia non faciet. Sed hæc videri possunt obscuriora, cùm sine appositione exemplorum lentius disputãtur. Exemplis illustranda sunt hæc, quæ rationibus subtilius quàm satis est, disputari videntur. Proferam aũt aliqua è multis exempla, nã omnia erit operis infiniti. Sit igitur primum, Si pœnitens dicat se habere scrupulũ super

Universidad de Deusto
Biblioteca

his aùt illis bonis, quæ videlicet ex præscriptione longi temporis possidet, quæ ex donatione vxoris alienæ habet, quæ ex testamento minus solenni, quæúe ab intestato obuenerunt. Sit secundum exemplum, Si ait pœnitens se habere litem super hac illáue causa, nesciréque se an cedere debeat liti, an potiùs illam valeat iustè prosequi. Sit tertium, Si quis primogenitus à Theologo quærat, an peccet mortaliter, nisi sorores iustò matrimonio collocet, nisi æs alienũ soluat, quod contraxerit, nisi protogenium curet & tueatur. Quid in donatario? An teneatur ad debita? Quid in dominio? An à subditis possit solita quædam munera exigere, eosque ad consueta onera siue realia, siue personalia obligare? Placent enim nobis hoc loco quidem iurisperitorum illæ voces. Nec semper nos oportet accurata dictione disserere. Quin satiùs est de nominibus parum esse solicitos, esséque interdum faciles, & negligentes: quemadmodum Plato nos & in Theæteto & in Politico admonuit. Verùm hæc obiter. Iam ad illa redeamus. Sed quid opus est plura? An né speciatim definire, quando in iudicijs, in contractibus, in vltimis voluntatibus, ac nonnunquam etiam in delictis committatur iniustitia, vires Theologi non excedit? Cùm casus occurrant innumeri, qui naturæ lege definiri non queunt. Id si ita est, vt est certè, insolentiæ erit maximæ in eiusmodi quæstionibus iuris peritiam contemnere. Iuris autem peritia non aut consultius inuestigari, aut inueniri certiùs potest, quàm in iuris voluminibus. Quæ non aliacunque philosophorum volumina, nec eloquentia, nec prudentia superant. De quinquaginta loquor pandectarum libris. Nam posteriores leges multùm omninò vtraque in re ab illis declinárunt. Quòd si bibliothecas omnium Philosophorum vnus Ciceroni visus est duodecim tabularum libellus, & auctoritas ponderé, & vtilitatis vbertate superare, quid nos credere oportet de illis quinquaginta libris, quibus non leges modo duodecim tabularum, verùm multæ etiam aliæ continentur de hominum conuentionibus, deque iure & æquo prudenter sancteque præscriptæ? Sanctum, in-

quam, volumen est, & iustitiæ templum meritò illud Iustinianus appellauit. Atque cùm è sacra morum philosophia ius esse ortum ciuile constet, vt fontẽ, sic certè & riuulos Theologus colet, ne parum sit in Philosophiam ipsam religiosus. Sanè qui ius ciuile Theologo negligendum putat, is bonam partem moralis philosophię reuellit: cuius subsidium, si quis illi neget de moribus disserenti, stultus esse videatur. Quia ergo sæpè vtitur Theologus subsidio iuris in disputatione Theologica, idcirco istam iuris scientiã Theologiæ tanquam ancillulam pediſſequamque adiunxi. *C. de vet. iur. enu. l. 1.*

CAP. IX.

ETquanquam argumentum, quod à iure ciuili ducitur, nec certum fortasse, nec exploratum est: sed probabilissimum est tamen, cùm omne, tum illud magis, quod à legibus Christianæ Reipublicæ vsu probatis Theologus accipiet. Non enim sine diuino nutu huiusmodi leges Romanis esse datas credendũ est. Quin diuinitus per ora principum promulgatas fuisse, Ioannes 8. prædicat. Et Augustinus, inquit, humana iura per imperatores & rectores seculi Deum humano generi distribuisse. Ac Demosthenes, leges inuentum munusque deorum esse putat. Et Cicero principis legem ad iubendum & vetandum aptã, rationem rectam esse, ait, summi Iouis. Et Solomon, Diuinatio, inquit, in labijs regis, in iudicio non errabit os eius. Ad Dei ergo procurationem pertinuit, vt numine quodam legum Romanarum latores afflarentur, quò ad Reipub. moderationem ea scita præscriberent, quæ essent iusta atq; legitima. Quãobrem si Theologus ex illis argumentum sumat, nihil abhorrebit à profectionis suæ instituto, & si non certò, at probabiliter argumentabitur. Nec enim mihi Ludouicus Viues probari potest, in eo, quòd vniuersam legum Romanarum, & vim nititur frangere, & eleuare auctoritatem. Plus ille nimio interdum sibi indulget, dum corruptas disciplinas persequitur. Nec nouitios solũm errores, qui vel irrepserunt vel inuaserunt *L. nam & ff. de leg. Et l. ius ciuile, ff. de iusti. & iurec Prou. 16.*

coarguere, sed antiquorum recepta placita conuellere pertentat, maximo quidem semper verborum ambitu, sed vi quandoque argumentorum minima. Dixit ille quidem in libris de corruptis disciplinis multa verè, multa præclarè. Atqui fidenter pronunciauit aliquando tanquam è diuorum concilio descendisset. Multò aût viris doctis probaretur magis, si qua diligentia, & disertitudine causas corruptarum artium expressit, eadem collapsas restituisset, sed in tradendis disciplinis elanguit, cùm in carpendis erroribus viguisset. Nec mirum. Nam aliorum errata etiam probabiliter reprehendere, facile est id quidem. Artes verò, quas iam inde à multis annis, viri quidam & indocti & barbari deflexerunt, ad rectam lineam reuocare, scilicet hoc opus, hic labor est. Hucq; erat omninò conandum, si quicquã magna laude dignum agendum erat. Aliud est autem leges ciuiles, præsertim in repub. benè instituta, longo vsu probatas reprehendere, aliud errorem interpretum increpare. Quanquam Ludouicus, quod ad iurisperitos attinet, eadem nobiscum sensit. Ait enim, Ac iuris ciuilis veteres interpretes summo olim in honore fuêre, iure quidem meritò magnisque rationibus. Quoniam ius ciuile, vt à præclaris philosophis grauiter prudenterq; editum fuerat, ita illud etiam non nisi graues prudentesque philosophi interpretabantur. Posteà verò quàm facultas hæc in eorum manu esse cœpit, qui nullâ philosophia, nulla graui disciplina antè instructi ad eam, & ornati accesserant, scientiæ huius splendor omnis deletus est: neque eius professores habentur in precio nisi à vulgo, quod litibus plenum est omne. Quemadmodum aût Aegyptij sacerdotes mirificè colebãtur, quòd multã in mathematicis posuissent operã, Geometria verò Aegyptus tota indigeret, cõfusis per annos singulos agrorum limitibus ab inundante Nilo: sic cùm lites inundatiõe sua orbis Christiani fines persuaserint, miscuerint, cõfuderint, necesse est, eos honore summo affici, qui iurgiorum componendorum dicuntur esse periti. Cõgnãt nec ne, ipsi viderint, hoc nos certè videmus, minus ibi esse litium, vbi minus est huius generis literatorum.

Diodorus in primo.

Nouitios

Nouitios itaque eos iureconsultos, ne ego quidem in vsum theologię vendicare cupio. Nec enim mihi iurecõsultus est leguleius quispiam, cautus & acutus, cautor formularum, auceps syllabarum, iniustitiæ æquè, vt iustitiæ patronus. Sed id doceo, ciuiles leges eas vel maximè, quæ Christiani populi vsu & more obseruatæ diu sunt, theologo ad argumentandum esse vtiles. Sed de his satis. Nunc de historiæ auctoritate dicamus. Nam argumenta quæ posuimus, vt iuris ciuilis auctoritatem eleuaremus, faciliora sunt, quàm quidus refutandis nostra immorari debeat oratio.

Decimi Libri finis.

DE HVMANAE HISTORIAE AVCTORITATE, QVAE POSTREMO LOCO EST POSITA. LIBER VNDECIMVS.

CAPVT I.

SVperiorē locum vix dum finieram, & ecce nuncius affertur, parentem meū clarissimum Viēnę diem extremū obijsse. Eo verò audito nuncio, si motum me negē, quàm id rectè faciam, viderint sapientes; sed certè mentiar. Motus sum enim tali parenti orbatus, qualis, vt arbitror, apud mortales reliquus nullus est. Cùm autem ego illi meas has lucubrationes nuncuparem, scilicet à laboribus, quos eius potissimū causa susceperam, aliquandiu cessatum est. Mihi enim antè ita iucunda huius libri cōfectio erat, vt non modò omnes abstergeret librorū molestias, sed efficeret labores molles etiam & iucundos. At verò posteà nihil omninò erat, quo tædium & cura leuaretur. Etenim viuo patre, cùm de locis theologicis aliquid vellem scribere, ille mihi occurrebat non eo solùm dignus munere; sed in cuius etiam nomine vigiliæ nostrę gratius apparerent. Nunc autem, quē similem inuenturus sum, vt patris loco substituā? Solebam mihi equidem charissimum parentis vultum sistere. Et quotiescunque scribendum erat, aut ego eram cum illo, aut ille mecum. Ille addebat aculeos, ille torpentem excitabat: ille, ne oscitare quidem me sinebat. Tanta erat in absentē etiam patrē reuerentia. At modò opus cœptū persequi cupienti aqua hæret, vt aiūt, nec quicquam conor, vbi non labascat animus victus quàm citò. Longo enim à me ille spacio seiunctus, nō minus mihi dereliquit moriēdo doloris, quā afferebat viuendo lętitię. Sed cùm

cùm accepto vulnere otium mihi magnū inspiratumq; contigerit, nihil autem agere animus nec deberet, nec posset, ad postremum locum omninò appellendus fuit: ne res benè & vtiliter inchoata, eius morte interciperetur, qui etiamnum è superis vigiliariū mearum munus exigit. Nec verò dubitem ego quęrenti, cui scribam, respondere: Patri non scribo, qui me non ipsi hæc tantū modò dare voluit, sed etiam alijs prodere. Quāta igitur apud Theologos sit historiæ humanæ & vtilitas, & auctoritas, explicaturi modò sumus. Orabit autem sine dubio Pater, vt quod iter illo in terris cogente carpsimus, eodem nunc è cælis fauente peragamus.

CAPVT II.

De historiæ humanæ in Theologiam vtilitate.

EMersi iam è vadis, & scopulos prętercuecta est oratio mea. A reb. enim difficillimis ad res faciles delapsus sum, neq; historię humanæ auctoritate explicanda potest, aut ingenium, aut Theologia mea periclitari. Multò verò id minùs, cùm illud explico, quàm sit Theologo humana historia vtilis & necessaria. Nullos quippè hic aduersarios habemus, nulla contra veritatē argumēta sunt. Etenim viri omnes docti consentiūt, rudes omninò Theologos illos esse, in quorū lucubrationib. historia muta est. Mihi quidē non Theologi solùm, sed nulli satis eruditi videntur; quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim nobis è thesauris suis historia suppeditat, quib. si careamus, & in Theologia, & in quacunq; fermè alia facultate inopes sæpenumerò & indocti reperiemur. Cùm verò pateat, quandoque in re quādam gesta Theologicæ disputationis cardinē verti, quis est hic, qui neget, interdū etiam in scholastica disputatione opus esse ex annalium monumētis, testes excitare clarissimos veritatis? Equidem historiam esse Theologo differenti necessariā, cùm sæpè alias, tum maximè in hoc opere animaduerti: vbi quātus mihi fuerit historiæ humanæ vsus, qui superiores libros attigerint, ij facilè iudicabūt. Nam quàm magnus posthea futurus sit, nō audeo ego in pręsentia dicere, ne mōtes aureos videar polliceri.

geri. Certè quantum historiæ cognitione Theologus indigeat, vel illa abundè magno argumento sunt, quæ ius ignoratione sunt in varios errores lapsi. Huius generis quidam exemplum ponunt, quod Traianum Gregorij precibus à gehenna liberatum, non vulgo solùm, sed Diuo etiam Thomæ olim iuueni persuasum est. Persuasum est autē Ioannis Damasceni auctoritate, cui D. sanè Thomas plurimum deferebat. Sed illius fabellæ inquiunt, argumento nemo adduceretur, si ex temporum ratione intelligeret, Ioannem Damascenum rei eius auctorem esse non posse, vt qui plus vno seculo iuxta horum sententiam Gregorium antecesserit. Nam Raphel Volaterranus, Vincētius Valuasensis, ac Diuus Antoninus illum tradunt sub Theodosio floruisse. Sed hoc exēplum ineptū est, cùm Ioannes ille Damascenus, qui quatuor de orthodoxa fide libros edidit, sub Constantino & Leone floruerit, hoc est, Diuo Gregorio iam defuncto. Nec in re aperta opus est aut Ioannem patriarcham Hierosolymitanum, aut rerum scriptorem Romanorū lib. 21. & 22. aut alios etiam historicos excitare, vbi Ioannes ipse Damascenus nō obscurè indicat, quo tempore extiterit. Primùm enim Cyrillum sæpè refert, qui post Theodosium fuit. Synodi quoq; Chalcedon. aliquando meminit. Qui lib. 3. c. 10. Petri cuiusdam Gnaphæi fecit mētionem, qui sub Iustiniano in quinta synodo damnatus est. Sed & lib. 4. cap. 17. contra Iconomachos scribit, eosdemque in libro hæres. Iconoclastas & Thymolcontes appellat, à Leone scilicet, qui sectæ illius præcipuus & auctor & adiutor fuit. Eodem prætereà hæres. lib. Monothelethas commemorat Cyrum, Sergium, & Eustathium, qui damnati sunt in sexta synodo sub Agathone papa: aduersum quos copiosè etiam scripsit libro. 3. de orthod. fid. cap. 14. & 15. Quæ omnia qui expendat, is facilè intelligat Ioannem Damascenum post Gregoriū extitisse. Nam quod Tritemius ait, duos fuisse huius nominis, alterum sub Theodosio, qui libros illos Theologiæ composuerint, alterum sub Leone, qui pro imaginibus depugnarit, id commentitium totum est, vt ex locis modò excitatis apparuit. Nec verò historiam ego iam

iam probo. Mirum enim est, hominem Græcum rem & nostram, & toto, vt ipse inquit, orbem vulgatam, Græcis suis prodidisse, quam historia tamen omnis Latinorum ignorat. Sint ergo fabulæ, non repugno, ea quæ de Traiano & Gregorio referuntur. At non ob illam causam tamē, quia prior Gregorio Damascenus fuerit. Verùm hoc in genere Hispanus noster Genesius Sepulueda nuper errauit, homo neque meo iudicio imperitus, & suo valdè doctus, certè & eloquēdi arte clarus, & à Theologiæ studio non abhorrens. Qui cùm persuadere vellet, barbaris noui orbis oppugnandi iustam esse belli causam, in eam argumentationem iudicabit: quòd Gregorius in epistola lib. primi septuagesima tertia, id quod refertur 23. p. 4. Si non, Gennadium commendat, qui tantum Christianæ dilatandæ causa Reipu. bella susceperit, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circunquaque discurreret. Hoc verò Gregorij testimonium quàm sit ineptum ad rem propositam cōprobandam, is quoque ipse Genesius facilè iudicasset; si ex historijs didicisset, eos, aduersum quos bella Gennadius gessit, hostes non imperij Romani modò, verumetiam ecclesiæ Christiq; fuisse. Id quod ex alia quadam ad eundem Gennadium epistola, quæ est in eodem lib. numero 72. luce clarius videre licet. Nec dubitari potest Vandalos, quorum reliquiæ eousque in Aphricana prouincia supererant, Arriana peste affectos: nec ignoratur Donatistas, quibus Aphrica tum etiam plena erat, præmijs & vi contra Catholicos, nō solùm disputatione pugnasse. Sed de his exemplis non est hic locus disserendi, vbi breuiter & in transcursu Theologum admonemus, vt ne historiam ecclesiasticā negligat, cuius & cognitio magnos fructus parit, & ignoratio parit errores. Iam verò Augustinus lib. de doctri. Christ. 2. cap. 28. ethnicorum etiam historias ad intelligentiam scripturæ sacræ plurimum conferre tradit, ostenditq; ex earum ignoratione quosdā circa scripturas errasse. Videlicet Irenæus & Trullianus circa ætatē qua Christus passus est, vario sunt quidē errore versati, sed ob eandem causam tamen. Historias enim humanas hoc loco neglexerunt, quibus

13. q. 4. Si-cut.

Prosper in Chro.

Iren. 2. lib. c. 39. & 40.

Tertulli. in opere

aduersus Iudæos. *Vide Euse. li. 1. eccl. hist. c. 10. Epiph. hæresi 51. August. lib. de doctr. christ. 2. c. 28. Iren in 40. anno Christũ passum esse dixit. Tertulli. in 30. seruius Cle. Alex. 1. Strom. & Lactãt. insti. diuin li. 4. *Mat. 17. * In anno. super Mat. c. 27. & super acta Apost. c. 17*

cognitis ea res facillimè expeditur. Quanquam vterque errores sui ex euangelio quoq; poterat admoneri. Atqui Erasmus, * quas tenebras super vniuersam terrã factas planè scribit Euãgelista, * eas ipse super Iudæam tantùm fusas intelligit, falsæq; intelligentiæ causam ponit neque verã, neq; si vera esset, satis idoneam, quod si hæ tenebræ tanto spacio contigissent per vniuersum orbem, aliquis certè seu Latinus seu Græcus scriptor eius rei meminisset. Nam epistolam, qua Dionysius astruit eclypsim illã se diligenter & vidisse oculis, & animo cõsideraſse, quasi nomine Dionysij cõfictam deridendã propinat. At verò nec quam Philosophiæ & doctrinæ laudem Dionysio Ariopagitæ eripere conatur Erasmus, eã ego in hoc opere asserere instituo, nec id etiam reprehendo, quod D. Hieronymum eius interpretationis auctorem facit, cui non alius quisquam scripturæ interpres apertiùs cõtradicit. Illud ago, nisi humanas historias hic ignoraret Erasmus, tenebras profectò illas aliter, ac verè quidẽ, interpretaturũ. Phegon enim Olympiadarũ egregius supputator, in quatuor decimo libro ita scribit, Quarto autem anno 202. olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit. Quem annum cũ passione Dominica concurrisse Euseb. in chronicis patefecit. Lucianus quoque presbyter Antiochenus, vir moribus & eruditione præcipuus, cum gentibus de fide Christiana disputãs, Requirite, inquit, in annalibus vestris, & inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptũ tenebris diem. Auctor est Eusebius libro 9. eccl. hist. c. 6. Tertullianus demum, Eodem, inquit, momento dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquiũ vtiq; putauerunt, qui id super Christum prædicatum non scierunt: & tamen eum mundi casum relatũ in archiuis vestris habetis. Hactenus illa in Apoca. c. 21. Quibus ex rebus facilè intelligitur, sacris literis exponẽdis historias etiam gentilium esse necessarias. Quæ quãquã ita sunt in promptu, vt res disputatione non egeat, sunt

sunt tamen nobis in tertio decimo libro fusiùs explicãda. Cùm igitur ibi hæc simus exemplis manifestissimis illustraturi, nõ est cur quæ eius libri propria doctrina erit, hoc nos eam loco opportunè anteuertamus. Atque vt Geometræ solent non omnia argumentis ostendere, sed postulare, vt quædam sibi concedantur, quò faciliùs quæ velint, explicent: sic ego interim à lectore postulo, vt mihi concedat esse in libris sacris loca plurima, quæ sine historiæ humanæ cognitione expediri non queunt. Quod autem in disputatione aduersum fidei Christianæ inimicos, rerum gestarum monumenta Theologo peropportuna sint, clarissimorum virorum vsus apertè confirmat. Tertullianus ex ipsis Romanorum historijs argumentatur, pessimos quosq; sæuos Christianis crudelesq; fuisse. Bonum itaque esse, id quod mali homines insectarẽtur, In libro verò ad Scapulam, quot rerum gestarum exemplis vsus est, vt persuaderet ob vexatos Christianos, multos gentilium præsides tristes exitus habuisse? Quamobrem qui cum nostris pugnauissent, eos cum Deo quoque sine dubio certasse. Cyprianus idolorum omnium vanitatem, qua historiarum scientia & commemoratione coarguit? Hieronymus quot quamq; varias aduersum Iouinianum historias in commendationem virginitatis castitatisq; commemorat? Lucianus presbyter, quemadmodum suprà diximus, ipsos gentium annales excitat, vt nostræ etiam fidei dogmata illorum testimonijs asserat. Eusebius Iudæos & Paganos sæpè ex historijs humanis refutat. Non ergo historia solùm ecclesiastica, sed ea etiam, quæ est ab ethnicis auctoribus scripta, theologo contra aduersarios fidei vtilissima est. Quapropter rudem esse omninò in historijs gentilium aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidij delicatissimi. Enimuerò quod commodè ac prudenter, non in concionibus dico, sed etiam in disputationibus Theologus exempla proferat, dum quidpiam vel iustum esse suadet vel iniustum, quoniam à viris, aut probis, aut improbis vsurpatum esse Tertullianus, Hieronymus, alijque viri grauissimi satis ostẽdunt, qui nõ rarò huiuscemodi persuasionis genere delectantur. At exempla probabilia sine historiæ cognitione

In apologetico.

In libro quod idola nõ sint dij. 1. li. aduers. Iouinianũ. 1. li. eccles. hist. c. 6. & 11. lib. 2. ca. 2 li. 3. c. 7.

In apolog. 1. aduers. Iouinia. libro

tione proferri qui possunt? Quàm latè igitur historię vtilitas fusa sit, apparet: siquidem quacunque Theologi ingredimur siue concionando, siue disputando, seu sacras literas exponendo, in aliquam historiam vestigium ponimus. Itaque cum ad has multas res Theologo perutiles sint historiarum libri, studios è profectò ab eo legẽdi sunt, ne turpiter in rebus ad se maximè pertinentibus erret, eaque ignoret, quę ignorari non sine imprudentia modò, sed ne sine imperitia quidem possunt. Historia quippè, vt Cicero verissimè dixit, cùm magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis. De historiæ ergo vtilitate hactenus dictum est, nunc de auctoritate videamus.

CAPVT III.

Argumenta continet, quibus auctoritas humanæ historiæ impugnatur.

QVanquam, vt paulò antè dicebamus, è locis scopulosis enauigauit oratio, nec ea, quæ in huius loci explicatione disserẽda sunt, ingenij vim aciemque desiderant, egent tamen quædam horum grauimaturoque iudicio. Qua ex re fit, id quod vix credibile est, vt in loco facili & explicato perdifficiles & lubricæ quæstiones existant. In primis enim constituendum est, qualis quantaque sit historiæ humanæ auctoritas, & quam faciat in Theologia fidem: quod non adeò expeditum est. Deinde quis auctor probabilis ac fide dignus existimari debeat: quæ res est omnium difficillima. Cùm enim non ex sermone hominum recenti, sed ex maiorum memoria atque annalium vetustate, eruenda sæpè sit veritatis explicatio eius, quæ in Theologica disputatione versatur, oportebit sanè de historia præsertim veteri iudicare, historicos omnes internoscere, mendaceſq; à veracibus secernere. Quam facultatem quoniam mihi nec arrogo, nec debeo, fateor, me non sine metu ac pudore quodam hanc prouinciam suscepisse munere necessitatis, non voluntatis opere perfunctus. Non quòd mihi in tanto officio, tamq; graui causa cura defuerit, sed quòd video periculosum esse eo vel maximè loco iudicem velle fieri, vbi

vbi vir ille nimirum exigitur, qui & antiquitatis memoriam in numerato habeat, & prudentia summa grauissimoque iudicio sit præditus. Sed quò citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa, aut ignoratiõis meę, aut temeritatis, aut vtriusque etiam deprecatione, ad earum rerum, quas proposuimus, explicationem disputationemq; veniamus.

Principiò itaq; historiæ humanæ auctoritatem argumentis oppositis impugnabimus. Mox docebimus ex eiusmodi historia qualia in Theologiæ vsum argumenta ducantur. Tertio loco ostendemus, quinam illi auctores sint, quos in historia Theologi probare debeant. Postremò, argumenta opposita refutando finem huius libri faciemus.

Primum ergo argumentum, quo historiæ humanæ fides labefactari potest, ex huiusmodi. Ioseph secundum naturam filium fuisse Iacob, secundum legem fuisse filium Eli: Africanus in epistola ad Aristidem, Iustinus martyr quæstione ad Orthodoxos 66. Eusebius libro 1. Ecclesiast. histor. cap. 7. Nicephorus lib. item primo cap. 11. Ambrosius libr. in Lucam 3. Hieronymus in primum Matthæ. cap. Augustin. lib. 2. de con. euang. cap. 3. & 2. retract. lib. cap. 5. & 16. Damascenus libr. 4. cap. 15. Beda lib. 1. in Lucam cap. 10. Theophylactus in Lucæ tertium caput, omnesque ferè patres scripserunt. Neque illis subitò reperta hæc, aut sine auctoribus conficta sunt, sed ab ipsis Saluatoris nostri propinquis & consanguineis tradita, quemadmodum Africanus affirmat. Hęc verò multis argumentis commentitia esse probat libro primo harmoniæ euangelicæ Osiander, atque, vt sibi quidem videtur, ita probat, vt non modò Diuo Thomæ, cæterisque Theologis quasi portenta somniantibus insultet, verùm etiam eos insanos appellet, qui hæc primi in lucem ediderunt. *Mat. 1.* *Luc. 3.*

Secundum argumentum est, quòd Ioseph virum Mariæ alteram prius vxorem habuisse, ex qua filios suscepit, qui fratres domini in Euangelio dicuntur. Eusebius lib. 2. Ecclesiast. histor. cap. 1. Nicephorus lib. 2. cap. 3. vbi etiam refert Hippolytum eiusdem sententiæ, auctorem,

Ambro-

Ambrosius in lib. de instit. virgi. cap. 6. Epiphanius lib. 2. con. hære. ca. 51. & 78. Hilarius can. 1. in Matthæ. apertè consentiũt. At historiam hanc Hieronymus in Matthæi duodecimum caput tanquam apocryphorum deliramẽta contemnit: quinetiam aduersus Heluidium asserit, audaci eam temeritate confictam.

In Mat 14. Tertium argumentum, Hieronymus scribit veterem historiam narrare, quòd Herodias, cuius Matthæus meminit, filia fuerit Arethæ regis: idem quoque astruit Beda libro com. in Marcum secundo. Eusebiusque Ruffino interprete, libro eccle. hist. 1. ca. 23. At illud esse falsum & Iosephus lib. 18. anti. ca. 5. & Egesippus lib. 2. de exci. Hier. cap. 12. testes locupletissimi sunt. Quibus etiam assentitur Nicephorus lib. 1. cap. 20. Nihil igitur ex rerum veterum publica commemoratione, non certò dicam, sed ne probabiliter quidem suadere possumus. Nam si historias, quæ in his tribus argumentis referuntur, explodere & pro nihilo putare licet: nulla profectò humana historia reperietur, quæ quicquam habeat ad faciendam fidẽ virium.

Quartum argumentum. Magos, qui Christum adoraturi ex Oriente venerunt, reges fuisse nedum philosophos, tradunt, Cyprianus in sermone de baptismo Christi & manifesta Trinita. Athanasius quæstio. 2 ad regem Antiochum, Hieronymus in Psalm. 71. Augustinus sermone 43. ad fratres in eremo, & de mirabilibus sacræ scripturæ, si tamen hæc opera Augusti. sunt, Chrysostomus hom. 6. in Matthæ. Tertullianus contra Iudæos. Doctor quidam antiquus nomine Christianus in ca. Matthæ. 2. Isidorus in præfatione missę, quæ vulgò dicitur Mocarabe. D. Thom. in Matthæ. cap. 2. & in Ioannis 11. c, nam & 3. p. quæst. 36. art. 3. ait, non solùm fuisse sapientes, sed potentes. Eiusdem sententiæ fuerunt Albertus Magnus, Diuus Vincentius, Nicolaus Liranus, Dionysius Carthusi. Simon de Cassia, Doctor incognitus in psalm. 71. Titelmannus, Ioannes Eccius, Diuus Antonius, alijque exiu nioribus, quos longum est enumerare. Ac certè historia esse videtur per manus à maioribus nostris accepta. Sed hæc tamen communis traditio nullam prorsus in ecclesia facit fidem. Quin probabilissimè à Baptista Mantuano, alijsque recentioribus asseritur, Magos reges non fuisse. Non enim id silentio prætermissurum Euangelistam quod ad rem magnopere pertinebat, nec Herodem, si reges essent, eos adeò imperiosè & inciuiliter exceptorum.

Quintum, Magos venisse Hierosolymam diebus à Christi natiuitate tredecim, non Hieronymus modò & Augustinus, verùm etiam omnes propè auctores, & veteres & recentes memoriæ prodiderunt. At Epiphanius *Idẽ Zacha-* hæresi 51. constanter affirmat post duos annos à nato *rias Chryso* Christo Magos ex Oriente aduenisse. Cuius opinionis *stomus* duæ causæ sunt non omninò pessimæ. Vna, quod in die *Leui. 12.* Purificationis non agnum, sed turturum aut columbæ pullum Christi mater obtulit: non ergo potuit inuenire manus eius pretium agni, atque adeò ne thesaurum quidem à Magis acceperat. Altera causa est, quod Herodes occidit omnes pueros à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Non est autem verosimile, Herodem bimos pueros interfecturum iuxta tempus stellæ, cuius apparitionem diligenter à Magis exquisierat, si ab ortu stellę ad Magorum aduentum non nisi tredecim dies interfluxissent. His adde, quod ipsi quoque testati sunt, se stellam in Oriente vidisse. Quæ profectò verba plus aliquid significant, quàm regionem, vnde profecti sunt comparatione tantùm ad Hierosolyma Orientalem fuisse. Si igitur, vt planè scribit Euangelista, ab Oriente venerunt, cùm non sit obscurum, Hierosolyma longissimo interuallo ab Oriente distare, intra tam paucos dies & stellam vidisse, & consilium de profectione communicasse, & adornasse iter ab Orientis partibus, per tot regiones ac populos ad Palæstinam accessisse, prorsus abhorret ab humanæ iudicio rationis.

Sextum, Miraculũ nuptiarum in die anniuersaria Epiphaniæ fuisse editum, posteritati suæ, quod ait Maximus, fidelis mandauit antiquitas. At Epiphanius cõtra docet, *Hære. 51.* eodem die, quo Christus natus est, completo iã anno tri- gesimo filium cum matre conuiuio nuptiali interfuisse.

Nihil

Nihil igitur certum ex temporum publica commemoratione accipere possumus.

Aduer. Heluidi. & in Matt. 14. c. Idē Beda li. 2. con. in Marcum.

Septimum, Lex vera historiæ est, vt Hieronymus sæpè dixit, ea scribere, quę vulgus existimat, quãuis re ipsa falsa sint. Sic enim Ioseph ab ipsa quoq; Maria appellabatur pater Iesu, & Herodē euangelista contristatū esse ait, non quòd re vera, aut Ioseph pater Christi esset, aut Herodes esset animo contristatus: sed quod illud eo tempore sic vulgò ab hominibus putaretur, hoc autem discumbentes existimarent: cum potius illud credendum sit, dissimulasse mentis suæ malitiam artificem homicidam, cũ tristitiã in facie, & lætitiam haberet in mente. Ob quã causam vulpes est à Domino appellatus. Vnde & Iosephus 18. anti. libr. cap. 7. asserit, ab Herode Ioannem esse occisum, quia timebat ne auctore Ioanne defectionem populus moliretur. Ambiguum igitur omne argumentum est, quod ex historia petitur. Nam vulgi fermè opinio falsa est: & poterit omnis eiusmodi argumẽtatio refelli, quòd historicus non veritatem rerum, sed vulgi opinionem expresserit.

Euſ. l. 1. Ec. hiſt. cap. 11.

Octauum, Augustinus sermone 71. de immolatione Isaac, Antiquorum, ait, relatione refertur, quòd Adã primus homo in ipso loco, vbi crux fixa est, fuerit sepultus. Et Cyprianus in sermone de resurrectione Christi, Adã, inquit, sub loco, quo crux Domini fixa est, humat⁹ traditur ab antiquis. Atque Paula & Eustochiũ in epistola ad Marcellam, eandem historiam tanquam habitantiũ ore celebratam narrant. Ita eã refert quasi minimè dubiam Epiphanius lib. 2. cont. hæres. ca vltimo. At Hieronymus in Matthæ. 27. caput, & in 5. caput epistol. ad Ephes. quasi fabulam irridet, quod Iosue 14. cap. Adam in Cariath Arbe dicatur esse conditus. Opinionem verò Hieronymi Isidorus sequutus est.

Cle. in 1. Siro. Euſe. in Chroni. Theodoret. in primum

Nonum, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariẽ. Theodoretus, Hieronymus & Augusti. ex annalium ratione colligunt, septuaginta desolationis annos in secũdo Darij Histaspis fuisse completos. At hoc non modò fal-

Zacha. c. Hier. in proœmio super Aggæum, & in 1. Zachariæ cap. Auguſt. lib. 18. de ciuitate Dei, ca. 26. Dani. 9. & 2. Paral. 26. & 1. Eſdr. 1. in 7. Dan. cap.

sum & commentitium est, sed sacris etiam literis aduersum, quæ non implicitè & absconditè, sed patentius, & expeditius continent, septuaginta illos annos statim ab initio regni Cyri absolutos. Nullum ergo idoneum argumentum ex temporum ratione promitur.

Decimum, Hieronymus auctor grauissimus historię prodit, quòd in secundo Darij anno templum ædificari cœptum est: At verò exploratè perceptum est & cognitum, Zorobabelem sub Cyro templi fundamenta iecisse. Imbecillum ergo est quodcunque argumentum ex historia humana depromptum, quamlibet historię auctor grauis sit. *1. Eſd. 3.*

Vndecimum, Plerique historici & ij nobiles tradiderunt, Artaxerxem ædificationem templi impedijsse. At contrà scriptura tradit, templum ædificatum esse pręcipiente Cyro, Dario, & Artaxerxe. *Ioſeph. lib. 1. c 3. Archi. 1. p. ii. 4. c. 1. Hermanus in Chronicis 1. Eſd. 6.*

Duodecimum, Iosue post mortem Moysis 26. annos imperasse, auctores sunt Iosephus lib. 5. ant. ca. 1. Sabellicus Aeneas. 1. lib. 4. Nauclerus Chronographiæ suæ generatione 28. Nam Eusebius in chronicis, atq; huncsecuti Isidorus, Seuerus, Sulpicius, & Ioannes Carion, 27. annos Iosue imperio tribuerunt. Quæ si vera essent, nõ esset vera summa 480. annorum, quæ ab exitu filiorum Israel de Aegypto ad templi ædificationem 3. Reg. lib. c. 6. colligitur.

Tertium decimũ, Si qua historia Theologo probãda est, ea erit maximè, quæ omnium ecclesiarum ore celebratur. At eiusmodi multæ nullam faciunt prorsus in Theologia fidē. Etenim, vt ea prætereamus, quæ ridiculè & falsè de Cirico & Iulita, de Gregorio, de Catherina martyre, deq; vndecim mille virginibus referuntur, certè historia Thomę Apostoli apocrypha & commentitia est, nõ solùm Gelasio 15. dist. c. Sancta Romana, sed etiã Augustino lib. 22. con. Faust. c. 79. & lib. vnico aduer. Adimantum cap. 17. & li. 1. de ser. do. in mon. ca. 38. His adde Marthæ & Mariæ Magdalenæ fabulam, quæ narrat ad Mariam quidem Magdalum, ad Martham verò Bethaniã sorte hæreditaria peruenisse: cũ contrà scribat Ioannes Bethaniam Castellum Mariæ Marthæq; fuisse. *Ioan. 11.*

Quartum decimum, ea historia reliquas videtur excellere, quę à summis pōtificibus probata est. Cōstantini verò donatio, lepra, baptismus, sanitas, nō modò historijs celebrantur ecclesiæ: verùm etiam per summos pōtifices approbantur. At hęc fícta esse omnia multi viri doctissimi conrēderunt. Nulla igitur ecclesiastica historia Theologo idonea argumenta ministrat.

In extra. vnigenitus de pœ. & remi. quæ est Clemē. 6. & in cap. fundamenta. de ele. in 6.

Quintum decimū, Nemo in ecclesiasticis viris est, qui historiæ probabilis auctor haberi queat. Non Philo in temporium breuiario. Nam in eo libello, quāuis exiguo tot mendacia sunt, vt sint numeratu difficillima. Nō Iosephus. Primùm, quia multa tradit sacris literis vehemēter repugnantia. Deinde, quia tertium Esdrę librum in historia sequitur, quē Hieronymus nō aliter, quàm somnia reijcit. Postremò, quia in temporibus rerum notandis variofuit errore versatus. Ecquis ergo in ecclesia auctor historiæ certus habebitur? An Aphricanus? Sed huius historia Gelasio apocrypha est. An Eusebius? Sed huius quoq; historiam tanquam apocrypham, idem Gelasius reprobat. Sed in historia tripartita Sozomenus princeps habetur. At hunc dānat Gregorius, inquiēs, In historia Sozomeni de quodā Eudoxio aliqua narrantur. Sed ipsam historiam sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum nimium laudat, atq; vsq; ad vltimum sui diē magnum ecclesiæ doctorem fuisse prędicat. Si igitur hi, qui primas in historia ecclesiastica partes habent, incerti ac mendaces auctores sunt, nimirum neq; ex his, neq; ex alijs, quorum minor est auctoritas, idoneum sumet Theologus argumentum ad suas conclusiones corroborandas.

15. distin. Sancta Romana. li. 6. epist. 31.

Sextum decimum, Innocentius 29. dist. c. De quibus folas ecclesiasticas historias in causis ecclesiæ finiendis approbauit. Ethnicorum ergo de rebus gestis monimēta parum in Theologiæ vsum valere possunt. Id quod concilium Florentinum sessione septima confirmat in hæc verba, Romanorum aut Græcorum historia nequaquam in synodo vti debemus.

Decimum septimū, In Assyriorum monarchia Berosus commendari supra cæteros solet. At huius auctoris nulla

nulla extat historia. Nam quæ Berosi nomine est ab Annio edita, eam fictam esse viri eruditi deprehenderunt. In Persarum verò rebus gestis commemorandis præfertur Metasthenes, qui veros & publicos Persarum annales, vt fertur, secutus est. At huius etiam monimenta multò falsiore titulo Annius edidit. Metasthenes siquidem iste Annianus, octo solùm Persarum reges fuisse tradit, cùm tamen fuerint quatuordecim, quos ordine & Hieronymus in septimum Danielis caput, & Eusebius censet in chronicis. Iam Grecarum rerum historia quid nisi fabulas continet: quas illi passim pro veris historijs edūt? Cicero quippè auctor est grauis, quòd testimoniorum religionem Græca natio non coluit. Scipio item apud Liuium non aliter historias Græcas ac fabulas refert. Verè quoque dixit Fabius, Græcis historijs plerunque poëticæ similem esse licentiam. Vt iure illud ex Satyra vulgi etiā sermone teratur. Et quicquid Græcia mēdax audet in historia. Atq; Iosephus in proœmio lib. de bello Iudai. veritatē à Græcis in historia negligi testis est. Id quod in 1. cont. App. libr. cō firmat. Sed & è nostris Hieronymus cùm Græcas historias oppugnasset, Non debemus, inquit, eorum auctoritati acquiescere, quorum mendacia detestamur. Sanè, vt taceam de reliquis, Herodotus, & Xenophon, quos historiæ parentes Græci habent, confictis ferè narrationibus abuntur. Quid in imperio Romanorum? An vlli extant annales publici, quibus credere debeamus? Minimè gentium. Sed quilque pro affectu suo res illorum gestas scripsit. Laudationibus porrò, quod Tullius ait, * historia rerum Romanarum est facta mendosior. Quædam autem in Liuio esse, quædam in Sallustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo, quorum fides manifestis testimonijs labefactari possit, Flauius Vopiscus * verissimè dixit. Nihil ergo fidei ethnicorum historijs habendum est, vtpotè, quæ nullam habeant non modò certam, sed ne probabilem quidem auctoritatem.

*In orati. pro Lucio Flacco. de cap. 3. 8. li. Li. 2. ora. insti. ca. 4. Iuuena. Iatyr. 10. In 27. c. Eze. Vide Iosef. lib. 1. cont. Appionē, Cic. lib. de legibus 1. Apud Herod. inquit, historiæ patrē & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ. *De clar. orat. *In vitam Aureliani.*

Postremum argumentū historias omneis generaliter & ecclesiasticas & profanas impugnat. Illud est huius-

modi. Fidem humanam idcirco Aristoteles virtutum intellectualium numero exemit, quòd iuxta ad falsum & verum inclinat. Theologia ergo, quæ tota veritate perpenditur, non accipiet ab humana fide adiutorium, nec verax cum fallaci ad argumentandum consociationem contrahet: quoniam tale argumentum ex ea parte, qua humanæ fidei innititur, æquè falsitati ac veritati innitetur. Confirmat autem hoc, vel maximè, quòd homines mendaces sunt, fallereq; & falli omnes ad vnũ possunt. Siue igitur pauci, seu plures historici quicquam affirment, imbecilla ea omnis argumentatio erit, quæ in testimonia hominum inclinata recumbit. Quocirca argumentum quodcunq; ex humana historia petitũ imbecillius est, quàm vt in Theologia vllã omninò faciat fidem. His argumentis loci huius auctoritas impugnatur. Nam si quæ sunt alia, erunt autem fortasse plura, similia sunt: atque adeò similiter refellentur.

CAPVT IIII.

Quòd auctoritas humanæ historiæ aliquando probabilis, quandoque etiam certa sit.

SEquitur, vt explanemus, qualis quantaq; sit humanę historiæ apud Theologos auctoritas: nã hoc secundo loco nos acturos pollicebamur. Quod quò magis intelligi possit, illud principiò ponendum est, Necessarium esse homines hominibus credere, nisi vita pecudum more degenda sit. Eam rem quoniam Theodoretus in opere de cura Græc. affect. lib. primo, Augustinus item in libro de vtilit. cred. ad Honorat. cap. 12. & de fide rerum inuisibilium cap. primo & secundo diligẽtissimè persecuti sunt, non erit nobis hîc magnoperè laborandum. Atque Augustinus quidem planè asserit, nõ amicitiam modò, verùm omnem omninò humanam societatem interire, nisi amicus amico, maritus vxori, parentibus filij, fratres fratribus, ciuibus ciues, socijs socij fidem habeant. Multa ille affert, quibus ostendat, necessitudinem & pietatem duo generis humani sanctissima vincula violari atque dissolui, nihilque prorsus in hominum consociatione incolume remanere, si nihil credere

credere statuerimus, quod non idem possumus quasi manu tangere ac tenere perceptum. Humanæ itaque vitæ necessarium esse, hominum dictis homines sine vlla etiam dubitatione credere. Theodoretus verò fidem esse ceu primariam artium basim disciplinarumq; omnium crepidinem probat etiã manifestè. Nec enim, vt cætera taceamus, pueri elementarij vllam omninò possunt disciplinæ puerilis facultatẽ adipisci, nisi & nomina literarum & syllabarum nexus fide à præceptoribus acceperint. Vt illud Isaiæ in omni etiam & arte & ætate verissimum comprobetur, Nisi credideritis, non intelligetis. Præclarum est igitur Aristotelis illud, in omni facultate atque doctrina oportere addiscentes credere, experimẽtis quippè quotidianis, hoc nos nullo admonente discimus, quod cognitionem ac rerum intelligentiam præcedit fides, subsequitur autem fidẽ scientia quæcunq; veri. Qua ex re fit, vt naturæ auctor in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impresserit: siquidem non minus fides necessaria est hominis & vitæ & disciplinæ, quàm aut igni locus supremus, aut terræ imus, vt benè habeant, necessarius est. His aũt propensiones quasdam & quasi appetitiões natura indidit ad fines & perfectiones necessarias. Quãobrem, qui humanam fidem ex hominum animis euellere conantur, ij non solùm stulti sunt, sed gigãtum more cum dijs bellant, hoc est, cum natura pugnant. An verò quicquam tam puerile & stultum dici potest, quàm si ea, quæ viderunt alij, negemus esse, quia ipsi non videmus? Credere igitur necesse, nisi pueris stultiores esse volumus. Quibus positis sit prima conclusio.

Isa. 7. iuxta 70. interp.

1. Elenchi

Præter auctores sacros nullus historicus certo esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in Theologia fidem. Hæc, quoniam cuiq; per se est obuia & manifesta, nõ est nostris argumentationibus cõprobanda. Flauius porrò Vopiscus verè falsèq; dixit, neminẽ historicorum non aliquid esse mentitum: vnde fidenter se historiam aggredi habiturus mendaciorum comites.

Secunda cõclusio. Historici graues ac fide digni, quales nonnulli sine dubio, & in ecclesiasticis & in secularibus fuẽ-

bus fuêre, probabile argumentũ Theologo suppeditãt, cùm ad ea, quæ sua sunt corroboranda, tũ ad falsas aduersariorum opiniones refellendas. Quæ cõclusio satis per se etiã videtur exposita. Nec enim est hominis benè instituti, & ad vitã humanam rectè cõpositi, viro graui rem credibilẽ asserenti nõ credere. Rem credibilẽ dixi, quoniã quędam à Plinio, alijsq; historicis vel grauissimis referuntur, quæ cùm vix credibilia sint, si ea fuisse negemus, non ideo historiæ auctoritatem labefacimus. Vterq; igitur & qui citò credit, & qui ad credendũ animium est tardus, iure reprehẽditur. Multò verò hic magis si cum pluribus historicis probatis grauibusq; dissenserit. Si nanq; in duorũ ore, vel triũ stat omne verbum, cur aduersus hanc legẽ plurimis testibus rem tandem olim gestã cõtestantibus fidem Theologus abrogabit? Præsertim cùm testimonia ex vetustate desumpta hoc potentiora ad probandum sint, ꝙ ea sola, vt Fabius ait, criminibus odij gratiæq; vacant. Nimirũ Innocentius auctor est grauis, in humanis historijs nonnihil probabilitatis inesse, cùm lege edita præcepit, vt in causis ecclesiæ finiendis illarum auctoritate, quãuis cætera argumenta deessent, ecclesiastici iudices vterentur. Sed plerumque nostra hac ætate peruersè, ne dicã impudenter, res, quas esse gestas grauissimi auctores testati sunt, in dubiũ vocant. Qui si idoneas causas probabilesq; redderẽt, audiendi fortasse essent. Cùm verò reddant nullas, contẽnendi sunt, vt qui cõmunem hominum sensum exuerint, iudiciorum humanorũ potissima instrumenta, hoc est, testimonia reiecerint, vitæ magistram, prudẽtię subsidium, lucem veritatis historiam neglexerint.

Baruch li. 3. c. 128. 29. dist. ca. De quibus.

Tertia cõclusio. Si oẽs probati ac graues historici in eandem rẽ gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentũ promitur, vt Theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur. Exempla sunt eiusmodi multa, sed pauca subijciam. Petrum Romæ & collocasse sedem, & pro Christo martyrij gloria coronatum esse, oẽs graues historię tradunt: vnde nos certa in quinto libro argumẽtatione cõfecimus, Romanum episcopum Petro in pontificatu succedere. Item, concilium Nicæ-

Nicænum tempore Constantini, à Siluestro verò ecclesiæ põtifice esse coactum, historici quiq; grauissimi prodidere. Ea nos è re colligimus concilij Niceni definitiones certas esse. Quòd certum sit, synodum ecclesię generalẽ Romano Pontifice cõprobatam errare non posse: certum quoq;, Niceną eiusmodi esse, cui nec vniuersitas pastorũ ecclesię defuerit, nec Romani episcopi cõprobatio. Plurima sunt eiusmodi, quę cõmuni historicorum consensione traduntur. Hæc nõ modò negare, sed in his etiam addubitare, stultissimum est. Quid enim stultiùs esse potest, vt eundem locum diutius vrgeam, quàm si ea genera belluarũ, quæ in rubro mari Indiáue gignuntur, nulla esse dicamus; quia nũquàm vidimus? Omnia tollamus ergo, si ita placet, quæ aut historia nobis, aut testes graues & probati adferunt. Ita, fit vt mediterranei mare esse nõ credãt, nec in insula nati, in quã, lepusculos vulpeculasq; solũ viderint, credant Leones & pantheras esse: si verò de elephanto quis dicat, etiam rideri se putẽt. Historiæ igitur fides vel certa fauenda est, cùm in idẽ auctores vniuersi cõsentiunt. Certa quippè apud homines ea sunt, quæ negari sine peruicacia & stultitia nõ possunt. Præclarè itaq; Iosephus 1. cõtra Appionẽ lib. illud veritatis historiæ signũ certum esse dixit, si de ijsdẽ rebus eadem omnes conscribant. Verùm de his, licet breuiter, diximus tamen quod satis est. Nam his paucis expositis, nisi ego fallor, qualis quantaq; sit historię humanæ auctoritas, facilè intelligitur. Historia nimirum etsi, vt Quintilianus ait, scripta est non ad probandum, sed ad narrandum: aliquid tamẽ sine dubio probat, probabiliter ferè: nam aliquando etiam necessariè. Nunc argumenta contra historiæ fidem posita diluamus.

CAPVT V.

Vbi respondetur argumẽtis capitis tertij.

NOn est facilè contrarias obiectiones excutere, sed excutiẽdę sunt tamẽ. Atq; in primo argumento quidẽ nõ Osiander modò, verũetiam Catholici quidã omni vi & ratione contendunt, id, ꝙ de duobus Patrib. Ioseph naturali & legali refertur, cõmentũ, por-

tentum, monstrum somnium esse. His enim nominibus
Quæst. 56. sententiam illam Africani notandã putant. Certè auctor lib. q. vet. & no. testa. siue Augustini, is fuerit, seu quispiam alius, sententiam eam asserit, nec probabilem esse, nec ad vllam rem proficere; ne sit qui existimet veterē historiã solis iunioribus displicuisse. Vtuntur autem hi ad Africani traditionem infirmãdam argumentis huiusmodi.

Primò, quod nullum testimonium vel exemplum, nec è sacris, nec ex prophanis Hebræorum literis erui possit, quo talis primogenitus filius defuncti nuncupetur: non ergo mortuus ille pater primogeniti vocabitur.

Deinde, Vt demus, inquiũt, quantumuis iniqua cõditione eiusmodi primogenitum duos patres sortitũ esse, adhuc tamen nihil faciet, vt Euangelistæ dissrepantiæ scrupulus eximatur. Nam legalẽ filium nemo poterat ex vxore defuncti procreare, nisi frater fuisset defuncti germanus, simulq; cũ eo habitasset, quemadmodũ Deu. 25. euidentissimè traditur. Illud verò non contingit nisi ex eodem patre natis: nam qui diuersos habent patres, ij diuersas etiam capiunt hereditates, atq; adeò nõ habitant simul. Nunc autem Iacob & Heli, nec fuerunt ex ijsdem patribus, auis, aut proauis: nec simul habitare potuerũt, cum alter censeatur in posteris Nathan, alter in posteris Salomonis. Nam, quod etiam argumẽtantur, Ioseph nõ fuisse vocatũ nomine patris legalis, quæ res erat necessaria iuxta illam Deut. legem, id exiguum sanè ac mendicum argumentum est, cui Augustinus & 5. lib. q in Deut. q. 46. & lib. 2. retra. c. 12. nullo negotio respondet. Mihi verò opinio cõmunis magis placet: quanuis illorũ opinio non displiceat, qui asserunt. Heli Ioseph socerum fuisse, eundem qui & Ioakim parentem virginis Mariæ, vt Lucas genealogiam Christi per matrem attexuerit: Matthæus verò per eum, qui pater putabatur. Nec proinde tamẽ genealogiam mulierũ contra scripturæ vsum Euangelista texuit. Nam cũ ait, Qui fuit Heli, relatiuum ad Christum referendũ est, vt sit sensus. Et ipse Iesus putabatur quidem esse Ioseph, at re vera non illius fuit, sed Heli. Cùm enim sine virili opera ex virgine matre natus sit; nullum habuit in terris, cuius filius verè dici posset præ-

ter Heli, qui auus scilicet ipsius maternus erat. Ne quis ergo miraretur, quod in texẽda genealogia Christi ab nepote statim transilierit ad auum, interjecit causam: quia Ioseph, quem patrẽ Christi dicere debebat, nõ verè erat pater, sed putabatur. Quã quàm & relatiuum ad Ioseph quoq; referri potest; vt intelligas eũ fuisse Heli non naturalem filiũ, sed & eum modum, quo gener soceri filius esse dicitur. Itaq; Iosephum euangelistæ ad parentes suos retulerunt, alter ad eos, quos ex se habuit, alter ad eos, quos ex coniugio sortitus est. Huius opinionis Augustinus lib. quæstionum euangelicarum 2. q. 5. meminit. Hanc tenuit auctor libelli cuiusdam de ortu virginis, qui Hieronymo falsò tribuitur. Hanc Ioannes Annius, Ioannes item Lucidus, Gregorius VVicelius, aliiq; nõnulli iuniores amplexi sunt. Huic etiam nominum significatio consonat. Nam Ioakim, Eliachim, Heli, idem ferè significant, proq; eodem fere vsurpantur, 4. Re. 23. 2. Para. 36. Probabilis opinio hæc sit. Quis negat? Sed ipsa quidem certa est. Osiandri enim argumenta, quæ ille firma esse existimat, sunt profectò infirmissima. Obij. cit primo nusquam in sacris literis reperiri, quod ille primogenitus filius mortui nuncupetur. Id verò de more impudenter obijcit. Si enim Obed filius Noemi illique natus esse dicatur, cur nõ dicatur natus Maaloni, huius quæ proinde etiam filius? Item, Accipiet eam, inquit, frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit. Præterea ecquid obsecro est suscitare semẽ fratri, nisi filium illi gignere? Quid? Nónne illud manifestum est, ille sciens non nasci sibi filios, semen fundebat in terram, ne libri fratris nomine nascerentur? Gene. 38. At hæc ipsa loca retulit Osiander. Retulit quidem, sed ita tamen, vt apertis testimonijs respondere nequiuerit, nisi hæreticorum ritu aut vulgatam editionem accusaret, aut etiam scripturæ & verba & sensum eluderet. Nam sanctorum omniũ cõmunem intelligẽtiã pro nihilo habere est illi familiare, & cũ cæteris Lutheranis gentile ac propriũ. Iam, q^ secũdo loco accipit, fratres, de quibus lex loquitur, simul habitare oportere, id est, in eadem hæreditate paterna, at-

Philo. Annianus tra dit Syris et Aegyptijs Ioakim, Eliachim & Heli esse synonyma.

Ruth. 4. Deut. 25. Matth. 22. Luc. 20.

que adeò germanos esse ab eodēq; patre genitos; speciē
fortasse veritatis habet, veritatē nullā profectò habet.
Fratres quippè illa Deut. lege nō germani modò intelli-
gendi sunt, verūetiam consanguinei, qui scripturarū vsu
fratres appellantur. Id quod nō communi solū sancto-
rum omniū sententia, sed aperto scripturæ testimonio
cōprobari potest. Booz enim Maalonis non germanus
erat, sed propinquus. Nec confundimus nos negotium
redemptionis cum negotio leuiti, quod Osiander calū-
niatur. Sed contendimus, summoque omninò iure con
tendimus, exemplum libri Ruth, ad legem illam Deute.
pertinere. Alioqui, si eos simul habitare interpretamur,
qui in eadē hereditate paterna habitant, cur nō magis,
nam hoc simplicius est, eos, qui in eadē domo? ita quan
uis fratres germani sint, nisi eandem domum habeant
communem, ea lege minimè tenebuntur. Quod ne O-
siander ipse quidem, quamlibet perfricta fronte, conces-
surus esset. Expōnamus igitur, quod & Hebræorū mos,
& legis ratio exigit, tum etiam fratres habitare simul,
cùm in eodem oppido, vel ciuitate habitarint. Id verò
non duobus solùm vterinis, quales Iacob & Heli fuisse
perhibentur, vsu venire potuit; sed propinquis etiam a-
lijs, vel remotis. Nihil ergo nos Osiandri argumenta
mouēt, quo minùs fidem Aphricano habeamus. Illud
fortè mouere potest, quod in tertia conclusione capitis
superioris asseruimus, communem scriptorum omniū
traditionem, certò, nedum probabiliter pro vera histo-
ria habendam esse. Huic autem Aphricani traditioni
historici omnes ecclesiastici testimonium perhibent. I-
gitur non modò probabilis, sed certa illa doctrina erit,
quæ duos patres Ioseph legalē & naturalem infert. Mi-
nimè verò. Multum enim refert, res gestas qua historici
assēueratione narrent. Si enim is ipse, qui primus auctor
historiæ fuit, rem non vt visam ac certam, sed vt auditā
& incertam scripserit, tunc qui simili temperamento rē
ceu probabilem referunt, ij quanuis consentiant omnes,
non faciunt tamen historiæ firmitudinem. Porrò autē
Aphricanus, vnde cæteri hanc historiam acceperunt, ni-
hil præter auditū habuit; nec referentibus certā habuit
fidem.

fidem. Nam postquam rem proinde vt à Iudæis quibus-
dam acceperat, ad Aristidē retulisset, huiusmodi verba,
Musculo interprete, adiecit. Siue itaq; ad hunc modum,
siue aliter habet res ista, non poterit quisquā, meo iudi-
cio, clariorē illius, scilicet, quæ obiecta erat Euangelista-
rum discrepantiæ, expositionem reperire. Quisquis autē
æquo animo prēditus est, idem quod nos curabit, etiam-
si certum desit testimonium: ob id videlicet, quod melio
rem ac veriorem expositionē proferre non poterit. Eu-
angelium sanè per omnia quę vera sunt, tradit. Hacte-
nus Aphricanus. Quibus verbis satis ille significat, si cō-
ponendis Euāgelistis ratio alia quacunque probabilior
appareret, eam se libenter amplexurum. Quæ omninò
res & August. & Thomam videtur compulisse, vt præ-
ter hanc, alias quoq; rationes tollendę discrepātiæ inue 3 par. q.
stigarent. Sed de primo argumēto satis multa diximus. 31. art. 3.

Ad secundum verò dicendum est, huiusmodi quoque
res nō tam ex fide historię, quàm ex probabili eorū con-
iectura pendere, qui sacras literas interpretantur. Non
est enim aliquis pbatus auctor, qui asserat se præter Ma
riam, & aliā Ioseph vxorē aut vidisse, aut certis testibus
accepisse. Sed cùm in euangelio fratres Domini legerē-
tur & religio veteret filios Marię suspicari; scripturę ex-
positorib. coniectandum fuit, quonā id pacto fieri po-
tuerit: vt veritas euangelij cū Mariæ perpetua virginita-
te congrueret. Ita quidem filios Ioseph ex alia vxore in-
tulerunt, Christiq́ue proinde fratres non veros, sed qui
putarrētur, interpretati sunt: nam & Ioseph non verus
erat pater, sed putabatur. Neque horum coniectura vana
commentitiaq; fuit, nullāue ratione tantum ad respō-
dendum hæreticis excogitata; sed probabiles habuit
causas, quæ scripturarum etiam testimonijs niterentur.
Primùm quia Iacobus Hierosolymitanus episcopus nō
peculiariter esset frater domini cognominatus; si cogna
tione solùm fratres domini vocarentur. Cùm & Iacobus
Zebedæi filius, à quo ille cognomento distinguitur,
ad eum quoque modum frater domini esset. Deinde Mat. 12.
non simpliciter quidam in euangelio diceret, Ecce
mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui,
si ge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

si generali sanguinis coniunctione fraternitatē definiret. Iacobus nanq; & Ioannes tunc temporis cū Christo
Mar. 6. intra domum erant, qui illo modo erant fratres. Accedit quòd apud Marcū à quibusdam dictum est, Nónne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi & Ioſe, & Iudæ, & Simonis? Nónne & sorores eius hic nobiscū sunt? Filius inquiūt, Mariæ, frater Iacobi & Ioſe, &c. vt non ex Maria,
Luc. 4. sed ex Ioſepho fratres intelligerētur. Vnde & iuxta Lucam interrogant, Nónne hic, est filius Ioſeph? Atque sorores, filias Ioſephi Esther & Thamar intelligēdas esse, Hippolytus ac Nicephorus graues in primis auctores asserunt. Fratres ergo similiter intelligendi sunt, Iacobus, Ioſe, Simeon, & Iudas: quos quatuor filios ex priore cōiuge, cui nomē erat Salome, Ioſephum suscepisse idem auctores prodidēre. Accedit etiā, quod Ioſephū, cū Mariam vxorē accepit, 80. annorum fuisse senē, Epiphanius non semel astruit, At in tam longa ætate nō est profectò verisimile illum sine coniuge extitisse. Hæc auctores illi sine fidei discrimine argumētari, atq; adeò asserere potuerunt. Sed Hiero. tamen rem diligentiùs animaduertens, vt erat in sacris literis apprimè versatus, probabiliorē multò rationē inuenit, qua citra & Mariæ corruptionem & Ioſephi digamiam fratres domini in scripturis intelligerentur. Quòd enim Iacobus frater domini vulgo cognominatus, Ioſephi filius nō fuerit, ex euangelijs videtur manifestè colligi. Marcus siquidem quos capite sexto fratres domini vocatos scripserat, eos capite quinto decimo filios cuiusdā Mariæ scribit esse nimirū vxor Ioſephi esse nō poterat, nisi duas illū simul vxores habuisse contendas, Mariam virginem, & alterā Mariam, q̄ nulla ratio probat, nulla prodit historia: Quin hominē pauperem, qui vix vnam alere & sustinere posset, duarum coniugum onera subijsse, & imprudentię, & incontinentiæ argumentum est. Ea vitia viro iusto tribuere quàm sit stultum, ne dicam impium, non est opus longa oratione suadere. Adde quod hæc eadem à Ioanne Maria Cleophæ cognominata est. Erat autē Cleophas frater Ioſephi, vt Eusebius lib. 3. eccl. hist. cap. 11. ex Egesippo retulit, ob quam causam, nisi me cōiectura fallit, soror Mariæ virginis appellatur. Nam & leuiri fratres vulgò dici solent, & fratrum vxores sorores. Non igitur, vt sentio equidem, Maria illa tanquam mater, sed tanquam vxor Cleophæ nomen accepit. Ioſephi itaque coniunx non erat, atque adeò nec huius filij, filij erant Ioſephi, sed Cleophæ. Verùm quemadmodum Ioſephus pater Christi existimabatur, sic filij Cleophæ, Iacobus, Ioſ. Iudas, Simeon existimabantur Christi cōsobrini, Christique patruus Cleophas. Qua ratione Maria ista Christi matertera nuncupari potest, non quod verè Mariæ virginis germana fuerit, sed quod soror & habita & dicta sit. Atqui consobrinos fratres etiam dici omnis scriptura demonstrat. Nec prioris opinionis necesse est argumenta refellere. Nonnulla enim assumit, quæ certis de causis à plerisque aliter existimantur. Vt filios Zebedæi Christi esse consanguineos, & proinde scripturæ vsu fratres. Item Ioſephum 89. annos natum esse, cum Mariam vxorem accepit. Quæ res dici possunt, probari non possunt. Nam & Acto. cap. 1. Lucas cum Iacobum Alphæi, Simonem, & Iudam, retulisset, subdit, Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Constat autem Iacobum Alphæi, Simonem, ac Iudam fratres Domini appellatos. Sed de his disputatum est ab alijs diligentius. Nos in præsenti non id agimus. Tantùm dicimus ex diuersis opinionibus, quas in scripturarum interpretatione orthodoxi sequuntur, minimè historiæ fidem periclitari. Hæc quippè sola oratio erat secundo argumento confutando necessaria.

Isidorus in lib. de ortu et vi. et obi. san. pr. dicit, Iacobū Alphæi filiū fuisse sororis matris Dñi, vnde et fratrē Dñi vocatū.

At tertium sic diluitur. Non fuit Herodias filia Arethæ regis, sed Aristobuli, sicut Ioſephus multis in locis testatus est. Id quod nomen quoque ipsum indicat. Est enim quasi patronymicum ab Herode, nihilque proinde aliud significat quàm filiam, vel neptem, vel aliquam è posteris Herodis. Quamobrem cum Aretha rege Arabum nihil videtur habere commune: cum Herode magno, cuius fuit neptis, commune habet genus. Quod autem Hieronymus tradit ex vetere historia, pace tanti viri dixerim, in re sine dubio fallitur. Apparet eum sanè, vel in historiam quampiam auctoris incerti incidisse, ob id e-

Lege 18. antiq. li. c. 9.

id enim quidam veterem historiam appellatam volunt, vel certè in Eusebij Latinam incidit, quam Ruffinus fecit sua traditione vitiosam. Quò autem res planior fiat, verba loci illius subscribemus. Concordi verò testimonio etiam Iosephus de hoc scribit nominatim, etiam de Herodiade commemorans, velut de coniugio fratris Philippi viuentis violenter abstracta, & suis ab Herode incestis nuptijs sociata: propria, & legitima vxore depulsa, quã Herodiadem filiam fuisse dicit Arethæ regis Arabiæ. Hactenus Eusebius, Ruffino interprete. E quibus verbis si tollas nomẽ Herodiadem posteriore loco positum, quod nec Eusebius habet, nec Iosephus, vera erit lectio, atque adeò germana Eusebij Græci in latinum cõuersio. Nam relatiuum, Quam, non ad Herodiadem, quod Ruffinus falsò intellexit, sed ad propriam & legitimam vxorem depulsam referendum est: quod recte Musculus in noua nunc interpretatione fecit. Verum de tertio argumento hæc nobis dicta sint.

Ad quartum ita respondeo. Quidquid sit de Magis, an fuerint reges nec ne, quod in controuersia est positum, certum illud est, non ex ea re historiæ fidem labefactari, quod plurimi auctores Magos reges fuisse tradiderint. Nempè res hæc eius generis est, quam nemo historicorũ sese affirmet aut vidisse, aut ex viris fide dignis, qui viderint, audiuisse. Nituntur itaque auctores illi non historiæ auctoritate, quam nullam probatam habuêre, sed probabilibus coniecturis, quas porrò habuêre non nullas. Qualis est, quod in Magis videtur impletum illud, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Sabba dona adducent. Item illud, Ambulabunt reges in splendore ortus tui, &c. Quæ in Epiphania Domini nõ hodiernum vulgus, sed antiquus semper ecclesiæ chorus intonuit. Accedit, quod, vt Tertullianus ait, Magos reges ferè habuit Oriens. Accedit quod in reges illud maximè quadrat, Apertis thesauris suis, &c. Extat etiam Claudiani epigramma, vbi Magos appellat Chaldæos reges. Quòd si Claudiani non est, certè elegantissimi poetæ est. Hanc opinionẽ, vt quæ plausibilis sit ac popularis, Christi fideles iam olim libenter inducerunt. Neq; operepretiũ iudico,

Psal. 71.

Esa. 60.

Matt. 2.

si quis in concione publica eam dissuadere conetur. Nam dissuadere nihil attinet: ac frustra niti, & nihil aliud, quàm laborando odium querere, extremæ dementiæ est. Quòd si paucis fortè quibusdam fidem argumentatione tua feceris, multas tamẽ in populo querelas, dissidia, ac lites induces. Sine ergo plebem probabilissimam opinionem, præsertim quæ penitus insedit atque inueterauit, cum suis maioribus retinere. Quòd si coniecturis alijs permotus contrariam sententiam habes, liceat per me, equidem non repugno. Illud ago, siue hæc, siue illa opinio vera sit, nõ inde historiæ auctoritatem aut eleuari aut imminui, cùm neutra earum opinionum historiæ auctoritati, sed probabili coniecturæ innitatur. Quòd enim regum nomen Euangelista suppresserit, id omninò nihil est. Non enim existimauit euangelij testimonium regio apparatu cumulandum, quod Magorum sapientiam & grauitatem amplissimè ornauerat. In veritate sanè occulta confirmanda regia appellatio obscura, & otiosa erat, Magorum vox præclara & opportuna. Nam quod Herodes Magos parum honorificè exceperit, hoc aut Herodiani factus indicium est, aut Romanæ gloriæ, & maiestatis. Indignum verò est Magni regis tumorem in minutorum inuidiam odiumque conuertere.

De quarto igitur argumento hactenus. Nunc ad quintum respondeamus. Non Hieronymus modò, Augustinus, Thomas, ac cæteri ferè omnes auctores, verùm etiã antiqua ecclesiæ traditio tenet, quod Magi Christum decimo tertio die, ex quo natus fuerat, adorarunt. Cuius quidem rei cùm causam quærerem, quidnã esset cur tãta id consensione ab ecclesia receptum sit, quanquam veteri traditiõi in huiusmodi rebus multum debetur fidei, vt ratio alia non subsit, has causas tamen inueniebam duas, easque ambas ex ipso euangelio collectas. Vnam, quod Matthæus dicit, Cùm natus esset Iesus, ecce Magi ab Oriente venerunt. Sanè si quãdo Magi venerũt, Christus esset anniculus aut bimus, vt Epiphanius, Zacharias, Faber, Osiander, existimãt: nõ dixisset euangelista, Cùm natus esset, ecce Magi.

Quod

Gen.24. Quod non de re tam sera, sed de subita & improuisa, vel certè proxima, & quasi præsenti dici solet. Necdum,
Buc.9. inquit, intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur. Et Poëta: Audiat hæc aliquis, vel qui venit, ecce Palemon. Hinc enim cùm Mariæ dixisset angelus, Ecce concipies, &c. intelligens ipsa statim se conceptam, ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum nō cognosco? Recens ergo natus erat infans, quando Magi aduenerūt. Altera causa est hæc, Magi inuenerunt puerum in Bethleem, ergo ante diem purificationis accesserunt. Quia vl
Luc.2. tra id tēporis Christus non fuit in Bethleem. Lucas enim ijs descriptis, quę ad purificationē attinebant, subdit: Vt perfecerunt omnia secūdum legem domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Non ait, In Bethleem, sed, In Nazareth. Cur autem Bethleem reuerterentur, vbi adeò nihil habebāt supellectilis, vt Virgini ad reclinandum infantem, non alius, quàm præsepe locus fuerit in diuersorio? Nec euangelista docet, eos venisse vt morarentur, sed vt profiterentur in ciuitate sua. Manserunt itaque ibidem quantum necesse fuit ad implendam legem, quæ iubet, vt post circuncisum infantulum maneat mulier triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. Intra quos dies Bethleem venisse Magos rectè credimus, & puerum indicio stellæ inuentum adorasse. In ea verò ratione, quæ primum opponitur, quidā liberalitatē ac beneficentiā virginis animaduertunt, q̄ breui aurū acceptū in pauperes erogarit. Alij prudentiam, quòd viaticum parauerit in AEgyptum. Siue enim Ioseph ante purificationem de fuga ab angelo fue-
Matt.2. rit admonitus, iuxta illud, Cùm Magi recessissent, ecce angelus apparuit in somnis, & c. siue Magi oraculum de reditu per aliam viam Tirhini communicauerint: credibile profecto est, fœminam prudentissimam iam inde illud quod ad fugam & peregrinationem opus erat, prouidere. Sunt qui modestiam aduertant. Atque hæc ratio mihi videtur sanctissimè & prouidentissimè constituta. Non decebat enim, vt, quæ pauper erat, ea diuitum oblationem subitò inferret. Ab omni fastu, & ostentatione erat virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus;

mus, quā sciebat Dei filio placuisse. Quid, quod aurum Deo à Magis oblatum in sacros fortasse vsus censuit consecrandum? Prima itaque aduersariorum ratio his omninò modis facilè diluitur. Secunda pressius videtur vrgere. Si enim diligēter à Magis Herodes tempus stellæ didicit, occidit autem omnes pueros à bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis, biennium ergo antè stella Magis apparuit. Non igitur mox à Christo nato aduenerunt. Nam statim recedentibus Magis Herodes occidit pueros. Illa enim particula, Tūc, non minus rē præsentem proximámue significat, quàm Yocula, Ecce, cuius vim paulo antè expendebamus. Ait vero Euangelista: Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, mittens occidit. Sed hic nodus bifariam solui potest. Primum enim, quod Euthymius admonuit, illa oratio, Secundum tempus, &c. non refertur ad id, quod præcessit, à bimatu, sed solùm ad particulā, Infra, cui proximè coniuncta est. Itaque continenter legendum est, Occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu. Et ibi facta hypodiastole subiungatur, Et infra, secundum tēpus, quod exquisierat à Magis. Non itaque intelligendus est peremisse bimulos secundum tempus exquisitum: sed tantùm alios minimos, quibus videlicet solis tempus stellæ accommodauit. Sed ais, Cur binos interfecit, si non secundum tempus stellæ? Respondeo, Cur in omnibus finibus Bethleem, si in Bethleem iuxta propheram natus est Christus? Quemadmodum ergo ex propria malitia ampliauit locum, sic ampliauit & tempus. Deinde, probabile est id, quod mihi semper ve-
Ioseph. lib. 16. anti. ca. 7. ro simílius fuit, Herodem Romam euocatum, vt accusationi filiorum responderet, stragem illam puerorum edere distulisse: quam edidit posteà cùm Hierosolyma regressus est. Quod si necesse esset biennium Magis ad iter faciendum concedere, quod tamen absurdum est, non protinus necessariò fit consequens, vt biennio post Christum natum aduenerint. Multò enim facilius expeditiusque dicetur, quod Chrysostomo Augustinoq; video placuisse, apparuisse stellam Magis tantò ante Christi na-

Christi natiuitatem, quantum fuit opus, vt tot regionibus ac prouincijs peragratis puerum haud multo antè natum adorarent. Cùm verò demùm quæritur, Qui fieri potuerit, vt ab Oriēte Magi tam paucis diebus peruenerint. Huic quæstioni responsum facile, & promptum est. Non enim opus fuerit, quod Remigius facit, eam rem nati pueri facultati viribusque tribuere, qui Magos ad se tam breui dierum spacio perduxerit. Sed, Oriens, in sacris frequenter accipitur, pro terris, quę Orientales ad illam sint, in qua sunt, qui loquuntur. Vt ibi,

Genes.13. Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab

Num.23. oriente. Item, De Aram adduxit me Balach rex Moabitarum, de mōtibus Orientis. Siue ergo Magi posteri fuerint Balaam, ac proinde ex Mesopotamia Syriæ venerint, vt Chrysostomo, Hieronymo, & Ambrosio visum est; siue ex Arabia accesserint, quæ sententia Iustini martyris perpetua fuit, seu sapiētes alij, vel Persæ, vel Chaldæi, quod Magorū nomen præ se fert: dubitari non potest, quin totum illud quicquid erat itineris decem diebus conficere potuerint. Distat siquidem Hierusalē ab Aram centum septuaginta duabus parasangis Persicis

Gen.31. & Hispanis, ab Vr verò Chaldæorum ducentis duodecim. Atque cùm Laban Iacob fugientem à Mesopotamia in Iudæam insequeretur, septimo die consecutus est illum in monte Galaad, qui est principium Libani. Et ferebat tamē Iacob greges & vxores ac paruulos. At Laban non ante tertium diem fugā deprehenderat. Quid? quòd in regione illa abundant dromedarij, quos vno die stadiorum mille iter conficere, scribit in vita Apollonij Philostratus? Aristoteles quoque libro 9. histor. a-

Lib.2. nima. cap. vltimo testatur, celerius eos currere, quàm Nisæos equos. Nec te illud turbet, quòd Hieronymus in Hieremiæ 25. cap. imò Hieremias ipse, Chaldæam, ait,

Idem Zacha.c.2. in aquilonis parte iuxta situm Hierusalem collocatum esse. Quia enim inter aquilonem & orientem sita est, modò aquilonaris, modò orientalis nuncupatur. Hæc fastidioso lectori scio molesta fore: sed erat ostendendum, quàm temerè quidam à syncera historiæ fide, & communi sanctorum opinione dissenserint. Verùm de quinto

quinto argumento satis. Nunc sequentia refellamus.

Sanè quidem, cùm in sexto argumento Epiphanij sententia contra historiæ fidem ponitur, nihil prorsus mouere nos debet. Primùm, quoniam in rerum gestarum temporumque ratione nullos ille graues auctores sequi solet. Atque adeò in earum rerum memoria interdum fallitur. Deinde, quoniam hoc saltem loco nulla argumentatione probabili, nullis prolatis veteribus monumentis antiquo ecclesiæ vsui contradicit. Quod si verum est profectò, Christum passum esse anno ætatis suæ trigesimo tertio, inchoato per tres menses ac decem fortassè dies, nam de re nullam modò quæstionem habere volumus docuisse autem eum tribus annis, & Ignatius in epist. 1. ad Trallianos, & Euseb. in Chronicis prodiderunt, certè Epiphanij opinio videtur vera esse non posse. A trigesimo namque anno expleto vsque ad passionem, non nisi duo anni supersunt. Quamuis nondum hunc solueret Epiphanius, si tempus doctrinæ Christi non à nuptijs, sed à baptismo inchoaret. Quod nos quoque dicere oportet, qui Maximi sententiam veteremque ecclesiæ vsum propugnamus. Nuptias quippè anno post baptismum integro elapso factas esse credimus. Qua in re nobiscum dissentiunt quidam: nec sine causa dissentiunt tamen. Primum enim toto illo anno nihil, inquiunt, scriptum haberemus de doctrina Christi. Quin eo anno nihil omninò docuisset. Quod est credibile nullo modo. In baptismo siquidem filius ac sapientia Dei, dux populi atque magister, patris testimonio declaratus est. Nec post Euangelij munus euidentissima triadis commendatione, testificationeque susceptum, otiosus Christus tot diebus vitam in silentio degeret. Sed illud, vt par erat, protinus exequeretur. Id quod non coniectura nostra solùm, sed Ioannis etiam Euangelio comprobatur. Ioannes porrò ita

Ioan.1. differtè rerum gestarum post baptismum tempora notat, vt ad nuptias, non dicam annum, sed ne pauci quidē menses interfluxisse videantur. Altera, inquit, die vidit Ioannes Iesum venientem ad se. & rursum paulò infe-

 Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius

eius duo,&c. Et posteà, In crastinum voluit exire in Galilæã,& inuenit Philippum,&c. Deniq; statim in secundi capitis initio, Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. En cùm Ioannes Iudæorum legatis respondisset, postero die vidit Iesum venientem ad se. Quo tempore Iesus nec notus erat, nec discipulos acceperat, vt ex hoc primo Ioannis capite manifestissimè liquet. Sed postero die, hoc est, tribus à legatione diebus, duo discipuli Ioannis secuti sunt Iesum: ac proximo huic die exiens in Galilæam Iesus ipse Philippum inuenit. Cùm verò subiungit Euangelista, Et tertia die nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, satis apertè indicat, quàm breue tempus inter baptismum, vocationem discipulorum, ac nuptias fluxerit. Non itaque annus integer intercessit. Prætereà post secundum aduẽtum in Galilæam cœpit Iesus prædicare, vt Matthæi cap. 4. dicitur. Non ergo ante nuptias prædicauerat. Nam illæ factę sunt, cùm post baptismum primò aduenit in Galilæam. Quòd si annus integer à baptismo ad nuptias interfluxisset, iam tres anni prædicationis Christi nullo modo inuenirentur. Adde, quòd ex ea sententia consequens fieret, vt Christus anno ætatis suæ 34. inchoato fuerit passus. Illud non obscurè colligitur, quoniam si vera esset, quinquies pascha à baptismo ad mortem interueniſſe. Primũ id esset, de quo nihil habemus in Euãgelio scriptũ, inter baptismum & nuptias. Secundum, quod Ioannes statim post nuptias commemorat, c. 2. Vbi Christus ementes ac vendentes de templo primùm eiecit. Tertiũ, de quo fit mentio Ioan. 5. cùm sanauit paralyticũ. Quartum, cuius idem Euangelista meminit ca. 6. inquiens, Erat aũt proximum pascha, &c. Quintũ, in quo passus est Christus, de quo Ioan. 12. & 13. Nam ꝙ tertium illud, de quo dubium esse potest, festum paschæ fuerit, nõ modò Rupertus, sed Irenæus etiam testatur. Ac re vera nomen festi simpliciter pro pascha solet in Euangelijs accipi. Vt ibi, Non in die festo, Matth. 26. Item, Secundum cõsuetudinem diei festi, Lucæ 2. Item, Eme ea, quę opus sunt nobis, ad diem festum, Ioannis 13. Cùm itaque Christus baptizatus fuerit anno tricesimo ętatis suæ inchoato per tre-

Libr. 5. cõ. in Ioan.

Lib 2. cap. 36.

per tredecim dies; erat enim incipiens quasi annorũ triginta, vt Lucas affirmat, si quinquies festum paschæ intercessit, nimirũ mortuus est anno ætatis suæ trigesimo quarto. Quod licet Beda alijq; nõnulli iuniores asserue- rint, defendi tamẽ nulla ratione potest. vt Paulus episcopus Forosempronensis lib. 9. 2. part. & lib. 4. ciusdẽ partis, Ioannes item Lucidus in libro de vero die passionis Christi ostenderunt. At verò nullæ huiusmodi rationes, ab antiqua patrũ traditione, quàm communis ecclesiæ cõsuetudo in diuino officio, hymnis, antiphonisq; confirmat, potuerũt me mouere. Nõ quòd hęc ad fidẽ religionẽmue magnoperè attineant, sed quòd in rebus, vel vtraq; ex parte probabilibus, vel etiam ambiguis, veteris ecclesiasticę historiæ fides communis me delectat. Sed prima videamus. Anno, quod inter baptismũ, & nuptias fluxit, nihil omninò docuit Christus: cessator ergo fuit maximus, qui post iunctum munus tamdiu fuit otiosus. Sanè quidem eo anno non est publicè concionatus Christus, neque turbis euangelium prædicauit. Sed non fuit interim otiosus. Quin & frequẽter ad Ioannem accessit, vt frequens etiam de ipso Ioannes testimoniũ diceret, & priuatim quoq; docuit quosdam, ne ecclesię cõcionator repentè proderet. Non enim discipuli Ioannis illum Rabbi, hoc est, magistrum appellarent, nisi iam docere incepisset, quemadmodum Caietanus noster diligenter aduertit. Nam quòd aiunt, ex Ioannis euangelio colligi, paucos dies inter baptismũ & nuptias intercessisse; id nullo modo verum est. Cùm Ioannes aduentum Iesu ad baptismum nusquam omninò narrauerit, vt idem Caietanus manifesta argumentatione conficit. Quanquam in eo fallitur, qnod pro certo asserit, ex quatuor Baptistæ testimonijs, quæ primo cap. Euangelista refert, tertium datum esse die proximo post secundum. Secundum quippè, vt mihi videtur quidem, de futuro est, & licet scripturæ ordine sequatur, tempore tamẽ primum etiam testimoniũ antecessit, vt vel Caiet. ipse cõfitetur. Illud enim, ꝙ à Ioan. legatis Iudęorũ impartitum est, idẽ omninò ipsum fuit, quod se ante dixisse Baptista memincrat. Estq; multo vero similius, eo tẽpore

Luc. 3.

Lib. de tẽpo. c. 47. annus 34. non fuit annus passionis Christi. Quia pascha illo anno fuit in die Martis.

Ad primũ alterius opinionis argumẽtum.

Ioann. 1.

Ad secundum argumentum.

nondũ Christum à Ioanne baptismũ suscepisse. Medius, inquit, vestrum stetit, quem vos nescitis, Ipse est, qui post me venturus est. Cùm ergo, Euangelista inquit, altera die vidit Ioannes Iesum venientẽ ad se, nec intelligit de aduentu ad baptismum, nec scribit quid postero die àlegatione Iudæorũ gestum sit, sed docet, tertiũ testimonium altero die post illud, & primo loco scripserat, datum esse. Nam secundum obiter est vtriq; id est, primo, & tertio ab Euangelista interpositum, vt explicaretur Baptistam semper fuisse sui testificatione similẽ, nec aliud futurum antè dixisse, quàm in præsenti testificaretur. Itaque temporis ordine, vt diximus, illud fuit primum, quod secũdo loco Euangelista commemorat. Deinde secutum est, id quod à principio positũ est. Post hoc proximo die tertium Baptista testimonium dedit, cùm vidit Iesum venire ad se. Sæpe enim post baptismũ, vt supra dictum est, ad Ioannem veniebat. Postero autẽ die quartum testimonium addidit, cùm interessent illi ex discipulis eius duo, quorum vnus erat Andreas. Cùm igitur nõ constet quantum temporis inter baptismum, & tria illa testimonia de præsenti fluxerit, quamuis omnia illa post baptismum data sint, certè ex euangelio Ioannis non colligitur, paucos dies inter baptismum ac nuptias interfluxisse. Quid? quod cum ait, In crastinum voluit exire in Galilæã, & inuenit Philippum, non Christum fortasse Euãgelista intellexit, sed Andream, quem primùm dixerat inuenisse Simonem, nũc dicit, Postero die inuenisse Philippũ, cùm ex habitaculo Christi in Galilæam exijsset. Ob id enim interpres latinus ait, Et dicit ei Iesus, cùm nomẽ Iesus nõ reperiatur in Græco. Quot autem dies interceſſerint inter postremũ illud testimonium Ioannis, coram duobus discipulis tributũ, & hũc diem quo Andreas inuenit Simonem, incertum est. Nã illud quidem apud Matthæum de publica ad plebẽ prædicatione intelligitur: cùm perspicuum sit, in primo aduentu Christi ad Galilæam, quem solus Ioannes capite 2. narrat iam Christum discipulos habuisse. Matthæus autem de secundo aduentu loquitur, quum iam Ioannes erat in carcere. Non igitur de priuata doctrina, sed depu-

Ad tertiũ argumẽtũ

de publica, & populari intelligi potest. At verò tempus prædicationis Christi quantum fuerit, non satis à veteribus expeditum est. Eusebius quoque ipsi parum sibi in hac re constare videtur. Nã in Chronicis post quintũ decimũ annum Tiberij tribus annis scribit Dominũ prædicasse; idq; astruit à Ioanne etiam in Euangelio cõscriptum. Cæterùm idem in libro demonst. euange. 8. demonstratione secunda, Ioannis item testimonio, confirmat, tribus annis, & sex mensibus Christum prædicauisse. Quòd si ad passionem venit anno Tiberij decimo octauo, vt in Chronicis Eusebius ait, qui fieri potest, vt post annum Tiberij quintumdecimum, annis tribus, & sex mensibus prædicarit? Atqui post annum 15. Tiberij inchoatam esse Euangelij, doctrinam è Lucæ 3. cap. patefecit. Nos autem, si trium annorum doctrinam explere volumus, vnum doctrinæ priuatæ, duos verò publicę doctrinę impartiemur. Huic enim totum triennium dare nulla ratio cogit, nulla probat auctoritas. Negamus si quidem, probabiliterq; negamus, festum, cuius Ioannes c. 5. meminit pascha fuisse. Chrysostomus porrò ac Cyrillus affirmãt festum fuisse Pentecostes. Quod mihi, fateor ingenuè, non fit vero simile. Primò quoniam post pascha Iesus moratus est in Iudæa cũ discipulis suis, vt ca. 3. Ioannes scribit, at mora iuxta scripturæ vsum in paucis his diebus, qui ad Pentecostes interfluxerũt, intelligi non potest. Eo vel maximè, quòd postquã Christus moratus in Iudæa est, abijt iterũ illa relicta in Galilæam, quemadmodũ Ioannis ca. 4. dicitur. Ac rursum, è Galilęa venit Hierusalem, quod habes capite 5. Quæ omnia tam breui tempore, nisi Christum cursorem faciamus, expediri vix queunt. Caeta. sanè in quartum Ioannis caput, haud absurda ratione computat. Christum in Iudæa post pascha celebratum, in quo vendentes eiecit de templo, longam multorum mensium moram interposuisse. Non igitur festum illud, quod cap. quinto cõmemoratur, Pentecostes solenne erat.

Ad qartũ argu.

Hiero. in 9d c. Danielis

Ad 5. arg. Chry. ho. 35. in Io. Cyri. li. 2. 123. ca.

Idem ait Lyranus.

In illud, Adhuc quatuor menses sunt, et messis venit.

Deinde, quod cap. 5. vnum miraculum euangelista narrat in pascha patratum, & quod sexto statim capite ad alterum pascha transierit, omnibus & gestis, & dictis

vnius anni intermissis, non ita probabile apparet. Festũ ergo illud, in quo paralyticus sanatus est, vt recte Caie-
2. Esd. 6. tanus existimauit, hyemale fuit. Nihil autem interest, siue dicas fuisse festum dedicationis templi secundi sub Zorobabele, quod celebrabatur tertia dei mensis Adar, hoc est, Februarij, siue potius festũ sortium, quod Iudeis solẽne erat 14. & 15. die eiusdem postremi mẽsis. Tũc
Esth. c. 9. enim ordine egregio cap. 6. sequitur, Erat autem proximum pascha, &c. Sed in huius argumenti confutationẽ nimis multa diximus.

Ad 6. obiectionem. Septimo verò argumento libri secundi cap. decimo octauo respondisse videtur. Sed ibi breuiter: nunc vbi proprius est locus, longiore oratione argumẽtum illud refellendum est. Non sunt verba Hieronymi in eum sensum intelligenda, vt existimemus ad veritatem historiæ satis esse, si ea, quę auctor affirmat, vera à vulgo esse credãtur; tum etiam cũ falsa sunt. Alioqui si ad eam regulã liceret scripturę historias interpretari, diceremus cũ
Matth. 1. apostolus ait Saulẽ regnasse 40. annis, cũ vulgo loquentem hoc, ꝙ fama crebrior haberet dicere voluisse. Quod Beda in 13. caput Actorum Apostolicorũ asseruit, rectè ne an secus, aliorum esto iudicium. De tanto quippè viro non libet in præsenti iudicare. Diceremus rursum, Matthæum virum Mariæ Iosephum appellasse, nõ quòd reuera esset, sed quòd vulgo esse crederetur: turbatũ quoque Herodem, & omnem cum illo Hierosolymam non re quidem, sed opinione vulgi: mortuum denique, si ita placet esse Christum, non verè, sed ad vulgi existimationem apparẽter. Certè si consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorũ sic narret historicus, quomodo eo tẽpore ab hominib. credebatur; omnia quę de Nabuchodonosoro, Dario, Cyro, Alexandro, Sansone, Machabæis scriptura refert, poterit quis inficias ire, quod videlicet auctores sacri ea narrarint, quæ vulgo erant persuasa, non quæ ipsi vera esse crediderint. Quòd quàm sit auditu horribile ac pertimescẽdum, nemo fidelium nõ videt. Alius est igitur Hieronymi sensus multò sanior & verior, quem ex subiecta partitione facilè lector accipiet. Falsæ vulgi opiniones in duplici sunt differentia.

Quæ-

Quædam, quę non nisi verbis falsis significari atque exponi possunt. Vt Christum esse Ioannem Baptistam, vel Hieremiam, vel vnum ex prioribus prophetis. Atque huiusmodi opiniones semper auctores sacri ita referũt, vt non ex se, sed ex vulgi nomine retulisse videantur. Aliæ sunt vulgi opiniones falsæ quidem, sed verbis ijs expressæ ac significatæ, quæ in sensu aliquo vulgari vera sint. Vt Ioseph esse patrem Christi ad vulgi sensum falsum omninò erat, sed verè tamen pater, & sine falsitate dicebatur. Tum quoniam nutritius erat, tum quoniam vir matris erat. Et licet vulgi sermone, verè tamen priuignus filius vocatur, mater nouerca, vitricus pater. In quibus rebus, fateor, vera historiæ lex est vulgi opinionem exprimere. Nam si de priore rerum genere sermo sit in historia profana absurdus est, in sacra etiã impius. Sapientes quippè cùm vulgò loquuntur ferè, sed non sentiunt cum vulgo. Nec mendacij tamen rei sunt, quoniam quæ loquũtur, ea secundum aliquem verbi signi-
Luc. 2. ficatum vera esse intelligũt. Sic Maria virgo dixit, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te, sermone vulgi quidem, sed verè tamen. Sic etiam si nullam habuisset interiorem admirationem Christus, verè tamen admiratus dici posset, cùm speciem admirantis exhibuit, quẽ admodum Beda libro secundo in Lucam cap. 24. exposuit. Sic contristatum Herodem Matthæus, Marcusque dixerunt, qui tristitiam haberet in vultu. In quem sensum hypocritas tristitiam simulantes, tristes quoq; ap-
Matth. 6. pellauit Dominus. Vulgata enim dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus vsurpantur. Tametsi in prę scriptis exemplis & Christus, si Diuo Thomæ credimus: aliquo modo interius admiratus est, & Herodes etiam contristatus. Etenim peccatores simul in vitijs tristantur & exultant, gaudent dolentque. At de hoc argumẽto satis. Iam pergamus ad reliqua.

Vide Bedã li. 1. in Lu. c. 7.

Ad 8. Argumentum. Non debuit sanè tantoperè ridere Hieronymus Adami in loco Caluariæ sepulturam: nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias huiusmodi ridere debemus. Vulgus, video equidem, hisce rebus credendus nimium est facilè. Credulitas etiam in optimi cuiusque mentem facilli-

facillimè irrepit. At viri quidam excellentes cùm à vulgi facilitate & credulitate declinant, in aduersum quandoq; vitium incurrunt: suntq; etiam increduli, cùm in fide nihil est vitij, in incredulitate vitij nonnihil est. Testimonium autem, quod ex Iosue cap. 14. historiæ veteri opponitur, nihil profectò vrget; vtpote cum nomẽ Adam eo loco non proprium sit, sed commune, * Reddit enim scriptura causam, cur, quę post Hebrõ, ea ante Cariath Arbah, id est, ciuitas Arbeæ dicta sit: quod videlicet Arbah, quem Arbeam 70. vocauere, homo inter gigantes magnus ibi fuerit. Qui sensus præterquam quod scripturæ contextui aptissimè iungitur, (quapropter à Chaldęo interprete, Pagnino, alijsq; viris clarissimis expressus est) inde etiam facilè probari potest, quod capite eiusdem libri decimo quinto Arbah pater Enoch fuisse dicitur: vt promptum sit cuiq; intelligere, & Arbah nomen fuisse gigantis proprium, à quo Cariath, Arbah nominata sit, & Arbah patrem primumq; fuisse illius terræ gigantum. Omitto hic versionem 70. qui tametsi magnitudinem non Arbah, sed ad Ciuitatem retulerunt, vt ea vrbs Metropolis intelligeretur, satis tamen indicarunt Arbah nomen esse gigantis proprium, vnde ciuitas illa suum olim cognomentum acceperit. Itaq; primi parentis in ciuitate Arbeæ, fuisse sepulchrum, nec ex eo loco, neque aliunde colligitur. Quin illud multò probabilius est, quod publica rerum veterum memoria prodidit, primum Adam ibi iacere conditum, vbi secundus etiam sepultus est. De octauo igitur argumento hactenus.

Nonum argumentum nõ solùm in Chronographia, sed in scripturarum intelligẽtia, difficillimam quæstionem habet, quę auctores nobilissimos in varias sententias traxit. Iosephus sanè 70. illos annos Iudaicæ captiuitatis ad primum Cyri annum cõputauit. Quẽ secuti sunt Aphricanus in quinto temporũ volumine, Abulẽsis noster in secundũ Matthęi ca. quæstione 91. Annius cum Philone suo lib. 14 Ioannes Lucidus libro secundo cap. 11. alijque viri graues, & antiqui & iuniores. Nituntur verò hi scripturæ sacræ clarissimis testimonijs. Primum est Hieremię cap. vigesimo quinto, inquiẽtis, Servient gentes istæ regi Babylonis 70. annis. Cumque impleti fuerint 70 anni, visitabo super regẽ Babylonis, & c. Septuaginta ergo anni Iudaicæ captiuitatis iam tũc expleti erant, cùm Babylon capta est à Persis ac vastata est. At rẽ hanc primo anno Cyri gestã esse, nemo est qui ignoret. Itẽ Hieremiæ 29. Cũ cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbũ bonũ, vt reducã vos ad locum istũ. Quam vaticinationẽ primo Cyri anno fuisse expletã 2 libro Paral. cap. 36. & 1. libro Esdræ, cap. 1. non obscurè traditur. Atq; Hieronymus ipse, quamuis alijs in locis aliter senserit, in hunc tamen Hieremiæ locum non potuit cum manifesta veritate pugnare. Nisi, inquit, septuaginta anni expleti fuerint, Cyro rege Persarum laxante captiuos, nequaquam in patriã reuertemini.

A contraria parte illud primũ est, quòd angelus, qui in Zacharia loquebatur, Vsquequo, ait, nõ misereberis Hierusalẽ, & vrbiũ Iuda, quibus iratus es? Iste iã septuagesimus annus est istum aũt annũ Darij secundũ, eundẽ esse, Zacharias cap. 1. testatus est: non ergo 70. anni in primo anno Cyri, sed in secundo Darij cõpleti sunt. Quo argumento Clemẽs, Theodoretus, Eusebius, Hieronymus, Augustinusq; nituntur. Quòd verò exponunt quidã, iste iam 70. annus est, scilicet iam diu transactus, vix audiri sine molestia potest. Cùm pronomen, Iste, hanc intelligentiam euidentissimè excludat: quasi pronomen abijceretur, esset fortasse probabilis. Deinde 70. illi anni, quos prædixerat Hieremias, non transmigrationis Iudæorũ, sed desolationis templi ac ciuitatis intelliguntur. At 70. desolationis anni non sunt ad primum Cyri annum, sed ad secundum Darij referẽdi. Annus ergo septuagesimus, de quo est Hieremiæ vaticinatio, nõ in primo Cyri anno, sed in Darij secũdo expletus est. Illud prius, quod in hac argumentatione sumpsimus, ex 2. Paral. cap. 36. probari facilè potest, vbi hæc verba scripta sunt: Cunctis diebus desolationis egit sabbathum, vsque dum complerentur 70. anni, & c. Et Danielis 9. In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorũ, ego Daniel intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam

* Sic omnes Hebræi testãtur. Sed Hiero. videns Hæbræo viroque modo vocẽ accipi posse, reliquit in Latina lingua illam eandẽ Hebræam vocem.

Certè habuerunt aliud exemplar Hebraicum.

Lib. 11. de anti. Iuda. cap. 4.

Zach. 12. Idẽ confirmãt verba illa: Cũ ieiunaretis & plangeretis per hos 70. annos. et c.

Trãsmigrationẽ hic dico, cũ Ioakim sponte dedidit se, trãslatus que est in Babylonẽ anno 8. regni Nabuchodonosori.

Quomodo Ezechiel. 1. vsurpatũ est, ac rectè quidem, vt Hierony. in Hiere. 24. ca. annotauit. Nam transmigrationis vocẽ scio à Iosepho aliuq; aliter quãdoque vsurpari.

remiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni. Et Hieremiæ 25 Et erit terra in solitudinem, & in stuporem, & seruient regi Babylonis 70. annis. Anni ergo septuaginta non transmigrationis, sed desolationis intelligendi sunt: vt Iosephus etiam testis est libro de antiq. 10. ca. 10. & 11. & libro 10. cont. Appio. Desolationis autem annos nõ in primo anno Cyri, sed in secundo Darij fuisse completos, id enim posteriore loco sumptũ est. * Esdræ testimonio à Hieronymo comprobatur. Esdras quippè verbis minimè obscuris testimonium perhibet, templum vsque ad Darij tempora deturbatum perstitisse. Septuaginta igitur euersionis annos non ad primum Cyri annum, sed ad Darij secũdum computare debemus. Quibus ex rebus satis profectò intelligitur, quantis omninò tenebris quæstio præsens sacras etiam literas circunfundat. Sed in ratione quoq; rẽporum adeò impedita, & complicata est, vt vix aut nullo certè modo expediri atque extricari possit. Clemens porrò Alexandrinus à desolationis initio, quod decimo nono Nabuchodonosori anno, & Sedechiæ vndecimo fuisse, 4. Reg. 25. scribitur, ad primum annum Cyri, quo laxata captiuitas Iudæorum est, non nisi triginta annos computauit. Cui numero, vt dixi, Eusebius, Theodoretus, Hieronymus, Augustinusque consentiunt. Cuius rei etiam illud argumentum est, quòd si ad imperium Cyri 60. anni interfluxêre. Mardochæus certè ea ætate reales ac tantas gessisse inuenietur, qua per summam senectutem, non dico Rempub. administrare, sed ne inter vi-

Esther 2. et 11.

uos quidem numerari possit. Fuit nanque ex eorum numero captiuorum, quos cum Iechonia rege Iuda Nabuchodonosorus transtulit. Quare vel secundum illos, qui non à desolatione, sed à transmigratione 70. annos computare volunt expleta captiuitate, hoc est, primo Cyri anno, iã Mardochæus erat propemodum octogenarius, Nisi credamus illum bimum aut trimum in Chaldæam esse translatum. Sed facanniculum fuisse. Minimũ ergo, vnum & septuaginta annos natus erat, quando laxata per Cyrum captiuitas est. Cyrus autem, vt nobilissimus quisque tradit historicus, aut triginta, aut triginta fermè annos

annos imperauit: Cambyses, & Magi imperarunt nouẽ. In principio itaque regni Darij Histaspis Mardochæo anni ætatis centum decem accesserant. Ponamus igitur id, quod videtur cum ratione pugnare minus, Darium fuisse cum, sub quo res Mardochæi gestas scriptura complectitur. Nam illas sub Arihaxerxe Longimano, aut etiam sub Memnone contigisse, vt qui multis annis Dario fuerint posteriores, longè incredibilius est. Nullo verò modo probabile ad Cambysen filium Cyri, hæc ipsa traducere, qui octo solùm annos tenuit imperium. * At post duodecimum Assueri annum quædam Mardochæi gesta historia sacra commemorat. Non ergo Assuerus illi Cambyses fuit, præsertim cum huius acta actis illius nullo pacto cohæreant. Manet ergo, Mardochæum eo etiam tempore, quo ad centesimum vigesimum secũdum annum vitam perduxerat, non imbecillum, ingrauescentem, senióue confectum: sed solidum, robustum, ac valentem in rebus magnis præclarisque gerendis fuisse versatum. Quod in illis seculis vix credi potest. Vtpotè cum multo antè nondum hominum ætate adeò inclinata, illud propheta dixerit, Si autem in potentatibus 80. anni, & amplius eorum labor, & dolor. Quas ob res triginta anni, quos ad primũ Cyri Augustinus, Hieronymus, Eusebius, Theodoretus, Clemensque Alexãdri. colligunt, historiæ libri Esther magis conuenire, & quadrare videntur: quàm numerus 70. qui aliorum opinione colligitur. Nisi Philonis Anniani fabulis delectamur, qui Mardochæum ait decem & octo annis ætatem Isaaci superasse. Verùm enimuerò * Iosephus à decimonono anno Nabuchodonosori, quo anno templum deturbatum euersumque fuisse sacræ literæ produnt, ad finem regni Balthasar, cũ Babylon à Dario, & Cyro capta est, 6. Virum non

Clemens Alexãdrinus, Eusebius, Hieronymus, Africanus, 30. annos Cyro tribuunt. Hero. 29. Solus Metasthenes Annũ. 24. assignat: sed à Babylone tamen expugnata. Itaque re ipsa idem cum cæteris sentit. Confer principium lib. Esth. cum initio capitis tertij 3. lib. Esdr. huius opinionis Ioãnes Carion fuit. Iosephus li. 11. anti. ca. 6. Virum Esther Longimanum credidit. Euseb. in Chronicis Memnonem Iosephum videtur sequi Augu. lib. 18. de Ciui. cap. 36.

Iosephus 6. annos solum illi assignat, li. 11. an. Iud. ca. 2. Herodotus lib. 3. anos 7. & menses 5. cui potius habenda fides, quoniam eo tempore fuit.

Cambyses parum propitius Iudæis fuit: Assuerus multum.

*Cẽtesimum trigesimum secundum colliges, si à desolatione 70. annos enumeres, vt verè sunt enumerandi. * Lib. 10. anti. ca. 13.*

Euilmerodach legit Hie. Dani.

non solùm 70. annos, sed multò etiam plures enumerat, scribit enim Abilamarodachum, Nabuchodonosori filium annis 18. imperasse. Niglisarem deinceps annis 40. Labosordachū pòst mensibus nouem. Balthasarem deniq; annis 17. Itaque præter annos, quibus à templo vastato Nabuchodonosor⁹ vixit, qui fuere nō pauci, septuaginta sex alij, si Iosephus vera dicit, ad primum Cyri intercesserunt. Berosus autem in 3. libro Chaldæorum nō nisi 48. annos à desolatione ad Cyrum supputat. Nabuchodonosorum nanq; ait 43. annos imperium tenuisse. Huius filium Euilmerodachum annos duos. Niglisar, quem maritum sororis Euilmerodachi fuisse tradit, annos 4 Labosordachum Niglisaris filium menses nouē. Nabonidum ex eadem gēte annos 17. cuius postremo anno Babylon à Cyro capta est. Quæ eadem fermè computatio ex Phœnicū historijs habetur, quas Iosephus 1. contra Appi. lib. retulit. At Metasthenes à vastatione Hierusalē ad primum annum Cyri septuaginta annos computauit in hunc modum. Nabuchodonosorus, qui templum euertitq; vastauit, imperiū tenuit 46. annis Euilmerodach filius eius 30. Re. Assar huius filius 3. Lab Assar, Dachuius frater 6. Balt Assar horum etiā frater 5. Si. n. accepit annos 26. annos, quibus post euersum templū * Nabuchodonosorus vixit, & illis addideris 44. quib. Nabuchodonosori filius vnus ac tres nepotes imperarūt, cōficies eū numerū 70. In ratione igitur temporū quæstio hæc valdè implicita est, atq; ita implicita, vt ne à viris quidē historiæ peritis explicari potuisse videatur.

Euilmerodachi filij Nabuchodonosori 37. annos interfluxisse scribitur 4. Reg. 25.

Iosephus lib. 10. an. cap. 7. scribit Ioakim 8. anno regni sui fuisse à rege Babylo. captum Sed contra Dani. 1. dicitur, quod anno tertio regni Ioakim venit Nabuchodonosor.

Bed⁹ ponit mortē Nabucho. à 31. anno post euersionem Hierosolimorum.

Nam Iudæi quippè, qui Chronographiæ penitus sint ignari, nihil hoc loco, & quæstione valent, nisi mera somnia fingere. In quibus etiā Liranus est, qui suo arbitratu 70. annos ab 8. Ioakim patris Iechonię ad quartum Cyri numerauit, tantum vt sententiam suam diceret, nullius grauis authoris testimonio subnixā, nulla annalium ratione. *Quòd autem eodem anno sit captus, Eusebius in chronicis docuit.*

tione probatam, nullis argumentis persuasam, à sacris etiam literis alienā. Sed hoc in re ambigua ferri potest. Illud quis ferat? quod nō nulli apud Eusebium à 13. anno Iosiæ ad primum annū Cyri septuaginta illos annos, de quibus est controuersia, computandos esse astruxerunt. Quid? quòd in hac etiam quæstione illud varium atque intricatum est, quod vel maximè erat explicatu necessariū, vt huius quæstionis difficultas exponeretur. Nempè an Balthasar filius Nabuchodonosori fuerit, an nepos an pronepos. Nam si verum est, quod Eusebius ait, Balthasar filium fuisse Nabuchodonosori, fratrem Euilmerodachi, nihil absurdum videtur dicere, cùm negat à demolitione templi ad primum Cyri annum plures, quam 30. annos intercessisse. Sin aut idē Nabuchodonosori non filius, non nepos, sed pronepos fuit, tū verò inter euersionem ciuitatis, & primum annum Cyri non nisi triginta annos interfluxisse, nullo modo esse credibile. At fuisse pronepotem Hieronymus auctorib. Beroso ac Iosepho in 5. Danielis caput affirmat. Et refertur de verbo, significa. Nam & rex. Quanquam Iosephus libro decimo an. c. 13. Balthasar nepotem Nabuchodonosori fuisse scribit. Quod & Metasthenes Annianus asseruit. Quæ omnia idcirco à me tam prolixè sunt posita, vt lector intelligat primùm, huius argumenti quæstio quantis sit difficultatibus illigata: deinde ne in re perdifficili ac perobscura quam explanare nemo adhuc potuit, sententiā à me expectet perspicuam, certam, constantem: sed probabilem, vero similem, minimè absurdam.

Principiò igitur illud pono, quod, nisi ego fallor, satis abundè probatum est, septuaginta annorum initium à desolatione sumendum esse, non à transmigratione, hoc est, non ab 8. anno regni Nabuchodonosor, cum Ioakim cognomento Iechonias vltro se dedidit, 4. Reg 24. sed ab vndeuigesimo eiusdem Nabuchodonosori, quando Nabuzardan templum, domos, murosque ciuitatis euertit, 4. Reg. 25. Id quoniam, vt dixi, ex 2. Paralip. cap. 36. primo Esdr. primo, & Hieremiæ 25. ostensum est, superuacaneum existimo, si eadem iterum resumantur. At Caietanus in 2. Para. 36. caput contrà dicit à Iechoniæ trāsmigratio-

gratiõe 70. annos computari oportere, quod Hieremias cap. 29. ijs, qui cum Iechonia traslati sunt, ait: Cum cœperint impleri in Babylone 70 anni visitabo vos, & suscitabo, &c. Verùm satis expedit um est, ea, quæ cap. 29. dicuntur, ad sensum capitis 26 esse referenda. Non enim inquit, Cum cœperunt in vobis impleri 70. anni, sed, Cũ cœperint impleri 70. anni, illi scilicet, quos prædixerat. Perspicuum est autem 70. annos capitis 25. desolationis intelligendos esse. Tum quoniam omni populo Iudæ loquitur, vt patet ex initio capitis. Tum quoniam per transmigrationem Iechoniæ non est facta vniuersa terra illa in solutionem & stuporem. Tum quoniam statim subditur, Et seruient omnes gentes istæ regi Babylonis 70. annis. Si autem soli illi, qui cum Iechonia commigrarũt, 70. annis seruierunt, quomodo omnibus dicitur, Et seruient omnes gentes istæ, & c. Nempè etiam vicinæ Hierusalem, & c. Quid? quòd etiam si solitudinis fuisset 70. anni desolationis tamen non fuerunt, si à transmigratione Iechoniæ computamus? Aliud quippe est solitudo, aliud desolatio. Non ergo 70. anni à transmigratione Iechoniæ numerandi sunt. Quamobrem qui vel à 15. anno Iosiæ, vel etiam ab 8. Ioakim, aut à tertio quoque huius cõputare 70. annos incipiunt, eos equidem ab hac disputatione, multo magis remouendos existimo.

Primum itaque fundamentũ præclarè iactum est. Deinde nõ mihi sanè verosimile fit, à desolatione ad primũ Cyri annum non nisi annos triginta interfluxisse, quos Eusebius, & qui Eusebio consentiunt, Theodoretus, Hieronymus, & Augustinus numerent necesse est, si ad secũdum annum Darij Histaspis, septuagesimi anni absolutionem trahant. Constat quidem Nabuchodonosorum patrem Euilmorodachi ad quadragesimum quintũ annũ imperiũ perduxisse. Quos illi verè Metasthenes Annianus tribuit. A transmigratiõe enim Iechoniæ ad primum annum Euilmerodachi 57. anni affluxerunt, 4. Reg. 25. & Hieremiæ 25. Iam ergo Nabuchodonosorus hos triginta septem annos imperauit. His si addas 8. annos quos ante regnarat 4. Reg. 24. annos quinque & quadraginta conficies. Nec huic sententiæ repugnat Hieronymus,

Alij Hidaspim vocãt

mus, qui in Dani. 5. caput Nabuchodonosorum ait annis tribus & quadraginta regnasse. Quam sententiam ex Iosepho accepit, 1. contra Appionem libro, Iosephus verò à Beroso in 3. lib. Chaldaicorum. Computat namque annos integros, non integros excludit. Qui mos est auctoribus profanis sacrisque familiaris. Sic Hieremiæ 2. scribitur, primum Nabuchodonosori annum, eundem regis Ioakim fuisse quartum. Cùm tamen anno tertio Ioakim regis Iuda, Nabuchodonosor rex Babylonis in Hierusalem venerit, & obsederit eam. Daniel. primo. Eodem autem tertio anno Ioakim, Iudæam captam à rege Babylonis Eusebius etiam in Chronicis auctor est. Annus ergo tertius Ioakim primus erat Nabuchodonosori, sed non integer: annus verò Ioakim 4. idem Nabuchodonosori primus integer fuit. Nos porro annos Nabuchodonosor 45. licet non omnes integri fuerint, numeramus. Sicque de annis non integris in tota hac disputatione loquimur. Vnde error Eusebij coarguitur, qui non nisi 38. annos imperij Nabuchodonosoro assignauit. Ponit enim illius mortem anno à desolatione 19. cùm in vigesimo sexto ponenda esset, si verum est, vt verum est certè, Nabuchodonosorum post desolationem 26. annos imperium tenuisse. Nam à 19. anno, in quo templum vastatum est, ad 45. ad quem Nabuchodonosorus vitam regnumq; perduxit, anni sex & viginti computantur. Item si à 37. annis, quos à transmigratione Ioakim Nabuchodonosorus vixit, vndecim ademeris, quibus regnauit Sedechias, 24. annis pariter supputabis. Atque hinc etiam error alter Eusebij refellitur, qui Euilmerodocho cæterisq; Nabuchodonosori posteris quatuor duntaxat annos imperij reliquit, aut plurimùm 6. neque eos integros tamen. Certè si à desolatione ad primum annum Cyri triginta anni numerentur, cùm viginti sex ex illis Nabuchodonosoro accesserint, quatuor solùm aut quinque restant, quos Euilmerodacho, Neglisari, Labosardacho, Balthasari, impartiamur. Hos enim Nabuchodonosoro, ordine *Danie. 5.* successisse non Iosephus modò affirmat, verùm & Hieronymus Berosum prodidisse consentit. Quæ res om-

ninò mihi magnam admirationem mouet. Quid enim causæ Hieronymò fuerit, equidem non intelligo, vt Berosò Iosephòque consentiens Balthasar Nabuchodonosori pronepotem fuisse credíderit, & cum Eusebio tamè à fine regni Nabuchodonosori ad primum Cyri annum adeò paucos annos computârit. Eusebius enim excusari fortè potest, qui Balthasar fratrem Euilmerodachi fuisse, filium verò Nabuchodonosori existimauit. Sed cur Eusebium excusem? Cùm Matthæus dicat Iechoniam post transmigrationem Babylonis genuisse Salathiel, Salathiel autem Zorobabel. Hic autem in primo anno Cyri iam grandior erat, cùm esset dux & princeps Iudæorum. At ne intelligi quidem potest, Iechoniam in tam paucis annis ab Eusebio computatis, nepotem adeò adultum habuisse. Non ergo à desolatione ad remigrationem 30. solùm anni intercesserunt. His duabus conclusionibus illā adijcio, A desolatione ad primum Cyri annum 70. annos interceſſisse. Quam ego conclusionē negare non queo, cùm 25. c. Hieremiæ & 36. 2. Paral. diligenter expendo. Si quis aūt his scripturæ testimonijs aptè ac probabiliter respondebit, cum eo equidem non magnoperè contenderim. Mihi profectò, vt dixi, nulla via explicandorum eorum testimoniorum apparet, nisi planè consentiendo, quòd ad primum annum Cyri 70. desolationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quoddam rei huius summam ita distinguere, vt captiuitatis septuaginta annos à transmigratione ad primum annum Cyri cōputent: at in secundo Darij anno septuaginta desolationis absoluant. Quod si verum esset, discrepantium opinionum probabilis sanè cōcordia esset inuenta. Sed nihil falsius inuenio, cùm ad veritatē cœpi reuocare rationem. Transmigratio enim fuit in anno Nabuchodonosori octauo, vt 4. Reg. lib. c. 24. scribitur. Desolatio verò in eiusdē Regis anno vndeuigesimo facta est, 4. Reg. 25. Vastatio ergo post vndecim annos trāsmigrationi successit. A primo autem anno Cyri ad Darij secundum, sine controuersia plures, quàm triginta interfluxerunt. Nullo ergo modo fieri potest, vt a trāsmigratione Iechoniæ ad primum annum Cyri 70. anni, à desolatione item ad annum Darij secundum, septuaginta alij numerentur. Quocirca varijs dissentientium auctorum sententijs omissis, ad argumenta cum tertia hac conclusione pugnantia respondeamus.

Vide Theodore. in 1. Zacha. cap.

Obijcitur primùm, quòd angelus apud Zachariam, cùm de secundo Darij anno loqueretur, Iste, ait, iam septuagesimus annus est. Cui nos argumento ante omnia respondeamus, locum illum ab interprete Chaldęo sanctęque Pagnino, multò aliter atque ad scripturę sensum, fortasse aptiùs fuisse cōuersum. Horum porrò versio sic habet, Vsquequo Domine non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es istis septuaginta annis? Nimirū enim apud Hebræos interrogatio non in illius orationis medio rumpitur, sed ad finem continenti sermone produci potest. Qua ex re fit, vt in editione nostra, tametsi oratio diuisa est, duæ tamen interrogationes in vna angeli quærimonia intelligantur. Quarum prior illa sit, Vsquequo Domine non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Posterior illa, Iste septuagesimus annus est? Quasi angelus in hūc modū conquereretur: Itáne Domine promissionis tuæ oblitus es? Num iste est septuagesimus annus, quem scilicet & tu nobis tanta benignitate promiseras, & nos à te tam ardenti desiderio expectabamus? Ecquid nobis confert laxata captiuitas, facultas concessa & templum extruēdi & ciuitatem, si illud euersum, hæc vastata perseuerat? Nec verò insolitum est, vt quædam passim sine nota interrogandi proferantur, quę rectiùs aliter enunciarentur. Habes exemplum, vt cætera omittam, in epistola ad Romanos capite octauo, cuius nos particulam sic pronunciare solemus, Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. At Augustinus rectissimè indicat, sic legi ac proferri oportere: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat: vt tacitè respondeatur, non. Et item, Quis est, qui condēnet? Christus Iesus, qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis?

Zach. 1.

3. de doctr. Christia. cap. 3.

Quasi dicat, absit. Quo in loco vides percunctationibus duabus duas interrogationes adiunctas, cùm multũ habere venustatis, tum acrimoniæ plurimum. Quod ego idem in præsenti de angeli querela sentio. Maior quippè vis in illa inerit, si duabus interrogationibus continebitur. Sed fac, nihil hic percunctatione quęsitum. An nè idcircò nihil est, quod non dolore expressum videatur? Puto equidem, nec absurdè puto, illa quasi dolentis ac deiecti animi verba esse, quæ nihil minus conquestione depressa, quàm sublata interrogatione significent. Id quò melius intelligatur, exemplis etiam scripturæ illustrandum est, quæ apertè mihi rem totam videntur exponere. Hieremias primùm duas quoque querelę eiusdem partes faciat: quarum vna interrogationẽ habet, altera non habet. Quare, inquit, via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Simillimum ex Habacuc exẽplum proferam: Quare, ait, non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. Num prophetæ hi aliud cõquestione atque interrogatione denotârunt? Num quicquam asseruêre, dum queruntur? Non certè plus, quàm dum interrogant. Ad eundem ergo modum angelum in Zacharia duas suæ querimoniæ particulas fecisse intelligo: quarum prior per interrogationem expressa sit, posterior per conquestionem. Nõ itaq; asserit, illum annum, in quo loquitur, septuagesimum à desolatione esse: sed istum tam promissum, tam desideratum, iam diu præterijsse conqueritur. Nihil enim, vt modò diximus, conquerendo exprimit, nisi quod interrogando expressisset. Irã Dei, scilicet, vltra tempus præfinitum trahi, illa interrogatione questus est. Vsquequo nõ misereberis. Misericordiã itẽ plus nimio differri questus est, illam conquestionem adijciens, Iste septuagesimus annus est. Quod non vultu asserentis, sed flentis, voce videlicet queribunda, proferendum est. Verùm de Zachariæ testimonio satis. Opponitur deinde, quòd anni septuaginta nõ captiuitatis, sed euer-

Hiere.12.

Habac 1.

sionis numerandi sunt. Id quod nos libentissimè concedimus. Sed septuaginta euersionis annos non in primo Cyri, sed in Darij secundo expletos esse: id verò constantissimè pernegamus, nõ nostra opinione nos, sed scripturæ testimonio freti. At inquis: Templum vsque ad Darij secundum annum deiectum euersumque permansit. Si nihil templi factum intelligis, falsum est. Cùm in primis Cyri annis altare fuerit extructum, templiq; fundamenta iacta, vt 1. Esd. li. c. 3. & 5. scribitur. Sin templum ais non fuisse Cyro regnante perfectum. Ita est sanè. Sed ne vsque ad Darij sextum quidem annum perfectum est, quemadmodum 1. Esd. lib. ca. 6. legimus. Quin Iosephus memoriæ prodidit, templum vsque ad nonum annum Darij non fuisse omni ex parte expletum. Cui opinioni Iudæi consentientes 46. annis aiunt templum ædificatum. Atque idem Iosephus libro eod. cap. 5. tradit, templum ne anno quidem Xerxis. 25. esse suis numeris absolutum. Quocirca si demolitio templi tam diu perdurasse intelligitur, quamdiu informatum illud atque imperfectum mansit, nimirùm septuaginta anni non iam ad secundum, sed ad sextum, vel nouum Darij, vel etiam 25. Xerxis numerabuntur. Quid, quòd 70. anni vastitatis non modò templi, sed vrbis etiam intelligendi sunt? Ego, inquit, intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo ad Hieremiam prophetã, vt complerentur desolationis Hierusalem 70. anni. Si igitur ad eum modum annos vastitatis accipimus, cùm Hierusalem in 20. etiam Artaxerxis anno adhuc deserta perstiterit, muti dissipati, portæ consumptæ, vt 2. Esdr. cap. 2. habes, dicemus vtique 70. illos annos ad Neemiæ quoque tempora protrahendos, cùm ciuitas ab eo est per Artaxerxis imperium instaurata. Nos ergo, tametsi in secundo, vel saltem tertio Cyri anno templi fabricã inchoatam esse credimus, 70. tamen euersionis annos tunc expletos arbitramur, non quando tẽplum, aut incœptum, aut consummatum est, sed quando Iudæis est laxata captiuitas, dataque adeò facultas, vt in patrium solum remigrarent, altare extruerent, fabricarent templum, ciuitatem reficerent, ruinas implerent. Quẽ ominò sen-

Dan. 1. 2. Par. 26. & 1. Esd. 1.

11. lib. antiq. c. 4. Ioan. 2.

Dan. 9.

In secundo anno Cyri templi fundamẽta posita, Iosephus 1. cõ. Appi. libro tradit.

Cui ego libenter assentio.

2. Par. 36. 1. Esd. 1. ninò sensum, vt diximus, à sacris videmur literis accepisse: quæ verbum Hieremiæ primo Cyri anno impietũ esse tradiderunt.

At Mardochæi ætas, imò potiùs res præclarè gestæ cum nostra opinione dissentiunt. Nã si tanta fuit, quantam ex nobis aduersarij colligunt, non modò summa, sed decrepita etiam ac caduca fuit, nec rebus ita magnis gerendis idonea. Cuius argumenti responsio illa, quæ à viris doctissimis accepta est, non est omninò contemnenda. Ecquid enim absurdi est, si illis adhuc seculis homo vnus aut alter ætate, temperamento, corporis animique vigore, longè reliquis sui temporis senibus antecelluerit, cùm etiamnum quidem sint, quorum in summa senectute, nec ingenium, nec memoria, nec cæteræ animi vires nõ modò labefactatæ, sed ne extenuatę quidem videantur? Atq; hac responsione illud quoque argumentum diluitur, q̃ ex Aggæi 2. trahi potest. Quis in vobis, inquit, est derelictus, qui vidit domum istam gloria sua prima? &c. In secundo igitur anno Darij quidã supererant, annos nati 116. & eo amplius. Si enim 70. annis desolationis, 30. Cyri, Cambysis, & Magorum 9. Darij duos & quinque, vel etiam septem addas, quibus ante vastitatem vixerant, si templum videre, & gloriæ eius post tot annos recordari potuissent, certè summam illam 116. annorum conficies. Atque hæc responsio quidem minùs absurda iudicabitur, si 30. Cyri anni non à capta Babylone, sed ab Astyage victo numerentur. Tũc enim primùm Persarum ac Medorum regnum accepit. Denique hoc quoque respondẽdum censeo: Quòd Mardochæus fuisse legitur de eo numero captiuorum, quos transtulit Nabuchodonosor cum Iechonia rege Iuda, non sic accipi oportet, quasi is ipse tunc fuerit inter captiuos numeratus, sed quasi ex illis extiterit, exque eis duxerit origenem. Hoc verò in Mardochæi laude scriptura posuit, quòd non ex ijs fuerit parentibus, qui Prophetis contradixerunt: sed ex ijs, qui Hieremiæ obtemperârunt. Quæ huius loci interpretatio ex primo Esdræ libro cap. 2. colligitur. Vbi numerantur illi, qui ascenderunt de captiuitate, quã transtulerat Nabuchodonosor, & in

Hiero. annum Magorum perpetuò excipit, & 8. solũ Cambysi assignat.

& in Iudæam reuersi sunt; cùm ex ipsis quidam non in Babyloniam venerint, sed patres eorum. Compertum siquidem ex Matthæo est, Zorobabelẽ in Babylone genitum fuisse: Sed & 3. Esdr. lib. c. 5. ita legis: Sunt autem hi qui ascenderunt ex Iudæa, &c. Nullam ergo vim scripturæ afferimus, si interpretamur Mardochæum de Hieru. salẽ translatũ esse, quòd pater eius translatus sit. Quòd si quis adhuc hanc intelligentiam violentam esse contendat, & sic quòque respondere possumus. Assuerus ille, de quo in libro Esther perpetua mentio fit, Astyges fortasse fuit pater Darij Medi. Hunc enim Daniel cap. 9. Assuerum vocat. Vel certè Cyaxaras huius pater: quem primùm Asię populos in prouincias distinxisse, Herodotus tradit. Fuisse etiam ait, cũ ingẽti tenebatur ira, peracerbum. Quę omnia in Assuerum apprimè cõueniunt, qui in libro Esther eisdem coloribus pictus est. Nec refert hi an alij Medorum reges ante Cyrum Asię imperitarint. Scimus enim Ctesiam Guidium apud Diodorum in tertio, alios atq; Herodotus scripsit, posuisse. Sed Herodotum Eusebius sequitur. Accedit, q̃ nusquam Assuerus iste rex Babylonis dicitur, sed Persarum atq; Medorum. Ante Cyrum autem & Darium auunculũ vna erat monarchia Medorum atq; Persarum: Babyloni rex prorius imperabat, vt in primo libro Herodotus scribit. Accedit etiam quòd huic expositioni omnia cõsonant, nec ex ea quicquam absurdi emergit. Nam quòd Mardochæus primum in Babylonem translatus sit, deinde in Susis appareat, nulla repugnantia est. Constat enim sieri potuisse, vt Babylonij quosdam ex captiuis Persis Medisq; vendiderint: vt causas alias omittam, quæ eius rei multæ esse potuerunt. Danielem sanè in Babylonem principio translatum, compertum est; at in Susis postea extitisse capite eiusdem Prophetæ 8. legimus * Quanto illud vrgentiùs aduersarios premit, quod si tempore, aut Darij Histaspis, aut Arthaxerxis Lõgimani illa cõtigissent, quę ipsius Esther narrat historia, nullo modo Esdras Neemiasq; silentio præterijssent. Nã hæc ad Artaxerxis, Memnonis tempora referre, si Mardocheus cum Iechonia commigrauit, somnio quàm simillimum est.

Hier. cõmẽtũ sequitur.

Assuerũq; illum Arthaxerxẽ à Græcis appellatũ ait. At nec Astyages, nec Cyaxaras Arthaxerxes vocatus est.

Narrant Hebræi, vt in 10. Zach. ca. Hier. refert, captiuũ populũ nõ solũ in Medos & Persas, sed quoq; & Septẽtrionalẽ plagã à Chaldæis esse trãslatum.

Ratio Eusebij.

Nec me fugit, Susa regiam aliquando Medorũ ac Persarum ciuitatem, in qua Assuerus conuiuiũ illud instruxit, à Dario Histaspis filio conditam, Plinium li. 6. c. 27. scribere. Quæ res si vera est, illa de Astyage aut Cyaxare sententia vera esse non potest. Sed Plinij nos auctoritas vrgere nequit. Quin multò probabiliùs Strabo in libro 15. scribit, Susa Thitoni patris Memnonis ædificiũ esse, Atq; Herodotus lib. 5. vrbem Memnonis, vocari solitã, ait. Non Arthaxerxis Memnonis sed illius præstantissimi iuuenis, qui Priamo è Syria auxiliaturus venit, qui et iam in Susis regiam ædificauit, Memnoniam ab illo cognominatam, vt Diodorus scripsit in 3. Susa verò ante Cyrũ fuisse condita, Daniel certissimus auctor est. Anno inquit, tertio regni Balthasar, cùm essem in Susis, &c. Quam vrbem Metropolim esse regionis Elamitarũ Hieronymus verè quidem interpretatur, sed in ea Danielẽ turrim extruxisse falso existimat. Iosephus siquidem in 10. lib. postremo cap. Danielem, ait, apud Ecbatana Mediæ turrim eam ædificasse; apud Susa verò primariam Persidis vrbẽ illa vidisse, quę Danielis 8. narrantur. Quãquam Susa propriè nec Persidis, nec Mediæ ciuitas est, Sed Susiæ Persis Mediscq; vicinæ. Quæ quoniam nõ duabus his prouincijs modò, verumetiam Babyloni confinis erat, inque harum triumregionũ mideo collocata: ideo reges Persarum atque Medorum in ea sedem imperij locauerunt. Quod Cyrum fecisse Strabo affirmat, nos alios etiã priores fecisse credemus. Iam si Susa principium regni Assueri fuit, vt 1. lib. Esther cap. dicitur, non fuit autem, aut Darij Histaspis, aut Longimani, aut alterius Arthaxerxis cognomento Memnonis Susa regni principium: sed vel Thitoni, vel alius regis, qui primus Susa nobilitauit, atque inde exordium imperij sumpsit, certè non est absurdum Assuerum virum Esther Astyagem Cyaxarémue huius patrem intelligere. Vterque enim Medis etiã ac Persis imperauit, quẽadmodum scribit in 1. li. Herodotus. Restat vt illud tandẽ exponamus, qui fieri potuerit vt 70. annos, quos prędixit Hieremias, Iosephus in primo Cyri anno expletos dicat: cùm multò plures ipse idem in Nabuchodonosori posterorũque huius

Ptolom li. 6. ca. 2. & 4.

huius imperio computarit. Sed in numeris Iosephi libri menda habent innumera. Quæ ego menda viro diligentissimo atq; grauissimo assignare nec volo, nec debeo. Librariorum ergo vitio accidisse credendũ est, vt in Neglisaris regno, pro 20. subiecta fuerint 40. in Balthasaris autẽ, pro 7. posita fuerint 17. Hos enim duos numeros si correxeris, 70. anni constabunt, quos Iosephus à desolatione ad 1. Cyri annum scripsit effluxisse. Sic tamẽ 70. annorũ summa constabit, si post desolationem solos 25. Nabuchodonosoro tribuas. Quòd 269. incœptus fuit nõ absoluttus, si excludas item postremũ Balthasaris, q̃ in illius initio Babylon in Cyri ditionem venit. Ac si 5. annos Balthasari dedit, sed ex scribentiũ vitio substituti sunt septendecim, tunc 70. anni cõflantur, nec opus erit eos, q̃ integri nõ fuerunt, excludere. Verũ in his minutulis explicandis ego quoq; mihi ipse displiceo. Sed harũ rerum curiosis semel satis faciendum fuit. Et Gordianus iste nodus, quãuis multo labore verbisque etiam multis, erat tamen explicatè distinctèque soluendus.

Decimum argumentum facile est quidem, sed ad scripturæ cognitionem explicatu necessariũ. Non enim Hieronym. solùm, sed Aggæus etiam scribit in secundo Darij anno, templi esse fundamenta iacta. Atq; illud, q̃ ex commentarijs in Danielem obiecimus, nihil habet omninõ quæstionis. Cùm Hieronymus ipse in Isaiæ 44. caput sua verba fuerit interpretatus. Cyro viuente, ait, tẽpli iacta sunt fundamenta. Cæterùm sub Dario anno illius secundo, templum ædificari cœptum est. Hoc itaq; facillimum. Id difficiliùs, quod Hieronymus, imò Aggæus ipse dicit in hæc verba: Ponite corda vestra à die ista & in futurum: à quarta & vicesima nona mensis, à die, qua fundamẽta iacta sunt tẽpli Domini, &c. Et Hieronymus, A die vicesimo quarta noni mensis, in quo tẽpli fundamenta sunt iacta, &c. Loquitur autem sine dubio propheta de nono mensi anni secundi sub Dario. Huic argumento variè quidem à multis responsum est. Liranus sentit, fundamenta hoc sanè loco appellari, partem ædificij inferiorem, quæ cæteras sustentet ac ferat, etiamsi non sit, sed fundamenta imis superposita. Beda

In Agg. 2. cap.

credit; atque id receptius est, templi interioris fundamenta viuente Cyro fuisse posita: atrij verò exterioris porticuum Gazophilacij in secundo anno Darij. Illud quoq; dici potest, sub Cyro fundamēta inchoata informataque fuisse, sub Dario perfecta & consummata. Adde, à Cyro ad Darium 40. annis interfluentib. fundamēta & temporum iniuria, & inimicorum operā fuisse pro pemodum euersa & labefactata: sed sub Dario reconcinnata refectaq; fuisse. Vnde & Iosephus Ruffino interprete, scripsit, quòd sub Dario fundamentis restitutis superædificabatur. Atque, vt quemadmodum sentio, non mihi Aggæus videtur astruere, quod in secundo Darij anno templi fundamenta iacta sint. Sed hunc sensum Propheta habet: Attendite non solùm existā, quæ videlicet est vicesima & quarta noni mensis; sed die, qua fundamenta iacta sunt templi, & inuenietis in templo meo inchoato nullos vberiores fructus prædia vestra tulisse. Nimirum enim negligentibus Dei religionē & cultum, nihil adhuc prosperè euenit. At ex die ista benedicam, &c. Et hic sensus paulò antè fuerat explicatus his verbis: Et nunc ponite corda vestra, à die hac & supra, antequam poneretur lapis super lapidē in templo Domini, &c. Quasi ex eo tempore, quo primùm iubente Cyro è Babylone venerint, eorum frugib. maledixerit, nec quicquam eis feliciter terra produxerit, quòd in Dei & opere templi structura cessauerit. Sed de argumento decimo hæc satis.

Refertur in Gloss. ordinaria. 1. Esd. 6.

Li. 11. c. 4.

In vndecimo non est facilè expedire, quisnam ille Arthaxerxes fuerit, qui cum Cyro & Dario iusserit templū ædificari. Rabbi Samuel eundem esse credidit Darium & Arthaxerxem. Hoc enim non proprium nomen, sed regum Persarum omnium fuisse cognomen: vt Cæsar Romanorum, Pharao Aegyptiorum. Non itaq; tribus iubentibus templum ædificatum, sed duobus Cyro & Dario Arthaxerxe. Cui opinioni vehementer coniunctio repugnat, quæ nomen Darij cum Arthaxerxe nō solùm in Latino, sed in Græco & Hebraico exemplari coniungit. Ineptæ sanè loquēdi formulæ sunt, Iulius & Cæsar, Marcus & Tullius, Chencres & Pharao. Huic quoque sententiæ illud refragatur, quòd pari ratione Arthaxerxis cognomen Cyro fuerat addendum, qui rex vnus q; nobilissimus Persarum fuit. Atq; idem Rabbi pergit, quod in Arthaxerxem, de quo ca. 4. sermo fit, verè, vt ego sentio, nō Cambysen, sed Cyrum intellexit. Cur igitur scriptura cognomen vtrique regi commune alteri adijceret, ab altero auferret: Hanc denique opinionem illud minus probabilem facit, quòd si Arthaxerxes cognomem omnium regum Persarum esset, id esset absurdum, quod 1. Esd. 7. scribitur: In regno autem Arthaxerxis regis Persarum Esdras, &c. Nullus enim peculiariter intelligeretur, non plus certè, quàm si solum regem Persarum, sine Arthaxerxis voce posuisset. Sed de hac sentētia satis. Pergamus ad reliquas. Iosephus porrò apud Lyranū, hunc Xerxem filium Darij interpretatur. Vndecimo quippè anti. Iuda. lib. cap. 5. scribit Xerxem filium Darij, pietatis paternæ perinde vt regni hæredem fuisse. Nihilque ex patris institutis circa diuinum cultū immutasse, sed Iudæos summa fuisse beneuolentia prosecutum. Addit etiam huius tempore Esdrā quidem argento, auro & vasis pretiosis, quæ ex vniuersa prouincia Babylonis attulerat, templū ornasse, ac Dei cumulasse cultū: Neemiam verò eodē rege concedente non modò ciuitatē & muros instaurasse, sed & id suppleſſe, q̄ ad fabricam templi deerat. Verùm hec sentētia duos scrupulos habet. Prior est, quòd huic regi 58. annos imperij tribuit. Qua in re cum omnium Chronographorū ratione pugnat, qui Xerxi filio Darij nō nisi viginti regni annos impertiūtur. Posterior scrupulus est huius modi: Primi Esdrę sexto cap. dicitur, q̄ Iudæi ædificauerunt constructerunt, & compleuerunt domum Dei, Cyro & Dario & Arthaxerxe iubentibus, sed compleuerunt tamen in anno 6. Darij. Necesse est igitur, vt, Arthaxerxes ille, quicunque tandem fuerit, ante annum Darij 6. fuerit. Alioqui quomodo vsq; ad sextum annum Darij constructerunt Iudæi & cōpleuerunt templum, viuente Cyro & Dario & Arthaxerxe? Non itaque in nomine Arthaxerxis Xerxes filius Darij intelligitur. Quæ eadē causa eos etiā vrget, qui hoc loco Arthaxerxem Longamanum filiū Xerxis acci-

Notum inquit, sit regi, quod Iudæi, qui ascenderūt à te ad nos &c. 1. Esd. 4. Cyro ergo scribebant illi, quo Iudæi in Iudæā dimissi fuerant. Iosephus ac ceteri hunc Cambysen interpretātur.

accipiunt, cuius diebus, vt Eusebius est auctor, & Esdras & Neemias ea, quæ templo, ciuitati, murisq; deerant, expleuerunt. Ac ne illud quidem verum est, quod non nulli aiunt; Darium Medum hoc loco accipi oportere, nã Darium Histaspis nomine Arthaxerxis accipiunt. Primùm enim nusquam aut in literis sacris, aut in auctore aliquo historiæ probato legitur, quod Darius Medus templi fabricã aut iuuerit aut iusserit. Solus quippè Daniel huius Darij mentionem fecit, nec tale quippiã illi assignauit. Deinde cùm Darius hic auunculus Cyri esset, vt plerisq; visum est, multoque ætate maior, vt visum est omnibus, nequaquam scriptura sacra contra aliarum omnium morem, Cyrum priùs, quàm Darium nominaret: iubente, inquit, Cyro & Dario Arthaxerxe. Quæ eadem ratio vetat, vt Darius hic Medus per Arthaxerxis vocem intelligatur. Quanquã 70. interpretes Danielis 7. pro Dario Arthaxerxem interpretati sunt, quemadmodum Hieronymus noster admonuit. Prætereà nulla historia neque humana, neque diuina Darium Histaspis Arthaxerxem appellauit. Nulla ergo causa est, cur hoc loco Darium Histaspis Arthaxerxis nomine intelligamus. Præsertim cùm in toto illo libro per nomen Darij non alius vnquam nisi Histaspis filius intelligatur. Quid autem scriptura nobis per nominis ambiguitatẽ illuderet, si in eadẽ etiam orationis clausula Darij nomen in varios significatus distraheret? Aedificauerunt, ait, iubente Cyro & Dario & Arthaxerxe, & compleuerunt domum Dei istam, vsque ad diem tertium mẽsis Adar, qui est annus 6. Darij regis.

Glossa interliniaris Dani. 9. ait Darĩ primũ captum Israel sol uisse, sed non probat

Metasthenes Annij hanc ordinem inuertit.

Mihi duæ viæ huius quæstionis explicandæ apparẽt. Vna est, vt tueamur, id quod enunc impugnatum est, Arthaxerxem Longimanum hi accipi oportere, qui primus huius ominis in historijs prophanis inuenitur. Quæ eadẽ sententia Bedę fuit. Loquitur autem scriptura per anticipationem, id quod sæpè alias sacri auctores factitarunt. Non enim nomnes illi tres intelligẽdi sunt templum & ædificasse & complęsse, vsque ad sextũ Darij annum. Sed tres illi opus compleuerè quidem, quos Iudæis constat in opere faciundo explendoque fauisse, at æ-

tatẽ ædificatum est, atque aliqua ex parte completum vsque ad 6. Darij annum, Cyro & Dario iubentibus. Tametsi eo anno templum nõ est omni ex parte absolutum. Quoniam, vt Iosephus ait, Esdras ac Neemias sub Arthaxerxe postea templi fabricam, ornatum, & cultum exple uerunt. Hoc verò solum à Iosephi opinione nostra disere par, quòd ea, quę Esdras ac Neemias gessisse in scriptura referuntur, ille Xerxe filio Darij imperante, nos Longimano iubente gesta esse contendimus. Illud autem sine controuersia verum est, Cyrum & Darium & Arthaxerxem eum, cui Neemias atque Esdras placuêre, templum ædificasse, absoluisse, & ornasse.

Altera quoque scrupuli huius eximendi ratio est, si dicamus, duas illas particulas, & Arthaxerxe, ab Hebræo quopiam adiectas esse in margine primùm, deinde textui, vt fieri solet, insertas, nec aliunde, quàm ex eodem libro exemplum huius erroris petere necesse est. In capite enim quarto sic Latina editio habet: In regno autẽ Assueri, ipse est Arthaxerxes, & c. vbi tres illæ voces, Ipse est Arthaxerxes, non sunt scripturæ partes, sed ab expositore nescio quo, in margine fortasse positę scribentium errore textui nostro interiectæ sunt, cum nec in Hebræis exemplaribus, nec in Græcis 70. interpretum haberentur: quemadmodum etiam ante nos Liranus admonuit. Idem quoque error accidit in Latinis codicibus, 2. Reg. c. 8. vbi verba illa, De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo & mare æneum & columnas & altare, nec Hebræa exemplaria habent, nec Græca 70. & c. Quod autem vitium in Latinam editionem irrepsit, idem potuit accidere, vt in Hebręa quoque irrepserit exemplaria. Quã de re & lib. 2. multa opportunè diximus, & iamiam in sequentis argumenti explicationem quædam haud importunè disseremus. Illud nunc dico, me non leui coniectura ductum de huius loci errore ita existimasse. Iosephus siquidem vndecimo Iudai. anti. libr. cap. 4. hunc ipsum Esdræ locum referens sic ait: Magnis omniu studijs proficiebat templi ædificatio, iuxta mandata Cyri & Darij, prophetantibus interim Aggæo & Zacharia: absolutũque est intra septennium. Et lib. 35. ca. postremo, non aliũ tem-

templi authorem facit Herodes, præter Cyrum & Darium. Non ergo alius tertius in Hebræis exemplaribus veris habebatur. Verùm hæc hactenus. Cætera diluamus.

Argumentatio duodecima vsq; eo difficilis & obscura est, vt aut nullo modo, aut multo difficillimè dilui possit. Nimirum enim in historia cum sacra tum profana, ita sæpè librariorum vitio numeri deprauati sunt, vt qui eos ad veram rationem reuocare voluerit, is non dico in scopulosis locis ardusq; versetur, sed in labyrinthum inexplicabilium quæstionum intret necesse sit, vnde exire non queat, nec si Thesei quidem filũ habeat. Huiusmodi aũt errores in historijs humanis prodere superuacaneũ erit, nã obuij sunt passim plurimi. In sacris paucos quosdam commemorabo, qui satis sint tamen, vt intelligant oẽs, quã lubricum & facile librarijs sit, vel in diuina scriptura numerum pro numero substituere. Agedũ ergo primũ huius rei exemplum proferamus, ex libri secundi Para. ca. 15. vbi ita legimus, Bellum verò non fuit vsq; ad tricesimum quintum annum regni Assa. Et cuestigiò in initio capitis sextidecimi, Anno aũt tricesimo sexto regni eius ascendit Baassa, &c. Quo vtroque loco, pro tricesimo, legere oportet, Vicesimum. Nam Baassa anno tertio regis Assa regnare cœpit, solumque regnauit annos quatuor & viginti, vt 3. lib. Reg. cap. 15. traditur. Non ergo ad tricesimum sextum annum regis Assa regnum vitamque perduxit. Id quod perspicuum quoque fit ex 3. Reg. lib. cap. 16. Anno, inquit, vicesimo sexto Assa regis Iuda regnauit Hela filius Baassa super Israel, &c. Et posterius, Anno vicesimo septimo regis Assa regnauit Zamri, qui scilicet occiderat Hela. Quem errorem Ioannes Lucidus in secundo temporum libro animaduertit. Cap. 9.

Ne verò imperitus quisquam huius loci vitium in Latinæ editionis odium torqueat, æquè sciat Græca Hebræaque exemplaria esse corrupta. Id, quod 2. Para. cap. 36. etiam contigit. Vbi in hæc verba exemplaria omnia, quæ mihi videre licuit, consentiunt, Octo annorum erat Ioakim, cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus ac decem diebus regnauit in Hierusalem: fecitque malum in conspe-

conspectu Domini. Quo in loco, pro Decem & octo, librarius aut indoctus aut negligens, Octo subiecit. Sic enim 3. Reg. 24. verè legis, Decem & octo annorum erat Ioakim cum regnare cœpisset, & c. Alioqui quomodo fecit malum in conspectu domini? Quomodo egressus est ad regem Babylonis, & cum esset natura bonus, ne ciuitas periclitaretur, vltrò se dedidit? 4. Reg. 24. Iosephus 10. antiq. ca. 9. Atque hunc etiam errorem Caietanus prior deprehendit. Nolo enim quicquam aliorum, aut industriæ aut ingenio detrahere. Verùm ego etiam ipse interdum coniectura ducor ad suspicandum, authores sacros quibusdam in locis alios numeros posuisse, quàm nunc inueniantur. Verbi causa ponamus aliquid, vbi coniectu-
ræ huius argumentum appareat. Primo Reg. lib. cap. 13. scribitur, quòd filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset. Quòd si filius anni vnius intelligitur, quasi puer vnius anni innocens, qui nesciret inter dextram sinistramque discernere. quónam pacto illud accipiemus, *Hier.* 53.
Filius vnigeniti & vnius anni erat Sedechias cum regnare cœpisset? Quid si hic etiam numerus ille viginti ex scribentiũ esset errore prætermissus? An nõ tibi videtur, si ita hi per incuriam negligentiamq; fecissent, falsis in- *1. Reg.* 5.
terpretantium expositionibus locum esse daturos? Rursum, quale quæso illud est, Filius triginta annorum erat Dauid cũ regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit, si filium vnius anni innocẽtem interpretamur? In simili ergo dicẽdi forma similis sit interpretatio. Sed similis esse non potest, si vnius anni filius Saulus esse dicatur. Quamobrem verisimile est, authorem libri Regũ filium cũ viginti & vnius anni scripsisse: sed scriptorũ vitio maiorẽ numerũ in Hebræis exemplaribus omissum. Quẽ deinceps errorẽ in Græca Latinaq; exemplaria aut alij quilibet, aut etiã interpretes transfuderunt. Quòd idem 2. Para. c. 15. 16. & 36 accidit, sicuti paulò ántè demonstrauimus. Et quoniã non est animus singula loca discutere, vnũ solũmodò ex Rabbani opiniõe adijciã, vt iã demũ ea, quę sunt huius argumenti, ppria, expediãtur. Hieremiæ 52. vulgata lectio sic habet: Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor, in anno septimo Iudæos,

tria

tria millia & viginti tres. In anno octauodecimo Nabuchodonosor, transtulit de Hierusalem animas octingentas triginta duas. In anno 23. Nabuchodonosor, trãstulit Nabuzardam magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animæ quatuor millia sexcentæ, Qua ex lectione subdifficiles & perobscurę quæstiones emergunt, quarum nonnullas Piranus mouit, sed quam bellè responderit, aliorum esto iudicium. Rabanus in Hieremiam ter Iudæos à Nabuchodonosoro captos scribit, harumque trium captiuitatum numerum hic à propheta censeri. Prima fuit, cum Nabuchodonosor Ioakimum filium Iosiæ vinctum cathenis duxit in Babylonem, 2. Paralip. 36. Nec enim est verosimile, non etiam alios plurimos cum Ioakimo in Babylonem transtulisse. Nam & Daniel capite primo verbis non valdè obscuris significat, anno tertio Ioakimi quosdam è Iudæa in Babylonem esse translatos. *At Caietanus negat, Ioakimum in Chaldæam aduenisse. Sanè quidem: verùm infirma ratione negat. Interfecturus est, inquit, Ioakimus in Iudæa, & sepultura assini iuxta Hieremiæ *prædictionem sepultus est, ac proiectus extra portas Hierusalem. Quid tum? Quasi verò fieri nullo modo posset, vt ductus primùm in Babylonem, deinde in Hierosolyma remitteretur, vbi, cum fidem regi Babylonio datam violasset, in gloria morte periret. Non itaque eamus inficias, Ioakimum cum alijs multis in Babylonem esse traductum. Id enim non Rabanus solùm, sed diuinæ etiam scripturæ tradunt.

Iosephus 1. con. Ar. Alex. li. ex Beresо refert, Nabuchodonosorẽ primo anno regni sul, quos dã Iudæorum captiuos in Babylonẽ adduxisse.

In 36. ca. 2. Paral.

Cap. 22.

2. Para. 36.

Secundam captiuitatem Rabanus ponit in transmigratione Iechoniæ, quæ 4. libr. Regum 24. habetur expresse. Tertia quoque in eodem libr. capit. 5. expressa est, cum Nabuzardam templum etiam vrbemque vastauit. Trium ergo harum captiuitatum, vt Rabanus autumat, Hieremias hic singillatim scribit numerum. Quæ si vera sententia est, tres numeri mutandi sunt: vt pro septimo anno, in prima captiuitate scribatur, primo. Illa enim anno primo, Nabuchdoonosori cõtigit, qui idẽ Ioakimi tertius fuit; quẽadmodum paulò antè dicebamus. In secunda verò captiuitate, pro Octauodecimo scribendum est, Octauo. Constat enim Iechoniam in Babylonem octauo Nabuchodonosori anno commigrasse, 4. Reg. 24. Pro vicesimo autem tertio in captiuitate postrema legi oportet, Vndeuicesimo. Nam, vt 4. Reg. 25. scriptum est, Hieremiæ item 52. Sedechias in anno 19. Nabuchodonosori ductus est in Chaldæam. Nec huic sententiæ repugnat, quod lib. Reg. 4. cap. 24. decem Iudæorum millia cum Iechonia dicuntur esse translata. Quoniam Hieremias non vulgus promiscuum, aut milites quoslibet annumerat, sed principes Iudæ, & eos, qui erant in dignitate aliqua constituti, vt Iosephus decimo Iudai. anti. lib. cap. 8. animaduertit. Vel etiam eos hic supputat Hieremias, qui in libris Regum non fuerant numerati: Primæ siquidem ac postremæ captiuitatis numerum auctor libri Regum omninò præterierat. In secunda autem posuerat maiorem quidem, hoc est, decem millia: prætermiserat minorem, quem hîc supplet Hieremias, id est, animarum octingentas triginta duas. Quod Iosephus intelligens in decimo anti. Iud. li. cap. 9. vtrunque numerum complectitur, asseritque eos, qui cum Iechonia ducti sunt, fuisse decem millia numero, & amplius octingentos triginta duos. Quanquã primam captiuitatem ad eum annum refert, quo rex Babylonius Ioakimum interemit, insepultumque extra mœnia iussit proijci. Tum enim scribit tria millia Iudæorum Babylonem in captiuitatem esse ducta. Qui annus procul dubiò septimus Nabuchodonosori fuit. In octauo namque Iechonias pro patre est constitutus 4. Reg. 24. quod si accipimus, numerus primæ captiuitatis in Hieremia, sine vlla correctione rectissimè constat, intelligo autem locum Hieremiæ totum posse à mendi nota vindicari: si dicamus secundam captiuitatem anno 18. Nabuchodonosori fuisse, annis scilicet integris numeratis. Sicut & prima anno septimo est in hunc sensum adscribenda. Alioqui, si de annis non expletis sermo sit, prima in anno 8. secunda in 19. Nabuchodonosori fuit. At tertia fuit anno 23. cum quinto post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni Nabuchodonosori

10. li. c. 8.

23. inuasit Coelen Syriam, Ammonitas, Moabitasque subegit, Aegyptios perdomuit, ac repertos ibi Iudæos captiuos Babylonem abduxit, vt Iosephus auctor est 10. antiq. Iud. lib. cap. 11. Sed quoniam Hieremias eos numerare videtur, non qui de Aegypto, sed qui de Iudæa translati sunt: quia rursum eas videtur captiuitates recensere, quæ è sacris historijs colliguntur: quia demum eam, quæ sub Nabuzardane fuit omnium celeberrima, templique atque vrbis incendio, vel maximè nobilitata, tertio loco videtur scribere, vt eò redeat, vnde est paulò antè digressus, vt numerum annorum in secunda & tertia captiuitate ad formã 4. libri Reg. restituendum contenderet, ei ego non magnoperè repugnârim. Nam si in prima captiuitate Iosephum, quàm Rabanum sequi malis, non equidem improbabo. Ego autem, vt ingenuè loquar, nunquam mihi minus, quàm in hac digressione placui, quanquam magis adeo id argumenti difficillimi explicandi cupiditate, quàm vlla alia culpa mea contigit: qui dum monere volo, numerorum quæstiones lubricas esse atque difficiles, quòd error in numeris facilis ac lubricus sit, mei pene sum oblitus: fecique id repentino quasi motu percitus, quòd ne meditatus quidem opere ad hoc instituto factus eram: vt ijs de rebus, quæ maximi sunt negotij, inter re fellendum argumenta disputarem. Sed hoc tamen accidit mihi peropportunè, quòd duodecimi argumenti difficultas omnis in eo numero annorum sita est, qui tertio Regum libr. capit. 6. præscribitur, ab egressione filiorum Israel de Aegypto ad templum à Salomone inchoatum. Est autem in omnibus exemplaribus Græcis, Latinis & Hebræis idem omnino numerus annorum quadringentorum octoginta. Quem numerum ex scribentium errore à vero esse immutatum, hisce argumentis suaderi potest. * Primùm, quod Iosephus libr. Iudai.

* *Sic Genebrius ac verè ille quidem transtulit. Numerus enim 502. qui habetur in versione Ruffini ex scribentium errore est positus. Nisi Iosephus ipse secum pugnet libr. 11. capit. 4. Vnde patet Sabellici error Ennea. 1. libr. 9. vbi vulgatum vitium secutus affirmat, annum templi inchoati fuisse ab eo, quo filij Israel de Aegypto sunt egressi, quingentesimum secundum.*

Iudai. an. 8. capit. 3. scribit, Salomonem templi fabricam exorsum esse annis quingentis nonaginta duobus, postquam Israëlitæ ex Aegypto excesserunt: mille vero viginti annis postquam Abraham in Chananæam regionem è Mesopotamia migrauit. Nam si quadringentis triginta, qui iuxta Exodum à migratione Abraham ad exitum Israëlitarum de Aegypto intersluxerunt, quingentos nonaginta addideris, ab exitu ad templi ædificium cœptum, summa illa Iosephi relinquetur annorum mille viginti, atque adeò & vterque sibi numerus & inter se vicissim ambo constabunt. Deinde Iosephus idem libr. 11. an. Iud. 4. Ante Saulum & Dauidem inquit, rempub. Iudices administrauerunt. Qui reipub. status plus quàm quingentis annis durauit post Moysis & Iosue imperium. Non ergo ab exitu Israel de Aegypto ad initium templi 480. solùm anni intercesserunt.

Præterea, Moyses quadraginta annis imperauit. Erat enim annorum octoginta cùm eduxit Israel, Exod. 7. & centesimo vicesimo ætatis anno mortuus est. Deut. vltimo. *Moys. 40.*

Adde annos octo interregni, quibus Israëlitæ seruierunt post mortem Iosue regi Mesopotamiæ. Iudic. 3. Iosephus 6. libr. ant. capit. 5. scribit hos fuisse duodeuiginti. Quorum octo seruitutis fuisse libro 5. capit. 7. tradiderat. *Interr. 8.*

Othoniel iudicauit populum quadraginta annis. Iudic. 3. *Othoniel 40.*

Adde duodeuiginti annos interregni, quibus seruierunt regi Moab. Iudi. 3. *Interr. 18.*

Aioth iudicauit populum octoginta annis. Iudic. 3. *Aioth. 80.*

Adde viginti annos interregni, quibus seruierunt regi Chanaam Iudic. 4. *Interr. 20.*

Barac & Debora iudicârunt populum quadraginta annis. Iudic. 5. *Baruc, & Debo. 40.*

Adde interregnum septem annorum sub Madian. Iudicum 6. *Interr. 7.*

Gedeon iudicauit populum quadraginta annis. Iudicum 8. *Gede. 40.*

Abimelech tribus annis. Iudi. 9. *Abim. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thola.23. Thola viginti tribus annis. Iudi.10.

Iair.22. Iair viginti duobus annis. Iudi.10.

Interr.18. Interregnum decẽ & octo annorum sub Philisthæis & Ammonitis. Iudi.10.

Iephthe.6. Iephthe sex annis iudicauit. Iudi.12.

Abes.7. Abesan septem annis. Iudi.12.

Helon 10. Helon decem annis. Iudi.12.

Abdon.8. Abdon octo annis. Iudi.12.

Interreg. Interregnum quadraginta annorum sub Philisthęis.

40c Iudicum 13.

Sãson 20. Samson viginti annis. Iudi.16.

Heli.40. Heli quadraginta annis. 1. Reg. 4.

Saul.40. Saul regnauit quadraginta. Acto. 13. Nam Iosephus li. 6. anti. Iuda. cap. postremo ait, illum regnasse viuente Samuele annis duodeuiginti, post Samuelis mortem annis viginti.

Daui.40. Dauid regnauit annis quadraginta. 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 3.

Salom.4. Salomon quarto anno regni sui templi fabricã cœpit. 3. Reg. 6.

Qui in summam redacti faciunt numerum quingentorum septuaginta quatuor annorũ. Quibus si adijcias annos Iosue, Sagar & Samuelis, interregnum quoque, quod inter Samson & Heli fuisse scriptura dicit, maior vtiq; summa, quàm illa Iosephi cõficietur. Plures igitur quàm 480. anni ab excessu Israël de Aegypto, ad templi fabricã interceſſerunt. Mendũ itaq; in hoc scripturę loco ineſt, suntq; proinde ad verã rationem codices Hebraici, Græci, & Latini corrigendi. Adhæc, si Græca omnia exemplaria fidem aliquam faciũt, vt in eiusmodi rebus ambiguis & numerorum ratione controuersa æquum est, Paulus certè post terram Chanaã filijs Israël sorte distributam tempus Iudicum vsq; ad Samuel, quadringentis quinquaginta annis, nõ multò secus definiuit. Sic enim Græca habent, καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ χαναὰν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκεν κριτὰς, ἕως σαμουὴλ τοῦ προφήτου.

5 7 4

Acto.13.

Quæ

Quæ Erasmus ita conuertit, Et deletis gentibus septem, in tertia Chanaam sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit Iudices vsq; ad Samuel prophetam. In eundem sensum Pagninus vertit, cæteriq; iuniores omnes interpretes. Nec enim Græca illa aliter reddi possunt. Quòd si quadringentis quinquaginta annis, quos Paulus Iudicibus à distributione terrę ad Samuelẽ impartitur, addimus Moysis quadraginta, Saul item quadraginta, Dauid quoq; alios quadraginta, & quatuor deniq; Salomonis: eãdem profectò summam conficiemus cũ ea, quę paulò antè è certis scripturę testimonijs confecta est, quingentorũ septuaginta quatuor annorum: vt nouum testamẽtum veteri omninò consentiat. Sed ait Caietanus, Græca omnia exẽplaria & Latina esse vitiata: & Græcè τρια-κοσίοις, non τετρακοσίοις; Latinè Trecentis, non Quadringentis esse legendũ. Qui sic? Euincitur, inquit, quoniam aliàs non constabit numerus annorũ, quẽ tertius lib. Reg. c. 6. definit. Scilicet, quasi nõ in hoc controuersia sit, an ille numerus, an hic scribentiũ errore sit inductus. Numero sanè 3. lib. Regum reliquę omnes scripturę dissentiunt. Numero Actorum Apostolicorum scripturæ consonant omnes. Non ergo hic, sed ille numerus vitio librariorum est corruptus.

4 5 0
4 0
4 0
4
5 7 4

Confirmat autem hanc sententiam illud randẽ, quòd qui contrariam tueri volũt, numerumq; illum quadringentorum octoginta annorum retinere; ij tantũ absurditatum in supputatione sua faciunt, vt vix audiri sine aurium molestia possint. Nicolaus porrò, & Abulensis, qui in scripturæ explicatione habentur insignes, vt sum. ma illis 480. annorum iusta constituatur, primùm aiũt, annos Iosue minimè computandos, sed in Othonielis quadraginta includendos. Eodemque modo de Samuele iudicant, cuius annos similiter intra quadraginta Saulis includunt. Mox addunt, annos quibus Iudæi seruierunt regi Mesopotamię, alijsque postea sequenti tempore regibus eis annis includi, quibus terra quieuisse dicitur, vel etiam Iudex hic aut ille Israelitis præfuisse. Vnũ solum annorum duodeuiginti interregnum in cõputa-

Nito.3. Regum 6. Abulen. in. bidem. q. 4. & 3. lib. Iudi. q. 12.

tionem adsciscunt, vt tribus annis Salomonis summã 480. annorum suo bellè arbitratu cõficiant. Sed, vt dixi, hęc computandi ratio multum omninò absurditatis habet. Vt enim omittã alia, ne in re nota & perspicua multus & insolẽs sim, illud ante omnia expediri velim: ecquo pacto interregnorum anni in eos redigi valeant, & contrà hi, quibus sub iudicibus terra à prælijs dicitur quieuisse? Sanè in interregnis aut perpetuũ Iudæis bellum contra inimicos fuit, aut seruitus sine Iudice misera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies.

Præterea, ecquid de quadraginta annorũ interregno isti dicturi sunt, quod inter Abdonem & Samsonẽ, scriptura commemorat? An 40. illos annos in Samsonis viginti inclusuri sunt? An potiùs in Abdonis octo? Præterea, cur vnicum interregnum annorũ decem & octo accipiũt, reijciunt cętera? Quòd si causam reddere ne vnã quidem idoneam possunt, sanè aut interregnum hoc cũ cæteris abijciant, & summa erit minor: aut cum hoc, vt par est, admittant reliqua: & summa erit maior. Adhæc, liber Iudicum explicatè docet, terrã duce Iuda, qui successit Iosue, minimè quieuisse; sed multis bellis fuisse agitatam, quibus Chananæi ac Pherezæi victi oppressique fuerunt. Nam ductum Iosue prælijs frequentibus turbulentum extitisse, Iosue liber ipse manifestat. Cùm verò rex Mesopotamiæ, Iosue Iudaque defũctis, filios Israel pugna vicerit, octoque annis seruire coegerit, tũc tempora pacata, quietamque terram describere, prorsus est à sensu communi alienum. Quòd si annos Iosue ac Iudæ, illos quoque, quibus rex Mesopotamiæ Israelitas expugnauit & oppressit, in id temporis trahas, quo terra quieuisse dicitur; nónne turbidos & inquietos annos cum tranquillis quietisq; confundes? Nónne etiam scripturę sacrę in aperta narratione vim afferes manifestã? Illa nimirum non obscurè refert, post mortẽ Iosue, post Chananæos Pherezęosq; deuictos, post filios Israel per Othonielẽ à seruitute liberatos, terrã quadraginta annis quieuisse. Quid Paulus? An non post Samuelem quadraginta annos Saulis regno impartitur? Quã ergò ratione Samuelis annos, in annis Saulis includemus? quos

Iud. 3.
Actor. 13.

quos triginta octo fuisse Iosephus prodit, fuisse quadraginta prodit Paulus.

Nulla ergò ratione, vt videtur, numerus ille quadringentesimus octogesimus defendi potest. Ab eo siquidẽ tempore, quo filij Israel terrã promissionis incolere habereq; cœperunt, ad primum Iephthe annum trecentos interfluxisse testis est Iephthe ipse locupletissimus. Trecẽtis si addas quadraginta, quibus populus morã in deserto fecit, ac viginti annos Samuelis, qui ex primo lib. Regum à quibusdam colliguntur, illos demum, quos à Iephthe ad 4. annum Salomonis antè numerauimus: eadem omninò summa constitueretur, quæ bis suprà cõstituta est, quingentorum septuaginta quatuor annorũ. Vt quoque te vertas, & siue ex temporibus interregnorum ac Iudicum singulorum, siue ex Pauli calculo atq; ratione, siue ex Iephthe testimonio & inculpatę defensionis iudicio, verum certumq; annorũ numerũ ab excessu Israel de Aegypto ad templi fabricã effecre pertẽtes; semper eundẽ illum inuenias quingentesimũ septuagesimum quartum. Porrò aũt qui numeri cuiusque summam exiguè nimis & exiliter ad calculos reuocare cupiunt, hi numerũ eum verissimum ac rectissimũ cẽsent, quem plurimis confectis rationibus vndiq; cõstantem, cohærentem, consentaneum, sibi cęterisq; reperiũt, qui sæpè in vnum collati eandem prorsus summã efficiunt. His argumentis numerus ille 3. lib. Reg. infirmari potest: qui tamen nõ modò omnibus exemplaribus, sed vniuersis auctoribus Latinis, Græcis, Hebræis, consentientibus confirmatur. Verùm enimuerò in numeri huius summa tuenda & cõseruanda vix reperias præsidium aliquod omni ex parte munitũ. Eusebius etenim, qui sine cõtrouersia in ratione temporum diligentissimus est, hãc summam 480. annorum defendit quidem, sed ita defendit tamen, vt defensionis ratio neglecta esse videatur. Principio nanque decem annos Helon è quadringentesimo octogesimo numero exemit, quoniã septuaginta interpretes ait illum Iudicem omisisse. Quare coactus fuit viginti septem annos Iosue administrationi dare, vt quadringentesimus octogesimus expleretur. Quod si decem

1. Reg. 7.
Iosephus lib. an. 6. ca 13. tradit, quod Samuel 1. solus præfuit populo annis duodecim, deinde Saule regnante annis 18.
Lud. 11.

annos Helon in 480. numero includeret, cùm Iosue viginti septem attribuerit, 490. annorum summa conficeretur. Incidit autem in codices mendosiores. Nam Complutenses eum Iudicem in 70. versione habent. Codex quoq; fuit illi similiter deprauatus in tempore, quo iuxta 70. Heli populum iudicauit. Scribit enim in 70. interpretatione viginti annos inueniri. Atqui in Hispaniē si τεσσαράκοντα, id est, quadraginta repertiuntur. Quē Eusebij errorem sæpè sum admiratus. Si enim 70. interpretationem sequi libuit, cur quemadmodum decē annos Helon, ita & Heli viginti nō ademit? Quod si visum est Heli annos 40. retinere, cur decem Helon à numero exemit? Illud etiam incommodi Eusebio accidit, quod cùm interregna omnia posteriorum Iudicū temporib. includeret, videretque ex illis quædam accidentia ineptissimè sequentibus copulari, eam rem traditionibus Hebræorum attribuit, ne ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur. Circa annos verò Samuelis ac Saulis eodem in luto cum cæteris hæret. Ambobus enim non plures, quàm quadraginta annos assignat. At totidem Paulus soli Sauli impartitur: Iosephus aūt Samueli soli duodecim, regnante Saule duodeuiginti: Sauli post Samuelis mortem viginti. Quo in loco Beda magna me admiratione afficit, primū quòd sermonē permittit Paulo cū vulgarem, tum etiā falsum. Deinde quòd ante Samuelem trecētos nonaginta sex annos Iudices præfuisse eorum librum indicare asserit, cùm in Iudicum libro non nisi trecenti triginta nouem reperiantur. Quare ad explendā summam illam necesse est Moyses quadraginta annos apponas, Iosue verò septendecim. At Iosue septendecim non ex historiæ aut diuinæ, aut humanæ veritate, sed ex eorum opinione solū habentur, qui ad summam illam 480. annorum numeros quoslibet reuocare pergunt: idq; vt faciant, non dubitant historias omnes contrauenire. Quid, quod Iosephum Beda ait Samueli annos viginti, Sauli totidē alios impartiri? Cùm quinquaginta ambobus sine dubio impartiatur, quemadmodum è locis antè citatis manifestissimè constat. Caietanus porrò via longè diuersissima ingressus est. Nam qua-

Actor. 13.

quadraginta annos quidem soli Sauli distribuit: sed vt summa illi 480 annorum cōstet, Iosue annos decem, septem verò Samueli dispertit. Quod præter historiæ fidē suo solum arbitrio facit. Quid igitur? semper ego alienarum opinionum relator tantum: Nunquam ne reponam? Sanè, & de meo aliquid exoluere lectori debeo, si quid tamen probati nummi exolūi possit.

Primùm autem nō existimo, aut fidei, aut religionis quæstionem esse, Num 480 iste annorum numerus, qui in codicibus peruulgatis reperitur, librariorū vitio scriptus sit; an potius idē ab auctore sacro in suo exemplari positus. Ostendimus enim errorem in numeris promptissimum esse atque facillimum. Ostendimus numeros quosdam in libris sacris ex scribentium errore viciatos. Ostendimus denique multas esse causas, cur hic, de quo agimus 480. annorum numerus corruptè esse inductus videatur. Atq; Iosephus & Sabellicus, Hebræus vnus, Latinus alter, cum locum illum ex 3. li. Re. c. 6. referrent, nō 480. annos, sed multò plures posuerunt. Incredibile autem videtur esse, Iosephū, si omnia Hebræa exemplaria 480. numerum habuissent, ab illo certo ac præscripto numero discessurum. Nec Hugo cardinalis, cùm sententiam Iosephi retulisset, eam reprobandam censuit. Non igitur si quispiam dicat, ab egressione filiorum Israel de Aegypto ad templum incœptum, quingentos annos, & eo amplius interfluxisse, protinus refellendus est, quasi ea res ad fidē religionémue pertineat. Illud deinde sentio, interregnorum annos verè inter annos Iudicū effluxisse. Itaque non esse, quod Hebræi falso tradant, in temporibus vel priorum vel posteriorum Iudicum cōputandos. Quocirca Iosephus, quoniam non ea solùm tempora, quib. Iudices præfuêre, cōputare voluit, sed illa etiā, quę in interregnis sine Iudice fluxerūt, verè summam quingentorum nonaginta cōfecit annorum. At auctor libri regnum interregnorum annis omissis, eos tantùm redegit in numerum, quos intellexit, dum Iudices administrarunt, interceßisse. Anni ergo plures ab eo, quo Israel excessit de Aegypto, ad templi initia fluxisse. Sed ducum, iudicum, regum non fluxêre, nisi quadrin-

genti octoginta. Aduertendum quoq; ex ijs, qui populo à Moyse ad Salomonem præfuerunt, quatuor esse, quorum tempora nusquam scriptura vetus denotârit. Nempe Iosue, Sangar, Samuel, Saul. Nam reliquorũ omnium certus annorum numerus in ipsis est testamenti veteris libris designatus. E quibus summa colligitur annorum 419. His si Salomonis adiungas tres, 4 enim anno templum fabricare cœpit, reliqui erunt anni 58. quos Iosue, Sangaro, Samueli, Sauliq; dispertias.

Iosephus li. 5. an. ca. 8. Item idem Aug. li. 18. de ciuita. Dei. c. 10. Nam quòd Eupolemus Hebrææ scriptor historiæ 21. tantùm ponit, ad id tempus referẽdum est, quo mortuo Samuele regnauit. Act. 13. 1. Reg. 7. Abulẽsis Li. 5. an. 1 cap. 1.

Ac Sangar quidem, quoniam nondum vertente anno munere simul ac vita defunctus est, meritò ab huius numeri summa eximitur. Cùm verò Sauli Paulus impertierit quadraginta, dubium non erit, quin decem & octo sint inter Iosue & Samuelem distribuendi. At decem ne ex his Iosue, reliquos autẽ Samueli assignare oporteat, an contra pauciores Iosue, Samueli plures, de hac re dubitari potest. Caietano illud placuit, mihi etiam idem visum est. Quoniam Iosepho, alijsq; probatis historicis longior Ductus Iosue fuit, quàm Samuelis Iudicatus. Nec nostræ huic opinioni contrarium est, Arcam sub Samuelis tempora in Ciriathiarim viginti annis permansisse. Non enim his viginti annis, quod quidam falso existimarunt, Samuel plebis Israeliticæ iudex erat, sed Prophetа. Quin scriptura ipsa satis, nisi ego fallor, aperte significat; post vicesimum illum annum cœpisse à Samuele populum iudicari. In Iosue autem tempore computando, ita magna auctorum varietas, & discrepantia est, vt nulla ex parte historiæ labefactetur auctoritas; si, vbi variæ sunt historicorum discrepantesque sententiæ, ibi nulla eorum premi nos vrgerique patiamur, Iosephus Selenio interprete, Iosue viginti quinque annos annumerat. Eusebius viginti septem. Beda, Ioannes Lucidus, alijsq; nonnulli, septendecim impertiũt. Caietanus decem. Quamobrẽ cùm nos decem & octo Iosue Samueliq; dispertiendos dicimus, nihil sanè absurdi dicimus. Quanquam ratio subest, vt sine scripturę veritatisq; discrimine octo aut nouem alios annos his duobus iudicibus adiungamus. Quid ita? Nónne hisce vel octo vel nouem adiunctis anni plures, quàm 480 efficientur?

Efficien-

Efficientur vtique. Falsum ergo erit, inquies, anno 480. ex eo, quo Israel de Aegypto exijt, templum ædificari cẽptum. Minimè gentium. Quin vtrunque verum esse nihil obstat. Scriptura enim minutos numeros præterire aliquando solet. Cuius rei exemplum paulò antè posui. mus ex 4. Regum libro, capite 24. Vbi decem mille Iudæi dicuntur esse translati: quibus tamen Iosephus octingentos triginta duos adiecit, imò & Hieremias, quemadmodum est nobis supra explicatum. Atque scripturæ Ionæ post 40. dies ira Niniue subuertendam: & tamen septuaginta interpretes 43. Græcis literis prodiderunt, qui reuera ab initio prædicationis Ionæ computantur, hos verè tres sacer auctor omisit, qui à toto triduo illa semper verba propheta intonabat, Adhuc quadraginta dies, &c. Quamuis ab initio, si Niniue subuerteretur. 43. erãt interfluxuri. Quòd autem 43. dies septuaginta interpretes scripserint, auctor est Iustinus in dialogo cum Tryphone. Quia verò Augustinus non 43. sed 3. solum legit, difficulter se ex hac quęstione extricauit, lib. 18. de ciuita. cap. 44. Quæ eadem causa erroris Hieronymo fuit. Si enim in 70. non triduum, sed 43 dies ipse legisset, omnis admirandi occasio cessasset. Sic ergo licet plures fuerint, quàm 480. anni, quia tamen non ad 490. accesserunt: recẽtè suo more scriptura dixit. annos 480. interfluxisse. Id si probabile est, vt est certè, iam viginti septem annos Iosue & Samueli poterimus impartiri. Samueli decẽ, septẽdecim Iosue, quos huic Beda, alijq; viri graues impertierunt. Sed videant istæ numerorum tetricæ salebrosæque quæstiones, in quibus poteram ignorantiam meam simpliciter confiteri, & omne curiosorum hominum desiderium contemnere. At leuioris culpæ arbitratus sum, in explicanda difficillima argumentatione tam multa fusè quàm omninò nihil dicere.

Vide Aug. 16. de ciuit. li. cap. 24.

Ioan. 3.

Tertiumdecimũ argumentum parua difficultate nos implicat. Nec enim historias omneis tueri est animus, q̃ passim in ecclesia lectitãtur. Video tantũ vulgi nõ solum in laicis, sed in ecclesiasticis etiam esse, vt eas quoque fabulas oppidò quã libenter accipiant, quas iam diu ecclesia explosit. In his certè pontificum non diligentia

me-

modò, verumetiam prudentia desideratur. Quidam nãque dum reduuiam curant, capiti incommodant. Videlicet historias graues pro apocryphis reddunt quidem, sed diuinum ecclesiæ officium vsque eo præter solitum immutant, vt vix vlla antiquæ religionis forma in quotidianis precibus relicta esse videatur. Qua ex re quàm multa & magna mala ecclesiæ Dei accidant, non est huius loci, & temporis dicere. Sed esto, quædam in publicis ecclesiæ precibus habeantur ambigua, quædam etiam falsa. Num idcirco historijs ecclesiæ omnibus fidem abrogare perges, quod nonnullæ earum sint vulgo iactatæ & creditæ, in quibus, præsertim quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperias fortasse plura, quæ iure ac meritò reprobentur? Mihi profectò illud Gelasij consilium placet, vt cum huius generis historias catholici legerint, beati Pauli sententia præcedat, Omnia probate, quod bonum est tenete. Atqui irridere episcopos, de Theologis scholæ ludere, in monachorum imperitiam insultare, quasi fabulas huiusmodi ventris gratia rudi vulgo inferant & intrudant: hæc non puto equidem hominis ingenui esse, qui ad bonitatem fuerit à natura compositus, nedum eius, quem Christus simplicem sicut columbam ad legem euangelij formauerit. Quòd si ex quibusdam fictis falsisque narrationibus historias gentium æstimemus, nulla omninò erit, quam non similiter illudamus. Id si hominum imprudentium, atq; adeò stultorum est, maneat, diuorum gesta, quæ in ecclesia legi solent, despici nullo modo oportere. Quanquam nonnulla ex his incerta sunt, apocrypha, leuia, falsa. Nam & pleraque credibilia ac vera sunt, quædam etiam certa. De tertiodecimo autem argumento hactenus.

15. d. Sãcta Romana. 1. Thes. 5.

In quartidecimi argumenti responsionem multa sunt breuissimè animaduertenda. Primùm in maximo illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias tanquam ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in epistolis, & decretis suis pontifices aliquando vsurparint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio & vsurpatio. Vtitur quidé interdum pontifex, si quicquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententijs, rebusque vulgatis: at non continuò

tinuò quæcunque in hunc vsum attulerit, ea sedis apostolicæ iudicio probat. Aliud quippe est suadẽtis munus, aliud diffinientis. Qui pronunciat, res veras ille adfert: qui suadet, nonnunquam etiam verosimiles. Audiebam de præceptore meo puer, nullum omninò argumentum esse negligendum, in quo aliqua significatio veritatis appareat. Amplectendum autem esse ita vnumquodq; maximè, vt quodque ad faciendam fidem erit aptissimum. Ad cuius præcepti formam non modò dialectici & oratores, sed veteres etiam theologi suas disputationes effinxerunt. Nam in causam suam quisque & quibuslibet argumentis quandoque abusi sunt, & vulgi etiam credulitate. Itaq; imprudentium hominum erit, historias quasuis obiter etiam, & ad præsentem causam à pontifice adductas, non aliter amplecti, atque eas, quæ sint ecclesiæ certo iudicio comprobatæ.

Quod deinde ad Constantini donationem attinet, de eo non libet in præsentia disputare. Disputẽt alij, quibus cordi fortè est Romanæ ecclesiæ maiestatem amplitudinemque minuere. Laurentium Vallam scimus integro libro aduersus receptam communi opinione sententiam declamasse. Iurisperiti, quæ vulgò circunfertur eius donationis formula, eam commentitiam esse satis indicant, cum Paleæ inscriptiones denotant. Eusebius, Ruffinus, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Eutropius, Victor, cæterique probæ fidei auctores, qui omnia Constantini gesta scripsére diligentissimè, nõ modò nullam donationis eius mentionem faciunt, sed tradunt etiam orbem Romanum, sic inter tres illius filios distributum, vt Italia vni eorum tota contigerit. Ammianus Marcellinus lib. 15. Constantium vrbis dominationem habuisse, & Leontium præfectum ibi constitisse, auctor est. Nonnullos deinceps imperatores Italiæ atque adeò Romæ imperasse, omnes historici memoriæ prodiderunt Hæc & alia eiusmodi quis ignorat? Verum quid refert à Constantino facta ea donatio sit, an à principibus posterioribus? Fictam & commentitiam fabulam dicunt à Nicolao Clementeque prolatam. Quasi verò pontifex aut factam eam donationem suo decreto definiat, aut vrbem

Dist. 96. c. Cõstãtinus

eo

eo solùm titulo defendat. Negant donatam à Constantino vrbem esse: quanquam nequeunt probare id quidé. Sed quæro, quod donatam negant, ea si nõ donata esset, quidnam facerent? An vrbem Cęsari concederent? Vrgeo rusticè sanè. Negant enim donatam esse, & in eo perstãt. Nos verò tanquam tormenta quædam adhibemus. Vt si responderint, quòd donata à Constantino non est, idcirco ad ius nunc Cæsaris pertinere, stultos se esse fateãtur. Potuit enim donare alius. Potuit quoq; Romanus pontifex vrbem iusto alio nomine possidere. Certè longi temporis præscriptione potuit. Sin negauerint ius omne Cæsari in vrbem, omnia, quæ de Constantini donatione disputant, vana esse cõcedant. Sed iam, ne nos vanitatem simus, reliqua persequamur. Lepra Constantinum laborasse, apud idoneos auctores nusquã legi, sed eius nominis alium cognomento Copronymũ. Vnde fortasse ambiguitate vocis error inductus. Nisi rumor iste de lepra inde ortus videri possit, quod Bizantio ad aquas calidas valetudinis gratia eum egressum ferunt. D. Thom. 3. p. q. 69. in 4. argum. historiam vulgatam sumit, atq; vt videtur, probat. Caietanus nõ item. Habet hic authores suos Platinam in vitam Marci, Ludouicum Viuem li. de corr. disc. 2. Alciatum lib. pareg. 7. c. 19. qui aperrè negãt. Habet scriptores omnes veteres eius ætatis, qui tacuerunt: non omissuri si sciuissent, sciturí omninò rem si fuisset. Nam quod nomine Constantini circumfertur edictum, tametsi Nicæno concilio adiunctum est, non tamen habet concilii authoritatem. Hæc illi. Ego hæc nec pro certis affirmare ausim, nec pro falsis refellere. Siluestri acta, in quibus ea res gesta commemoratur, Gelasius non reprobat. Refertur eadem in synodo Romana sub Siluestro canone 1. in septima rursus synodo act. 2. Eandem denique Nicephorus li. 7. c. 33 vt veram historiam refert. Quocirca Pontifices duos Clementem ac Nicolaum, aut D. etiã Tho. in eo quòd ea historia vsi sunt, nec ridere iure possumus, nec arguere. Quamuis, vt dixi, lepræ Constantinianæ testis grauis, & probatus ex veteribus nemo est. Itaque, si negemus, nec pontificum, nec historicorum authoritatem labefacimus.

15. dist. Sãcta Romana.

De

De baptismo historici quoq; ipsi nobilissimi variè loquuntur. Hieronymus in Chronicis. Eusebius li. 4. de vita Constan. Socrates lib. 1. histo. suæ cap. 39. Theodoritus lib. item 1. cap. 31. Zozomenus lib. 3. cap. 34. Cassiodorus, qui historiã ab his tribus ecclesiasticam cõpilauit. Pomponius Letus, alijque scriptores huius ordinis, Constan. tinum tradunt non Romæ à Siluestro, sed Nicomediæ ab Eusebio episcopo, & quidem Arriano, sacrum baptisma susc episse. Contrà Damasus in libro Pontificali tradit illum Romæ à Siluestro sacris lustricis ablutum esse. Cui omnino consentiunt Marianus, Scotus, Sabellicus, Platina in vitam Marci. Nicephorus lib. 7. capit 35. & lib. 8. capit. 54. ne Diuum Thomam, Nicolaum, Clementem, duas denique Synodos in huius rei testimonium repetamus. Atq; Nicephorus in hac re asseueranda, & contraria opinione refellenda, oratiõe sanè quàm acri vsus est. Ita enim suam de baptismo Constantini sententiã ecclesiæ consensioni tribuit, vt aduersam Arrianorũ commẽtis assignet. Qui in Oriẽte, inquit, olim Arrianę sectę fuêre, Constantinũ Nicomediæ, ab Eusebio eius vrbis episcopo, iam moriturum baptismũ suscepisse, prodiderũt: propterea eum sacrum lauacrum distulisse dicẽtes, quod in Iordane perficere voluerit. Id verò ex eo facilè refelli tur, quòd ecclesia à Siluestre eum Romæ baptizatum esse certò prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, vt hoc sic etiam tutò, & opinentur & credant. Arriani enim malè sentientes animo, & cõsilio diabolico hoc confinxerunt, non Romæ baptizatum eum esse asserentes, aut fortasse eadem cum illis sensisse astruentes, perinde atque ab ipsis propterea baptismi gratiam susceperit. Quod absurditatis, & mendacij plenum est. Quòd si nondum sacri lauacri particeps fuit, consequitur, eum neque in Nicæna synodo cum patribus congressũ esse, neque cum eis mysteria participasse, sicuti historia tradit. Hæc ille. Et paulò antè: Quod autem Romæ à Siluestre sacratus sit, satis ostendit baptisterium, quod ad hoc vsq; tempus eius rei gratia in testimonium certissimum Romæ asseruatur. Quæ duę profectò rationes efficiunt, vt non temerè ijs accedam, qui Constantinum Romæ

Hayme in epitome eccle. hist. lib. 9. ca. 7.

sacro

sacro tinctum lauacro ferunt. Quòd si baptisterium tam insigni structum apparatu, si rerum veterum publica cõ memoratio, non solum habitantium animis, sed lapidibus etiam insculpta, nullum nobis argumentum est, iam iamque non dico quę vetustatis in vrbe monimẽta sunt, sed quæ sunt in orbe maiorum traditione recepta, ire ea omnia inficias poterimus, quamuis indicia extent rerũ, locorum, temporum manifesta. Ac nisi prius baptismi fuisset fonte sublatus, qui credi potest, Constantino episcopos aut culparum, & querimoniarum libellos obtulisse, aut, vt synodo & disputationibus interesset permisisse? Baptizatus ergo ante synodum Nicęnam fuerat Cõstantinus. Vbi hæreticorum industriam ac diligentiam in propaganda secta mirari satis non queo. Omnia quippè illi sus deque miscent, vt viri pietate insignes, præsertim si reges aut imperatores sunt, ipsorum partes fouisse videantur. Tanta verò arte id efficiunt, vt doctos etiã viros, nedum imperitos fallant. Eusebius porrò Pamphili, vel quia Eusebio Nicomedienſi, cæterisque amicis credulum se præbuit, vel quia sectam, cuius apertissimus propugnator erat, hac laude et gloria voluit ornare, eius fabulæ primus auctor Christianis fuit. Huic enim scribẽti Hieronymus ac reliqui auctores crediderunt. Sed de Eusebij fide plura postea. Nam Constantiam Constantino fratri Arrianum presbyterum insinuasse, à quo virre. ligiosissimus seductus sit, hoc vt credam, quantum Constantiæ leuitas, & inconstantia mouet, tantum Constantini pietas & grauitas remorãtur. Ac si presbyter ille Arrianus pium aliàs imperatorem quidem, sed potestate, diuitijs, honoribus, triumphis, meritis, secundis deniq; rebus omnibus insolentiorem factum decepit, vt Arriũ reuocaret, Athanasium repelleret: viris etenim bonis in rebus eiusmodi facilè imponitur, non tamen adeò in errore processisse credendus est, vt Arriano ritu alterũ baptismum Nicomediæ susciperet. Quanquam sunt qui existiment, qui per sororem falsum in fide Constantinum produnt, eos falsos nominis similitudine id patri attribuisse, quod filij scelere patratum est. Verùm siue hoc modo, siue alio res habeat, illud tenendũ est, neruos atque

atque artus esse sapientiæ non temerè credere, ijs præsertim historicis, qui quoniam fidẽ diuinam violârunt, fidei humanæ auctoritatem amiserunt. Sed de his capite sequenti accuratius disseremus.

CAP. VI.

Qui sint probatæ fidei auctores, qui contrà non sint.

QVatuordecim argumenta superiore capite sigillatim refutata sunt. Nũc quintum decimum, 16. & 17. refelli oportet: quoniam hæc tria vnũ atque idem exquirunt, quod suprà sumus quidem in quadripartita diuisione polliciti, sed cogitationibus multis variisque distenti, tertium eius diuisionis membrum voluntaria quadam obliuione cõtriuimus. Quis enim auctor historiæ probatus sit, tertio loco me scripsi dicturum, nec exolui quod promiseram. Quin operis institutipenè immemor factus sum. Eam quippè rem nitimur ferè homines, aut ex memoria deponere, aut diu multumque protrahere, quã non libentes & voluntarij, sed inuitè & repugnantes aggredimur. Atqui licet non cõstituto tempore & loco, reddam tamen in præsenti, & cum fœnore fortasse reddam, id quod me debere non inficior. Anteà verò, quàm de historicis vtrisq; & ecclesiasticis & profanis sententiam meam dico, illud est operæpretium quærere: sint ne regulæ aliquæ, & quidem historiæ quasi indices, quibus historici cuiusq; fides ac veritas exploretur. Nã Ioannes Annius tres regulas ponit, easq; Metasthenis testimonio confirmat, ad quas omnes Chronicorũ libros expendere, & examinare haud secùs atque Lydium lapidem debeamus. Cap. 31

Prima, inquit, regula est ista. Suscipiendi sunt absque repugnantia omnes, qui publica & priuata fide scripserunt. Secunda, Gesta & annales quatuor monarchiarum non possunt negari & reijci ab aliquo, quia solùm publica fide notabantur; & in Bibliothecis aut archiuis seruabantur. Vnde & in Esdra legimus, quòd controuersiæ de reparando templo diffiniebantur ex annalibus Persarum seruatis in bibliothecis. Tertia regula.

Qui solo auditu, vel per opiniones scribunt, hi tãquam priuati recipiendi non sunt, nisi vbi à publica fide non dissentiunt. Ex quibus colligit, quòd nemo in Chronicis susc̃ipiendus est, nisi annalibus quatuor monarchiarum concordet. Et in monarchia quidem Assyriorum, quia publica fide scripsit Berosus Chaldæus, consequens est. vt in temporibus eiusdem monarchia ipsi detur palma: & hunc secutis item ex Persis Metasthenes, ex Græcis Xenophõti in æquiuocis, & Archilocho & Eusebio. Rejiciuntur à temporibus huius monarchiæ ex Græcis Herodotus, Hellanicus, Acusilaus: ex Latinis Iustinus, Gellius, & Orosius, qui cõtra publicam & probatam fidem scripserunt.

In secunda verò monarchia Persarum & Medorum auctor publicæ fidei fuit Metasthenes Persa, & Ctesias Gnidius, vt in tertio libro Diodorus notauit. Rejiciuntur Iosephus ex Hebræis: & Clemens, Tatianus, Africanus, & Eusebius ex Græcis. Quia priuatas opiniones secuti, contra publicam fidem notant reges & tempora, quæ in bibliothecis, & annalibus non fuerunt: & contra omnem publicam fidem scribunt, Cyrum antè dedisse licentiam Hebræis in Babylone captiuis, & mortuum, quàm Babylonia Darius eius patruus potiretur. Proinde idem Eusebius, quoniam in tertia monarchia Græcorum, & in quarta Romanorum publicam annalium fidem sequitur, in vtraque recipitur. Recipitur & Philo Hebræus, qui solus habuit Chronographiam omnium quatuor monarchiarum, & ideo solus ipse in temporibus ex Hebræorum scriptoribus recipitur. Qui non per opiniones, vt Iosephus, sed etiam 70. seniorum testimonio vsus certissima scribit. Hæc Annius in 11. & 14. libro, hoc est, in Metasthenem Philonemq; suos censet: fidenter sanè, vt solent isti, nihil tam verens, quàm ne dubitare aliqua de re videretur. Sed videndum nobis, an in censura hac quantum securitatis est, tantum sit etiam veritatis. Nec verò libẽter nos scriptorum, præsertim familiæ nostræ vitia detegimus. Sed in publica studiorum causa nullo modo præuaricandũ erat. Cùm viderem itaq; viros quosdam eruditos in his

Annij

Annij præceptis, & exemplis hallucinari, necessariũ existimaui, & regulas vanas esse ostendere, & falsa item regularum exẽpla. Principio igitur affirmare videtur Annius in quatuor tantũ monarchijs scribas certos habe-
ri solitos, quos respub. in id cõstituerit, vt gesta tẽporaq; notarẽt. Horum annales in locis tutis asseruari. Quemadmodum in bene instituta ciuitate debemus, quæ instrumenta scripturarum publica à tabellionibus obsignata custodiæ tutæ cõmittit. Verùm illud nõ in quatuor solùm monarchijs, sed in Phœnicũ, Aegyptiorũq; reipub. fieri solere, Iosephus auctor est, 1. contra Appionem Alexand. lib. Nec omnes quatuor illæ monarchiæ huiusmodi rerum gestarum scribas & annales publicos habuêre, quibus rerum tẽporumq; lites, si quę essent exortæ, finirentur. Græcos siquidem hisce, & scriptoribus & annalibus caruisse, multò probabilius est. Sanè ante olympiades Eusebius scribit, Græcam de temporibus historiam, falsam credi: quod vt cuiq; historico visum est, diuersas Græci sententias protulerunt. At post olympiades non asserit eius generis annales à destinatis reipub. ministris ad scriptos extitisse: sed id asserit, ex eo veram de temporibus Græcorum historiam credi, quo olympiades in vsu esse cœperũt. Ac Marcus Varro, apud Cẽsorinum libro de natali die capite 17. non aliud tradit, quàm quod Eusebius accepit, ante olympiades tempus Μυθικὸν, hoc est, fabulosum extitisse, quia in eo multæ fabulæ referuntur. Cum olympiadibus verò cœpisse historicum, quòd res eo gestę veris historijs continentur. Itaque post olympiades Græci res vere gestas scribere orsi sunt, habitaq; est deinceps apud eos quædam historiæ ratio, tẽporum cõuenientia, & historicorũ nonnulla consensio. Atqui Græcorum rempub. certos historię administros ex eo tempore constituisse, dicere Annius poterit, probare non poterit. Quin è contrario Iosephus bonus in primis auctor scribit, Græcos nihil fir-

Nisi fortè Annius sentit, gesta & annos quatuor monarchiarũ, non à priuatis scriptoribus solere scribi, sed ab ijs tamũ, quibus respub. id munerius commisisset. Qui omnimò sensus & falsior & absurdior est. Constat siquidem in omni monarchia priuatos quosdam historicos etiã fuisse. Nam vt de Græca Romanaque taceamus,

in quibus eaves verti in dubium non potest: Diodorus in 3. Ctesiam aliosque de rebus Babylonicis discrepantes induxit, nec hos Ctesiæ, nec his Ctesiam præferendo. Quod certo indicio est, nullum eorum publica auctoritate scripsisse. Primo contra Appio. Alexand. lib.

miter sciẽtes tradidisse, sed quod vnusquisq; ait, opinatus est, hoc studuit explanare. Vnde etiã libri se inuicem arguunt, & in multis Hellanicus ab Acusilao discrepat, Hesiodum corrigit Acusilaus. Ephorus Hellanicum in plurimis ostẽdit esse mendacẽ: Ephorum verò Timæus: Timæum, qui post illum fuêre, Herodotum verò cuncti. Sed neque de Siculis rebus, qui eas conscripserunt, neq; rursum de Atticis hi, qui Atticas, neq; de Argolicis, qui Argolicas memoriæ prodidêre, consentiunt. Nã & Thucydides in multis etiam tanquam fallax accusatur, licet scrupulosissimam sui tẽporis historiam scripserit. Causa verò huius dissonantiæ ea præcipua est, quòd nõ fuerit studium apud Græcos publicas de ijs, quæ semper aguntur, proferre cõscriptiones. Nõ enim duntaxat apud Græcos alios publica conscriptio neglecta, sed neque apud ipsos Athenienses disciplinæ cultores aliquid huiusmodi reperitur. Hactenus Iosephus. Qua ex re liquet falsò Annium Iosephi testimonium vsurpasse, vt probaret publicos Græcorum annales in tẽplorum bibliothecis custodiri. Nihil enim tale Iosephus argumentatus est, quale illi tribuit Annius. Sed hoc argumentatur, quòd à Cadmo literas Græci se accepisse gloriantur, id persuadere illos non posse, cùm nulla inscriptio vel in templi parietibus, vel in vasis, statuis, cæterisq; donis tẽplo dicatis, ex eo tempore relicta sit. At in his tamẽ post literas inuentas, aut deorum, quibus ea dona offerebantur, aut offerentium nomina semper inscribi sunt solita. Plutarchus quoq; auctor, & ipse grauissimus, affirmat, nulla sua ætate publicos Græcorũ annales extare, præter nuncupatos canones tẽporales, quorum auctoritas parum apud eum valet, quòd multarum rerum inuenta in ipsis repugnantia tolli nequiuerit, quãuis in ea re plurimi multum operæ studijq; posuerint. Vanũ igitur & commentitium est, in Græcorum regno & monarchia post olympiades eiusmodi historicos publica auctoritate diffinitos destinatosq; fuisse. Illud aũt vanius in hac monarchia, solos Philonem atq; Eusebium accipere, qui publicos probatosq; annales fuerint secuti. Etenim Eusebius si eam auctoritatem suis Chronicis

Invitam Solonis.

posset adiungere, nullo modo reticuisset se huiusmodi annalib. inhærere. Philo verò Iudæus nec quatuor monarchiarum annales habuit, quod illi falsò sineque ratione ac testimonio tribuit Annius, nec si habuisset, quã nobis attulisset cõmodi. Nulla enim Philo aut rerum gestarum, aut temporum monumẽta reliquit. Nã libellus, qui de tẽporibus inscribitur, cùm fabularum plenus sit, nullius grauis auctoris est, nedum Philonis. Auctor certè eius libri non solùm mendacia cõsectatur, sed adeò etiam historiæ rudis est, vt solos Hebræos, nec præterea quenquam, de prophanis scriptoribus legisse videatur. Sed hoc nec ita multò pòst, satis abundè ostẽdemus. Nunc de Romanorum quoque annalibus paucã dicantur. Quibus fuisse publicos annales olim, Cicero in secundo de oratore libro auctor est. Ab initio, inquit, rerum Romanarũ vsq; ad P. Mutium Pon. Max. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. efferebatq; in album, & proponebat tabulã domi, potestas vt esset populo cognoscendi ij, qui etiã nũc annales maximi nominantur. Primo item de legibus lib. inducit Atticum sic loquentem, Nã post annales põtificum maximorum, quib⁹ nihil potest esse * nudius, si aut ad Fabium, aut ad Catonẽ, aut ad Pisonem venias: tamen quid tam exile, quàm isti omnes? Annales igitur isti pontificum maximorum à tempore P. Mutij intermissi sunt, illisque in historia Cato, Fabius Pictor, Piso, alijque successêre, graues omninò auctores quidem, sed sine publica auctoritate tamen. Nec verò audiendi sunt, qui huiusmodi Pon. Max. annales post P. quoque Mutium continuatos asserunt, quòd hoc loco apud Ciceronem Atticus eos se vidisse significet. Videre autem nullo modo potuerit, nisi essent continuati, cùm Liuius priorum tẽporum pontificios annales incensa à Gallis vrbe interijsse dicat. Non enim interijsse dicit omnes, sed pleroſq;. Qua ex re non fit, vt si in Liuij manus annales isti põtificij non venerunt, quoniam rari ex incendio relicti sunt, ne in manus quidem Attici peruenisse existimemus, qui his quærendis maiorem fortè diligentiam, & curam adhibuit, quàm Liuius. Quanquam co-

*Alij * iudicium le gunt, sed perperam, & ad sensum Ciceronis parũ aptè.*

dices eiusmodi non semper hominum diligentiæ obueniunt, sed fortunę. Annalium igitur Pon. Max. post Pub. Mutium facta intermissio est. Etenim si ea Pontificum diligentia perseuerasset, aut annales isti publici in bibliothecis templisque deorum extarent, nec tam multis locis animi penderet Liuius, & annalium incertitudinem caussaretur, nec adeò sæpè in notandis consulibus consulumq; etiam annis erraret. Nã errasse Henricus Glareanus perquàm diligenter ostendit: dubitasse de personis frequentissimè Fabius Quintilianus ait.

Ac deca. 1. libr. 6. Liuius ipse, quæ à condita vrbe Roma ad captam eandem à Gallis vrbem, id est, ad olympiadem 97. quinque libris expossuerat, ea obscura & parum constantia queritur: tum quòd perraræ per eadem tempora literæ fuerint; tum quòd etiam, si quæ in commentarijs Pontificum, alijsq; publicis priuatisq; erant monimentis, incensa vrbe pleræque interierint. Et rursum in 8. libro posteaquam historicorum Romanorum varias discrepantesque sententias posuit. Nec facile est, inquit, aut rem rei, aut auctoritatem auctori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisq; imaginum titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certè & singulorum gesta, & publica monimenta rerum confusa: nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur. In libris quoq; 9. & 10. vt loca alia prætermittam, satis ille apertè docet, quàm nullos habuerit certos probatosque annales, quos in scribendo sequeretur. Dionysius etiam Halicarnasseus se eiusmodi annales publicos minimè consecutum haud obscurè significat. Cùm enim historiæ suæ fidem cõciliare cuperet, & veteres scriptorum Romanorum historias se consuluisse testaretur, eorum vel maximè, qui grauissimi & nobilissimi fuerint habiti: horum tamẽ annalium publicorum nullam omninò mentionem fecit, facturus sine dubio, si adeò magnam ac certam auctoritatem suo posset operi adijcere. Quid multa? Iulius Cęsar, auctore Tranquillo imito cõsulatu primo omniũ instituit, vt tã senatus, quàm populi diurna

In vitam Iulij Cæsaris.

diurna acta conficerentur & publicarentur. Quò Satyricum illud attinet, Cupient & in acta referri. Plinianum item illud, Milone causam dicẽte laterib. coctis pluisse in eius anni acta relatum est. Veterẽ ergo Pon. Max. morem, qui iam diu fuerat interruptus, Iulius Cęsar primus omnium renouauit. Nec me pręterit, Romanis quondã libros quoque linteos fuisse; qui nihil ferè præter consulum, & magistratuũ nomina continebant. Sed neque hos Liuius vidit; quoniam incensa vrbe fortè hi etiam perierũt. Neque ita horum auctoritate permotus est, vt non eos interdum ab alijs citatos neglexerit. Quin Marcum Licinium cum libris linteis suis aliquãdo coarguit. Imò verò & Tuberonẽ, & Licinium refert in discrepanti opinione vtrunque libros linteos protulisse. Vt intelligas libris istis linteis quàm tenuem & exilem fidem haberet Liuius. Quibus ex rebus facilè Annius refellitur, qui circa finem commentariorum in Philonem suum astruit, Titum Liuiũ publicos annales Romanæ monarchiæ secutum esse, hutusque Philonem vestigijs institisse. Vbi multum omninò de gradu Philonem suum deiecit: qui si publicos omnium monarchiarum annales habuit, vt paulò antè Annius dixerat, imprudenter sanè ac leuiter Liuium secutus est; quem constat, primùm nullos publicos annales habuisse, deinde in plerisq; dubitasse, denique errasse in multis; & ita errasse, vt errorũ quorundam ab alijs euincatur, quorundam ipse etiã se arguat. Nec patiar, vt quisquam mihi Flauium Vopiscum Syracusium opponat, qui in vitam Probi fatetur, se *Vide deca. 3. lib. 9.* vium libris ex bibliotheca Vlpia, registris etiam scribarum porticus porphyreticæ, actis demum senatus ac populi. In vitam verò Aureliani scribit, Aurelianum in libris linteis, qui in Vlpia bibliotheca erãt, vt quotidiana sua acta scriberentur præcepisse. Multo verò minus illud feram, vt mihi Diodorus opponatur, qui in primo libro asserit, ex veteribus annalibus gesta se ac duces Romanorum cognouisse. Flauius quippè nihil nisi libros linteos restitutos, diligentiamq; Pon. Max. non antiquam illam, sed à Iulio Cęsare primùm instauratam affert: Diodorus autẽ non affirmat se publicos Romanorũ annales nactũ

esse, sed veteres. At hi in priuatis monumentis esse poterunt. Nihil igitur afferunt, qui in Græcorum Romanorumque monarchijs publicos fuisse annales aiunt: ad quos cæteras oporteat historias reuocare, vt si ijs consentiant, approbentur: reprobentur, si dissentiant. Ostensum est enim, nullos neque è Græcis, neque è Romanis publicos annales extare: atq; adeò nullos auctores esse, qui secundum eiusmodi annales Græcorum Romanorumque scripserint aut res gestas, aut tempora. Nisi fortè in vno aut altero loco auctor quispiam affirmet, se eā rem, quam scribit, ex libris linteis aut elephantinis, actisue publicis excepisse. Atqui ex vna parte de tota historia iudicare stultissimum erit. Præterquàm quòd si quis suam historiā dicat publicis huius aut illius Monarchiæ annalibus consentire; non continuò publicam eius monarchiæ auctoritatem habet. Alioqui facilè ac promptum cuique erit, ad omnem etiam fabulam, legentiū conciliare vno mendacio dicendo fidem. Id quod Philo historicus apud multos obtinuit, qui in historijs suis omnia tempora quadrasse ad veros quatuor monarchiarū annales, plerisq; sine omni & ratione & testimonio persuasit. Historicum dixi; nam vetus ille Philo grauissimus philosophus, idemq; theologus eruditissimus, vt ab impudentia & mendacio, ita quoque ab historia scribenda alienus fuit. Eusebius enim, Hieronymus, ac Suidas, qui Philonis opera diligentissimè enumerarūt, nullum opus habent, in quo Philo res gestas regni cuiusquā temporaq; notarit. Ita doctis omninò viris liber ille de temporibus, in scriptione planè ementiente videtur esse suppositus. Quæ res manifestis quoque argumentis euincitur: Primùm illud est, quòd libelli eius auctor scribit stirpem Salomonis in Ochozia defecisse, & Ionas, qui illi in regno successit, non de Salomonis, sed de Nathanis fuisse progenie. Quod quam falsum sit, è sacris literis facilè patescit. Quare enim libri Regum cap. 11. ita legitur, Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, interfecit omne semen regium. Tollens autē Iosaba filia regis Ioran soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Et capite duodecimo Tulit Ioas rex Iuda omnia, quæ consecrauerant Iosaphat & Ioran & Ochozias patres eius, &c. Et capite 13. anno vicesimotertio Ioas filij Ochoziæ regis Iudæ, &c. Item secundi Paral. cap. 22. Nec erat vltra spes aliqua, vt de stirpe quis regnaret Ochoziæ, &c, Est deniq; in hanc rem præclarum illud testimonium, contra quod nullus est ad tergiuersandum locus, è primi libri Paralip. capite tertio, vbi in posteritate Salomonis, verbis nihil obscuris, recensetur Ioas filius Ochoziæ. Id quod Matthæus explicatè confirmat inquiens, Iosaphat genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam, Ozias autē genuit Ioathan, Ioathan autē genuit Achaz, Achaz autē genuit Ezechiam. Generatiōe ergo & natura Ezechias filius erat Iosaphat ac proinde Salomonis, vt Matthæus ait: & non Dauidis edicto in filium deputabatur, vt asserit Philo. Ecquis igitur eos ferat, qui contra apertissima scripturę sacræ testimonia, stirpē Salomonis in Ochozia defecisse asseuerant? Sed ne hic quidem Ψευδόφιλος iste Philo finem mentiendi facit. Tradit quippè & id rursum, quos scriptura filios Iosaphat, fratresq; Ioran appellauit, eos non verè filios Iosaphat germanosque Ioran, sed Nathanis posteros fuisse. Quod vt mireris, imò execreris etiā, verba subscribenda sunt, quæ secundi Paralip. libri cap. 21. leguntur: Dormiuit, inquit, Iosaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: regnauitque Ioran filius eius pro eo, qui habuit fratres filios Iosaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michael, & Sapharian. Omnes hi filij Iosaphat regis Iuda. Deditq; eis pater suus multa munera argēti & auri, & pensationes cū ciuitatibus munitissimis in Iuda. Regnū autē tradidit Ioran, eò quòd esset primogenitus. Surrexit aūt Ioran, super regnum patris sui. Cumq; se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio. Quo in loco quæ potest esse tergiuersatio, quę tanta interpretandi licentia, quæ tam magna comminiscendi libido, imò verò quæ tam insignis impudētia, vt eos filios Iosaphat, verosque germanos Ioram fuisse negemus, quo

non sic modò scriptura vocat, sed reddit etiam causam, cur germanos fratres intelligi necesse sit? Ioran, air, fratres habuit filios Iosaphat: ne aliunde fratres existimares, idq; etiam ne dubitare posses, iterum atque iterū repetit, Omnes hi filij Iosaphat regis Iuda. Deditque eis pater suus munera multa, regnum autem tradidit Ioră, cò quòd esset primogenitus. Quid autem illa commemorem, quę sine omni sacro & profano testimonio, sine que vlla rationis coniectura Philo iste falsus cōminiscitur? Ortam litē inter filios Dauid ex Bethsabee, Dauidis edictum de posteris in regnū quodam ordine successuris, à rege Ioas omnes sequentes binomios trinomiosq; etiā fuisse, à desolatione ad carceres Ioakim viginti annos interfluxisse, Mardocheum decem & octo annis æta tem Isaac superasse, Machabæos simul cum pontificatu etiam ducatū à domo Dauid subripuisse, vnde inimicitias exortas, multaq; alia eiusmodi; quæ partim cōmentitia sunt, partim sacris etiā literis aduersa. Quid? quod vel in humana historia Philo iste adeò sępè delirat, vt facilè dicenti ipsi credas, se in vltimo anno ætatis suæ decrepitæ libellum illum scripsisse. Scribit siquidem anno Cyri secundo Aggæum & Zachariam prophetasse. Item ob mortem Darij Histaspis opus esse impeditum; nec adiri potuisse Cyrum, qui bello Tamyrico erat implicitus. Item Cyro Assuerum Priscum Arthaxerxem successisse, qui & plus, quàm 12. annos imperarit, & Holofernem in Iudęā miserit. Item hūc duos filios habuisse, qui de imperio contenderint, sed cùm alter eorum, hoc est, Darius Longimanus victoriā fuisset consecutus, in eius primo anno Iesum hortātibus ijsdem prophetis templi ædificium aggressum. Quæ omnia falsa esse & historicis probatis omnibus vehementer repugnātia quis non videt? Itaque miror quid in mentem Annio venerit, vt eum librum, qui de temporib. inscribitur, in quo multa falsè, pleraque absurdè, nonnulla cōtra scripturam etiā dicuntur, Philoni attribuerit viro doctissimo & prudētissimo. Quis enim credat, Philonem Xerxem illū Persarum regum omnium apud Græcos celeberrimum ignorasse? Darium Histaspis cum Dario Medo Cyri auūculo

auunculo confudisse? Assuerum illum, qui opus templi impediuit, patrem Lōgimani existimasse? Nempè in eos errores solus ille posset incurrere, qui vtriusq; literaturæ & sacrę & profanę rudis omninò & imperitus esset. Non ergo Philo Iudæus, cuius ingenium, eruditionem, facūdiam, celebrauit antiquitas, auctor illius libelli fuit: sed homo quispiam sine vlla bona arte, sine eloquentia, sine ingenio, sine literis. Nullo certè loco Philo iste fallus Platonizat; sed vbique non modò indoctè & indisertè, verūm inculte etiam atque inornate loquitur. Sed vt eo, vnde digressa est, recurrat oratio, cùm monarchiæ Græce atque Romanæ nulli nunc publici annales extent, nullique omninò auctores, quorum historiæ ad illiusmodi annales conueniant & quadrent; nimirū in his duabus monarchijs regulæ Annij nulli penitùs vsui futuræ sunt. Sed & in priorib. duabus monarchijs mihi sanè videntur ociosæ, ad omnemque vsum prorsus ineptę. Nā tametsi Medos ac Persas publicos annales asseruatos habuisse sacræ literę prodiderunt, Babylonijs etiā publicæ auctoritatis historias fuisse, nō Iosephus modo testatus est, sed auctores alij nobilissimi. eiusmodi tamē annalibus nos hodie caremus, omniq; etiam historico, quem hosce annales secutum esse certum atque explora tum sit, Berosum fateor, quoniā valdè probabile est, auctoritate publica Chaldæorum historiam edidisse. Metasthenem verò publicū Persarum historicū fuisse cur fatear, nō video, quem res Indicas scripsisse, & in Plinio & in Iosepho legi, res Persicas non legi. Sed quoniam non in hoc contentionis summa impendet, demus illud Annio gratis. Sicut & id quoq;, Cteſiam Gnidiū in Persarū & rebus gestis & temporibus accipiendū esse. Videlicet apud Diodorum in tertio, Cteſias ipse testimonium perhibet, Græcis se veros certosque annales Persarum ac Medorum attulisse. Hoc igitur quoniam Cteſias dicit, credamus illi. Nam Lucianus Cteſiam Gnidium sedecim de rebus Indicis scripsisse ea, quæ nec ipse viderit, nec de

Esther 2. 6. & 10. Et 1. Esdræ 4. 5. et 6. c.

Plinius in 6. cap. 17. & in 7. cap 2. Iosephus libro 10. ant. Iud. cap. 12. & 1. con. Appio. libro, Cteſias Gnidius apud Diodorum nullius Persarum regis mentionem facit, Regum Medorum tantùm seriem posuit, & in ea Mandanem quendam, quem historiæ omnes ignorant, iure vt videtur quidē: quoniā nomē fœminæ potius est quā viri.

nec de alio narrante audierit. Itaque fabulas esse. At do nemus hęc interim, nec enim de omnibus certandũ est. Illud agamus, quos libros Berosi & Metasthenis nomine inscriptos Annius protulit, eos nec Berosi esse nec Metasthenis.

Berosum porrò Annianum non verũ esse, sed fictum, Raphael Volateranus libro Antropologię 14. animaduertit. Cui Ludouicus Viues, pluresque alij viri doctissimi assentiunt. Quę mihi res argumentis idoneis videtur confici posse. Primùm, quod Berosus iste Annianus scribit, Noe prętер tres primores filios Sem, Chã, & Iaphet, plures alios post diluuiũ genuisse: quod sacris literis videtur esse contrarium. Tres isti, inquit, filij sunt. Noe, & ab his disseminatum est omne genus humanũ super vniuersam terram. Non ergo alij filij Noe fuerũt, qui colonias orbes terrarũ præcipuas, Noe iubente cõstituerint. Refert deinde, cùm Noe ebrius iaceret, Cham illius virilia comprehendisse, ac tacitè submurmurando carmine magico patri illudentem, sterilem eum perinde ac castratum effeciſſe. Scribit prętereà Noe in Italiam venisse, naturaliumque & diuinorum libros cõscriptos Italis reliquisse: eundem quoque Noe Ionum illum extitisse, qui primus in Italia imperarit. Itẽ Nemrot magis studuisse paci, religionique deorum, quàm opulentiæ, ideoque transiatum à dijs subitò non comparuisse. Quę commẽtitia esse omnia facilè ostenderim, nisi quod plus etiam nimio huius voluminis magnitudo creuit. Item ait, hũc ipsum Nemrot Assyrium, Medum, & Magogum in Asiam misisse, qui regna cõdiderint* Assyrium, Medũ, & Magogum. At hi cùm essent filij Iaphet vel patre vel auo præcipiente, credibilius est colonias deduxisse: vel certè, vt Geneſios vndecimo capite dicitur, is ipse Deus, qui diuisit linguas eorum in Babel, inde disperſit eos super faciem cunctarũ regionum. Prætereà narrat, Semiramidem* Babylonẽ vrbem maximam ex oppido fecisse, & magis illam ædificasse, quàm ampliasse. At verus econtrario Berosus apud Iosephum, in primo contra Appionem Alexandrinum libro, scriptores Græcos repræhen-

In 1. libro de veris narra. stitim à principio De trad. dis. lib 5. & in proœmio In libro 18 de ciuita. Dei. Faber Stap. in primum libr. Poli. Aristotel. Libro 2. Genes. 9. Libro 3. Omnia quæ de antiquitate sapientiæ nostræ, quæ eadem Iudæorum fuit Iosephus, Eusebius & Augustinus

repræhendit, qui falso tradiderint à Semiramide Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa hanc fuisse constructa. Ad hæc Berosus Annianus prodit, Cenchrẽ Aegypti regem Hebręorũ magica in mari perijsse. Quod vtique nullo esset modo à Iosepho prætermissum, qui cũ Hebręæ gentis antiquitatem aduersum Græcos conaretur ostendere, nullum aut prius aut antiquius expressum testimonium potuit Berosi proferre, quàm ex 3 lib. Chaldæorum, vbi Nabuchodonosorum scripsit templum Iudæorum ciuitatemque vastasse. Berosus insuper Annianus nullam nec apertè, nec obscurè Abrahami mentionem facit. At Berosus ille verus, vt Iosephus auctor est, Abrahami implicitè meminit his verbis: Post diluuium autem decima ætate, apud Chaldæos erat quidam iustitiæ cultor, vir magnus & syderalis scientiæ peritus. Prętereà Berosus Senacherib regis Assyriorum gesta commemorauit, quemadmodum Iosephus Hieronymusq; testantur. At in Berosо Annianо nulla Senacherib commemoratio est. Prætereà, fictus iste Berosus in Ascatade decimo octauo Assyriorum rege fidem historiæ suæ fecit. Postquam tamen viginti alij reges vsq; ad Sardanapalum Babylonijs imperarunt. Sed hos tamen Berosus non omisit, quin eos etiam annumerauit, qui Nabuchodonosoro Nabulassari filio vsq; ad Cyrũ in imperio Babylonio succesſere, vt Iosephus cõ. Appi. li. primo, diuusque Hieronymus in Danie. 5, ca. affirmãt. Atq; Metasthenes Annianus, cùm triginta octo Assyriorum reges à Saturno ad Sardanapalum numerasset, tempusq; etiam regi cuiusq; eorum subiecisset: in his omnibus se Berosum sequi, atq; adeò eius se verba exscribere testatus est. Nec verò dici potest libellum istum de antiquitatib. fragmẽtum esse Berosi: non integrum opus, quoniã vel Annius ipse nobis tanquam integrum opusculum venditauit. Manethon quoq; Annianus apertè dicit se inde historiam exordiri, vbi finem historię suæ Berosus fecit. Ita in supplemento Manethon decem & octo regibus Berosi quatuordecim alios adiecit, quos si à Berosо accepisset, nullo pacto inficiaretur. Fictus est ergo Berosus iste Annianus, non mancus. Quid? quòd apud authores veteres

Bero-

*disputant: vana sunt, si hæc vera sunt. * In quarto. In 5. * In 5.*

Berosus non Aegyptiorum, non Lybicorum, non Celtiberorum, non Italorum, non Germanorum, sed Chaldæorum scripsit historiam. Annianus verò iste æquè horum omnium regnorum historicum se præbet. Nullum certè probatum auctorem inuenies, qui Berosum, nisi in rebus Chaldaicis testem excitet veritatis. Atqui, si auctor grauissimus res alias scripsisset, sine dubio in eis ab aliquo vel Hebræo, vel Græco, vel Latino auctore aliquando citaretur. Sed nescio an Berosum istū satius fuisset nulla argumentatione conficere. Res quippè ita priscas memoriæ prodit, vt licet falsas intelligere per tui animi coniecturam possis, arguere tamen per illarum vetustatem minimam non possis. In rebus enim eiusmodi quo quisque improbior est, eò maiorem habet fingendi licentiam, adeò vt de libris quidem totis & auctoribus, quemadmodum ait Fabius, mentiatur tutò, quia inueniri qui nunquam fuêre non possunt: de rebus autem ipsis, vel tutissimè mentiatur, quia nulli testes produci queunt, qui nō sint pueri, si contra veterrimos proferātur. Quo in re cū episcopus quidam nostrâs deprehensus esset sæpè peccasse, eos enim auctores citârat interdum, quos nulla vnquam habuit ætas, eas res olim gestas scripterat, quas nulli homines ediderunt: respondit, referre nihil, in historia sic an aliter omninò sentias. Quòd omnia essent ambigua, nisi quæ sacris literis continerentur. Indigna quidē episcopo eoque Theologo sententia. Nam rusticus homo & vanus si hæc dicat, non est mirum. Sed vt eò reuertamur vnde discessimus, facilius dico esse, Berosum istū Annianum contemnere, quàm refellere. Nam viris doctis ipsa libelli lectio satis magna persuasio est, indoctis persuadere nihil attinet. Suo Beroso fruantur licet. Quem solum de temporibus inscriptionum quarundam, per annos quadringentos octoginta ante Ninum & Phoroneum suppurasse, Annius ait Plinium tetigisse. Cùm Plinius tamen nihil aliud tradat, quàm Berosum vsqueadeò Astrologia enituisse, vt Athenienses ei ob diuinas prædictiones publico in gymnasio statuam inaurata lingua statuerint. Fruantur itaque, vt dixi, Beroso suo, sed Plinij auctoritate non fruantur. Imò ne probabili

babili testimonio vllo quidem aut ratione aliqua consentanea. Illa enim ridicula est, Hieronymum Berosi huius verbis quandoque vti. Quasi verò commento locus esse posset, nisi Berosus iste fictus veri Berosi quædā verba compilasset.

Sed iam Annij Metasthenem, quàm fieri poterit, breuissimè explodamus. Non autem persequar errata minuta, quę in paruo volumine plura sunt. Tantūm quę sunt maiora videamus. Scribit igitur monarchiæ Persicæ reges & tempora in hunc modum: Balt Assare intersecto, regnauerunt simul Cyrus & Darius annis duobus, inde solus Cyrus duobus & viginti. Filius Darij, Priscus Arthaxerxes Assuerus annis viginti: vltiōe interea sumpta de factione Tamarica, quæ per dolum patruum tradiderat Lamyræ, huius duo filij Cyrus Artabanes, & Darius Longimanus, septem mensibus pro imperio dimicauerunt, & septimo mense Longimano victoria cessit, regnauitque annis, septem & triginta. Eius filius Darius Nothos annis decē & nouem, Magnus Arthaxerxes Darius Memnon annis quinquaginta quinq;, Arthaxerxes Ochus sex & viginti, nostra ætate Arses annis quatuor, Darius vltimus sex. Hos quoque reges & tempora eodem ordine, eisdemq; penè verbis Philo Annij notauit, vt eundem fuisse vtriusque fabulæ artificem suspiceris vel potius intelligas. Hoc solùm addit Philo, videlicet ex Hebræorum officina, Assuerum istum Nabuchodonosorum esse, cuius res gestas Iudith scribit historia. Illud autem in primis rogo, ecquis iste est Persicus Arthaxerxes Assuerus, qui patrem habuit Dariū, patruum Cyrū, qui Cyro in imperio successit, qui viginti annos regnauit, qui & Nabuchodonosorus fuit, cuius exercitum Principemque militiæ Holofernem, mulier vna deturbauerit, qui denique duos filios sortitus est, Cyrum, Artabanum, & Darium Longimanum. Sanè Cambysen respondent esse. Id namque Metasthenes paulò antè scripserat, Cyrum & Darium, sex annos prius quàm Babylonem caperent, bellum Tamyrę reginę illaturos, regnū Persicum Cambysi filio resignasse. Id etiam historicorum omnium consensione proditum est, Cambysen statim à

tim à Cyro Persarum imperium tenuisse. Assuerus ergo iste idem, qui & Cambyses fuit. At verò, quæ in Prisco Assuero siue adiuncta, siue antecedentia, consequentiaque ponuntur, adeò sunt à Cambyse aliena, vt etiam contraria esse videantur.

Primùm enim Darius Cambysis pater non fuit, sed Cyrus. Id quod non Herodotus modò, Iosephus, Hieronymus, sed vniuersi scriptores Græci Latini que testantur. Cuius omninò rei illud quoque argumentum est, quòd Cyri parenti Cambyses nomen erat, vt historici vno ore dixerunt omnes. Darius autem nullum maiorem habuit, qui Cambyses vocaretur. Consentaneum est ergo Cambysen filium Cyri fuisse, non Darij. Præterea, si Cambyses Dari filius fuit, certè Dario mortuo in regnũ patris successisset: at Dario mortuo Cyrus solus Persis ac Medis viginti duobus annis imperauit, vt etiam Metasthenes & Philo confessi sunt. Non ergo Darij filius Cãbyses fuit, sed Cyri, cui in imperio successit. Præterea, cũ Monarchia à Medis in Persas per Cyrum uerit ft trãslata, ecquo pacto verisimile sit, filium Darij medi in Monarchiam successisse, filium Cyri Persæ non successisse? Sed quid ego demens eam rem conor argumentis demonstrare, quæ cùm ex historiæ fide pendeat, historicis omnibus consentientibus memoriæ prodita sit? Nihil profectò necesse est, contra eum ratione pugnare, quem omnium & ecclesiasticorum & profanorum authoritas vincit. Simile est, quod deinde subijcit, Cyrum patruũ fuisse huius Assueri. Fuerunt igitur Cyrus Persa, ac Darius Medus germani fratres, quod cum ratione etiam pugnat. Atq; authores vniuersi alios parentes Dario Medo, alios Cyro Persæ fuisse scribunt. Quod rursum tertio loco addit, Assuerus istum 20. annos imperasse, illud historijs item omnibus aduersum est. Apparet autem in hoc esse confictum, vt historia libri Iudith sub isto scripta videatur: id quod Eusebius in chronicis magis refert quã sequitur. Traditio quippè Hebræorum est, quæ nec idoneo testimonio, nec probabili ratione consistit. Iosephus sanè repugnat, qui libro Iud. antiqui 11. capi. 2. Cambysem ait septimo anno regni sui mortem oppetijsse. Sed &

& Eusebius Cambysi octo solùm annos imperij tribuit. Herodotus verò septem annos & menses quinque. At Nabuchodonosorus, qui in libro Iudith cõmemoratur, plures etiã, quàm 15. annos imperauit, vt c. 2. habes. Nõ ergo Cambyses Nabuchodonosorus ille fuit. Præterea, omnes historiæ produnt, & Cãbysen & Cyren, cui ille in regno successit, reges Medorum Persarumq; fuisse. At Nabuchodonosorus libri Iudith, nusquã aut Medorum aut Persarum rex, sed vbiq; & Assyriorum fuisse & regnasse in Niniue ciuitate magna dicitur. Adhæc si Cambyses Mediæ rex erat, vt verè erat, quomodo Nabuchodonosorus is fuit, qui Arphaxat regem Medorum obtinuit? Nempè quamuis fingere nostro arbitratu libeat id, quod Philo Annius facit, Arphaxat factionis Tamyricæ fautorem Assyrios, Medos ac Persas ad defectionẽ compulisse; at non proinde tamen regem eum Medorum scriptura appellaret. Pari enim ratione Persarum Assyriorumq; rex Arphaxat iste vocaretur. Quid? quòd Nabuchodonosor tum etiam rex Assyriorum fuisse dicitur, cùm Arphaxat regem Medorum superauit. Quale ergo Philonis commentum est, Arphaxat cum Persis ac Medis Assyrios quoque ad defectionem compulisse? Præterea, Arphaxat ille, contra quem Nabuchodonosorus depugnauit, ciuitatem Mediæ florentissimã condidit, cui nomen Echatanis, vt Iudith 1. cap. legitur. At ciuitas hæc multis ante Cambysen annis erat ædificata à Diocle videlicet, quinto Medorum rege, quemadmodum Eusebius testatur in chronicis, idemque in 1. libro Herodotus. Nec excidit mihi scripsisse in tertio Diodorum, Ecbatana ante Semiramidem condita, in quibus regiam quoque illa ædificârit. Plinio verò in 6. cap. 14. Seleuci ędificium esse. Verùm, quoniam nõ consultò, sed casu in huius rei mentionem incidi, satisfaciam vtrique quasi præteriens quàm breuissimè. Diodorus primùm sæpè ac multum in historia nugatur. Eandem certè habuit, vt cæteri Græci, mẽtiendi libidinem. Quid enim leuius in mentiendo, quàm Græciæ regio vana, & ad omnem impulsum mobilis? Nisi fortè Diodorum defendit, titulus libri eius, qui nunc vnus extat,

de antiquorum fabulosis gestis inscriptus, qui quoniã inscriptioni suæ ipse respondet, neminem fallit. Quod enim promiserat, idem exoluit. Nam quòd Plinius in proœmio totius operis asserit. Diodorum apud Græcos primùm desijsse nugari, id facilè ex orationis Plinianæ contextu intelligitur. nõ ad historiarum fallitatem, sed ad inscriptionum vanitatem pertinere. Græci enim auctores inanes ventosasq; inscriptiones libris suis passim proponebant. At Diodorus, vt Plinius ibi refert, librum suum nullo leui vanoq; indice inuidiosum fecit, vt priores. sed bibliothecæ historiam inscripsit. Non ergo Diodori nos vrgebit auctoritas, si quæ de Semiramidis magnificentia, & in Ecbatanis extructa regia Græcis fabulis decantata sunt, ea ipse vel retulerit, vel etiã fuerit secutus. Plinius verò ijs, qui vrbes præclaras condiderunt, nobilitandis sæpè faillitur. Sed ad rẽ. Cùm Arphaxat eum, qui Ecbatana ædificauit, ante Cambysem fuisse certum exploratumque sit, fieri non potest, vt Cãbyses Nabuchodonosorus ille intelligatur, qui ab Arphaxat Ecbatanarũ conditore victoriã reportauit. Præterea, Niniue tẽpore regni Persarum à Babylonijs vastata fuerat, vt Naum vaticinatio indicat. Nec Persis monarchiam occupantibus regem proprium hæc ciuitas habuit. At Nabuchodonosorus, cuius in libro Iudith mentio est, regnabat in Niniue ciuitate magna: non igitur quæ Iudith historia refert, ea sub Cambyse, sed vt verè Carion sentit, ante Persarũ imperium gesta sunt. Nec, vt ab hac sententia discedam, Achioris me verba mouent, quæ c. 5. referuntur. Quoniã ante insignem illam captiuitatem Babylonicam afflixit aliquoties Dominus omne semen Israel, & tradidit eos in manus diripientiũ, nunc Aegyptiorum, nunc Syrorum, nunc Assyriorum, nũc Moabitarum, & Ammonitarum, donec tandẽ proiecit eos à facie sua. Quia verò in varias regiones captiui adducti sunt, sed breui tempore reduxit eos Dominus in terram suã, idcirco in libris Regum eiusmodi minus celebres captiuitates silentio premuntur. Nã & Iudi. c. 18. cuiusdam captiuitatis mẽtio fit, quam Caietanus verè, vt ego sentio, dicit in libris Regum prætermissam. Non enim

enim, ait, omnia scripta sunt. Non itaque Achior de captiuitate illa insigni Babylonica loquitur, sed de alia quapiã. Iudith porrò ætate templum Hierosolymitanũ non erat euersum, nec ciuitas ipsa vastata. Iterum, ait, possident Hierusalem, vbi sunt sancta sanctorum. At regnante Cambyse & euersum templum erat, & nondum ciuitas instaurata. Manet igitur ea, quæ ipsius Iudith narrat historia, non esse ad Cambysen referenda. Merito igitur Assuerum istum priscum Arthaxerxem negãt vllum fuisse quidam: quoniam re vera, qualem Metasthenes Philoque describunt, nullus fuit. Qui etiam si fuisset, si à Cyro statim imperauit, Longimani profectò parens non fuisset. Ecquis enim dubitet, post Cyri & Cambysis regnum Darium Histaspis Persarum dominationem adeptum, cui Xerxes filius in imperio successerit? Nimirum id Herodotus, Iustinus, Orosius, cæteriique scriptores profani tradiderunt, atque vniuersi etiam veteres ecclesiastici Iosephus, Clemens, Aphricanus, Hippolytus, Eusebius, Hieronymus. Hieronymus certè eam rem non tanquam dubiam & incertam, sed tanquam perspicuam atq; constantem, prodidit in Danielis caput septimum, inquiens: Tres ordines, qui erãt in ore bestiæ, quidam tres reges post Cyrum fuisse Persarum autumant, & quæ illis sunt nomina, reticent. Nos verò cùm post Cyrum, qui regnauit annis 30. sciamus apud Persas regnasse Cambysen filium eius & fratres Magos, & deinceps Darium, cuius secundo anno cœptum est ædificari templum in Hierusalem: quintum, Xerxem filium Darij; sextum Arthabanum; septimum, Artaxerxem Longimanum; octauum, Xerxem; nonum, Sogdianum; decimum, Darium Nothum; vndecimum, Artaxerxem Memnonem; duodecimum, Arthaxerxem Ochum; tertium decimũ, Arsen Ochi filiũ; quartum decimũ, Darium Arsani filiũ, qui ab Alexandro superatus est: quomodo tres reges Persarum fuisse dicemus? Hactenus Hieronymus. Sanè si in Regum Persarum serie, aut fratres Magos, aut Arthabanum, aut secundum Xerxẽ, siue Thucydides, seu quisquã alius historicus præterierit, nihil mirum esse debet: quoniã illi vel

breuissimo tempore imperârunt, vel certè eo quoque breui tempore de imperio cum alijs contenderunt. At Darium Histaspis & Xerxem filium eius, qui potentissimus rex atque ditissimus, aduersum Græciam innumerabilem duxit exercitum, & ea gessit, quæ Græcorum & Latinorum Gentilium ac fidelium historiæ narrât, hos inquam, duos tam excellentes ac præclaros reges silentio transire extrema ignorantia, ne dicam impudentia est. Etenim hos in Persia regnasse si quis neget, negare etiã poterit Constantinũ Theodosiumq; Romæ imperasse. Non enim plures grauioresq; historici hoc, quàm illud affirmant. Atq; Herodotus & Thucydides de his videlicet sui seculi regibus ita loquuntur, vt non res auditas, sed visas narrare videantur. Nec si historię suę Herodotus fabulas miscet, idcirco fides illi abroganda est, in rebus sui temporis publicis & manifestis, in quibus nullus erat fictioni locus. Alioqui Plutarchus, qui minimos quosque errores Herodoti persecutus reprehẽsione est, hunc, quoniam erat maximus, potissimùm insectaretur. Credamus itaq; potius Herodoto, Thucydidi, Iustino, Orosio, Aphricano, Eusebio, Hieronymo, Iosepho, cæterisq; auctoribus probatissimis, quàm Metastheni huic, non veteri & erudito, sed recenti, rudi, sine sensu, sine sapore, ignoranti, atque adeò impudenti. Nẽpè, qui polliceatur scripturum se regum Persarum tempora, vt in annalib. publicis liquidè & verè digesta sunt, Reges quoque & nomina quàm apud eos splendidissimè regnatum est: & tamẽ eos reges omittat, qui in Persis magnificentissimè atq; amplissimè regnauerunt. Nec me fugit, Ioannem Carionem operosè etiam cõtendisse, vt inter Eusebium, Hieronymum, ac reliquos auctores graues, & Metasthenem Persam istum, nulla esse repugnantia videretur. Ita in summa discordia ac dissensione pacem conciliare nititur, & quæ discrepant plurimum, ea facere vt consentiant, vel maximè. Primùm ergo ait Carion, Assuerum illum priscum, Darium Histaspis intelligi oportere. Quã vna ex re totum discę Carionem. Quid enim stultius dici potuit, quàm Darium Histaspis patrem habere Darium Medum, patruũ Cyrum, filium

filium Longimanum: His enim attributis priscum illũ Assuerũ Metasthenes cumulauit. Quid aũt à Dario Histaspis alienius, q̃ publico edicto vetare, ne templũ Hierosolymis instauraretur, q̃ Assuero illi prisco Philo Annianus assignat? Nã causæ à Carione redditę, cur à Metasthene Xerxes fuerit omissus, vsqueadeò ridiculę & ineptę sunt; vt nõ sint à me in præsentia referẽdæ. Atq; eas omnes sigillatim Ioan. Vergara Canonicus Toletanus, vir Græcę ac Latinę linguæ peritissimus in libello octo quæst. Hispanè edito accuratiùs refutauit. Cuius nos operã & diligentia multum hoc loco adiuti sumus. Malumus enim, quod nos Plinius admonuit, mutuũ omninò reddere, quàm in furto deprehendi. Illud enim Basilij præceptũ semper nobis probatum est, si quid ex alio discitur, minimè cælandũ; more prauę mulieris, quę partũ thos clàm supponit. Quamobrẽ sermonis & doctrinę patrem ingenuè manifestandum. Quib. rebus demõstratis omni luce clariùs apparet, id q̃ huius orationis institutum erat, Annij regulas in historiæ iudicio vtiles esse nõ posse. Quando ne ex his quidem, posterioribus Chaldæorum ac Persarum monarchijs, annales vlli publici relicti sunt, nec auctoris cuiuspiam monumenta, qui historiam suam ad veram certamq; eorũ annalium formulã composuerit. Quocirca Iosephũ, Euseb. Hieronymum, cæterosq; probæ fidei auctores, in Persarum aut rebus gestis, aut temporibus explodere, quod Metastheni huic ex ijs, qui prætexuntur, Susianis annalibus nõ cohæreãt; magnum insciliæ, imò verò etiam temeritatis argumẽtum est. Quo loco Ioannes Driedonis vehementer erravit, homo, quod ad Theologiæ diligentiam pertinet, planè doctus; quod ad historiæ humanæ cognitionem, valdè rudis. Qui cũ in hæc Annij volumina incidisset, & Berosi Chaldæi, Metasthenis Persæ, Cteśę Gnidij, Philonis Iudæi, Diodori Siculi, bibliothecæ Susianæ, septuaginta seniorum excitatio inani verborũ sonitu illius cõpleuisset aures; ad Eusebij, Iosephi, Hieronymi vocem, oppidò q̃ grauem obsurduit. Quantò prudẽtiùs ecclesia, quæ cum Adam, Enoch, & Noe quidam libelli producerentur, eos noluit recipere: Quoniam, vt Augustin. ait, quòd

In præf. mio.

quòd in auctoritate nõ esset, nimia fecit antiquitas, propter quam videbãtur habẽda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædã, quæ ipsorum esse dicuntur, ab eis qui pro suo sensu passim, quod volunt, credunt. Hactenus in 18. de Ciui. li. ca. 38. Augustinus. Viro igitur prudenti vt liber quisq; sub antiquitatis nomine, pferatur maximè, ita maximè debet illi esse suspectus. Quam nos prudentiam secuti, Berosi hos Metasthenisq; libellos, vel nimia vetustate suspectos habere mus, etiam si nihil continerent, quod viris grauissimis contraueniret. Quibus rebus efficitur, vt prima Annij causa, quamobrem in Persarũ monarchia Iosephũ Eusebiumq; reijci oporteat, futilis & vana sit. Nam altera falsissima est. Non enim aut Eusebius, aut quisquam alius probatus auctor scribit, Cyrum antè dedisse licentiam Hebræis in Babylone captiuis & mortuum, quàm Babylonia Darius ille Medus potiretur. Eusebius porrò Darij Medi in chronicis nusquam meminit: nec sub eo nomine, nec sub nomine Ciaxaris, quo eũ appellat Xenophon. Non ergo Eusebius scripsit, Cyrum ante interfectum esse, quàm Darius Medus Babyloniam cœpisset, cum Darium omninò Medum in chronicis prætermiserit. Herodotus autem nihil eiusmodi scripsit, quale illi Annius impingit. Darium Histaspis filium Eusebius Herodotusque commemorant. Ille, vt solet, breuiter, regni tempora notãs, hic latiùs eius gesta describens. In quibus illud refert, Darium Histaspis Babylonem, quæ à Persarum imperio defecerat, iterum & obsidione cinxisse & expugnasse. Atque hinc turpis Annij error extitit. Cùm enim audisset Herodotum scribere post Cyri mortem Babylonẽ à Dario captam, existimauit eum de Dario Medo intellexisse; cùm Darium Histaspis sine dubio Herodotus expresserit. Nam à Cyro semel expugnatam Babylonem 1. libro dixerat. Deinde in 3. ca iterum capta Darium Histaspis potitũ affirmat, muros eius circuncidisse, & portas omneis amolitũ esse, quorũ neutrũ Cyrus fecerat priùs eidẽ à se captę. Abeat ergo nunc Annius, & dicat, Herodotũ & Euseb. somniasse. Annius ipse re vera potiùs somniat, qui è duobus hominibus Dario Medo

In fin 3. li.

In Phlonẽ suum.

Medo, & Dario Persa vnum facit, exq; duabus Babyloni[s] expugnationib. item vnam. Id qp propriè dormientiũ & somnianiũm est. Sed ais, Daniel ca. 11. post Darium Medum quatuor solùm Persarum reges vsq; ad Alexandrũ futuros vaticinatus est. Non ergo 14. fuere, quẽadmodũ nos, Eusebium Hieronymumque secuti, fuisse diximus. Huius argumenti ratio Tertullianũ in eo lib. quem cõtra Iudęos scripsit, videtur impulisse; vt inter Dariũ Medum & Alexandrum, quatuor duntaxat Persarum reges intermedios poneret, Arthaxerxem, Ochum, qui & Cyrus, Argum denique, ac Darium vltimum, qui & Melas nominatus est. In quẽ errorem Nicolaus Liranus, licet Hieronymo admonitus, videns prudensque incurrit; Hebræorum somnia sequens, qui historiæ humanę penitùs sunt ignari. Quoniã nulla externi regni monumẽta in lingua sua habent: nec alios aut Persarum, aut Græcorum reges agnoscunt, nisi quos scriptura commemorat. Quod qui parum perspiciunt, hi Iudęos in earum etiam scripturarum explicatione sequũtur, quarum intelligẽtia, si Gentilium ignorentur historiæ, aut vix aut certe nullo modo haberi potest. Ita Hebræi ratione sæpè historiarum vertunt, & id, quod probare non possunt, fingere conantur. Quorum error, cripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, vt scriptura sacra interpretanda, in ijs præsertim locis, quæ res externas gentium attingunt, gentium monumẽta sequamur. Rectiùs igitur vtriusq; Hieronymus quartum illum regem, quẽ Propheta commemorat, Xerxem Darij Histaspis filium fuisse intelligit: talem enim hunc Ethnicorum historiæ narrãt, qualem Propheta describit. Quòd autem Dan. quatuor Persarum regibus enumeratis, nouẽ, qui fuêre post Xerxem, prætermiserit, hoc non solùm contra nos, sed cõtra Metasthenem Annij Philonemq; etiam facit. Non autem curę fuit, vt Hieronymus ait, spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quęq; perstringere. Ac si quis prophetarum transitiones diligẽter animaduerret, inueniet multa intermedia frequẽtissimè pertransiri: quæ si ex vatum silentio nunquã fuisse iudicabit, in magno eum errore necesse est, multarum rerum

Dan. 9. & 11. vbi hos 4. reges ait fuisse Cyrũ, Cambysen, Assuerum, Mertum Esth. & Darũ filiũ Assueri, quẽ Alexand. vt inquit debellauit. Darius aũt esse postremus iuxta horũ sentẽtiam, Lonigimanus in telligitur.

sub quo aiunt templa ædificatum.

ignoratione versari. Hoc verò loco peculiaris causa fuit, cur in rege Persarum Xerxe spiritus probæ subsisteret. In eo siquidem Persarum monarchia maximè adversum Græcos eminuit; adeò vt ab innumerabili exercitus multitudine Græcia vel breui momento vastanda atque exinanienda videretur. Itaq; repentè Danieli Alexander Græcus ostensus est, qui nō solùm Græcos posset à Persis eripere, sed de Persis etiam triumphare. Sed de regulis Annij earumque regularum exemplis, ac de tota demum Annij, censura satis, vt arbitror, diligēter disputatum est. Quid igitur? Nam hoc dicet fortasse aliquis, nulla via ratioque erit, qua veraces historicos à fallacibus distinguere atque internoscere valeamus? Erit nempè, & multiplex etiam erit.

Prima lex ex hominum probitate integritateque sumetur. Quæ omninò res locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, qui viderunt accepisse. Qualia sunt plærae; in epistolis Ambrosij, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque huius de Ciuitate Dei, in dialogis Gregorij, breuiter in omnibus ferè doctorum ecclesiæ probatissimorū scriptis: in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribēdo voluerint, piaculum est. Magnis quippè præclarisque virtutib. viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt; vt in rebus eiusmodi, quas vel spectasse se, vel ab alijs fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omninò illis habeatur. Qua in re Erasmus Roterodamus, alijque iuniores quidam, sæpè ac licenter errarunt. Quid enim liberiùs, licentiùs, immoderatiùs dici potuit, quàm Hieronymum asserentem, Matthęi euangelium Hebraicum describendi sibi copiam fuisse, in eo virum grauissimū sanctissimumque mentiri? Iure itaque pijs hominib. nimia hæc quorundam iuniorum liberiorque licentia displicuit, iure etiam in crimen vocata est. Hæc autem prima lex, in profanis quoque auctoribus locum habet. Quędam enim Iulius Cæsar, quædam Suetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus, quædam Plinius narrāt, quæ auctores ipsi partim oculis aspexerunt, partim acceperunt ab his, qui ea præsentes aspexerant. In hisce verò auctoribus tametsi pietatem, absolutaque virtutis officia spectare non licet, licet tamen probitatem quādam bonitatemque naturæ. Quidam enim eorum aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia, vsqueadeò à mendacio abhorruerunt, vt iam pudendum fortasse sit, historicos gentium quosdā veraciores fuisse, quàm nostros. Dolenter hoc dico potiùs, quàm contumeliosè, multò à Laertio seuerius vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum: longeque incorruptiùs & integriùs Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorū. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis verò etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inseruiunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, vt eorum me nimirum non solùm pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo ecclesiæ Christi cùm nihil vtilitatis attulisse; tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam huius loci iudicium morum etiam est, & non eruditionis tantùm, in qua liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profectò esse & in viuos cautior, & in mortuos reuerentior. Certum est autem, qui ficte & fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque synceros esse non posse, totamque eorum narrationem inuentam esse, aut ad quęstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum pernicioſum. Iustissima est Ludouici querela de historijs quibusdam in ecclesia confictis. Prudenter ille sanè ac grauiter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere. Id quod & maximè periculosum est, & minimè necessarium. Menda ci quippè homini ne verum quidem credere solemus. Quamobrem qui falsis atque mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad Diuorum cultum voluere, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quàm vt veris propter falsa adimatur fides, & quæ seuerè ab auctoribus

De tradendā disciplī. lib. 5.

planè veracibus edita sunt, ea etiam reuocentur in dubium. In Herodoti lucubratione rebus fictis & adumbratis quidem loci plurimum fuit. Verùm inscriptione ipsa illa præmonuit, non esse in eo libro historiæ rationem ad viuum resecandam. Musa videlicet inscripsit, quibus fabulæ interdum concessę sunt, vt audientium animos iucundius & suauius allectent, quod seueritate narrationis non perinde assequerentur. Xenophon. qui, vt Fabius ait, magis inter Philosophos quàm inter historicos reddendus est; optimi & absolutissimi Principis formam in Cyro perfectam conatur effingere. Itaque non est ab eo expectandum, qualis nam Cyrus re vera fuerit, Rex licet excellens & eximius, sed qualis futurus sit in Republica Imperator, si ad normā exemplaris exactissimi componatur. At in historia Christiana, quæ tota, vt diximus, non voluptate, sed veritate perpenditur, quorsum attinet historiæ nomen commētis fabulis quę prætendere? Quasi verò sancti Dei homines nostris mendacijs egeant, qui tam multa vera pro Christo gesserunt, vt falsa quantumuis licet eruditæ simulationis artificio composita, vt noxia non sint, quoniam inutilia sunt tamen, tanquam ignaui milites oneri sint magis, quàm auxilio. Heroum porrò nostrorum res verè gestæ, sicuti ego existimo, non solùm amplæ magnificæque fuerunt, verùm multò etiam maiores quàm fama feruntur. Neque eorum qui fecēre virtus tanta habenda est, quantum eam verbis extollere potuerunt nostri: sed tanta potiùs, vt & præclara ingenia rebus ipsis, & ingenijs præclaris verba quoque defuerint. Sed dum quidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales Diuos quandoque nobis exhibent, quales Diui ipsi, & si possent, esse tamen noluissent. Ecquis enim credat, Diuum Franciscum pediculos semel excussos, in seipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri, scriptor pertinere putauit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud item quàm ridiculum? Diabolum Dominico patri nostro, semel obstrepentē,

Liuius ca. 1.

Cicero ad Quintū fratrē, Cyrus ille, inquit, à Xenophonte ad historiæ fidē scriptus, sed ad effigiem iusti imperij.

pētem, à Diuo esse coactum, vt lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta nō molestiam solùm, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt huiusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ Diuorum clarissimorū historias obscurarunt. Non autem decebat, veras sancto rum res gestas falsis & commentitijs fabulis contaminari. Quæ causa Gelasio fuit, vt huius generis historias multas in concilio septuaginta Episcoporum reprobaret. Eius Pontificis verba sunt, legi cognoscique dignissima: idcirco adscribenda sunt. Gesta, inquit, Sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus esse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa toleraſſe? Sed ideò secundum auctoritatem antiquam, vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia eorum, qui scripsēre, nomina pēnitus ignorantur: & ab infidelibus aut dicta superfluè, aut minus aptè, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici & Iulittæ matris eius, sicut Georgij aliorumque passiones huiusmodi, quæ ab hęreticis probantur conscriptę: propter quod (vt dictum est) ne vel leuiùs subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes martyres & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quàm hominibus noti sunt, cum omni deuotione veneramur. Item vitas patrum Antonij, Pauli, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item actus beati Silueſtri Apostolicæ sedis præsulis, licet eius, qui scripsit nomen ignoremus, à multis tamen in vrbe Roma catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu multæ hoc imitantur ecclesiæ. Item scripta de inuentione sanctæ Crucis dominicæ, & alia scripta de inuentione capitis beati Ioannis Baptistæ, nouellę quidem reuelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt, sed cum hoc ad Catholici eorum manus peruenerit, beati Pauli apostoli sententia

præce-

præcedat: Omnia probate, quod bonum est tenete. Hactenus Gelasius.

Quòd si prophetias, quæ numinis afflatu edi solent, Paulus docet non spernendas quidem, sed explorandas tamen: ecquis nos accusare audebit, si historias humano sensu editas exploremus? Gelasius sanè auctor est cũ Cõcilio grauissimus, quod de prophetia ab Apostolo dictũ est, hoc aptè etiam in historiam quadrare. Iubet ergo imprimis Pontifex, vt eas historias nullo modo amplectamur, quæ sine certo auctoris nomine proferuntur. Olẽt enim aut quæstuosorum hominum impostura, aut, quod Gelasius ipse ait, hæreticorum fœtum. Quæ eadem omninò causa subest, vt historiæ illæ valdè etiam suspiciosæ sint, quæ tametsi auctoris cuiuspiam nomen præ se ferunt, sed quis ille qualisve sit, obscurum & incertum est. Cuiusmodi ante hos paucos dies, quædam fabulæ prodiêre, quarum & actores & loca adeò longo interuallo distant, vt an mentiantur illi non possit inueniri, an hęc sint addubitari etiam possit. Sed benè habet, quod totũ narrationis corpus commentitium apparet, vt quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hac re facilè probes, De luengas vias, luengas mentiras. Sed ad Gelasium redeamus. Qui illius deinde erroris nos admonuit, in quo olim non vulgus solum, sed Gratianus etiam versatus est, vt librorum deceptus indicibus crederet, omnia, quæ Hieronymi & Augustini nominibus inscripta erant, Hieronymi Augustiniq́ue verè etiam esse. Sic librum, qui de vitis patrum inscriptus est, Hieronymi nomine vulgus circumferebat, quum pauciſſimas tamen patrum vitas ille scripserit, quæ & hoc loco ferè à Pontifice referuntur. Gelasij itaque testimonio eorum imprudentiam retundemus, qui harum rerum auctorem Hieronymum peruulgarunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet. Huius generis fabula etiam illa est insulæ æquè ac barbara de Natiuitate sanctæ Mariæ, ad Chromatium & Heliodorum episcopos. Huius generis sunt alia multa, quæ & diligentissimè & rectissimè Erasmus refutauit. Illud etiam in his Gelasij verbis equidem animaduerto, nouellas reuelatiões, sic enim vocat, nos admirari

mirari & suspicere minimè oportere. Iam enim passim non pro ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu expromuntur, adeò vt in conceptionis causa vtrinque, si superis placet, reuelationes vel contrariæ proferantur. Quæ res impijs quidem non leuem subsannãdi occasionem præbent, pijs verò lachrymandi. Contemnantur profectò necesse est Dei & dona & miracula, si nostris aut opinionibus, aut affectibus inseruierint. Ecclesiæ igitur Christi hi vehementer incommodant, qui res Diuorum præclarè gestas non se putant egregiè exposituros, nisi eas fictis & reuelationibus & miraculis adornarint. Qua in re, nec sanctæ virgini, nec Christo domino hominum impudẽtia pepercit: quin quod in alijs Diuis factitauit, idem quoque in Christi & matris historia scribenda faceret, & pro humani ingenij leuitate multa vana & ridicula commiscereturCùm superioribus annis Tridentino concilio interessem, è quibusdam audiui. Aloysium Lippomanum episcopum Veronensem huic malo mederi, historia de vitis sanctorum constanti ac graui ratione edita. Sed hanc mihi adhuc videre non licuit, nec aliã quamuis, quæ mihi quidem probari possit de his, quę venerunt in manus. Spissum sanè erit opus & operosum, sed vehementer omnibus Christianis vtile, si quis præstiterit dignũ modò Diuis, Ecclesia, Christo. Id quod haud dubiè præstabit nemo, nisi vir probus, integer, incorruptus. Vt ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribẽdo, ne qua simultatis. Quæ cùm ad probitatis integritatisq; officia pertinere notum sit, miror ab vno Suetonio seruata esse omnia, à plerisque nostris omnia esse deserta. Qui autem res humanas à Diuis quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent, hi Diuos ipsos, ne homines quidem fuisse videntur credere. Quantò sapientiùs Euangelistæ faciunt, qui vel in ipsis apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecillitates, nec casus etiam grauiores dissimulant. Diuina hæc sapientia quidem Euangelistarum fuit, sed bonitas quoque integritasq; naturæ, vt nihil illis in scribenda historia deesset, quod in historiæ lege vel Ethnici requisijssẽt.

Scripto-

Scriptoris autem probitas & integritas, nam hoc quęret aliquis, in his, qui olim fuerunt, licet aliquãdo in scriptis ipsis eluceat, sed fama & graui atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur. Sunt enim, vt dixi, in profanis auctorib. nõ pauci, quorum ingenuitas & verecundia sic hominum sermone celebrata est, vt nemo illos vnquam mendaces, & in fingendo imprudẽtes existimauerit. Quales sunt Cęsar, Val. Max. Terẽtius, Varro, Liuius, Cornelius Tacitus, Seneca, Ammius, Marcellinus, Eutropius, Flauius Vopiscus, Paulus Diaconus, Lucius Florus, Polybius, Dionysius Halicar. Iulius Capitolinus, Cornelius Nepos, Strabo, alijque plures. Latini præsertim auctores. Nam Græcorum fides maiori ex parte fracta ac debilitata est. Religiosus est Thucydides, &, vt Iosephus ait, inter omnes Græcos historicos in primis scrupulosus. Appianus Alexandrinus, Græcus licet auctor, sed quoniam hesterna & ciuilia Romana bella memoriæ mandauit, in alienis rebus mendax non fuit, futurus in suis, si Græcorum morem & ingenium sequeretur. Quorum iactantia & vanitas impudentius est aucta, postquàm certare cum Latinis de imperio, de rebus gestis, de doctrinæ veritate incœperunt. Latinis siquidem fulgor & gloria Græciæ claritatem obscurauit, & adeò Græcorum præstrinxit oculos, vt vel Plutarchus scriptor alioqui verax, in rebus Græcorum illustrandis & cæcutire & fingere interdum etiam videatur. Quod tum in opere de viris illustrium Græcorum & Romanorum, tum in paralellis Ludouicus Viues animaduerrit. At verò in nostris, hoc est, ecclesiasticis facilior est ratio, virtutis & bonæ fidei cognoscendæ. Optimos enim quosq; apud nos non solum humanus sermo atq; existimatio colit, verùm etiam ecclesiæ decretum in concilio cælestium collocat. Hos itaq; mendacij impudentięq; arguere, quemadmodum supra diximus, impietatis etiam, nõ modò temeritatis argumentum est. Cum his ego sanctis iustisque viris, Egesippum, Paulum Orosium, aliosque nonnullos ecclesiæ historicos annumerãdos censeo, qui à me breuitatis causa prætereuntur. Nõ enim hic bibliothecas excutimus, sed genera degustamus.

mus. Ne quis negligentiæ nos insimulet, si vllos aut laudando, aut vituperando transimus. Sed ais, Crispus Sallustius in perditis omninò moribus veridicus historiæ scriptor est habitus. Sanè quidã. At cùm Sallustium objcis, hominem obijcis: in quo si non honestatis pudor, at infamię eius timor fuit, quam Romani cum primis declinarũt, ne mendaces, quemadmodum Græci, in historijs haberentur. Deinde non mihi Sallustius videtur vitiis carnisse & gratię & simultatis. Certè cum de Cicerone scribit, multa silentio pręterit, quæ libentissimè in aliorũ gratiam retulisset. Sed hęc duo vitia cum historicorum ferè omnium cõmunia sunt, tũ quorundã quasi propria. In quibus Paulus Iouius est in quamlibet partem nimius odio & amore, gratia & simultate. Et quoniam pecuniã amabat, in historia quoq; scribenda pecunię seruus fuit. Postremò aliud est dicere, viros bonos veraces esse omneis, aliud improbos omneis esse mẽdaces. Illud nos diximus, hoc non diximus. Quanquam nescio quomodo fit, vt nusquam securus animus nisi in viri boni testimonio conquiescat. At officio veritas adeò coniecta est, vt in homine vitioso esse illa fortasse possit: sed esse tamen credi vix possit. Quæ causa Chaldęis Aegyptijsque fuit, quamobrem non alios historię auctores approbarẽt, nisi qui sacerdotio fungerentur. Quod sanctos religiososq; viros mentituros esse nullo modo existimarent. Homo, inquiunt, ex Iudæis quidam, sacerdos venit: nõ decipiet nos. Verum de prima ad Historiam diiudicandam regula hæc dicta sint.

Chaldæi sõlos illos historicos appellabant qui sacerdotes erãt. 1. Mac. 7.

Lex verò secunda in historię iudicio sanciatur, vt eos historicos reliquis anteferamus, qui ingenij seueritati quandam prudentiam adiunxerunt, & ad eligendum & adiudicandum. Quæ lex in ijs rebus locum habet, quas res neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec à viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Quo in genere est operæpretium leuitatem eorum recordari, qui mulierc ularum more quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt. Nã ætas nostra sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset, nihil omninò esse falsum, quod semel typis fuisset excusum. Non enim, vt aiebat, tantum facinus Reipub. ad

ministros commissuros, vt non solùm inuulgari mendacia sinerent, sed suo etiam communirent priuilegio, quò illa tutiùs mentes mortalium peruagarentur. Quo sanè argumento permotus animum induxit credere, ab Amadiso & Clariano res eas vere gestas, quę in illorum libris commentitijs referuntur. At verò quantum illa aduersum Reip. administros ratio valeat, non est huius loci tẽporisque disserere. Certe hoc ego pro me ipso & animi mei sensu ac dolore pronuncio, magna ecclesiæ calamitate atque pernicie id solùm in libris vulgandis præcaueri, ne erroribus fidei aduersis aspersi sint, ne sint moribus exitiales non item. Nec de fabulis istis potissimum excrucior, quas modo dixi, quamuis in eruditis & nihil omninò conferentibus, non dico ad bene beateque viuẽdum, sed ne ad rectè quidem de rebus humanis sentiendum. Quid enim conferant meræ ac vanæ nugæ ab hominibus otiosis fictæ, à corruptis ingenijs versatæ? Sed acerbissimus est dolor, & vix omninò consolabilis, quòd dum quidam vtinam tam prudenter quàm feruenter incommodum hoc reijcere ac deuitare cupiunt, non pro fabulis veras & graues historias edunt, id quod esset plebi vtilissimum, sed libros mysteriorum ecclesiæ plenos, à quibus arcendi profani erant: id quod est, mea quidem sententia, pestilentissimum: eò verò magis, quò vulgus eos libellos securius legit, quia probatos videt, non modò à ciuili magistratu, verùm etiam ab ijs, qui doctrinæ censores sunt in Christi Republ. definiti. Sed hæc alias, nunc quod instat, agamus. Miseranda sanè hominis ignorantia potius, quàm ludenda, qui vsqueadeò, aut bonus, aut stultus erat, vt omni narrationi statim crederet, si modò esset literis prodita. Verùm inuenias alios non pari insciti quidem, sed imprudentia penè pari, qui veritatem rerum non inde petunt, vbi ea reside re sit solita, sed ex ijs, in quibus raro est eam inuenire, nẽpe ex dissipatis peruagatisq; rumoribus. Quæ res plerunq; ijs accidit, qui sunt inconstanti leuiq; natura. Nã homines graues atq; seueri non solent inanem vulgi sermonẽ aucupari. Quanquam negare nõ possumus, viros aliquãdo grauissimos in diuorũ prę sertim prodigijs descri-

scribẽdis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, vt mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt: quòd vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare. Itaq; signa nonnulla & prodigia sancti quoque memoriæ prodiderunt, nõ quò ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur. Id verò eo magis sibi licere existimarunt, quòd intellexerunt, auctoribꝰ nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse, ea scribere, quæ vulgò vera haberentur. Nec ego hîc libri illius auctorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur: nec historiæ etiã eius, quæ legẽda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quàm vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plũbei cordis, animi certè parum seueri & prudentis. Veteres excuso & sanctos & eruditos viros, quorum & libros & nomina volentẽ ascribere pudor me ac religio vetaret, nisi cõtrà vererer, ne mea hæc taciturnitas plerisque causa esset, vt aut damnarent, quę non intelligerent, aut errore vario circum sanctorum omnium historias vagarentur. Atque Theologum etiam admoneri operæpretium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni auctores scripserint, vndique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, vt ille ait, & oneri cedũt: & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, vt dixi, interdum etiam indulgent: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, adeò, vt Ciceroni Demosthenes dormitare, Horatio verò Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda atq; Gregorio iure fortasse ac vere dicere possum. Quorum ille in historia Anglorum, hic in dialogis quędam miracula scribunt vulgo iactata & credita, quæ huius præsertim seculi Aristarchi incerta esse cẽsebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum auctores iuxta præfinitam normam, seueritati iudicij curam in eligendo maiorem adiunxissent. Sed quoniã modestè, & circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne in his quidem duobus reijcienda sunt plurima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pauca enim in eis possis arguere, quamuis historiam ecclesiasticam reuocare ad seueriora iudicia cõtendas. Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legẽtibus, quàm multa reprobari malo. De Vincentio Valuacen. & Diuo Antonio liberius iudico, quorum vterque non tam dedit operã, vt res veras certasq; describeret: quàm ne nihil omninò præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam vnamquamq; existimandam, momentoq; suo ponderandã non artificum statera, sed ne populari quidem trutina vsi sunt. Quamobrem boni licet ac minimè fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, à quibus suos exscripsére libros, diligenter examinârunt, nec res iustis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graues atque seueros auctoritate carent. Historicus autem, qui Theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operã, nec prius lecta auditaque describet, quàm ea prudenti accuratoq; iudicio expendat ac seligat. Sed in secundæ regulæ explicationem diximus satis.

Non te fallat, quod Gelasius Vincentij laboriosum opus commendauit. Mendosi enim sunt plerique codices. Nam correcti & emendati, Iuuẽci, habent, non Vincentij. Alioqui Gelasius, qui multis seculis Vincentio prior fuit, prophetã in eo. s. fuisset, nõ index.

Tertia regula sit. Si cui historico auctoritatem ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos etiam auctoritatem adiungamus. Contrà verò, cui ecclesia derogauit fidem, ei quoque nos fidem iure ac meritò derogabimus. Gelasius porro historiã de vitis Antonij, Pauli, Hilarionis, ac cæterorum eremitarum, quas tamen Hieronymus scripsit, cum omni honore suscepit. Acta rursum beati Siluestri, licet non pari veneratione: sed suscepit tamen. Collaudauit Orosium, Eusebij chronica, hoc est, de temporibus, quantum animi coniectura colligo, non reiecit.

Hieronym. ad Lætam de instit. fil. Caueat, inquit, omnia apocrypha.

Reiecit itinerarij Clementis libros octo, acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ nominibus falsò edita, librum de infantia Saluatoris, alterum item de eiusdem natiuitate, librum Pastoris, acta Theclæ & Pauli, quę Epipha-

Et quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis præponantur.

piphanius vsurpat interdum, reuelationem Pauli, librum, qui Mariæ transitus inscribitur, libellos de pœnitentia Adæ, Origenis, Cypriani, epistolam Iesu ad Abagarum, passiones Georgij ac Quirici & Iulitæ, historiam demùm Eusebij Pamphili. In qua refellenda Gelasius magna, vt mihi quidem videtur, prudentia est vsus. Nam quòd Rhenanus dixit, verba hæc postrema Gelasij non esse, sed esse potius ab asino quopiam adiecta, hoc insolenter, rusticè, imperiteque dixit. Principiò quippè pontifex ad hunc modum censuerat, Chronicon Eusebij Cæsarienſis atque eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & in laudibus atque excusatione Origenis schismatici vnum conscripserit librum, propter rerum tamen singularem notitiam vsquequaque non dicimus renuendos. Posteà verò sic censet: Historia Eusebij Pamphili apocrypha. Quæ duæ sententiæ cùm contrarij non sint, tum sunt etiam verissimæ, & nimis quàm grauiter ac seuerè latæ. Cur autem Gelasius historiam Eusebij apocryphã pronunciârit, causę sunt sanè plures atque vehementes. Primùm in primo libro refert Eusebius epistolam Iesu ad Abagarum scriptam, quam Gelasius eadem distin. explodit. Fuit etiam altera causa Gelasio, quam ob rem historiam Eusebij apocryphã definierit. Quòd multæ ibi Clementis Alexandrini testimonio confirmentur: cuius opuscula eadem distinct. apocrypha iudicata sunt. Prætereà & librum sextum Eusebius texuit in laudem & excusationẽ Origenis. Cùm autem & discipuli Origenis magnas in ecclesia tragœdias excitassent, & Origenes ipse tanquã schismaticus, deque fidei catholicæ via sæpè declinans, fuisset ecclesiæ iudicio condemnatus, iure illius historia refellitur, qui Origenem non solùm immodicè prædicat, sed ad cælum, perinde, vt si pater esset ecclesiæ, extollit.

Censura de hist. eccles.

Prætereà, in synodi septimæ actione quinta, cùm Iconomachi pro se Eusebium testẽ excitassent, & lecta etiã esset eiusdem epistola, vbi Arrio consentiebat, Tharasius rogauit, Recipimus hoc? Sacra verò synodus dixit,

Nequaquam. Hic, reliquis est nobis maiore odio prosequendus: & legati Adriani papæ dixerunt, Ipsa lectio indicat, quod Arrianorum sententiam sapiat. Habet enim antè lectus Eusebij liber & alias blasphemias, quas synodus audire respuit. Sanctissimus patriarchia dixit, Libros illius reijciamus. Sancta synodus dixit, Reijcimus & anathematizamus. Et actione rursum sexta Epiphanius respondens testimonio Eusebij, Eusebius, inquit, ab illis in testem aduocatur, qui tamen ab omni catholica ecclesia Arrianæ hæreseos defensor esse cognoscitur, quemadmodum in commentarijs suis & omnibus à se editis libris manifestum fit. Et posterius, Quis fidelium, ait, in ecclesia dubitat, Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum Arrij placitis consensisse? Nã in cunctis historicis suis libellis filiũ creaturam vocat, subministrum, secundo loco adorandũ. Id postquã ex multis libris Eusebij probauit, tandẽ asserit, Eusebium duplicis animi fuisse, inconstanterque synodo subscripsisse. Nusquam enim aut librorum suorum errores depulit, aut apologiam pro se fecit: cùm tamen Arrius non obscurè testaretur, se sententiæ suæ Eusebium habere studiosum ac fautorem. Et Hieronymus ad Pammachium & Oceanum, Ecclesiasticam, inquit, pulchrè Eusebius historiam texuit, sed impietatis Arrij apertissimus propugnator est. Et ad Ctesiphontem Eusebium Cæsarien. ait, Arrianũ fuisse nemo est, qui nesciat. In primo certè ecclesiasticæ historiæ suæ libro, filium dicit paternæ voluntatis executorem, qui post patrem omnium sit causa & origo. Item, cùm illum psalmi versiculũ attulisset, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: subiecit, Quibus verbis propheta patrem inducit factorem, tanquam vniuersalem principem regali suo nutu præcipientem: sermonem verò Dei illi secundo loco addit, Non alium ab eo, qui inter nos prædicatur, paternis iussionibus obsecundantem. Et capite secundo primum affirmat, patri filium in omniũ opificio administrasse: deinde patris ministrũ in omnibus bonis fuisse ait. Meritò ergo Gelasius põtifex historiæ Eusebij Cæsariensis auctoritatem ademit. Quid? An non etiam

Vide epist. Arrij ad Euse. Nicomedien.

Epist. huius initium est Schedulæ.

Cap. 1. Musculo interprete. Psal. 32.

etiã absurdum est, vt qui infidelis ecclesiæ fuerit, ei fidem ecclesia in rebus ecclesiasticis habeat? Experimur sanè hæreticos sectæ suæ nõ dogmata solùm ac precepta, sed res etiam gestas accõmodare. Imò verò torquere atq; adeo fingere, vt sectam vndique, & comprobasse & ornasse videãtur. Hinc enim, quemadmodum suprà diximus, Constantinum finxit Eusebius ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, quò Arrianorum factioni maiorem & fidem & auctoritatem adiũgeret. Hinc etiam, cùm in synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus est Arrius, astutè dissimulauit in Pasehatis quæstionem repentè digressus. Sed ne Arrij quidem vnquam in historia sua meminit, callidè hominis memoriã præteriens, quem synodi auctoritate obrutus laudare non est ausus, amicitiæ lege constrictus noluit vituperare. Quæ eædem omninò causæ subsunt, vt historiam Carionis omnes Christi fideles explodant. Quosdam enim summos pontifices, viros quidem optimos, illius lacerat & cruentat oratio, quosdam verò imperatores Germanos cõmendat & illustrat, qui ecclesiæ Romanæ perduelles inimicique fuêre. Itaque ex vnguibus leonem agnosces, hoc est, ex laude & vituperatione Lutheranum. Quanquam Carionem Lutheri erroribus adhæsisse, non est opus cõiecturis suadere. Multis quippè in locis apertè ille se prodit. Quocirca mirum est, cur eius historia non sit cum cæteris hæreticorum libris ab ecclesiæ iudicibus explosa, cùm plerique tamen eam secuti legant, nulla prorsus nota atque animaduersione præmoniti. Sed ad Eusebium reuertamur. In cuius historia ecclesiastica satis Gelasius ostendit, cætera sibi ac concilio placuisse, dum quædam displicuisse commonuit. Itaque si fabulam Abagari laudesque Origenis ab Eusebio demeres, digna eius historia esset, cui fides omninò haberetur, præsertim si in ecclesię contra Arriũ pugna, nõ ab Arrio, sed ab ecclesia stetisset. Ac de ecclesiasticæ historiæ libris hactenus. Nã in chronicis admiranda fuit hominis diligentia, magnus omninò labor, varia & penè incredibilis lectio, ac graue prorsus in lectionis varietate iudiciũ. Nec scio, an quisquã alius inter eccle-

Hist. Carionis explodunur.

Post scripta hæc, Carionis historiã Paulus quartus cõdemnauit. Cẽsura historiæ Eusebianæ.

ter ecclesiæ, siue Latinos, seu Græcos auctores, quamuis summa vi, ope, atque opera eniteretur, præstantiora nobis posset temporum monimenta relinquere. Tametsi describentium incuria, adeò multis locis vitiata sunt, vt dici sine animi dolore non queat. Sed ne illa quidem, quæ ibi Eusebius refert, vera sunt omnia. Quin reperias aliqua, quæ iure ac verè reprehendas. Cuiusmodi illud est, quòd eundem scribit fuisse Sennacherib, qui tēporibus Ezechię Hierosolyma obsedit, & Salmanassar, qui Samariam ceperat. Id quod diuinis literis esse contrarium Hieronymus in Isaiæ 36. caput edocuit. Atq; Tobiæ cap. 1. Salmanassar dicitur fuisse pater Sennacherib. At nihil est, vt ille ait, omni ex parte beatum. In opere, vt ita dicam, immenso rarò peccasse felicissimū fuit. Verùm de Eusebio hæc satis.

Sozomenus sequitur, de cuius nos fide & auctoritate dicere Diuus Gregorius cogit. Qui historiam illius duabus præcipuè causis improbauit. Vna, quòd sæpè in ea mentitus sit. Altera, quòd Theodorum immodicè extulerit, quem constat & hæreticum fuisse, & in quinta synodo ab ecclesia damnatum. Equidem Sozomeni mendacia non excuso. Græcus namque fuit, & natio hęc vt diximus, est, fuitque semper ad mentiendum prompta. Atq; in nouem ecclesiasticæ historiæ libros, quos ante hos paucos dies Musculo interprete accepimus, nihil tale Sozomenus scribit, quale secundo loco illi Gregorius obijcit. Tantùm ait, Theodorum discipulum Libanij fuisse, ad quem prolapsum Chrysostomus epistolam dederit, qui etiam posteà episcopus Mopsi Vestæ fuerit constitutus. Andręas certè in concilio Florentino, vbi pro ecclesia Latina respondet, huius historici testimonium non solùm vsurpat, sed etiam probat. Cùm enim imperator Paleologus interrogasset, num congruum esset, vt Synodus historiæ auctoritate niteretur, Andræas illi respondit, ad res gestas cognoscendas synodum historia vti debere. Tum imperator historiam illam, ait, in nostra religione debemus suscipere, quā maiores nostri probauerunt, aliam verò minimè. Cui Andræas, de Romanorum, inquit, aut Græcorum, aut re-

Lib. 8. c. 1.

aut regum bello historia nequaquam in synodo vti debemus, sed cum historia hæc scilicet, Hermij Sozomeni ecclesiastica sit, in qua omnium synodorum acta & patrum sanctorum defensiones explicantur, cur ei credendum non est? Hactenus in concilio Floren. sessio. 7. Non videtur itaque hoc concilium fidem Sozomeno abrogasse, sed habuisse. Sed huic argumento responsum facilè atque expeditum est.

Illi verò alteri non video quemadmodum responderi possit, nisi dicamus aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoria lapsum, pro Theodorito, Sozomenū scripsisse. Nam Theodoriti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit. Libro quippè historiæ suæ quinto, capitulo 27. Theodorum istum doctorem præclarum fuisse scribit. Et capitulo 40. Moritur, inquit, Theodorus episcopus Mopsuestias, cùm omnium ecclesiarum doctor, tum hæreticæ cohortis profligator. Theodoritus ergo erat eo nomine damnādus. Qui & reuera ob hanc causam damnatus est in quinta synodo generali actione 5. canone 13. & 14. At Theodorus canone 12. Meruit etiam Theodoritus ea ex causa damnari, quòd impiè aduersum Cyrillū & primam Ephesinam synodū scripsit, duodecimque Cyrilli capita reprehendit, quę rectam fidem continebant. Nec verò de Theodorito desperare quispiam debet. Nam, vt Bessarion in oratione, quam pro vnione apud patres Florentiæ habuit, affirmat, suum postea cognouit errorem: & in concilio Chalcedonensi palinodiam recantauit. Verùm vt hæc cunq; habeāt, illiusmodi errantium patrocinia, historiæ eleuant & auctoritatem & fidem. Quo mihi nomine, vt cætera omittam, Socratis scholastici minus historia placet. Et enim & Origenis ipse quoque patronus est, & Nestoriū excusat, & Cyrillum mordet, & Alexandrum vellicat, & in reiectione presbyteri pœnitentiarij homousiano. rum innocentiam infamat. De tertia verò regula in historiæ iudicio seruanda hactenus. Ac perspicua sunt hæc quidem & in vulgari prudentia sita. Nam in quibus animi quædam maior vis acriorque in iudicando pruden-

Li. 6. ca. 12. & 13. & li. 7. c. 45. Li. 7. ca. 32. & 34. Li. 60. c. 13. 14. 15. & 34. li. 1. ca. 5. & 6.

Liv. c. 19. Euripides in Phœnicis. Veritatis sueuit esse oratio simplex, variis nõ egẽs ambagibus si quidẽ ipsa per se congruit. At sermo iniquus, qui a per se sit morbid⁹ medicamina exquisita depoſcit sibi, Euseb. lib. 3. c. 13.

tia est, ij sine hisce regulis, exacuendo illam ingenij aciẽ vera deligent, reijcientque contraria. Mihi sanè aliquando, & verum ipsum in scribentis synceritate candoreque relucet, & mendacium contrà auctoris quidã angor & calliditas patefaciunt. Syncera, mihi crede, veritas est, & si animum repurgatum inuenerit, ipsa per se rectè influit. Falsitas circuitiones quærit & anfractus, seque verborum ambitu solicitè circundat ac protegit. Atque etiam cùm in historiæ ratione quid quemque deceat, considero; facilè intelligo, historicos non solùm falso, sed imprudẽter res quasdam memoriæ prodidisse. Quis enim vel mediocriter prudẽs ab Apostoli Thomæ Ioannisque euangelistæ persona illa nõ videat abhorrere, quæ in rebus eorum gestis referuntur? vt aut ille iniuriæ vindictam expetierit, aut hic rupta veste suumque ipsius caput tundens equum acceperit, ex ecclesia quantum potuerit, properauerit, & senex adolescentẽ iuueniliter fuerit insecutus. Non itaq; prudentibus, & ingeniosis iudicandi præcepta diligẽter elaborata dedimus: sed, vt dicitur, crassa pinguiq; minerua rudioribus. Nec verò adeò stultus ego sum, vt existimem in has formulas omnia historiæ iudicia cõclusa & comprehensa. Sed si quæ fuerunt præscribendæ formulæ, hæ videntur potissimum consentaneæ conuenientesque fuisse.

CAPVT POSTREMVM.

In quo 15. 16. 17. & 18. *argumenta refelluntur.*

QVanquam ex his, quæ capite superiore diximus, argumentorum eorum refutatio apparet, quæ 15. loco 16. 17. & 18. sita sunt: sed ordine tamen refutãda sunt singula, vt scholæ etiam minutis theologis morigeremur. Et in 15. argumento quidem Philonis primum auctoritas quæritur. Quæ sanè magna fuit: sed breuiarium illud temporum Philonis non fuit, nec libellus alter de antiquitatibus, quem constat eiusdem esse farinæ.

In proœmio li. 5. de exci. Hier. De viris illustribus.

Iosephi verò in historia fidẽ non Romani modò principes, sed viri quoque ecclesiæ celebrarunt. Egesippus bonus in primus auctor, vir probatæ fidei ac grauis omninò historicus Iosephum egregiè laudat, quod ad historiæ

storiæ auctoritatem pertinet quidem, nam quod ad religionem, consortem eum facit perfidiæ Iudæorum. Hieronymus non dubitat locum illi inter ecclesiæ scriptores dare, atque adeò eius de rebus gestis monumenta inter ecclesiasticas historias recensere. Eusebius Cæsariensis, Sozomenus, Nicephorus, vt alios omittã, miris modis Iosephi historiam commendant. Quin & Iosephus ipse historiam suam grauibus probabilibusque rationibus commendauit, Quæ non minorem faciunt fidem, quàm si eædem ab Hieronymo aut alio quopiam auctore positæ fuissent.

Euſ. li. 3. ec. hi. c. 9. Soz. li. 1. c. 1. Nicepho. li. 2. c. 18. Li. 16. an. c. 7. & in fine 20. li. con. App. Alex. Li. 1. an. c. 3. con. ca. Lib. 18.

At serpentes pœnam nimium crassè interpretatur, vim ligni scientiæ boni & mali falsam fictitiamq; commemorat. Herodiadem scribit non Philippi, sed Herodis vxorem fuisse, qui Herodis quoq; Tetrarchę frater erat, templum in secũdo anno regni Darij dicit esse perfectũ, seniorem lamentationes, cùm templi veteris amplitudinem recordarentur, non ad nouum fundatum, sed adiam cõsummatum refert: aliaque demùm ait partim scripturæ sacræ, partim veris alijs ac probatis historijs aduersa. Planè ait: non inficior. Sed errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis. Neque æquum est paucis è maculis labẽ toti narrationis corpori aspergere. Egregius itaque historicus Iosephus fuit, quemadmodũ Egesippus affirmat, & rerum indagini sobrietatiq; sermonũ attentus. Quòd verò in temporibus notandis eum quidam reprehendunt, id iure an iniuria faciant, non facilè dixerim. Equidem eiusmodi errata indoctis negligenti busque librarijs promptè ac libenter assigno. Iulij porrò Aphricani quinque de temporibus volumina in manus nostras non venerunt. Quare de eius historiæ fide ipsi per nos iudicare non possumus. Sed extat Gelasij præiudicium, quod in argumento obiectum est; idque sequi Theologos oportet de rebus eiusmodi iudicaturos. Opuscula, inquit, Tertulliani siue Aphricani apocrypha. Quo in loco an Iulium Aphricanum voluerit Gelasius improbare, non satis expeditũ est. Primùm enim de Iulios Aphricano nullus veterum malam opinionem

Euſ. li. 3. ec. hi. c. 9. Soz. li. 1. c. 1. Nicepho. li. 2. c. 18. Li. 16. an. c. 7. & in fine 20. li. con. App. Alex. Li. 1. an. c. 3. con. ca. Lib. 18. an. ca. 9, Caietanus ait fuisse binominẽ eundẽque Philippum & Herodẽ appellatũ sed ne Iosephũ quidem ipsũ viderat. Li. 1. con. App. li. 11. an. c. 3. 1. Esd. 3. 4. & 6. c. cõtra referuntur.

habuit. Eusebius verò & Hieronymus vbique eius de rebus gestis testimonia colunt. Nec Iulius hic est in fidei doctrina reprehensus. Nam quod historiam Susannæ fictam esse credidit, in eo virorum doctissimorum errorem secutus est. Atqui ob peccatum vnum, cuius vel probabilis excusatio est, omnia Iulij opuscula à Gelasio damnari, non fit mihi profectò verisimile. Eadem quippè culpa, si culpa fuit, Iulio fuit cũ doctorib. ecclesię cõmunis. Vix enim reperias quemqam, qui non in aliquo errarit. Deinde, quorsum Gelasium, quasi nihil interesset, vtrũ hic an ille damnaretur, in eam formam censet? Opuscula Tertulliani siue Aphricani apocrypha. Atqui si duo auctores illi essent nominibus, reqi etiam ipsa differentes, more suo Gelasius vtriusque singillatim opera condemnasset. Cùm autem Tertullianum siue Aphricanum vna comprehensione notat, non est existimandus auctores diuersos, sed eundem intellexisse. Mihi sanè huiusmodi coniecturæ suspicionem afferunt, locum esse corruptum, vt alia in hoc capite pleraque, & particulam, Siue, scriptorum vitio additam. Legendum itaque esse, Opuscula Tertulliani Aphricani apocrypha. Nisi fortè Aphricani cognomen quidam Tertulliano impertiebãt: Quocirca in eum modũ sententiam Gelasius tulerit: vt siue nomine proprio, seu cognomine à quolibet vocaretur, intelligeremus esse damnatum.

Reliqui sunt Eusebius & Sozomenus, quorum auctoritas quintadecima tandem argumentatione vrgebatur. Verùm de his auctoribus quid senserim, quid senserim capite superiore habes.

In quintodecimo argumento nullus scrupulus obiectus est, qui non fuerit excussus. In sextodecimo autem Innocentij decretum primum objcitur. Sed ille, si ecclesiæ monumenta probat, non statim gentiliũ historias improbat. Sunt hæ, fateor, vsui ecclesiastici fori litiumque vulgarium parum aptæ; quanuis & in hunc vsum possint esse aliquando vtiles. Sed quibus in locis & quæstionibus, quoniam à præsenti instituto alienum est, non est operæpretium dicere. In sacrarum verò literarum expositione, quod in c. huius libri secundo fusè diximus.

ximus, historiæ profanæ multum omninò valent. Quãobrem, si quæstiõ circa diuinas literas incidat, & concilia, & cæteri ecclesiastici iudices huiusmodi historias negligere nec debent, nec verò possunt. Nec his solùm scripturæ vsibus gentium historię accõmodantur. Quin sunt aliàs Theologis necessariæ, quemadmodum & nobis antè explicatum est, & sequentibus quoq; lib. explicabitur. Andręas porrò in synod. Floren. nihil aliud docet, nisi Græc. aut Romanorũ bella cognoscere nequaquã ad synod. pertinere. Poterat dicere Troianorũ aut etiam Florentinorũ. Nam Græcorum ac Romanorum bella quædam cognita, vtilissima sunt prophetarũ vaticinationibus explicandis. Sed hæc facillima sunt: cætera persequamur. Quę & ipsa post ea, quę retrò disseruimus, nihil difficultatis habent.

Sanè in responsionem decimi septimi argumenti, ne verbum quidem vnũ adijciendũ censeo, quippè quod, nisi ego fallor, in cap. 6. accuratè est ac diligenter expeditum. Duodeuigesimum ergo idemque postremum, quàm breuissimè potero, expediam, quo iam sit tandem huius loci finis.

Duo igitur argumentorum genera Theologus vsurpat. Vnum est certum, alterum probabile. De vtrisque proximo libro est latiùs disserendum. Nunc in pauca restringam. Non est necesse, Theologus certa semper principia sumat. Ex incertis, probabilia sint modò, argumentationes aliquando conficit, non ad vincendum quidem, sed ad persuadendum idoneas. Stultus verè Theologus ille erit, qui in omni suo syllogismo res necessarias velit rebus quoque necessarijs addicere. Sunt enim nonnulla adeò implicata & obscura, vt prudentiæ theologicæ sit, non ea demonstrare velle, sed suadere: non patentius illustrare, sed vtcumque expedire.

In huiusmodi itaque argumentorũ genere si quis humanæ fidei probabiliter vsus fuerit; falli nimirum aliquando poterit, reprehendi sine iniuria non poterit. Atque etiam, quemadmodum suprà diximus, quædam ita certò humana fides tradit, vt ea in dubium vertere stultitię sit argumentum, vel certissimũ. Hæc si in vsum

suum

suum Theologus vendicarit, nihil fallax, nihil imbecillum ineptúmue cõficiet: sed rem veram, firmam, rationiq; tum humanæ, tum etiam diuinæ consentaneam. Verùm ab his historiæ partibus, quę sunt expositæ, quę admodum ducatur argumentum, satis expositum videtur. Omnia igitur argumenta theologica manare à fontibus decem, dictum est in primo libro. In decem autem sequentibus libris, cuiusmodi argumenta à singulis lõcis erui possint, ostensum est. Quæ dicta sunt fortasse longiùs, quàm instituta causa postulabat: sed breuiùs certè, quàm res tantas posse à me dici existimâram. In historiæ humanæ auctoritate explicãda fateor magna mihi longitudo orationis fuit. Sed nullus è locis Theologię erat, vbi aut latior occurreret differendi materia, aut oporteret magis cura, diligentia, industria elaborare. Quòd etsi munus præstiti, quàm rei magnitudo desiderabat, non tamen frustra elaboraui. Admonere enim reliquos potui, vt accuratiùs scribant: & res vel meliores addant, vel superuacuas detrahãt, vel dispersè, & diffusè dictas angustius, & contractius astringãt, breuiter, si quid norũt rectiùs istis, candidi impertiant.

Vndecimi Libri finis.

DE

DE LOCORVM VSV IN SCHOLASTICA DISPVTATIONE, LIBER DVODECIMVS.

IN LIBRVM DVODECIMVM Proœmium.

FRatrem Franciscum Victoria, Lector optime, cum quem summum theologiæ præceptorẽ Hispania Dei singulari munere accepit, solitum dicere audiui, postquam ab illius schola discessi, se ingenio meo quidem egregiè delectari: sed id vereri, ne huius excellentia quadam elatus & exultans immoderatè lactarer, & grandior effectus, non lætè modò & liberè ingrederer, sed temerè etiam ac licenter præceptoris vestigia conculcarem. Audierat enim me opinionem ipsius vnam & item alteram non probasse. Vellem autem de nobis ea verè dicerentur, quæ ille pro nimia sua in filium indulgentia dicebat. Sed si minus imitatione tantam ingenij præstantiam consequi possumus, voluntate certè proximè accedimus, magistrumque conamur exprimere. Nimirum si doctrinam meam approbet quispiam, quæ vtinam eruditorum opinione digna esset: si in rerum iudicio prudentiam, quæ vtinam esset digna nostro cognomine; si orationis cultum, quem elegantiorem adhibere soleo, quàm consueuerunt scholastici in libris suis: in hoc sumus docti, prudentes & facundi, quòd virum hunc rerum earum omnium ducem optimum sequitur, atque eius præceptis monitisque paremus. Quod verò ad animi moderationem attinet, quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam, vt timorem illius ego fallerem. Effecerim an non, alij incorruptius iudicabunt. Sanè si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excu-

excusatione alicuius rei tegere & adūbrare possum, qui sciam, parum ingenium valere quamlibet excellēs & eximium posse, nisi prudentis intelligentiæ freno, & definita animi immoderatione gubernetur. Quanquam illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, vt Fabj verbis vtar, necessitas ducūt à susceptā semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus atq; præstantius ad quod ipse tendit, quàm vt magistri debeat vestigijs semper insistere, siquidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini de præceptore meo ipso audire, cùm nobis secundam secundæ partem cœpisset exponere, tanti Diui Thomæ sententiam esse faciendam, vt si potior illa ratio non succurreret, sanctissimi & doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursum, non oportere sancti doctoris verba sine delectu & examine accipere, imò verò si quid aut durius aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiam & industriam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum ratione in contrariam vocante transit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim vllam, non Diui Thomæ dico, sed ne magistri mei opinationem quidem reuocaui ad arbitrium meum: nec cordi tamen fuit iurare in verba magistri. Nam & vir erat ille natura ipsa moderatus, at cum Diuo etiam Thoma aliquando dissensit. Maioremque, meo iudicio, laudem dissentiendo, quàm consentiendo assequebatur: tanta erat in dissentiēdo reuerentia. Sed hæc hactenus. Multa enim sæpè laudandi præceptoris nostri gratia dicemus. Nunc ad reliquas partes propositi operis reuertamur. De locorum vsu tres libros pollicitus sum. Vnum in scholastica pugnā, alterū in scripturę sacræ expositione: postremum speciatim aduersum fidei Christianæ singulos inimicos hæreticos, Paganos, Iudæos, Saracenos. His enim rebus 12. 13. & 14. librum impartiui. Atque, vt ad præceptorem redeam, locorum vsum in scholæ concertatione, præsertim si tractare ille voluisset, grauissimè & copiosissimè potuisset scribere. Sed quoniam nulla eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus eruditionis, nullum doctrinæ munus extat, nos ad huius rei scribendæ operam omne studium curamque conuertimus. Cùm enim tota Theologia frugifera & fructuosa, nec vlla pars eius inculta ac deserta sit, nullus feracior in ea locus est nec vberior, quàm de locorum vsu & argumentis, quæ à locis theologiæ ducuntur. Quare quantum conniti animo possum, quantum labore contendere, si scribendi hæc labor est potius, quàm voluptas, tantum faciam, vt efficiam, ne cū omnia a præceptore mihi harum rerum principia suppeditata sint, ipse mihi præceptori item meo videar defuisse. Huius enim clarissimi viri eruditionem memoriæ prodimus, atque ei etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamq; referimus. Quanquam postulo ab ijs, qui hæc in manus sument, vt maius quiddam de magistro meo, quā quantum à me exprimi potest, suspicentur.

CAPVT II.

Quid Theologia sit, quæ ei obiecta res, quis finis.

PRopositum est nobis hoc libro de locorum Theologicorum vsu in scholæ disputatione dicere. Id quò rectè atq; ex ordine fiat, optimum fuerit initio definire, quidnam Theologia sit, quæ illius quasi subiecta materies, quis scopus, in quem theologo studia dirigēda sint omnia. Ac theologia quidem, si Græcam vocem in Latinas vertimus, ratio est sermoque de Deo. Omnis autem, quę ratione & via de aliqua re suscipitur, institutio, essentiam & potentias, quas vocant, ac cætera omnia vestigat, quæ illi rei sunt peculiariter ac propriè tributa. In theologia ergo facultas quædam intelligitur, quæ Dei naturam, vim & proprietates inquirit. Nec verò theologo satis est, quę Deo in se absolutè conueniunt, ea facultatis suæ viribus iuribusque tribuere, nisi etiam illa vendicet, quę Deo quasi accidūt in ordine ad creaturas. Dei enim notionē omni ex parte rimatur. Bipartita igitur est theologiæ tractatio: vna de Deo secundū se, altera de eodem, quia rerum est principium ac finis. Nec theologus tamē sum-

ſumma & infima, diuina & humana miſcet, ſed adeò articulatè, clarè, artificioſè, hæc componit illis, his illa iungit, vt non modò nullam ſibi viciſſim obſcuritatem afferant, verùm etiam vtraque vtrisque adhibeant lumen. Quid? quòd ſicut ſolem intueri nequimus aduerſum, eiuſque radijs acies noſtra ſenſusque vincitur: ſic ad diuinæ lucis obtutum mentis noſtræ oculi hallucinantur & caligant. Quamobrem neceſſe eſt, vt Deum ſua natura inuiſibilem in effectis ceu in vmbra, in ſpeculo, in imagine, in ſignis veſtigijsque cernamus. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea, quę facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Cùm verò inter omnia, quæ oculorum ſenſu perſpicimus, rationalis creatura ſimillima Deo ſit, ad imaginẽ quippè Dei factus eſt homo, nihil profectò inuenias, in quo diuina bonitas, poteſtas & ſapientia magis eluceãt. Quare theologiæ diſciplina, quamuis de Deo ipſa præcipuè ſit, plurimum tamen, circa homines humanaq; verſatur: & cùm ex homine, tum exijs, quæ Deus homini fecit atq; effecit, diuinę naturę cognitione quęrit. Quòd ſi potẽtiam, benignitatẽ & prouidentiam Dei indagare & proferre proprium theologiæ munus eſt, de fine, quẽ Deus non alium, quàm ſeipſum hominibus comparauit, deq; medijs ad hunc finem neceſſarijs, virtutibus, legibus, gratia, incarnatione, ſacramentis, longiſſima licet theologi diſputatio, non eſt ab inſtituto theologiæ aliena: non ſolum ob eam cauſam, quam D. ſanè Thomas grauem reddit, ne theologia, quæ effectrix etiam eſt non modò ſpecula trix, manca & imminuta hac parte omiſſa linqueretur, ſed multò magis quòd eæ res Dei ipſius, ubi tatem, æquitatem, virtutem, integritatem, beneficentiã, liberalitatẽ, miſericordiã, patientiã, longanimitatẽ, inſigniter & præclarè patefaciunt & illuſtrant. Cuius rei ignoratio cauſa quibuſdam erroris illius fuit, vt exiſtimarent, diſciplinam hanc non eſſe contemplandi gratia inuentam, ſed agendi. At enim quibus argumentis vrantur, videamus. Primum contemplationis tractatus inquiunt, longè minor eſt, quàm actionis. Illi enim D. Thomas primam ſummæ ſuæ partem dedit, huic ſecundam et

Roman. 1.

& tertiam, quæ voluminis magnitudine illam ſingulæ etiam exuperant. De fine rurſum ac medijs diſputare, ad eam facultatem ſine dubio pertinet, quę aliquid molitur & agit. Nimirum non ad mentem ea, ſed ad effectum referuntur. Cùm ergo de fide & medijs humanæ vitæ plurimam Theologus diſputationem inſtituat, fieri videtur, vt Theologiæ vis non in cernendo potiſſimùm, ſed in agendo ſita ſit. Theologiæ inſuper & diuinarum ſcripturarum idem eſt finis. Nec enim finem alium diſciplinæ eiuſdem principia ac concluſiones habent. At diuinarum omnium ſcripturarum finis dilectio eſt, vt Auguſtinus, Gregoriusque teſtantur. Non ergo Theologia præcipuè ad contemplandum tendit, ſed ad amandum.

1. de doct. christ. cap. 35. & 36, ho. 10. in Ezechiel.

Præterea, quæ doctrina cuiuſpiam eſt ſpeculatrix vel natrixq; naturæ, oculos maximè ad cernendum poſtulat, non ad agendum vires. Nec ſtultitiæ eos arguit, qui in actione torpent, ſed qui ſunt in ſpeculatione tardi. At ſcriptura omnis à diſcipulis opera exigit, eosq; ceſſatione torpentes tanquam vanos & otioſos repræhẽdit. Nõ igitur ſpeculandi cauſa hæc doctrina potiſſimè traditur, ſed agendi. Ad hæc fides in charitatem refertur, non econtrariò in fidem charitas: vt ex Matthæ, c. 22. & ex Apoſtolo 1. Corinth. 13. colligitur. Notitia ergo principiorum Theologiæ, quã notitiam fidei vocabulo accipimus, diligendi cauſa primum omnium fidelibus data eſt. Cauſa quippè τελικὸν, quam finalem poſſumus interpretari, eadem & prima & principalis eſt. Quòd ſi notio principiorum doctrinę huius actuoſa eſt fides, ſcilicet, quę per dilectionem operatur, conficitur ſanè, doctrinam quoque ipſam ad mores primò, vitæque actionem attinere. Item ſi fides ſpeculatio quædam eſt, non moralis diſciplina, vnde illud? Fides ſine operibus mortua eſt? vnde illud rurſum? Ad dandã ſcientiã ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorũ eorum? Nam ſcientia ſalutis corporalis in praxim maximè ſpectat, in cõtemplationem non item. Quid illa? Dedit illi ſcientiã ſanctorum, ſcientia ſanctorum prudẽtia. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt, &c. vt perfectus ſit homo

Matth. 7. Iacob. 1. Sap. 13. & aliis infinitis propemodum locis.

Iacob. 2. Lucæ 1. Sapien. 10. Prouer. 9.

2.Tim.3. Dei ad omne opus bonum instructus. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, & vt credẽtes vitam habeatis in nomine ipsius. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est, aliaque huius generis sexcenta, quæ in diuina passim scriptura reperiuntur. Ex quibus omninò videtur effici, Theologiam nõ esse speculatricem, sed effectricem. Atq; adeò finem eius præcipuum non esse contemplationem, sed actionem. Id quod opinati sunt scholastici quidam Theologi in primis clari & nobiles. Qui in ea re magistrum fortè sequuntur, hanc disciplinam ex vsu & fruitione partientem. Nec intelligunt doctissimi viri, sic enim mihi modestissimum est vocare illos, alium esse finem doctrinæ, alium doctoris: vel, vt verbis differentibus rem ferè eandem exprimamus, alium esse finem doctrinæ primarium, alium postremum. Vt si verbi causa dicimus, vini duos esse fines vnum ad bibendum, alterum ad medendum. Charitas ergo docentis Dei, atque ea re doctrinæ quidem huius finis est, at non primus, sed secundus. Nam & cognitio contemplatioque naturæ, vt ait eleganter Cicero, manca quodammodò atque inchoata est, si nulla actio rerum consequatur. Vani sunt, Sapiens inquit, omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, &c. & alius ité. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, &c. Quapropter si ex fine secundo naturam disciplinæ considereris, iã tibi physica inter actuosa numerabitur. Quid? Quòd finis noster primus, vt Diuus Thomas verissimè sentit, visio Dei est clara & manifesta? Quia verò finem illum adipiscimur mente & voluntate, cognitione & amore: fit, non vt cognitio ex se amorem, sed ex vtraque res ad visionem referatur. Quòd si cognitio viæ ex se non nisi ad patriæ cognitionem referenda est, quamuis illa non sit per se idonea, nisi ei affectus dilectioque iungatur, visio verò Dei, cuius fides seminarium est, cõtemplatio potissimùm est, non effectio, sequitur Theologiam maximè speculatiuam esse non practicam. Liceat enim, quando de scholæ disputatione habetur oratio, scholæ verba vsurpare. Addc, quòd Theologia Dei naturam,

1.dist.1.

Sap.13. ad Ro.1.

turam, potentiam & proprietatem inquirit. Est ergo Deus huius scientiæ proprium obiectum, atque adeò speculationis causa comparatur. Atque Augustinus apertè docet, sapientiam, de qua Apost. 1. Corinth. 12. loquitur, intellectualem notionem & contemplationem rerum æternarum. Sine dubio autem sacra doctrina sapientia est, eaque re speculatiuam esse constat. Quòd, vt cætera taceamus, vel Theologiæ nomen præ se fert. Quemadmodum enim non solùm asserere, sed etiam addubitare stultissimum est, num Physiologia Astrologiaque speculatrices sint, an effectrices, quod nomina ipsa insignitè egregieque declarant, contemplationem rerum ingeri, non mores & actionem. Tametsi Medici, Nautæ, ac cæteri, qui rebus publicis addicti & destinati sunt, ociosam naturæ astrorumque notionem aspernãtur & fugiunt: quæ actuosa est, eam & amplectuntur & colunt. Sic ambigere, Theologia speculatrix ne sit an effectrix, à communi etiam mediocriq; intelligentia & sensu remotũ est. Vtpotè, cùm nihil aliud illa sit, quàm ratio sermoque de Deo. Quanquam viri prudentes vacantem, illam & otiosam esse nolunt: sed ad humanæ vitæ & vsum & finem accommodari. Præterea, Theologia omnem de Deo cognitionem tradit, siue ea per naturæ lumen, seu diuino solùm munere & illustratione habeatur. Cùm igitur speculetur quicquid de Deo cognoscere humana ingenia possunt, nimirum aut speculatiua est, aut scientia de Deo nulla esse speculatiua potest. Quòd licet nonnulli huic argumento dederint, adeò tamen absurdum est, vt refelli non debeat. Quid? quòd Theologia nostra diuinæ sapientiæ quædam impressio est, quæ eadem & speculandi vim habet & agendi? Nihil igitur obstat, cur non idem lumen vultus Dei, quod signatum est super nos, vtraq; ostẽdat & quæ contemplari oportet & quæ agere. Sicut anima rationalis, quòd formarum omnium præstantissima sit vires quidẽ excellenter habet & sentiendi & vigendi, sed in ea tamen vis intelligẽdi prima eademq; præcipua est. Nec vires illa exercet reliquas, nisi vt proprio tandẽ intelligentiæ munere perfungatur. In hunc itaque modum

12.de Trin. c.14.&15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuus Thomas sciẽter ac peritè dixit, Theologiam mu-
neribus vtrisque fungi & speculandi & agendi, quam-
uis magis speculetur, quàm agat. Non enim agit, nisi
quia agendo ad perfectam Dei cognitionem tendit.
Quibus rebus breuiter explicatis illa tria perspicuè sa-
tis, & planè intelliguntur, quæ à principio huius capitis
exponenda suscepi, nempè quænam sit Theologiæ pro-
pria notio ac definitio, quæ rursum illi subiecta mate-
ries, circa quam ipsa versetur, quis tandem illius finis
tum primus tum secundus. Theologia scientia est, quæ
docet, quidnã natura diuina sit, & quæ naturæ eius vi-
res ac proprietates. Deus ipse est doctrinæ huic obiectũ
subiectumq; propositum, & quasi versanda materia, his
enim modis res, quam facultas quælibet mente tractan
dam cognoscendamque proponit, à Philosophis appel-
latur. Finis primarius quidem naturæ diuinæ notio, &
contemplatio per Dei potentias, virtutes & proprieta-
tes explicata, postremus autem, earum rerum actio, quę
ad mores sunt ac benè beateque viuendum necessariæ.
Et quidem quẽ vsum loci Theologici habeant, vitę mo-
ribus & actionibus accommodatum, nõ institui in præ-
sentia dicere, quãuis magnus ille omninò sit, & qui no-
bis disserendi præstaret valdè vtilem copiosamque ma-
teriã. Is tantùm vsus, vt suprà dixi, nunc mihi expedien-
dus est, quem Theologus capere è locis potest, si in scho
læ disputationibus illos verset & tractet, cùm scilicet,
quantum potest, tantum cognoscere curat de Deo re-
busque diuinis. Non autem mihi excidit, scripsisse me
in libro quinto, cùm de ecclesiæ auctoritate in morum
iudicio dicerem, duplicem esse de rebus Theologicis
quæstionem. Vnam, quæ ad contemplationem attine-
ret, alteram, quæ in moribus atque vsu vitæ sita esset.
Quod à quibusdam sic accipi potest, tãquam hoc, quod
nunc habeo institutum, priori diuersum sit. Id verò à
me procul aberit. Namque aliud est locorum vsum ec-
clesiasten in concione docere, vbi de moribus aut hor-
tando, aut dehortando agitur, aliud Theologum in vſu
locorũ instituere, cùm in morũ quęstionẽ incidit, siue il-
la sit earũ rerum, quas scire ad salutem est necessarium,

siue earum etiam, quæ fuerint opportunæ. Atque con-
cionatoribus, quemadmodum loca Theologica vsur-
pare debeant præscribere, id ego hoc tempore præter-
eundo censui. At quoniam quęstiones fidei & morum à
Theologo eadem via & ratione tractantur, quum in dis-
putationem Theologię veniũt, id ambigendũ non est,
quę superiorum quęstionum præcepta fuerint, eadẽ ad
sequentes pertinere. Hæc enim est vna res prorsus, vt nõ
differat multùm inter fidei decreta & iudicia morũ, ea-
que est ex eisdem locis eademque propemodum forma
tractanda. Nec verò velim, vt rursum me quispiã in tam
frigida, tamq; ieiuna calumnia remoretur, quòd Theo-
logiam simpliciter & absque vllo temperamento scien-
tiam nũcupauerim. Quasi, nescirem Aristotelem in sci-
entia euidentem, & claram conclusionis notitiã exige-
re. Cuiusmodi quũ in principijs Theologia non habeat,
ne in conclusionibus quidem habere potest. Pugnat e-
nim, rationis conclusionem dilucidã, apertam & mani-
festam effici, si res, è quibus illa colligitur, obscuræ, o-
pertæ, atque inuolutæ sunt. Porrò autem si non vt Ari-
stote. vt sacri auctores, sic nos certè loquimur, qui do-
ctrinam hanc scientiam absolutè vocarunt. Scire, Au-
gustinus inquit, quẽadmodum fides & pijs opituletur, *14. de trin. cap. 1*
& contra impios defendatur, proprio appellare vocabu
lo scientiam videtur Apostolus. Illud autem sine dubio
munus Theologiæ proprium & officium est. Et Hiero-
nymus, vt alios omitrã, scriptutæ sacræ doctrinã, quam
Theologi profitemur, scientiam sapientiamque passim
appellat. Quin sacræ literæ, vbi res certa est, ibi nullo *Iob. 19.*
modo sciendi vocabulum reformidant. Nota sunt illa, *1. Reg. 24.*
Scio quòd redemptor meus viuit, &c. Item, Scio, quòd *Sap. 10.*
certissimè renaturus sis, &c. Item, Dedit illi scientiam *Prouer. 2.*
Sanctorum. Item, Scientiam Dei inuenies, quia Domi- *1. Cor. 12.*
nus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.
Et Apostolus, Alij quidem per spiritum datur sermo sa-
pientię, alij autem sermo scientiæ. Præterea, euidẽtiam
Aristoteles in disciplinis flagitat, vt rerum cognitio nec
fallere possit, nec mutari. Firmam enim immutabilemq;
notionem scitiæ vocabulum postulat. Cùm igitur quæ

res in fidem ac Theologiam incidũt, qua ratione in eas incidunt, ſtabiles immobilesque ſint, nec in eis Theologus errare, labi aut decipi queat; fit, vt ſine perſpicuitate etiam Theologia ſcientiæ propriè ſibi appellationem vindicet. Quæ eadem cauſa ſubeſt, vt diſciplina hæc circa res etiam cõtingentes, hoc eſt, ſua natura minimè neceſſarias, ſine ſui nominis impendio & iactura verſetur. Neceſſitatem quippè in doctrina idcirco Ariſtoteles requiſiuit, quòd ſine ea nec rerum nec cognitionis ſtabilitas & immutabilitas appareret. At cauſæ vel fortuitò antegreſſæ harumque effecta, ſuaptè natura parum firma & conſtantia, vt ſub Theologiam & fidem cadunt, non mobilia & quæ modò huc atque illuc transferantur, ſed certa immutataq; perinde ac perennia manẽt. Quamobrem vtraque Deus propriè ſcire dicitur; & quæ neceſſariò eueniunt, & quæ nobis in caſu & fortuna ſunt propoſita. Ritè ergo Theologiam ſcientiam dicimus, in qua certitudo immobilis, firma conſtantia, & vt ita dicam, infallibilitas cognitionis eſt. Quid? quòd Muſica & Aſtronomia à pleriſque ſcientiæ nuncupantur, & tamen vix vnus aut alter cælorum ſyderumque errantium conuerſiones, à quibus diſciplinæ illæ nunc pendent, proprio vel inſtrumento vel experimento explorauit? Quin Aſtrologi ferè iuniores veterum experimento, tanquam certa earum rerũ præiudicia ſequuntur, quas ipſi tractandas, iudicandasq; ſuſcipiunt. Theologia igitur iure quoq; ſcientia vocitabitur, præſertim cùm huius doctrinæ principijs accidat, vt obſcurè nobis ſint cognita. Nimirum enim, ſi nobis perſpicua ac dilucida forent, nihilò ſeciùs ſuum hæc diſciplina & nomen & rationem tueretur. Ac re vera, ſi modò Ariſtoteles viueret, non aliud nomen inueniret, quo Theologiam aptiùs & congruentiùs appellaret. Nam fidem dicere, quæ non auctoritati proximè, ſed rationi & ſyllogiſmo innitatur, abſurdum eſt. Alioqui ſi prior propſitio certa ex fide ſit, poſterior autem ratione naturæ probabilis, concluſionis fides erit, non opinio. Quod planè falſum eſt.

Theologiam ergò, quandò aliud melius nõ occurrit, ſcientiæ

ſcientiæ vocabulo nuncupemus: Firma enim & ſtabilis earũ rerũ præceptio & cõprehenſio eſt, quę è certis conſtãtibuſq; principijs manifeſta cõnexione nectũtur. Nec enim illud verè dici poteſt, theologię cõſequentias probabiles & obſcuras eſſe, non euidẽtes & firmas. Cuius rei argumentum ponunt minimè acutum, ſed in primis hebes, quòd ſi certa eſſet, claraq; connexio, cõcluſiones non iam ad theologiam, ſed ad fidem attinerent. Verùm hęc ratio ridicula eſt, iure itaq; à pleriſque reprehenditur. Eſt enim facile & apertũ fidei Theologiæq; diſcrimen. Quòd fides proximè &, vt ſic dicã, immediatè auctoritate nititur, Theologia verò proximè & immediatè ratione. Habent enim ſe, quemadmodũ ſuprà dixi, fides & Theologia non aliter, quàm habitus principiorũ & ſcientia concluſionum. Et ſicut naturę lumen abſque ratiocinationis medio, principiorum naturalium notitias efficit, ita lumen fidei nullo adhibito rationis argumento earum rerum perſuaſionem facit, quibus fides les aſſentimur diuina ſolùm auctoritate nixi. Non igitur conſecutionis euidẽtia & firmitas Theologiam tollit, ſed facit: non aufert, ſed infert. Quanquam ſunt in hac ſicut & in alijs diſciplinis, opiniones quædam rebus ſcitis exploratisque permixtæ. Ac quemadmodum doctrina phyſica, naturæ licet ipſa congruens & conſentanea, non omnes concluſiones exploratè conficit; ſed quaſdam probabili argumentatione ſuadet. Sic plurima Theologus pronunciat quidem conſtanter, certò, fideliter, in quibuſdam tamẽ præclarè agi ſecum putat, ſi veriſimile quod ſit, inuenerit. Nec arbitratur ſeſe ſcire quod neſciat: aut, perinde vt ſi omnia certa eſſent Theologię dogmata, nihil formidat, nihil ambigit, ſed illud cauet & prouidet, ne vniuerſis temerè aſſentiẽs & valdè cuncta aſſeuerans, earum etiam rerum auctoritatẽ, quæ ſunt certiores, & illuſtriores, amittat. Sed ad rem. Cùm incerta cõnexio eſt, vel altera propoſitio eſt incerta, quæ cum fidei principio ſumitur, concluſionis opinio erit, Theologia propriè non erit. At ſiue ambo ſyllogiſmi principia fidei ſint, ſeu alterum ex fide certum, alterum ex natura euidens, cõcluſio ad Theologiam pertinebit,

modo consecutio, aut clara luce naturæ sit, aut fidei illustratione cognita. Haud enim secùs, quod etsi dixi, sæpè ac sæpiùs dicturus sum: haud secùs, inquam, eiusmodi conclusionis scientia refertur ad fidem, quàm ad habitum principiorum naturales disciplinæ. Quæ quoniã ita sunt in promptu, vt res argumentatione non egeat, his omissis pergamus ad reliqua.

CAPVT III.

Quæ sint Theologiæ principia.

ENimuerò cũ disciplina omnis quosdã habeat fontes, quos scientię principia dicimus; quosdã deinde riuulos, quos quasi scientiæ fines, cõclusiones appellamus: necesse est Theologo vsum locorum paraturo discere ante omnia, quęnam facultatis suę causæ & principia sint, quæ effecta causis illis principijsque connexa. Principia verò Theologiæ primum cognoscenda sunt: nam his cognitis, multò faciliùs extrema intellige mus. Sed quoniam decem locorum generib. propositis adiunximus causas cuiusq; generis, easque res antè constituimus, quibus cuiusque vis & natura continetur: nõ deerit fortasse, qui tractationẽ hanc superfluam esse cõtendat, imò ea etiam omnia, quæ dicere de locorum vsu instituimus. Argumentabitur enim, Theologię non alios esse fontes ac locos ipsos, quos digito etiã indicauimus: tamq; apertè & clarè singulorũ vires & naturã explicauimus, vt facilè ex quoque loco possimus, ni simus valdè tardi, argumẽta colligere. Quid? nam & hoc dicet aliquis, nónne & ante nostram hanc artem, si modò hęc ars est, Theologi & argumenta inuenerũt, & alia ex alijs nectẽtes rem Theologicam via & ratione tractarũt? Nõ D. Thomas perfectus absolutusque Theologus, si hanc Theologiæ partem necessariã iudicasset, eã penitus intactam omisisset? A quo non verisimile est, cum cæteræ partes Theologiæ benè descriptæ sint, extremum actum tanquam ab inerti poeta esse neglectum. Quid igitur laborare opus est, aut in quo euigilare curas & cogitationes nostras: siquidem nihil locorum vsu explicando parare tale possumus, nihil consequi, quod sit Theologis magno-

magnoperè vtile & necessarium? sed non poterũt huiusnodi argutiæ mẽtem meam è sua sede & statu dimouere. Ego enim sic mihi persuasi, sic sentio, has nostras de locis præceptiones plurimas res continere, quoquò se Theologus vertit, præstò esse, nulla disputatione excludi. Nam siue argumentũ quæritur ad Theologię, pbanda dogmata firmissimũ, siue ratio ad sacras literas explicandas aptissima quęritur, aut hæc ars est, nulla omninò, per quam ea assequamur. Nullam verò dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominũ est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Sed hæc, quibus ad locorũ cognitionem & vsum cohortamur, accuratiùs essent forsan disputãda. Quod alijs quidem libris fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cui Diuus Thomas diligentissimus absolutissimusq; Theologus hunc de locis tractatum dereliquerit, si tam est, quàm nos dicimus, Theologo necessarius. Et quidem Diuus Thomas in 1. part. quæstio. 1. art. 8. ad secundum. restrictè breuiterque, vt solet, Theologiæ locos indicauit; non omnes, sed plerosque. Quin etiam, vt homo minimè ingratus illi me dedã, cui me tantoperè debeo & huius officij seruitutem astringam testimonio sempiterno; Diuus Thomas mihi & auctor & magister fuit huius operis componendi. Sed ille locorum ferè naturã explicauit presse & anguste, ac suo demum modo. Non enim dilatat argumẽtum, sed quasi punctus, quod proponit, efficit. Rationem autem tractandi locos ipsos nec Diuus Thomas neque alius quisquam, quod equidem sciam, conatus est explicare. Quod idem Aristoteles in locis dialecticis fecerat, qui locos ipsos variè ac fusè quidem complexus est, sed non ostendit quomodo inueniẽdũ sit ex ipsis, neq; vsum eorũ demonstrauit, qui in hac re esset maximus & potissimus, sed vsum nescio quem ad probabilium & communium argumẽtorum inuentionem literis prodidit, quem ignorare eruditi possunt, nec magnam eruditionis iacturã facere. Quamquam 1. Topi. li. ambitiosè fortè magis, quàm verè, quę in topicis à se traduntur, ea quatuor vsus habere ipse Aristoteles

Ad 3. argu

Universidad de Deusto
Biblioteca

iactat. Quid igitur? si Diuus Thomas locorum vsum silentio præteriuit, persecuturus nisi aliquis casus aut occupatio consiliũ eius præueniſſet: Aut si nõ res has consulto & iudicio persequi instituit, certè vel non omnia possumus omnes, vel diuinæ procurationis fuit, vt priores aliquid posterioribus reliquerint, in quo elaborare quoque ipsi, & exercere vtiliter non solùm memoriã, sed etiam ingenium possent. Hanc igitur partem relictã explebimus nullius adminiculis, sed, vt dicitur, Marte nostro. Nec enim quicquam de locis Theologiæ post Diuum Tho. explicatum est, quod mihi probaretur de ijs, quæ in manus nostras venerunt. Quem admodũ igitur in re militari solet, vbi dux non satis esse putat militib. arma dare, sed docet quomodo sit ipsis vtendũ, manus illorum aptat, cõponit gradus, quando fugere aduersarium debeant, præcipit quando insequi, quando fidere viribus, quãdo arte vti, quando ferire hostẽ, quando eius ictus eludere, ducit deniq; in aciem, præscribit ordinem, locum assignat, de quo iniussu suo non liceat eis discedere. Sic mihi videor facturus, si discipulos meos & informare & instituere ad effigiem absolutæ cuiusdam eruditionis volo. Nec verbis modò præfinire hęc habeo, sed arreptis etiam telis in ludicrum certamen descendere ad exemplum posterorum. Quæ tametsi non ad vsum, sed ad speciem valere videtur, non inutilia erunt tamen. Quicquid enim in his rebus ad aspectum venustũ est, idem vtiliter sit ad veram pugnam, si quando illa cũ aduersarijs committatur. Quòd si quis sine arte id, quod artis est, efficit, permittit obsecro mihi meique similibus, vt artem & præcepta adhibeamus. Sunt prata, quibus natiuus & indigenitalis humor interius infusus est. Sunt quæ nisi extrinsecus humore allapso irrigari non possunt. At disseruerũt Theologi nonnulli ante me valdè feliciter. Primùm, idem erant expeditiùs certiusque facturi, si hoc genus exercitationum nostrarum degustassent. Quamlibet ager fœcundus sit, fœcundiorem eũ tamen faciet agricola, si diligenter & studiosè colat. Sic igitur etsi ingenijs magnis præditi quidam, copiam in Theologia disserendi sine arte consecuti sunt, ars tamen,

Ad 2. argu.

tamen, vt Tullius ait, est dux certior, quàm natura. Aliud enim est argumenta congerere aut potius spargere ac dissipare, aliud eadem via & artificio premere. Nam qui sciet vbi quidque positum sit, quaque eò veniat, is etiam si quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Non itaque si nulli fuerunt, qui locos artificiosè digestos generatim composuerint, nulli qui partem hanc Theologiæ dissolutam diuulsamque conglutinarint & ratione cõstrinxerint: statim nostrum hoc opusculum superuacaneum erit, imò verò eò magis necessarium doctis & ingeniosis fortasse, tardis & rudioribus sine dubio. Deinde non mihi videntur scholastici Theologi, fatendum est enim quod sentio, admodum compositè & ordinatè disputationes Theologiæ distinxisse. Diuum Thomam semper excipio, apud quem mirabilis est contextus rerum, summus quæstionũ & articulorum ordo, & compositio disciplinæ incredibilis. Adeò respondent extrema primis, media vtrisque, omnia omnibus. Nam de argumentorum copia quid attinet dicere? Cùm de infinitis propè quæstionibus in vtramque partem disserendi tanta illi facilitas & abundantia fuerit, vt non contra omnia semper, sicut Archesilas disputarit, & tamen vt in omnibus rebus quicquid ex vtraq; parte dici posset expresserit. Cæteri scholæ auctores, perturbatione rationis atque ordinis multum omninò peccauerunt, Magistrum videlicet secuti, in cuius quatuor sententiarum libris multa quidem lectio sanctorum apparet, & pro tempore illo haud mediocris sanè eruditio. Sed præter distinctionum vocabula, in quas libri illi diuisi sunt, nihil distinctum ferè videas, rectèque & ordine distributum. Testimoniorum congeriem dicas potius, quàm dispositionem & rationem disciplinæ. De trinitate prima est illi disputatio. Ita prius relata, quàm absoluta persequitur. Nam de iustitia & misericordia Dei in 4. Senten. quasi prẽteriens disputauit. De virtutibus in tertio. De vitijs quibusdam item in quarto. Innumera sunt eiusmodi confusè ab illo perturbateque tractata. Quam ob rem scholasticis, qui huius vestigijs inhęserunt, confusa etiam ferè ac perturbata sunt omnia. Nec magistrũ

ego

ego volo fraudare suo veteri nomine, magnum vtique, vt ætate illa, virum, & quem iure coluerint posteri. Nec scholasticorum laudi, quam multorum seculorum firmauit opinio, detrahere quicquam volo. Sed ingenuè ac liberè dico, quid in illis desideretur, quidq; illi præstarêt homines ingenio doctrinaque præstantes, nisi differendi artem neglexissent. Nam quod spectat ad argumenti inueniendi rationem, fontes quosdam videntur etiam ignorasse: adeo nulla ex quibusdam eorum fontium argumenta proferunt. Quotus enim quisque ex traditionibus Christi & Apostolorum argumentatur? atque ex concilijs rarò, ex sacris literis non adeò frequenter, ex historia vix semel. At mea quidem sententia nemo poterit omni laude esse cumulatus Theologus, nisi & erit horum locorum omnium scientiam consecutus, & ex eis promptum, expeditumque pararit ad argumentandum vsum. Nam de locorum natura & vi quidem satis fateor supra à me dictum.

Ad 1. argu. Sed in eisdem nunc nō frustra versabimur, cum docebimus, quisnam eorum locorum vsus sit, & quemadmodum ex eis argumenta ducenda. Id quod non omnibus ita facile est, vt nec præceptis nec exemplis nostris indigeant. Sed hęc hactenus. Iam ad instituta pergamus. Ac ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, consectêr, comprehendam breui, quæ sint Theologiæ naturalis & supernaturalis, hinc enim ordiendum est, facilis est & expedita distinctio. Theologiam naturalem voco Metaphysicam, ea parte, qua Dei naturam per naturæ rationes inquirit. Quæ est nobis, id est, Christianis cum philosophis gētium communis. Supernaturalem autem eam dico, quæ eiusdem Dei & naturam & proprietates per principia ea inuestigat, quæ sunt hominib. diuinitus reuelata. Reuelationem porrò Theologorum more hic accipio, quæ hominis & captum superat & ingenium. *Rom. 1.* Nā Paulus ea etiam, quæ naturali ratione & lumine cognoscuntur, Dei reuelationi & manifestationi tribuit. Atque hæc supernaturalis Theologia propria est fidelium & Christianorum, tantò disciplinis cæteris melior, quantò diuina auctoritas, in qua illa sustentatur, humana omni ratione potior & antiquior est. Rectè igitur D. Thomas docet, quòd argumentari ex auctoritate est maximè proprium huius doctrinæ, eò quòd principia huius doctrinę per reuelationem habentur: & sic oportet quod credatur auctoritati eorū, quibus reuelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinæ. Nam licet locus ab auctoritate, qui fundatur super ratione humana, sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, qui fundatur super reuelatione diuina, est efficacissimus. Tantum ille. Ergo quoniā omnis oratio, nobis de theologia, ea quæ est supra naturam, instituitur, ideò huius solum principia quæ, & qualia sint, exponendum est. Hoc verò vt scholæ congruenter fiat, nodos illos & proferendos & soluendos puto, qui rem totam istam illigant & impediunt. Primus est, quòd Diuus Thomas paucis verbis multa peccare videtur. Vnum, quòd secum ipse pugnat. Modò enim ait articulos fidei esse theologiæ principia, nunc autem illa omnia, quæ in sacris literis continentur, imò aliquā do vniuersa etiam, quæ sunt diuinitùs reuelata: in quibus traditiones profectò Apostolorum sunt, quanquam in libris canonicis non inueniuntur scriptæ. Potest nc magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quòd cū Paulus inter ea, quæ credere oportet, duo illa numeret, Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se, Diuus Thomas contrà docet, illa fidei articulis minimè cō prehendi, sed à fide potius supponi. Non sunt igitur Diuo Thomæ hæc theologiæ principia: siquidem non sunt propositiones reuelatæ, quas fide credimus, sed naturæ lumine ab hominibus cognoscuntur: ob idque fidem ipsam antecedunt, cuius decreta ea demum sunt, quæ in Proprijs Theologiæ principijs habere debemus. Necadetur aduersus, quæ dilucidè probat, Deum esse, proprium idemque primum censeri Theologiæ principiū. Est enim Deus, vt supra dixi, res huic disciplinæ propriè subiecta. Omnis autem disciplina ponit in ptimis & rem sibi subiectam esse, & quid etiam res illa sit. Deum itaq; esse, proprium est Theologiæ principiū, quia speculatrix est. Nam quia & effectrix, illud habet principium primū

c. p. q. 1. ar. 8. ad 2.

1. p. q. 1. ar. 7. et 8. 1. p. q. 1. art. 5. ad 2.

1. p. q. 1. ar. 5. ad 2. & ar. 8. ad 2.

Heb. 11.

1. p. q 2. art. 2. et 2. 2. q. 1. ar. 5. ad 3.

Deum

Deum esse remuneratorem inquirentium se. Tertium Diui Thomæ peccatum commune cum plerisque Theologis, quòd cum plurima sint à Deo reuelata, non solum ijs, qui canonicos libros scripserunt, sed alijs etiam sanctis Dei hominibus, Martino, Nicolao, Benedicto, Dominico, Francisco: Fidem & Theologiam asserit non quibuslibet Dei reuelationibus niti, sed ijs duntaxat, quas scripturæ sacræ auctores habuêre. Constat autem & diuinam reuelationem generaliter esse fidei Theologiæque rationem formalem, & fidem quibuique Dei dictis assentiri. Est nanq; virtus, quæ Deo dicẽti credit. Atque hic nodus primus in verbis quidem D. Thomæ est. Nam secundus nõ modò Diuum Thomam, sed cæteros ferè omnes astringit. Nulla enim omninò disciplina sua principia ratiocinatione probat, sed ponit: idcirco enim positiones seu petitiones nuncupantur. At Theologia ea, quæ fides tenet, ratiocinatione concludit: non ergo eadem sunt huius disciplinæ principia, quæ & fidei decreta. Quòd verò Theologia fidei dogmata argumentando cõprobet, multifariam suaderi potest. Primũ, quia Deum esse vnum, immortalem, rerum humanarũ procuratorem, & cætera eiusmodi, per fidem à Christianis acepta claris Philosophiæ argumentis demonstrauimus. Tum rursus, quia Deum esse creatorẽ, fidei articulus est. id aũt ratio quoq; naturalis ostẽdit. Adde, quod apostolus Petrus iubet nos esse paratos ad reddendã rationẽ de ea, quę in nobis est spe: atq; ideo de ea, quę in nobis est fide. Adde etiã, quod huic scientiæ attribuitur illud, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: id quod ex D. Augustino acceptum omnium Theologorum ore teritur. Si ergo rerum naturalium cognitio, vt August ait, fidem & gignit & nutrit & roborat: nimirum ea, quę fidei sunt, ratione naturali Theologia patefacit. Nõ ergo fides Theologo principia tradit, nisi sua ipse principia probet: quod ab omni prorsus disciplina alienum esse, adeò exploratè perceptum est & cognitum, vt non sit à me in præsentia confirmandum.

1. Pet. 3.

14. de Trin. cap. 1.

1. par. q. 32. ar. 4.

Tertius nodus ex verbis quoq; D. Tho. nectitur. Docet nanq; ad fidem aliquid pertinere dupliciter. Vno modo di-

do directè, sicut ea, quæ nobis sunt principaliter à Deo tradita. Alio modo indirectè, vt ea, quibus negatis consequitur aliquid fidei manifestè contrarium. Vt si quis neget Samuelem esse filium Helcanę: ex quo sequitur diuinam scripturam esse falsam. Hactenus non verbis quidem eisdem, sed sensu eodem ille ait. Et rursum alio loco affirmat, omnia quæ sunt in sacris literis tradita, præter ea, quibus homo beatus efficitur, per accidens ad fidẽ spectare. Vt Abraham duos filios habuisse, & Dauid fuisse filium Isai. Quod si eiusmodi, licet in libris sacris expresè etiam conscripta sint, indirecte tamen & per accidens ad fidẽ attinent, non sunt profectò Theologię principia. Nec enim cuiusquam disciplinæ fundamenta, fabricam illius disciplinæ ex accidenti & indirecte constituunt. Poteram & alijs argumentis hanc quæstionẽ implicare, sed verebar, ne & hoc quoq; lectori delicato multa nimium viderentur. Atq; hæc pauca licet, vrgent tamen & nihil remittunt, vt omnia ea explanemus, quæ Theologiæ initijs exponendis necessaria sunt, Expediemus itaq; primum, quænam sit huius doctrinę ratio formalis. Deinde q̃ eius natiua germanaq; principia. Atq; in his, quæ capitalia sint: quę verò legitima quidem, sed secundaria tamen. Postremò, quæ sint extranea & aliena, hoc est, ascita & accersita ab exteris disciplinis.

Formalis ratio Theologiæ, quoniam illud in primis suscepi explicandum, non est vna & simplex, sed duplex & bipartita. Est nanque ratio formalis rei obiectę, quia res est, quomodo Deitas Theologię ratio dicitur. Est item ratio rei, vt mentem ad assentiendum mouet, quẽadmodum veritas prima reuelans Theologię habetur ratio. Sic rationes videndi intelligimus, & colorem & lucem: colorem quidem priore modo, lucem autem posteriore. Atque illam quidem vocant rationem quę, hanc rationem sub qua. Puto nobis concedi oportere, vt scholę verbis vtamur, si quando minus occurrent Latina. Quin Latina etiam interdum relinquenda sunt, ne in scholastica disputatione non tam explicasse res, quã verba affectasse videamur. Quia verò de ratiõe formali, rei huic doctrinę subiectę, qa res est, nulla esse potest inter

viros

viros doctos controuersia, de ratione formali ex parte habitus & potentię cognoscentis huiusmodi conclusiones statuo.

1. *Conciu.* Primam, Ratio formalis fidei non est ratio Theologiæ formalis. Nam si Theologiæ principia lumine prophetiæ cognoscerentur, aut lumine etiam gloriæ beatorum, conclusiones nihilo seciùs ad Theologiam pertinerent. Erat enim Christus Dominus longè omnium, quicunque fuerunt, Theologia diuineque naturæ cognitione princeps, qui tamen sine fide conclusionibus Theologiæ assentiebatur. Exigit quippe fides in ratiõe sua formali obscurum quiddam & inuisum, cum sit substantia rerum sperandarum & argumentum non apparentium. Theologia verò euidens quoq; & clara esse potest. Nam est ratio sermoque de Deo. Atque inter prophetiam & fidem, si Diuo Thomæ credimus, nonnihil interest, nec lumina sunt eadem, quibus vates ad vaticinandum, & fideles ad credendum illustrantur. At si vates illustratione sua illa Theologiæ principia cognoscat, & ea, quę cõsequuntur ac repugnant, ratiocinando colligat, Theologus profectò erit, tamersi Theologiæ eiusmodi ratio formalis non fidei lumen sit, sed prophetiæ.

Heb. 11.

2. *Conclu.* Secunda conclusio est. Esse reuelatum à Deo, lumenve diuinitus infusum, est ratio Theologiæ formalis, siue illud lumen fidei sit, seu prophetiæ, seu glorię. Theologia nanque supernaturalis, de qua nunc loquimur, lumen aliquod natura ipsa superius generaliter ad principia cognoscẽda requirit, sed quale id in specie futurum sit, nec nomen Theologiæ, nec notio propria definit. Verũ quia Theologi non de beatorum, sed de viatorum Theologia disputant, nec quærunt quid disciplinæ ipsi, sed quid naturæ nostrę cõsentaneum sit, idcirco ferè asserunt, Theologiæ principia per fidem à Theologo intelligi. Lumen quippè prophetiæ, vel quoniam rarum est, generali præceptioni nihil obstare creditur, vel quoniam est, vt lumẽ fidei, obscurum, lumine fidei communiter & confusè intelligitur. A qua nos consuetudine minimè abhorrentes, Theologiæ nostræ principia per finem accipi oportere sæpè dedimus.

Vnde

Vnde illa tertia conclusio nascitur, Theologię nostrę formalem rationem eãdem ac fidei esse. Tametsi aliter ad assentiendum principijs mouet, aliter ad assentiendum conclusioni. Illis, inquam, sine medio, syllogismo & ratione, huic ratione & syllogismo intermedio. Quo discrimine, vt diximus, Theologia & fides non verbis & cogitatione, sed vniuersa re & toto genere secernuntur, quamuis vtriusq; ratio eadem formalis sit. Sanè D. Thomas multis in locis fidei nomen, vt videtur, existimat manare latissimè, idq; versari in omnibus, quę à Deo sunt dicta & reuelata, siue auctoribus sacris atq; canonicis, siue alijs quibuscunq; diuino quodã spiritu afflatis. Quod si verum est, ratio fidei formalis longè etiam lateq; patebit, vt non solùm contineat reuelationes prophetis & Apostolis factas, sed eas etiam, quæ cęteris quoq; factis ecclesiæ Dei factæ sunt: imò illas etiã, quas viri interdũ improbi diuinitùs habuerunt, vt Balaam & Caiphas, quorum prędictiones ad fidem attinere ne dubitari quidem potest. Eadẽ ergo causa subest, vt cætera etiam, quę quibuslibet alijs reuelata à Deo sunt, ad fidei rationem referantur. At enim 1. part. quæst. 1. art. 8. ad secundum, vt inter argumentandum obiecimus, verbis nihil obscuris docet, fidem nostram non inniti reuelationibus alijs præter eas, quas Apostoli & Prophetæ, auctores videlicet canonicorum librorum, ediderũt. Id quod Paulus confirmat, quo loco ait, fideles esse superædificatos super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Nulla igitur alia nisi Prophetarum, Christi, Apostolorumq; doctrina, fidem ecclesiæ fundat, nulla alia Theologię principia continet. Eadẽ enim sunt disciplinarum principia ac fundamenta. Adde, quòd fides est virtus Theologica, cum religione ecclesiæ erga Deum cõiuncta & sociata. Non ergo quæcunq; à Deo reuelata ad fidei virtutẽ pertinent, sed ea tantùm, quæ ad ecclesię etiam religionẽ pertinebunt. Quia verò nihil ecclesię refert ea credere an nõ, quæ Brigidę, Catharinæq; Senẽsi visa sunt, nullo certè modo ad fidẽ illa referuntur. Adde etiã, Q fides, de qua hic sermo fit, nõ est priuata virtus,

3. *Conclu.*

Num. 22.

Ioan. 11.

Ephe. 2.

sed communis. Ea enim re catholica dicitur, hoc est, vniuersalis. Quocirca priuatæ reuelationes, cuiusmodicunque & quorumcunque illæ sint, ad fidem catholicam non spectant, nec ad fundamenta & principia ecclesiasticæ doctrinæ, quæ vera germanaque Theologia est. Cuius rei illud itē non leue argumentum est, ꝙ quæ non per ecclesiā & eius publicos administros fidelibus proponuntur, illa non credit catholica fides. Videlicet, æquum erat, vt quæ ad Rempub. generaliter attinerēt, hæc nō priuati quiuis hoīes ad eam retulissent, sed eius cōmunes omninò administri. Fundamenta eius, inquit, in mōtibus sanctis. Id, quod explicaturus statim adiunxit: Dominus narrabit in scripturis populorum & principium horum, qui fuerunt in ea. Scripturæ ergo priuatæ non sunt fidei ecclesiasticę fundamenta, sed scripturę populorū, quas nobis principes ecclesiæ tradiderunt. Quamobrem in principijs Theologię nostræ nō ea sunt habenda, quæ priuatē & singulariter quibusdam hominibus significata à Deo sunt, sed quæ communiter & publicè ecclesiæ suę locutus est Deus. Id si cōsentaneum est, vt videtur certè, necessariò fit consequens, vt ratio fidei Theologiæque formalis non sit tam diffusa & ampla, quàm nonnullis apparet, sed multò astrictior atque contractior, vt intelligatur esse veritas prima ecclesiæ reuelans ea, quæ ad religionem attinent. Id, quod sine dubio fidei cōstantia, certitudo & firmitas, requirebāt. Nullo enim loco firma stabilisque ac fixa consisteret, si priuatas reuelationes sequeretur. Nec mihi quisquam angelorum in via fidem & religionem obijciat, quibus nescimus an Deus, quæ credere illos oportebat, per se hæc an per aliquē publicum administrum angelum superiorem proposuerit. Illud dico, in angelis quoq; cōmunem fuisse fidem, communem reuelationem, quæ non priuatæ vsurpationis esset, sed publicæ religionis. Nam quod obijciebatur de Balaam & Caiphæ prophetijs hoc facile reijcitur. Non enim illorum verba ad fidem spectant, quia dixerunt illi, sed quia auctores sacri scripserunt. Ac formalis Theologię ratio quænā illa sit, breuiter quidā, sed non indulgenter exposui. Sequitur vt ex-

Psal. 86.

vt explicem, quæ sint huius disciplinæ propria legitimaque principia. Qua in re video nihil nos laborare oportere. Facile enim è rebus positis intelligitur, omnia, quæ sunt per sacros auctores ecclesiæ diuinitùs reuelata, in proprijs Theologiæ principijs habenda. Nō ea solùm dico, quæ auctores sacri scriptis suis prodiderunt, sed quæ verbo etiam posteris commendārunt. Id quod explanatum est in tertio huius operis libro diligentissime. Auctores autem sacros appello, non eos modò, qui libros canonicos scripserunt, verùm etiam Christū Dominum, qui & vitæ & doctrinæ Catholicæ primus est auctor, & Apostolos, qui ministri fuere sermonis. Nec si conciliorum & Apostolicæ sedis auctoritas fidem certam facit Catholici dogmatis, aut Sanctorum etiam omnium consensus & conspiratio vna, idcirco aut principia Theologiæ cumulamus, aut eius formalē rationē extendimus. Quoniam, vt sępè aliàs diximus, nec Concilia, nec satis Apostolicæ pontifex, nec sancti scripturarum interpretes, nouas fidelibus reuelationes edunt, sed quas ab Apostolis accepit ecclesia, vt posteris integras & illibatas tradunt, aut illas exprimunt & interpretantur, aut certè cōsequentia & connexa colligunt, aduersa & repugnantia manifestant. Principiorum itaque Theologiæ numerus è libris sacris atque Apostolorum traditionibus integerrimè cōstituitur. Quamobrē duobus primis locis contenta sunt omnia, quæ in initijs Theologiæ veris & germanis numeranda sunt. Sed his initijs tanq̄ seminib. ab ecclesia datis, quæ Christ⁹ Apostolis, Apostoli ecclesiæ dederunt, pastores & doctores ac Theologi in vniuersum omnes ea rigant & excolūt, & quæ plantæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt & ostendunt. Illa fundamenta sunt Theologicæ ecclesiasticæque doctrinæ, quæ Christus per Apostolos posuit, cæteri siue concilij patres, siue Pontifices summi, seu ecclesię doctores, sancti omninò superędificāt. Nam fundamenta alia nemo potest ponere prę- 1. Cor. 3. ter ea, quę posita sunt, Apostolorum & Prophetarū ipso Ephe. 2. summo angulari lapide Christo Iesu. Enimuerò disciplinarum principia non eodē gradu locata sunt omnia.

Quædam enim simpliciter prima sunt, quæ vi sua generali cætera continent, vt in metaphysicis illud, Impossibile est simul affirmare & negare. Qualia in Theologia sunt illa, Deus est, & est remunerator inquirentiũ se, in quibus tanquam in primis credibilibus omnes fidei articuli implicitè continentur, quemadmodum D. Thomas eisdē quoq; verbis affirmat. Alia sunt principia præcipua quidē & immediata, sed cõtractiora tamē, quàm illa communia, quæ erant cæterorum omnium quasi fontes. Huius generis in physicis ea sunt, Res naturales materia formaque constare. Naturam esse principium motus & quietis, in Theologia verò articuli fidei capitales, qui, vt D. idem Thomas ait, primò & per se credendi fidelibus proponuntur. Nimirũ enim de Deo, qui est res Theologiæ subiecta, ea articuli enunciãt, quę vel ex perpetua æternitate in Deo insunt, vel humanæ salutis ergo dispositã in tẽpore ac dispensata sunt. Eundem quippè Deum, qui trinus & vnus est, qui creauit mundum, qui & impios facit iustos, & felices pios; eundem, inquam, credimus & hominem factum & natum, & mortuum & sepultum, & suscitatum, & eleuatum in cælos. Iure igitur hæc prima sunt & propria Theologię pronunciata, quę à nobis de subiecto disciplinę nostræ, vel maximè supponuntur. Initijs enim his principalibꝰ nõn concessis, Theologus progredi ne digitum quidem potest. Ac sunt priora illa similia ijs, quas Philosophus appellat dignitates. Accedentem namque ad Deum oportet credere quia est, & inquirẽtibus se remunerator sit. Quicunque igitur disciplinam aliquã supernaturalẽ discere parat, eum necesse est duas illas generales prę notiones animo antè cepisse. Qua dignitatũ nota propria atque insignis est. At hæc posteriora principia suppositiones Theologię non iniuria vocabũtur. Eas enim Theologus discipulo suadere quodam modo aut explicare certè valet. Sed præter hæc duo principiorum genera, sunt alia non propter se potissimè petita, sed, vt D. Thomas sentit, eorum, quæ sunt potissima, explicandorũ gratia. Cuiusmodi sunt, inquit, prẽter articulos fidei omnia, quę in sacris literis assumũtur, vel Dei natura & maiestate explicanda, vel exponenda ipsius in homines beneuolentia, rerumq; omnium procuratione, quę illis essent vtiles & necessariæ. Hæc verò tametsi non fidei sunt nec Theologiæ præcipua capita, sed his ex accidenti coniuncta, & quasi principia secundaria, accipit tamen ea Theologus, non aliter ac Philosophus principia per se nota, sine medio & ratione, perinde vt articulos fidei acceperat. Hæc enim quasi naturalis atq; insita in animis fideliũ notio inest, vt quicquid ab Apostolis scriptum traditumq; est, verum esse sentiant. Ac Theologię legitima germanaq; principia hæc sunt. Nam, quæ vel à Metaphysicis, vel à Physicis, vel à Mathematicis, vel à reliquis demùm naturæ disciplinis adsciscit, perspicua per se euidentiaq; principia, non ex sua sumit vi atque natura, sed foris inuenta in proprium vsum mutuatur, aut certè iure quodã suo vendicat. Forsan quispiam dixerit, Nónne igitur multæ variæq; erũt rationes Theologiæ formales? Siquidem multarum disciplinarum varia item principia sunt. Minimè verò. Non enim ex adiunctis & intrinsecus attributis doctrinarum formalis ratio petitur, sed ex proprijs natiuisq; principijs. Atqui in Theologia horum omnium vna & eadem ratio formalis est, nempè lumen fidei supernaturale. Quę igitur sint Theologiæ principia, tum germana tum aliena, atq; ex illis, quæ prima, quę secunda, ex primis verò, quę generalia, quę quasi in speciem contracta, satis, vt reor, dilucidè aperteque docuimus. Quibus ex rebus intelligitur è decẽ locis duos primos, propria & legitima Theologię principia continere, tres postremos externa & aliena: nam quinque intermedij, aut interpretationem principiorum propriorum continent, aut eas, quæ ex his ortæ & profectæ sunt, cõclusiones. Hæ cuiusmodi in Theologia sint, statim explico, si prius argumẽta refello, quibus suprà vsus sum, quùm de principijs eiusdem Theologiæ quærerem. Ad quas ipsas argumentationes ex superioribus dictis satis multa responsa sunt, quibus perspici possit aduersum D. Thomam, quẽ vel maximè impugnant, eas nihil habere virium. Tanta vis est veri, vt speciem falsitatis obscuret, si modò id patefactum &

Heb.11.
2.2.q.1.
art.7.

illustratum est. Sed singulis tamen respõdere volumus, vt rudiorum ingenio morigeremur.

CAPVT IIII.

Capitis superioris argumenta refellit.

PRimum ergo argumentum. tria D. Thomas falsa peccata obijcit, quorum vnum iã omninò depulsum est. Ecquid enim illa pugnãt, articulos fidei primaria esse Theologiæ nostræ principia, sacras aũt literas continere etiã secundaria? Quia vero non omnia continent, sed pleraque: illud etiam his valdè consentit & congruit, diuinam veritatem sine scripto quoq; rationẽ esse fidei formalẽ. Sunt enim quædã verbo tenus ecclesię tradita, quę in Theologię veris germanisq; principijs habentur. Prima itaq; calũnia adhibita nihil premit. Quę secundo loco adhibetur, ea pressiùs vrget. Sed si, cùm animum attenderis, videas de Deo nos duobus modis loqui posse, tunc hæc etiã calumnia cõtundetur. Intelligendum ergo, sermonẽ de Deo dupliciter haberi. Aut quia principium est finisq; naturæ, aut quia supra naturã est & principium & finis. Sanè quamdiu præstantem æternamq; mentem intelligimus solutam à corpore & liberam, segregatam ab omni concretione mortali, quæ omnia sentiat & moueat, quæ cælum ac terras tueatur ac regat, ad quam res vniuersæ quoquo modo possunt, cõtendant & enitantur vt veniant, tãdiu Deum naturaliter intelligimus, tãdiu de eo naturaliter loquimur. At si cõsideremus Deum ipsum potiore quodã lumine nobis ostẽsum, quo apparet in vna deitate trinus, in effectis supra naturam ad mirabilis, omnium eiusmodi effectorum supernaturalium & prima causa efficiens & postremus finis, atque adeò creaturæ rationalis vna & summa felicitas; tũc ratio Dei multò alia, sermo longè diuersus est. Cùm igitur Paulus in ea, quę credere necesse est, duo illa ponit, Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se, Deum intelligit, non vt naturæ oculis cernitur, sed vt illustratione superiore apparet supernaturaliũ rerum, primum principium vltimusq; etiam finis. Quo sensu Diuus Thomas secunda secundæ quæstio-

quæstione 1. articulo 7. ait, omnes articulos in primis illis credibilibus contineri, scilicet, vt credatur Deus esse, & prouidẽtiam habere circa hominum salutẽ. Cùm autem alijs locis affirmat duo illa in fidei articulis nõ esse, sed à fide potiùs supponi, de Deo iuxta naturę lucem loquitur. Quemadmodũ enim gratia supponit naturam, ita cognitio gratuita cognitionem naturalem, vt idem D. Thomas refert. Frustra verò cum fidei doctrina velis imbuere. qui non habeat duas illas naturæ anticipationes, Deum esse, & habere hominum prudentiam. Nulla porrò gens tam fera est, vt ait Cicero, quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendũ sciat. Qui autem Deum non prænouerit procuratorem esse rerum humanarum atq; adeò hominum rectorẽ & iudicem, is longissimè abest à nostra disciplina. Quòd si iudex hominũ & rector Deus est, si etiam alio modo intelligi nõ potest, nisi summa sapientia, iustitia, & potestate præditus, fit vt & præmia virtutibus parata habeat, & supplicia vicijs. Nec enim vlla omninò Respub. quod Solon verissimè dixit, nisi duabus rebus contineri potest, præmio & pœna. Quæ causa Platonem mouit, vt quoniam videbat optimos sæpè viros præclarè gestis, nullo in hac vita præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo monumẽto laudis decoratos, asseret animos immortales officij præmiũ & fructum aliquando accepturos. Absurdũ quippè esse, vt verus, iustus, & honestus labor, honoribus, præmijs, splẽdore careat; si qua est in cælo pietas, si quod numen, quod talia curet. Non itaque aut campos Elisios, aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali sitim poematis solùm esse, sed historiæ. Nã vt ficta sint à poetis isthæc omnia, veri tamen significandi gratia ficta sunt, vt vtilissima illa verissimaque sententia in animis hominum inscriberetur, Rectè factis præmia, peccatis supplicia deberi. Quo magis Caietanum miror, qui in epistolam ad Hebræos multum omninò & à sensu Apostoli, & à vera naturæ institutione desciuit. Atque eum in errore secuti sunt quidam, non satis diligenter nec Pauli consilium, nec vim rationis attendentes. Sed vt perspiciat Lector, vnde omnis

De natura Deorum.

iſte natus ſit error, totam rem apertam, eaque ipſa verba ſubſcribam, quæ ab inuentore & quaſi architecto huius opinionis dicta ſunt. Qui non credit Deũ eſſe, ait, nunquam accedit ad eum. At ſi obieceris hoc nõ congruere ijs, qui euidenter cognoſcunt demonſtratiua ſcientia Deum eſſe. Tales enim cùm videant Deũ eſſe, impoſſibile eſt, quòd credant Deum eſſe, quum fides ſit argumẽtum rerum non apparentium. Solutio eſt, quòd doctrina hęc in cõmuni datur, & propterea dicitur in communi, quòd oportet credere quia eſt. Longè autẽ melius eſſet, ſi non crederet, ſed ſciret quia eſt. Sed hoc rarum aut rariſſimum eſt. Alterum verò, quòd Deus inquirentibus ſe, remunerator ſit, ſcilicet, in futura vita, oportet fide teneri, quoniam nulla ſcientia ſpeculatiua ad hoc attingere poteſt, & ſine huius rei fide nullus accedit ad Deũ. Hactenus ille. Quo in loco vniuerſa ratione mea cũ illius tota confligendum puto. Primùm ergo ſi placet, quæ de illo principio, Deus eſt, ſunt à Caieta. dicta, videamus. Atque illud videns prudenſque prætereo, longè melius eſſe ſcire, quàm credere. Id quod verum eſſet, ſi de humana fide loqueretur. At fides quæ Deo dicenti innititur, multò certior & potior eſt, quàm ea ſcientia, quæ ingeniorum noſtrorum ratione conſtat. Sed hęc oſtendere non eſt præſentis loci & temporis. Illud proprie huius diſputationis eſt, ſi Pauli ſententiam in communi & de ijs, quæ frequenter eueniunt, intelligamus, tunc totam nos Pauli argumentationẽ eludere. Conabatur ſiquidẽ Apoſtolus eo capite mõſtrare, veteres omnes quotquot à Deo probati ſunt, teſtimonio fidei probatos eſſe. Cùm verò in enumeratione Enoch quoque inter cæteros induxiſſet, non aliter oſtendit illum fide eſſe probatum, niſi quia ante tranſlationem teſtimonium habuerat placuiſſe Deo. Qua propoſitione è ſacris literis poſita ueſtigio aſſumptionẽ adiunxit, Sine fide autẽ impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oprtet accedentẽ ad Deũ, &c. Hoc verò argumentũ, quo aſſumptionem illã probat Apoſtolus, vnum & imbecillũ eſt, ſi demus non oportere ſemper credere accedentem ad Deum quia eſt, ſed aliquando, rarò tamen, ſatis eſſe ſcire. Refellemus enim argu-

argumentãtem Apoſtolum ea reſponſione, quod fieri poteſt, idq; melius eſſe, vt quis ſciat eſſe Deum, quo caſu non oportebit credere Deum eſſe. Itaque fiet, vt ſit impoſſibile ſine fide placere Deo. Enoch autem vnum ex eis eſſe, qui nõ credebant, ſed ſciebant eſſe Deum. Quẽadmodum ergo cùm Apoſtolus ait ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, nõ in communi & vt plurimum loqui intelligendus eſt, ſed ſemper ac de ſingulis hominibus viatoribus, ſic quum cauſam eius rei reddit, inquiens, Credere enim oportet accedẽtem ad Deum quia eſt, eodem modo intelligitur nullũ omninò excipere, ſed de omnibus atq; de omni tempore loqui, ſi illa ipſius argumentatio quicq̃ habitura eſt ad ſciendam fidem virtũ. Iam verò q̃ ad ſequens principium attinet, Caietanus in hoc defendendus eſt, quod dixerit per nullam ſpeculatricẽ, cognoſci euidenter poſſe, Deum eſſe remuneratorem inquirentiũ ſe, ſi de remuneratione ſupernaturali intelligit. In nulla verò ſcientia oſtendi præmiũ aliquod iuſtos ſapienteſq; viros manere poſt mortem, hoc Caietanus generaliter videtur aſſerere, hoc cogor ego improbare. Chryſoſtomus porrò ho. 4. de priui. tradit, qui animi immortalitatem in dubiũ vocant, eos addubitare, nũ in meridie ſit dies. Si enim, inquit, negant animos eſſe immortales, negãt ſupplicia improborũ poſt hanc vitam, negant præmia iuſtorum. Prudentiam itaq; Deo negant, atque adeò diuinitatem, quæ ſine prudentia intelligi non poteſt. Nam ſi ij, qui Deum ritè colunt iniurijs affecti migrant, impij contrà iniuſta felicitate potiti, non ergo iuſtitia in Deo eſt, ſi ſuos poteſt honoribus prẽmijsque donare. Quòd ſi Deo aut potentiam, aut iuſtitiam, aut oculos ad cernendum tollis, Dei vocabulum inane ſit. Omni namque ratione concluditur, vt ſi nullo præmio afficit eos, qui inquirunt illũ, ne Deus quidem vllo modo ſit, niſi Deum aut cæcum, aut imbecillum, aut iniquum habeamus, Cæcum, qui ſuos nõ videat: imbecillũ, qui dare præmia nõ poſſit: iniquũ, qui nolit. Qui igitur negant alterũ, is vtrunq; tollat neceſſe eſt, & ſi non habet remuneratorem inquirentium ſe, ne Deum quidẽ habeat oportet. Illud quoq; vix intelligo, quid

quid sibi Caietanus velit, cùm ait nullam scientiã speculatiuam hoc attingere, an Deus sit remunerator inquirentiũ se, vnde colligit oportere vt id fide teneamus. Quid enim si nulla speculatrix scientia illud assequetur? Nónne satis erit, si aliqua effectrix assequatur? Mihi quidem illud persuasum est, quemadmodũ Deum, hoc est, primam causam efficientem esse speculatrix naturæ disciplina declarat, ita & effectricẽ quoq; naturæ eiusdem disciplinam, Deum esse omnium postremum finẽ, ostendere. Neq; hoc solùm, sed illud etiam, naturæ leges aliquem habere & auctoritatẽ, & iudicẽ, nisi fortè sola hæc lex deserta sit, quæ nullũ legislatorem habeat, aut si quis iura hæc mundo præscripsit, nulla huius seruandi cura tangatur. Quòd si tam ignarus est, vt nesciat præmia & honores virtutẽ alere, iacereq; eam semper, si præmijs & honorib. destituta sit, ind gnus profectò est, ad quẽ auctorem & iudicem sanctissimas naturę leges referamus. Quocirca si de Deo diuinaque remuneratione sermonem facimus, quatenus naturæ lumen ostendit, vtrũq; in hoc lumine agnoscimus, & Deum esse, & esse remuneratorem inquirentium se. Quia verò, vt Deo placere possimus, non sat est ipsum cognoscere principium esse auctoremq; naturæ, sed oportet in Deum ferri, quia finis est supernaturalis, atque adeò supra naturæ vires eminens & excellens, rectissimè vt vniuersum dixit Apostolus, accedentem ad Deum, finem vtiq; supernaturalẽ, oportere credere quia est, &c. Nam quod naturalis ratio docet, id scire ad supernaturalem hunc accessum non est satis. Habemus quippè accessum ad Deũ per fidẽ. Quòd

Rom. 5. autem Paulus de accessu ad finem supernaturalem, de remuneratione quoq; supra naturã loqueretur, illa manifestè demõstrant, Expectabat fundamenta habentem ciuitatem cuius artifex & conditor Deus. & posterius,

Hebr. 11. Nunc aũt meliorem patriam appetunt, id est, cælestem, ideò non confunditur Deus vocari Deus eorũ: parauit enim illis ciuitatẽ. Et rursum, Aspiciebat in remunerationem, inuisibilem enim tanquã videns sustinuit. Et denique, Non suscipientes redemptionẽ, vt meliorem inuenirent resurrectionem, atque hi omnes testimonio fidei

fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis cõsummarentur. Sed crimen illud, quod D. Thomæ secũdo loco inferebatur, satis, vt mea fert opinio, dilutum est. De tertio verò peccato nihil est necesse illum purgare, quum iam explicatè docuerimus, fidem Theologicam, de qua in præsenti disserimus, non quibuslibet Dei dictis assentiri, sed ijs, quæ duntaxat & ad fidelium cõmunem religionem spectent, & communes ecclesiæ administri denuncient. Ac primum nodum solũimus quidem, secundus verò expedietur hoc modo.

Quæ sunt fidei, ea sunt in duplici differentia. Quædã enim simpliciter & apud omnes fidei sunt, vt quę rationem superant naturalẽ. Alia fidei dicũtur esse nõ per se quidem, sed quasi per accidens diuinitus reuelata, propter eos, qui eorum demonstrationem & euidentiã non habent, vt Deum esse, & esse vnum, eundemque æternũ, sapientem, iustum. Quas res omnes licet in naturę lumine videamus, populo tamen rudi Deus prouidentissimè reuelauit, quemadmodũ Diuus Thomas secunda secundæ quæstione 1. artic. 5. & q. 2. artic. 4. explicuit. De Deo rursum dupliciter loqui possumus, qua diuisione primo argumento diluendo vtebamur, vel quia est principium finisq; naturæ, vel quia principiũ & finis est supra naturã. Priore modo Deum esse, esse vnum, immortalẽ, sapientẽ, & huius generis reliqua, naturalem lumẽ ostendit, posteriore autem illa eadẽ sola fides tenet. Vnde & D. Thomas secunda secundę quæst. 1. articulo 8. cùm in primo argumento opposuisset, Deum esse vnum non oportere in articulis fidei computari, quòd sciri per demonstrationem posset: respondet, quòd multa per fidẽ tenemus de Deo, quę naturali ratione Philosophi inuestigare non potuerunt, puta circa prudentiam eius & omnipotentiam, & quòd ipse solus sit colendus. Quæ omnia continentur sub articulo vnitatis Dei. Hactenus ille. Loquitur autem de prouidentia & omnipotentia rerum etiam supernaturalium. Et quæst. 2. artic. 2. ad 3. Credere Deum, inquit, non conuenit infidelibus sub ea ratione, qua ponitur actus fidei, &c. quæ calumniam

fortasse

1. p. art. 8. q. 1. et 2. 2. q. 1. ar. 5. in cor. & ad 2. & ar. 10 ad 2. et 1. con. Gene. c. 6. 1. p. q. 32. ad 2. 2. 2. q. 1. ar. 5. ad 2. & q 2. ar. 10. similiter ad secundum.

fortasse nō effugient, nisi ad huius distinctionis normā reuocentur. Quibus rebus expositis, Diuus Thomas apertè docet ea, quę propriè & per se fidei sunt, nulla posse naturali argumentatione patefieri. Quin 1. p. q. 32. art. 1. illos arguit quasi fidei inimicos, religionique nostræ etiam noxios, qui ea, quæ fidei sunt, naturæ rationibus conantur ostendere. Quòd si quæ argumenta fidei decretis comprobandis sancti doctores afferūt, congruentia illa esse non euidentia: probabilia, non necessaria: suadere, non cogere: adducere, non euincere. Lumen enim naturale id patefacit & illustrat, quod naturæ congruēs ac consentaneum est. Cùm ergo fides, vt sæpè diximus, rerum earum propriè sit, quę hominum naturā & ingenium exuperant, fit, vt res eiusmodi nullo monstrari naturæ lumine, nulla confici naturæ ratione queāt. Quòd si fides substātia est rerum sperādarum, vt ad Hebræos apostolus ait: spes autem, quæ videtur, non est spes, vt idem tradit ad Romanos, consequitur necessariò, vt quę credit fides, quoniam & spes eadem sperat, hæc nec oculi cernant, nec aures audiant, nec in cor hominis ascendant, atque adeò ne rationibus quidem demonstrentur humanis. Nisi fortè aut res diuinas humanæ fulciūt ac sustinent, aut certè Paulus fallit & fallitur, qui fidem argumentum esse non apparentium astruit, nostramq; sapientiam in mysterio absconditam, nullum huius seculi principem cognouisse, Nostrę ergo disciplinæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt, demōstrare necessariè non possunt. Quocirca metuere nō debet quisquam, vt fidei meritum sit amissurus, si rationes quoque ad fidei veritatem & explicandam & ornādam adhibuerit. Non enim, conetur licet quantū potest, rationes adhibebit eiusmodi, quæ præbeant experimētum sensuum, sed tales tamen, quibus & ij, qui non credunt, ad fidem adducantur suauiùs: & ij, qui credūt, in fide contineantur libentiùs. Fides sanè cùm naturā non pugnat, sed cōsentit, nec dissident humana & diuina ratio, sed cohærent. Vtraq; vera est, nec verum vero aduersatur, vtraque est à Deo, nec Deus sibi contrarius est. Peruertunt itaque homines fundamenta natu-

raturæ, cùm illam à fide seiungunt. Quin fide dirigenda naturæ ratio est, & quidem sic, vt hæc duo verba inter se, non res discrepare videantur. Et cùm diuinis humana similia & agnata sint, qui hominis officium Deo exhibet, & gratiæ naturam seruire facit, is probè Theologi munere perfungitur. Quàm omninò rem & Diuus Thomas sæpè probat, & nos cum aliàs multis lib. 8. & 9. & 10. & 11. tum in quartodecimo libro copiosè disseremus. Nunc autem argumenta illa refutanda sunt, quibus id effici videbatur, vt Theologia fidei decreta comprobaret. Ac primæ quidem argumentationi responsum est satis. At secunda sic refellitur. Non est articulus fidei, mundum à Deo extitisse, sed Deum in principio temporis cęlum terramque creasse, id verò articulus fidei est, qui demonstrari nulla ratione potest, quemadmodum D. Thomas 1. p. q. 46. art. 2. disserit. Nam quod tertio loco Petri testimonium obijcitur, nihil aliud efficit, quàm religionem disciplinamque Christianam non esse omni ex parte similem Pythagoricæ, cuius alumni nulla rationis antecepta informatione, nullaque omninò reddita causa auctoritatem præceptoris arctè mordicusque tenebant. Indoctorum est ista consuetudo, eaque Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum, vt cęca & temeraria sectę suę dogmata, sine iudicio amplectantur, & quæ disquisitione egent maximè, hæc sine vlla disquisitione recipiant. Non erudiuntur isti, crede mihi, sed astringuntur, nec via & ratione docentur, sed quasi veneficijs & cantionibus in insaniam agitantur. Enimuerò quæ in Euangelio docemur omnia, quamuis acerrimè ad supernaturalia capessenda moueant animos, tamen leniori naturæ ratione Christus ipse prætexuit, ne discipulos rationis expertes habere videretur. Sapientia quippe Dei, quanquam attingit à fine vsque ad finem fortiter, sed disponit tamē omnia suauiter, hominesque humano more instituit & erudit, hoc est, rationales ratiōibus. Nec verò aliter discipulos suos Deus vult esse compositos ad doctrinam cæterorum, quàm ipsi ab eo sunt edocti. Dedit illis linguā eruditam, vt sciant sustentare eum, qui lassus est verbo, aperuit quoque illis aurem, vt audirent quasi magistrū.

Quem.

Quemadmodum igitur Christi discipuli ipsum quasi magistrum erudientem audimus, non quasi veneficum incantantem, ita & linguam habemus non quę huc atque illuc feratur volubilitate verborum, sed doctam & eruditam, quæ disciplinæ suæ sciat causas & rationem reddere. Lucianum Antiochenum scribit Eusebius rogatum à præside, cur, cum vir rationalis & prudens esset, sequeretur sectam, cuius non posset reddere rationem, in hæc verba respõdisse: Nos Christiani nõ sicut vos putatis humanæ alicuius persuasionis errore cõstringimur, nec indiscussa, vt alij, parentum traditione decipimur. Auctor nobis de Deo Deus est. Nec enim posset sublimis illa maiestas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientiæ suæ interpretationib. indicata. Fateor, errauimus nos etiam aliquando, & simulachra, quæ ipsi finximus, deos cæli ac terræ putabamus auctores. Sed arguebat eos fragilis substantię suę, à nobis præstita consecratio, in quibus tantum venerationis inerat, quantum decoris mens contulisset artificum. Verùm omnipotens Deus ille, quẽ non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos sapientiam suam misit in hũc mundũ carne vestitam, quæ nos doceret Deum, qui cęlũ fecisset & terrã, nõ in manufactis, sed in inuisibilibus requirendũ. Vitæ & nobis leges ac disciplinæ præcepta cõstituit, seruare patrimoniam, paupertate gaudere, mãsuetudinem colere, studere, pati, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Sed & omnia hæc, quæ nunc aduersum nos geritis, ventura nobis esse prædixit. Inde enim qui erat immortalis, ipse morti se præbuit, quo nobis patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diẽ resurrexerit: vt mortem vinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent: pars penè mũdi iam maior huic veritati astipulatur. Aut si quid in his suspectum videtur, contestatur de ijs etiam agrestis manus ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est, testimonium. Astipulatur his ipse in Hierosolimis locus, & Golgorhana rupes

nã rupes sub patibuli onere disrupta: antrum quoque illud, quod auulsis inferni ianuis corpus denuò reddidit animatũ. Quòd si terrena vobis minùs digna videntur, accipite etiam de cælo astipulatorẽ fidelẽ. Solem ipsum horum vobis produco testem, qui cùm hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirite in annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Quod si terræ, si cælo, si sanguini martyrũ fidem nõ accommodatis, quomodo meis verbis allegationibusq; credetis? Et cum pene iam his verbis auditoribus suadere cœpisset, arripi iubetur in carcerem, ibiq; absque tumultu populi necari. Huiusmodi ergo rationes iubet Petrus à doctoribus fidelium reddi, quæ videlicet cùm fidem antecedunt, infideles non trahant, sed inducant: quum sequuntur, non vim fidelibus afferãt, sed adijciant robur. In hanc enim sententiam Augustinus dicit, rerum naturalium notiõem fidem gignere, nutrire, roborare. Nam defendit etiam, quoniam rebus naturalibus perceptis, exploratè & cognitis statim intelligitur, primum fidem cum natura nullo modo pugnare, sed minimè consentire: Deinde argumenta captiosa & vana esse omnia, quæ fidei veritatem impugnant. Sed in secũdo nodo expediendo multũ omnino morę interposuimus. Benè autem habet, quod tertius idemq; postremus nulla dissolutione eget. Quid enim addamus, quod legere operæ pretium sit, postD. Thomæ sententiam adeò perspicuè, diligenter, atq; enodatè in superioribus explicatam? De principijs ergò Theologiæ hactenus.

CAPVT V.

Quæ sint quæstiones siu conclusiones Theologiæ.

THeologiæ causis expositis consequens est, vt effecta exponamus: quæ quum in dubium vocantur, quæstiones sunt, quum ratiocinatione coguntur, conclusiones. Quæstio igitur Theologica, quoniam circa eam omnis Theologi versatur labor, quid sit, & quæ illius partes in primis explicabimus. Nam quo modo tractanda sit, deinceps exponemus. Ne verò quempiam fal-

lat

lat huius nominis ambiguitas, intelligendum est, quæstionem Theologicam aliquando appellari pronunciatum omne, quod à Theologo quouis fortè etiam & temerè fuerit addubitatum. At si adeò latè Theologiæ materiam quæstionemque tendamus, quæstio Theologica non iam ex natura huius facultatis, sed ex hominum vel stultorum arbitrio æstimabitur. Ita fiet, vt in Theologię quæstionibus illas ponamus, Num, si forma aquæ per diuinam potestatem à materia separetur, in materia vel forma seorsum baptismus conficiatur? Nũ asinus baptismum possit bibere? cæteraſque his similes, quas studio breuitatis omitto, ne fastidium stomacho lectoris faciã.

2. Tim. 2. Mihi profectò nõ est cordi, stultas & sine disciplina quęstiones, quas vitare Apostolus præcipit, in theologiæ finibus comprehendere. Finis porrò extremaque disciplinarum, conclusiones voco. Eadem verò res est, vt à principio capitis leuiter attigimus, quæstio & conclusio. Sed quum per interrogationem elata in controuersia ponitur, quæstio est: quum argumentatione colligitur, conclusio. Quod si eandem rem argumentis suis Theologus addicit & conficit, quæ in quæstionem fuerat adducta, futilissimæ scilicet illæ quæstiones Theologicæ vocari, nec debent, nec verò possunt, vt quæ ex principijs Theologiæ finiri nequeant & solui, atque adeò ne conclusiones quidem esse doctrinę eius, sed indoctorum hominũ commentitiæ chimæræ. Quam ergo intelligimus Theologicam quæstionem? Opinor eam, quæ planè ad rem facit, hoc est, ad Theologiam spectat. Non autem spectant

Esa. 48. vanæ, ineptæ, noxiæ: sed solidæ, aptæ, commodæ. Ego, inquit, sum Deus tuus docens te vtilia. Theologia ergo, quæ Dei nimirum doctrina est, nullo modo inutilia colligit. Quin super fidei fundamentum, quod ab Apostolis

1. Cor. 3. est positum, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat. Nam qui ligna, fœnum & stipulam, ij non hoc ex Theologia, sed ex errore faciunt. Maneat igitur eam esse propriè Theologicam conclusionem, quæ ex Theologię principijs, vt effecta è causis suis, orietur. Vnde illud consectarium est, nullam Theologiæ quæstionem existimandam, quæ non possit ad eiusmodi initia referri, exque ijs aptè

aptè & congruenter argumẽtando diffiniri. Quanquã sunt quæstiones quasi appendices, quas quoniã gratia explicandi illas, quæ verè & propriè Theologicæ sunt, appositè & grauiter adiunguntur, iure quodã vel similitudinis vel propinquitatis, vel etiã ordinis, Theologicas itidẽ haud absurdè appellaueris. Verùm hoc loco & tempore de quæstione theologica secundum naturã & ordinem disciplinæ loquimur. Cõtingit enim aliquando nõ in Theologia modò, sed in cæteris ferè humanis etiam disciplinis, vt quæ suapte natura principia sunt, ideoq; à discipulo supponenda, si res via ordineq; procederet: ea, vt hominum ingenia sunt, & reuocentur in dubium, & argumentationibus comprobentur. Ita fiat perturbatus ac præposterus rerum ordo, vt causæ posteriores sint, prioraque effecta sumantur. Quæ res effecit, vt Diuus Thomas cæteriquę Theologi in quæstionibus Theologicis eam etiam ponant, Sit ne Deus: & alias omninò similes, in quibus dubium non est, prima certaque principia in dubium verti, ac perinde vt si essent disciplinæ huius connexiones, ex alijs quasi principijs necti. Atque hæc causa Aristoteli quoque fuit, vt in scientias omneis quatuor genera quæstionum inferret, nempè an res sit, quid sit, qualis sit, propter quam causam sit. Quæ duæ posteriores quæstiones terminati rectè atque ex ordine naturæ possunt, priores duæ non possunt: nisi fortè quùm duæ eiusdẽ rei firmiores sunt, quarum vna per materialem causam, altera per finalem definitæ rei naturam explicant. Tunc enim definitio posterior per priorem demonstratur, ratione quodammodo & via naturæ seruata. At enim rei finitio, quę secundam illam quæstionem soluit, propemodum ex effectis notescit: quæ licet natura posteriora sint, nobis, hoc est, in nostra cognitione priora sunt tamen. Illud item cùm in alijs, tum magis in Theologiæ doctrina vsu venit, vt principia ipsa vel dispositа inter se & ordinata sint, queadmodum causę ipsę in quatuor genera distributę ordinẽ prioris & posterioris habent: vel certè connexa & colligata sint, ita, vt ex vtrisq; concessis, ad alterutra dubia liceat peruenire. Quapropter si aduersarius

admittit principia quædã, quamuis cætera neget, ex cõcessis poterimus nõ concessa colligere, præsertim si mutuo nexu cõiuncta & copulata sunt. Hinc enim Theologi veteres vetus instrumentũ probãt ex nouo, contra nouum ex veteri: ecclesiæ auctoritatẽ è libris sacris asserunt, librorum rursum sacrorum ex ecclesia. Ita ne vnũ quidẽ principium in Theologia est, quod in quæstionẽ Theologi nõ verterint: vt si à quopiam fuerit negatum, qui alia fortè principia concedet, parati simus ex his, quæ dederit, hominẽ euincere, & quasi arrepto mucrone confodere. Quæ res & exemplanata est in secundo libro diligenter, & in postremo diligentius explanabitur. Nec ob eas solùm causas principiorum suorum Theologi quæstionem faciunt, sed eo etiam magis, vt illa explicent & exponant. Nam, quod apud Rhetores olim pueri didicimus, omni differenti proposita est quæstio, nõ ei modò, qui disputatione res ambiguas iactat, sed & historicis & poetis, qui quæstiones sibi propositas non tã argumentatione soluunt, quàm expositione. Expositio aũt fidem in auditore sæpè inuenit, argumẽtatio facit. Vbi familiæ nostræ quosdam sæpè risi, qui in eo laborant vehemẽter, vt Diui Thomæ rationes, quas identidem ad explicandam fidem congruentes ille adfert, proinde ac si essent demonstrationes certæ atq; perspicuæ, defendant. Nam & aduersarios ipsos ridere soleo, qui in eo, in quo D. Thomas egregium se fidei administrum præbuit, illum impugnant quasi hostem. Nec intelligunt viri magis ad certandum, quàm ad docendum prompti, quæstiones fidei grauissimè sanctissimæq; proponi, non quia fidem dubitãti auditori facere nitimur, sed quia credenti ea, quæ minus percipit & intelligit, exponere conamur. Quid igitur quæstio Theologica sit, si eam ex disciplinæ ordine naturaque finiamus: quid rursum illa sit, si ex ingenio nostro existimetur, quæ quæstiones in Theologia primariæ, quæ appẽdices, quæ argumentatione potissimùm, quæ contra potissimùm expositione soluantur, dictum est satis. Nunc quæstio partienda est, vt ea, quæ in re dispersa atque infinita videntur esse, ratione & distributione sub vno aspectu ponantur.

In fi. ca. 4. & c. 8. in confutatione posteriorũ trium argumentorum.

nantur. Quæstionum ergo Theologicarum, quacunque de re sint, duo sunt genera, alterum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia, si quæratur, Pater & filius sint ne vnum principium Spiritus sancti, an duo? Diuinæ personæ an proprietatibus relatiuis, an absolutis distinguantur? Actionis autem huiusmodi exempla sunt. Sit ne pœnitentia ad salutem necessaria tanquam medium, an etiam vt præceptum. Num sacramenta nouæ legis gratiam & virtutes conferant. Cognitionis quæstiones, si generaliter loquamur, quadripartitæ sunt, cùm aut sit ne vel Deus, vel angelus, vel anima rationalis, aut quid sit, aut qualis sit, aut cur sit talis quæritur. Quarum prima & secunda, vt diximus, ex ingenij nostri conditione, secunda & tertia ex natura rerum & disciplinæ ipsius explicãtur. Actionis porrò duo sunt genera, vnum ad salutem necessarium, alterum earum rerum, quæ vtiles esse videantur. Prioris generis hæ sunt quæstiones, Si, exempli causa, honor Christi periclitetur aut salus etiam spiritualis proximi, vir Christianus mortem ne pro his rebus subire debeat an non? De baptismo suscipiendo præceptum ne Euangelij sit? Posterioris autem generis, vt cùm quæritur, Diluat ne aqua lustralis, quam benedictã scholastici appellãt, peccata venialia, planeque pœnas peccatorum tollat vi sua, & quod aiunt, ex opere operato, an potius ex operantis merito? Num Eucharistiæ Sacramentum ex attrito faciat contritum? Itemque an recedente fictione, quemadmodum baptismus & pœnitentia suum effectũ sortiatur? Plena est D. Thomæ summa talium quæstionum. Non enim Theologus semper de necessarijs disserit, sed quandoque etiam de ijs, sine quibus salus religioque constat. Et quoniam omnia persequimur, dicendum est etiam quæstionem Theologicam, siue ad contemplationem, siue ad mores attineat: aliam naturalem esse, aliam verò supernaturalem. Supernaturalem, opinor, quæstionem vocare licet, quæ ex supernaturalibus solùm principijs definitur. Naturalem aũt quæstionem eam esse dico, cuius, cur ita sit, ratio naturæ cõstans reddi potest. Est & quæstio media,

quæ partim ex supernaturali principio, partim ex principio naturali pendet. Primi generis exẽplum est, An omnes mortui simus. Quã quęstionem Paulus hac argumentatione definit, Si pro omnibus Christus mortuus est, oẽs mortui sunt: at pro omnibus mortuus est Christus. Item, An omnes resurgemus? Quam sic Apostolus terminat. Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus. Secundi verò generis hęc sunt exempla, Num Deus sit vbique? Num immutabilis? Num animus hominis immortalis sit? Num diuidi & secari in partes possit? Quorum omninò probationes, quamuis è sacris peti liceat, qua ratione ad fidem vtiq; pertinent, sunt tamen in lumine naturę clarę & euidentes: eaq; re non sunt per se fidei quæstiones, sed, vt diximus, quasi per accidẽs. Tertij generis, Vt sit ne Christus risiuus? Habet ne duas voluntates & intellectus duos, duasque item vtriusq; potentię operationes? Quæ ex vtrisque principijs patescũt. Prima ex his, Christus est homo, & omnis homo est risiuus. Reliquæ verò ex his, Christus duas naturas perfectas habet, diuinam & humanam, omnis autem natura perfecta propriam sibi & operationẽ & potentiam vendicat. Est denique alia diuisio Theologicæ quæstionis, ad quodcunque genus illa pertineat. Sunt enim fidei quæstiones quædam, hoc est, quę cùm ad fidem spectẽt, pro earum veritate Theologo est in capitis etiam discrimen veniendum. Alia vero sunt, quæ in vtranq; partem & ignorari & negari sine fidei iactura possunt. Quã partitionem Augustinus cùm aliàs sæpè, tum in lib. 2. de peccato originali contra Pelagium & Celestium capit. 23. commemorat. Atque penitus partitio hæc non est solùm memoriæ commendanda, sed in oculis semper habenda, si absoluti Theologi esse volumus. Vtriusque generis exempla sunt. Prioris hoc pacto, An Christi anima simulatque verbo coniuncta fuit, Deum clarè viderit? Item, An in locis inferis ignis purgatorius sit, vbi fidelium animæ pœnas peccatorum luant? Posterioris Augustinus quidem varia atque innumerabilia esse dicit, & quæ certo aliquo genere complecti ac definire difficile sit: sed quę ponit, ea sunt. Cùm quæritur, qualis, vel

lis, vel vbi sit paradisus, vbi constituit Deus hominem, quem formauit ex puluere, quum tamen esse illũ paradisum fides Christiana nõ dubitet. Vel cùm quæritur, vbi sit nunc Helias, vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi, quos tamen non dubitamus in quibus nati sunt corporib. viuere. Vel cùm quæritur, Vtrùm in corpore an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus, quãquam sit ista impudens inquisitio id scire volẽtium, quod se ille, cui hoc præstitum est, salua vtique fide nescire testatur. Vel, Quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel, Vtrùm elementa mundi huius conspicabilis quatuor, an plura sint. Quid faciat solẽ lunám ue deficere his defectibus, quos prædicere Astrologi certa temporũ dinumeratione consueuerunt. Cur antiqui homines tam diu vixerint, quàm sancta scriptura testatur, & vtrum proportione longioris ętatis filios sera pubertate gignere cœperint. Vbi potuerit Mathusalẽ viure, qui in arca non fuit, qui, sicut in pleriſq; codicibus & Græcis & Latinis numerãtur anni, reperitur superuixisse diluuio: vel vtrũ paucioribus, qui rarissimi inueniuntur, potiùs credendum sit, in quibus ita est numerus cõscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur. Hactenus exempla August. posui. In hoc genere D. Tho. 2. con. gen. ca. 70. quæstionẽ illam esse censet. An cælum animatum sit, quam inter cęteros errores Origenis Hieron. enumerat in epistola ad Auitum, sed D. Thomæ consentire videtur Augustinus in ench. cap. 57. Verùm ne diutiùs lectorẽ remorer, de omni isto genere quæstionum quid sentiam, & quæ præcepta danda existimem, perbreuiter exponam.

Nulla Theologicæ quęstionis præcepta firma stabilique tradi possunt, nisi ab ijs, qui in schola sese multũ ac diu exercuerunt. Itaque propria est ea præceptio scholasticorum: quoniam eorum, qui scholam negligendã esse existimant, nulla idonea, exquisita, excellens, de Theologiæ quæstione disputatio est, tantum abest, vt harum rerum præceptores sint, quas nullo vsu habent cognitas. Admonebat me res, vt hoc quoque loco intermissionẽ scholasticæ Theologiæ, ne dicam interitum, deplorarẽ,

nisi vererer, ne, cùm de alijs academijs quererer, Hispaniam meam immodicè extollerē, in qua valdè his temporibus scholæ Theologia viget. Sed apud nos etiā videmus quibus extinctis Theologis quàm in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quàm in multis sit audacia. Nihil verò de me, de præceptore dicam libentiùs, qui academias Hispanas adeò insigniter ingenio suo & doctrina illustrauit, adeoq; nostris hominibus & spectabiles & amabiles reddidit, vt in eas certatim non cōfluxerint modò, sed irruperint. Quòd si ille Gallis, Germanis atq; Italis scripsisset, quæ erat hominis in disputando perspicuitas, elegantia & suauitas, non ita nūc apud eas genus scholæ studia iacerent. Nam ex eo credo quibusdā vsu venire, vt abhorreant à schola, quod inciderint in inculta quædam & horrenda de malis quæstionib. detreriùs vestigata, deterrimè etiam inuenta & conclusa. Sed agè his omissis id, quod instituimus, persequamur. Nec tamen necesse, vt res faciles separatim instruamus Theologiæ præceptis, sita sunt enim ante oculos. Nec rursum de ijs leges ferre operæpretiū est, quę multū à ratione discrepant: ea enim facilè apparēt, nec magnopere admonitionem & præcepta desiderant. Quæ autē difficilia videtur esse, neque à multis intelligi possunt, de ijs est diligentiùs præcipiendum.

Primùm ergo officium Theologi differētis existimo, vt quæstionem, quam versaturus est, sæpè dispiciat, & identidem interroget se, cuius generis illa sit. Aliter nanque quæstiones illę finiendæ sunt, quæ naturę & disciplinæ ordine in Theologiam veniunt, aliter quas humani ingenij vel imbecillitas, vel certè malitia mouet. Nec eodem modo disserendum est de ijs, quæ quærimus vt exponamus, ac de alijs, quæ quæruntur vt demonstremus. Longeq; diuersa instituitur disputatio de naturali ac supernaturali quæstione, alijq; loci Theologici sunt huic atque illi accommodandi. Nam cognitionis actionisque quæstiones, vt aliàs diximus, eodem ferè modo exque eisdem locis tractandæ & soluendæ sunt.

Sed cùm vniuscuiusq; genus quæstionis diligēter inuestigandum est, tum illud maximè, an prę̄ter fidem illa sit, an

an potiùs ad fidem religionemque pertineat. Cum his porrò, qui in fidei quæstione errant, velis equisq;, vt dicitur decernendum est, cum alijs verò qui de his controuertisantur, in quibus salua fide decipi, errare, labi homines possunt, pugnare quidem, quod aliàs monui, Theologi & possunt, & quandoq; etiā debent, sed cruēta pugna illis omninò interdicta est. Quàm ridiculū est enim neruos omnes corporis & animi intendere in ea quæstione soluenda, cuius inscientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? sed in toto hoc posteriori quęstionū genere quàm magna Theologo sit adhibēda moderatio, in octauo & nono libris non indiligenter expositi. Hic dico quantum proposito ac formularū breuitatis satis est, reliqua illinc petentur. Non enim mihi libet eadem hoc tempore & loco resumere. Illud huius loci & temporis est Theologū admonere, vt non stultas modò quæstio. & genealogias & contentiones & pugnas legis deuitet, quæ sunt interdum quoque noxiæ, verùm etiā inutiles quascunque & vanas, quæ theologo nequiunt in vsum aut cognitionis aut actionis accersiri.

In com. ep. ad Tit. cap. 3.

In his Hieron. illas quæstiones censet, Quot ne annos vixerit Mathusalem? Quoto ętatis suę anno Salomō sortitus sit coniugium? Ne forsitan Roboam vndecimo ætatis illius anno natus esse credatur. In epistola quoq; ad Vitalem, cùm posteriori harum dupliciter respondisset, ad extremum ait, Apostolū de istiusmodi interdicere quęstionibus. Et post pauca, Relege, inquit, omnes & veteris & noui Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam & numerū inter Iudam & Israel, id est, inter regnum vtrumque confusum, vt huiusce modi hærere quæstionib. non tam studiosi hominis, quàm otiosi esse videatur. At benè habet, quòd nō dixit, Attingere, sed hærere. Nam si id genus quęstiones breuiter exponere otiosum & inutile est, nō ego solùm, qui in superiore libro multas eiusmodi explicui, sed Augustinus ac Hieronymus quoq; ipse arguentur. Non est igitur immorandum in huiusmodi quæstionib. minimè necessarijs, licet ad veritatem historię sacræ quodāmodo spectare videātur, sed cùm in omni disputatione, tū magis in ea,

quę ad fidem & salutē nihil attinet, exercē da est facilitas quędā, ne si huisce rebus disserendis diu ac multum hęreamus, in morositatē inutilē & odiosam incidamus. At D. Aug. superuacaneū esse existimauit quęrere, vbi, & quomodo sit in cęlo corpus dominicū. Sed de fide & symbolo, licet corā synodi patrib. ad nouitios tamē doctrinam instituebat. Alioqui Caietanus, quē vnum nostræ familiæ nō ingenio solū & eruditione pręstantissimum audeo dicere, sed in huius generis quęstionib. excitandis modestissimum, nō est veritus, quum sacras literas interpretaretur, eam rem quærere paucisq; etiam explicare. At idē Augustinus eas quæstiones nullo modo patitur, quas ex ægritudine animi dicit existere. Ecquid faciebat Deus antequam faceret cælum & terram? Ecquid ei venit in mentem, vt aliquid faceret, quum antea nunquā aliquid fecerit? Sed pœnitentiam agens, confitensq; pec cata vix ægrè fert quæstiones necessarias, nedū minùs vtiles, curiosas, importunas. Non itaq; eadem disputandi regula theologo præscribenda est cum in gymnasio certat, & cum in cubili, aut etiam in templo luget.

De fi. & sym. ca. 6.

Li. 11. con. cap. 30.

Sed regula hæc erit & rationi & sanctorum auctoritati maximē cōsentanea, vt omnis Theologus de re superna turali disputaturus, (nā hęc illi ꝓpria disputatio est,) nomen Theologię secum ipse reputet, titulum suū, hoc est, theologi frequenter legat, quęrat à se non semel, sed sæpius, quorsum cœperit disputare, sciatq; nullā illi quæstionem ascisendam, nisi quæ ad veram, quæ supra naturam est, Christi, Apostolorum, & Prophetarū Philosophia referatur. Huius enim præcepti quidā immemores innumeris quęstionibus præsertim dialecticis, physicis, & metaphysicis explicandis importunissimi longissimique fuerūt. Nemo aūt est longus, qui materię immoratur, si aliquid accersit atq; attrahat, ꝙ suo videlicet instituto cōgruens consentiensq; sit. Nec tamen quæstiones istas quāuis non adeò necessarias exterminandas puto. Est enim animorū ingeniorumq; exercitatio quædā nō modò acuminis plena, sed etiam ad theologiam scholæ valdè vtilis. Nam quod Augustinus ait, nihil ad se pertinere, vtrum cælum sicut sphæra vndique cōcludat terrā in media mundi mole libratā, an eam ex vna parte de-

super velut discus operiat? Item, An stet cælū, an potiùs moueatur, hoc vel in Manichęorū inuidiā & odiū dicit, qui similes multas quæst. se à magistro didicisse iactabant: vel illos certè præhēdit, qui ijs excitandis & solu-

De genesi ad literam li. 2. c. 9. & 10.

endis quæst. multum prolixa & rebus salubribus impē-denda temporum spatia occuparent: illius enim verbis libenter vtimur. Cæterū quasi pręteriens id genus quæstiones ipse soluit, quib. tamen, vt ait, ineundis atq; tractandis neq; episcopo tēporis satis erat, neq; illis, quos ad salutem & sanctę ecclesiæ necessariam vtilitatem cupiebat informari. Nec dissimile huic est, quòd Augustinus idem curiosissimas Dioscori quęstiones reprehendit & scribit tamē, se nō idcirco ea dicere, quin istiusmodi discuntur, sed quia vano fine discūtur. Ita respōdet quibusdam earū breuiter, alijs vel ꝓlixè. Ego vero si ab amico essem de reb. eiusmodi interrogatus, aut dissimulanter pręterirē, aut apertè etiā responsa negarē. Nec enim dignas eas quæst. censerem, quibus vel tantillū temporis impartirer. Sed Augustinus erat vel in amicos liberalior, vel in Dioscorū indulgentior. Quorsum hęc? Vt intelligant ij, qui scholę perpetuā inuidiam conflant, cōtrouersias circa Aristo. exortas non esse disquisitione Theologi indignas, si quę in Cicerone ambigua erant, ea non est dedignatus explicare Augustin. Quid? quòd is ipse nescientem quid sit nihil, quid informis materia, quid formatū exanime, quid corpus, quid species in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore, quid motus secundum locū, quid motus nō secundū locum, quid stabilis motus, quid sit æuū, & quid sit nec in loco esse nec nusquā, & quid sit pręter tēpus, & semper esse: quid sit & nusquā esse & nusquā non esse, & nunquam esse, & nunq̄ non esse, hęc, inquā nescientem nec de Deo nec de anima sua quicquā rectè aut quęrere aut disputare posse asseuerat? Non sunt igitur quæst. istę physicæ & metaphysicę ab schola nostra expellendę, ne illę quidē, quę Eras. cæteriśq; similibus curiosæ sophisticęq; etiam visę sunt. Sed de hoc alio loco pluribus. Nunc ad fidei quęstionē redeo. Quę nisi Theologo in primis cōstituta sit, ni-

Epist. 56.

Lib. de ordine 2. c. 16.

sit, nihil ratione docere potest neq; via. In hac igitur re ve hementer elaborandū est, si in theologia quis sit gradus veritatis ac falsitatis exquirimus. Id nimirum vt Theologiæ maximè proprium est, ita est omniū difficillimum. Quare illud præstare valet nemo, nisi perfectus cōsummatusq; theologus. Dixerit quispiam. Quid? nónne sunt notæ aliquę, quib. quæstio. fidei seiungi ab eis, quę fidei nō sunt, & internosci possint? Sanè verò. Sed ne cuiuis cōtingit adire Corinthū: nec sunt ista omnium communia contritaq; præcepta. Ac pertinet quidem ad omnē fidei quęstionem constituendam semper in promptu habere eiusmodi notas & quęstionū fidei quasi indices: verū ea magna omninò res est, egetque doctrina & exercitatione nō parua. Illas itaque, si poterimus, proferemus: nec ita multò pòst, sed pauca antè dicenda sunt. Fidei porrò quęstio bifariā intelligitur. Vna, quę immediatè ad fidē attinet, vt verò attinēt omnia, quę Deus ecclesię suę aut verbo edidit, aut scripto. Altera, quę mediatè fidei est: cuiusmodi sunt omnes conclusiones, quas ordine disciplinę ex illis prioribus colligere, & diffinire possumus. Quę, quoniam non in seipsis, sed in alijs tanquā principijs reuelatę à Deo sunt, mediatè fidei dicūtur esse, & qui eas negat, is fidē negare hoc modo dicitur. Atq; equidē illud etiā animaduerto, eas nō abs re forsan quęst. fidei vocari, quę vehementer ad ecclesię doctrinā pertinent, fideiq; sunt propter affinitatem appendices. Non quòd aut ex ijs pendeat fides, aut ijs sublatis funditus illa tollatur; sed quòd affecta ęgraq; sit, si harū rerum veritas labefiat, quę illi hęrent & adiunguntur. Oportet nempè in ecclesia sanam doctrinam esse & verbū sanum, vt Apostolus ait. Quemadmodum aūt morbi quidam lethales sunt, alij vero nō interficiunt quidem hominem, sed afficiunt tamen valetudinem: sic errores quidam nō fidem extinguunt, sed obscurant; non euertunt, sed infirmant; morbumque afferunt, non exitium. Sicut ergo quod saluti est noxium, vitę id quoque noxium est: ita quodcunque sanę doctrinę aduersatur, hoc fidei est etiam quodamodò aduersum. Ex quo intelligitur, quę-stiones illas, quę ad doctrinę ecclesiasticę sanitatem spectāt,

1. ad Tim. 1. & 6. & 2. ad Ti. 1. & 4. & ad Ti. 1. & 2.

spectant, ad fidem suo quodam modo spectare. Sed nos huius generis controuersias non in fide propriè, sed prę-ter fidem esse dicimus. Nec qui in his errant, eos in fide, sed præter fidem errare existimamus. Atque ita rebus his primò simpliciter collocatis, reliqua deinceps subtilius persequemur.

CAPVT VI.

Quibus notis quæstiones fidei dijudicari possint.

QVibus autem rationibus hanc dijudicandi facultatē assequi possimus, ne in constitutione causarū fidei erremus, accuratè nunc & diligenter exponendum est. Et Cardinalis quidem Turrecremata libro 4. sum. eccle. par. 2. c. 9. septem gradus ordine ponit propositionum catholicarum, quæ eædem, cùm in disputādi controuersiam disceptationem q; vocantur, quæstiones fidei dicuntur.

Primus earum est, quæ in libris sacris habentur expressæ. Secundus earum, quæ ex hisce per certam & necessariam consecutionem fiunt. Tertius earum, quæ verbotenus Christus Apostolis, Apostoli ecclesiæ tradiderunt. Quartus earum, quę in concilijs vniuersalibus definitæ sunt. Quintus earum, quæ à sede apostolica sunt fidelibus ad credendum propositæ. Sextus illarum, quæ de fide & refutatione hæresum sancti doctores, vna mēte vnaque voce docuerunt. Septimus illarum est, quæ ex tertio, quarto, quinto, & sexto generibus, consecutione firma & necessaria deriuantur. Ex quibus capite sequenti, distinguit etiam septem genera hęreticarum propositionum, quę septem illis generibus propositionum fidei repugnant. At verò more iurisperitorum ista sunt tradita, quæ fortasse minutius in tenuissimas particulas conciduntur. Nobis tamen, qui docendi cōpendiariam viā & rationem profitemur, ad breuiorē numerum & absolutam quandam disciplinæ formulam redigenda sunt omnia. Cùm igitur veritas fidei, vt paulò antè diximus, bipartita sit; & hæc ad fidē mediatè, illa immediatè pertineat, necesse est, duos gradus propositionum fidei generales statim à principio collocare. Prior earū erit, quæ

Theo-

Theologiæ legitima principia sunt, cuiusmodicunque sint illa, siue primaria siue secundaria, hoc est, ea omnia, quæ Deus in se ipsis ecclesiæ reuelauit. Posterior verò gradus harum erit, quæ ex prioribus illis necessariò colliguntur. Hoc enim genus conclusionum, vt cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat. Ratio enim cõnexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere: & quum inferius negaris, superius item negare cogit. Rursum, in superiore illo gradu duos intelligimus, vnũ earum propositionum fidei, quas in libris canonicis sacri auctores scriptas reliquere. Alterum earum, quas verbo traditas ecclesia, vt crederet, à Christo & Apostolis accepit. In posteriore itidem gradu duo genera intelligũtur. Vnum conclusionum eiusmodi, quæ è principijs solùm fidei nascuntur. Alterum earum, quas non fides sola cõficit sine externarum disciplinarum adiutorio, sed ascitis aut vno principio aut pluribus naturæ ratione cognitis. Atque hæ quidem tametsi non eodem loco & gradu, omnes tamen simpliciter & sine additamento quæstiones fidei vocari possunt, nempè cùm ex vtrisque fidei veritas pendeat, cum vtrisque coniuncta & copulata sit. Nam quæstiones illæ quasi fidei appendices, quod nuper, & quid dico nuper? imò verò planè paulò ante dicebam, fidei quodammodo sunt, nõ simpliciter. Nec enim sic fidei adhærescunt, vt separari ab illa non queant. Aegrotat sanè, vt ita dicam, in earum errore fides, nõ perit.

Sed quoniam scripturæ sacræ natiua & germana sensa obscura interdum & implicata sunt, nec semper explo ratum est & cognitum, quænam illa sint, quæ sine scripto Apostoli memoriæ prodiderunt, sæpè etiam impeditum est, & quasi tenebris circunfusum, an conclusio controuersa necessariò è rebus fidei ducatur; id nos modò expedire atq; explanare cupimus, quibus notis & signis cognosci ac distingui possit veritas fidei, tum illa, quæ in sacris scripta libris est: tum, quæ est verbo ab Apostolis tradita; tum demum ea, quæ ex harum vel altera vel vtraque conficitur. Eò verò studiosius hoc negotium suscipimus, quod non modo scholę Theologis vtilissimum fore intelligimus, sed illis etiam maximè necessarium, quibus

quibus Apostolica sedes fidei cognitionem & censuram imposuit. Non enim parum in se habet fructus certa cõstansque ars in Theologia disserendi: nec sine hac arte eorum errores æquabiliter notari possunt, qui à fide Christi & antiqua institutiõe desciscunt. Contrariorum enim, quod à Philosophis verè dicitur, eadem est disciplina. Quare si veritates fidei catholicæ constituimus, errores aduersos pariter designamus. Agè ergo conferamus pedem, vt aiunt, & ad rem propius accedamus.

De rebus perspicuis, vt dixi, nihil præcipi oportet. Itaque si scripturæ diuinæ locus, vt inde ordiamur, planum & apertum habet sensum, vel ex contextu, vel ex alio eiusdem scripturæ loco, vel ex verborum ipsorum clara luce nullum nostrum præceptum est. Ipse enim apertus scripturæ sensus certum præ se fert catholicæ veritatis indicium. Quò fit, vt Lutheranorum pleraſque hæreses theologus vel mediocriter scripturæ diuinæ sensis imbutus perfacilè denotet. Nullum quippè negotium est eos errores inurere, qui scripturæ manifestò repugnant. Vt illi, Ecclesiam vniuersalem in fide errare posse. Item, Humanas omnes actiones criminosas esse. Item, Tristitiam de peccatis nõ esse necessariam, sed inutilem. Multi denique alij, quos commemorare longum est. At enim de scriptura sacra dicta hæc intelligi volumus, quã esse canonicam constanter sit ab ecclesia diffinitum. Nã, quemadmodum in secundo libro docuimus, libellum Baruch non adeò exploratè & firmiter in sacrorum numero ecclesia reposuit, vt aut illum esse sacrum fidei catholicæ veritas expedita sit, aut non esse sacrum hæresis expedita sit. Libellus ergo iste siue quilibet alius, qui in quæstionem circa crimen hæreseos vocari possit, quantumuis clara & aperta inferat sensa, non statim efficiet certas atque constantes catholicæ fidei veritates. Sed transeamus ad alia, & in rerum difficiliorum iudicio è superioribus libris summa quæque carpamus. Ex eo enim tempore hæc res elaborata est, ex quo Theologicorum firmitudinem constituimus.

Librũ Baruch è sacris eximere erroneũ esse dixi: hæreticũ ne que tũc aut sus sum, ne que modo audeo dicere.

Sit igitur prima præceptio. Cùm scripturæ diuinæ sensus fuerit obscurus, tunc ecclesiæ intelligentia eadem est

est germana scripturæ intelligentia: ex qua habebitur, crepet licet hæreticus, & catholicæ veritatis insigne certum, & ad probandas Theologiæ conclusiones certeius, quem exquirimus, argumenti delectus. Si enim ecclesia certissimum ius habet discernendi verba Dei à verbis hominum, vt in secundo libro nobis constitutum est, habebit quoque idem ius, vt in verbis ipsis sensum Dei ab hominum sensu discernat. Nisi credimus perinde scripturam ecclesiæ, vt Ptolomæo Aegyptijsque concessam: vel certè, vt nunc est concessa Iudæis, quos scriniarios ecclesiæ Christi Augustinus non inelegãter appellauit. Scimus autem vtrunque depositum ecclesiæ commissum, vt vtrunq; etiam perpetua fide cõseruet reddatq; simul, quas accepit, & scripturam & scripturæ intelligentiam. Spiritus meus, inquit, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis amodo & vsque in sempiternum. Ambas igitur res Christi ecclesia custodit, custodietque semper & verbum & spiritum verbi. Item, Christus spiritum veritatis promisit ecclesiæ, qui cum illa maneret æternus, eique omnia suggeret, quæ illi à Christo sunt dicta. Item, cùm verum Dei euangelium, quemadmodum Hieronymus elegantissimè dixit, nõ in scripturis sit, sed in sensu; nõ in superficie, sed in medulla; non in verborum folijs, sed in radice rationis: si ecclesia scripturam haberet, non autem legitimum scripturæ sensum, non haberet profectò verum Dei euangelium, atque adeò ne fidem Christi quidem, quæ sine vero Dei euangelio non est. Nec enim ad verba fides, sed ad sensa refertur. Alioqui & hæretici scripturas sine sensu loquuntur, & diabolus scripturas etiã profert: sed in intelligentia falsa falsum euangelium habent, certè non diuinum, sed humanum, imò, quod peius est, diabolicum. Cùm verò inter catholicos & hæreticos non de scriptura, sed de sensu plurima controuersia sit, si ecclesiæ interpretatio non est certa intelligendi norma, ecquis erit illiusmodi cõtrouersiæ iudex? Sensum enim suũ pro sua virili quisq; defendet. Quòd si in exploranda scripturæ intelligentia nullus est ecclesiæ certus iudex, audeo dicere Rempub. fuisse nullam stultiùs constitutam.

Cõtra Faustũ lib. 19a. 59.

Ioan. 14. 15. & 16.

In epist. ad Gala. c. 1.

Videli. 3. c. 2. ei. c. 3. fun da. 4.

Nullum

Nullum enim dissidiorum futurum finem, consensionẽ fidelium nullam, nullam fidei vnitatem. Qua sublata, non charitas modò & pax, sed fides etiam ipsa penitus tollitur, atque ipsum omninò ecclesiæ nomen. Quòd autem Apostolis Christus aperuit sensum, vt intelligerent scripturas, non id propter illos tantùm, sed multò etiam magis propter ecclesiam fecit. Ex quo intelligimus, Christum ecclesiæ suę librum signatum perpetuo aperuisse. Scripturę insuper intelligentiam Apostoli ecclesijs tradiderunt. Nam si non sensum, sed verba duntaxat tradidissent, non vtique prędicassent euangelium omni creaturę, nec docuissent omnes gentes seruare quęcunque illis fuissent à Christo commendata. Qualis enim euangelij prędicatio, qualisue doctrina absque intelligentia esset? Nempè, qualis aut puerorum aut psittacorũ est, qui sine mente dant accipiuntq; sonum. At Apostolicę traditionis certior testis nemo est, quã ecclesia. Nam quid acceperit, ecquis clarius euidentiusq; testabitur, quã ipsa, quę accepit? Scripturę igitur sensus ab apostolis ecclesię traditus penes ecclesiam est.

Præterea, ecclesia colũna est & firmamentũ veritatis, at veritas verè & propriè in intellectu scripturę est, in scriptura autẽ impropriè tanquam in signo. Quẽadmodum vrina figuratè sana dicitur, cũ animal id sit, quod est propriè sanum. Si ergò ecclesia firmamentũ est veritatis, fit mam certè habet ac certam earũ cognitionem veritatũ, quæ in sacris literis continentur. Sed quid opus est plura? Iam enim quartus superior liber comprobauit veram fidelemq; omnem de ecclesiæ auctoritate sententiam. Ostensum est autem multis & testimonijs & rationibus, ecclesiam in fide errare non posse. Atqui nihil magis ad fidem attinet, quam diuinorum dictorũ vera cognitio & sensus. In ecclesia igitur explorata scripturæ intelligẽtia residet, ex qua nimirum intelligẽtia & compertũ habere possumus fidei catholicæ signum, & eodẽ quoq; signo errores contrarios denotare. Sanè primæ huius prę-ceptionis clarissimũ exemplum est in paradyso terrestri, in fictiõe Adę de limo terrę, in Euę formatiõe de costa A-dę, deniq; in tẽtatiõe serpẽtis. Quę oĩa Origenistę allego

rictis

Vide lib. 7. c. 3. concl. 5.

ricis figuratisque interpretationibus peruerterunt. Sed cum ecclesia semper ea non figuratè dicta, sed propriè ad historiam acceperit, iure illos synodus sexta actione vndecima explosit.

Secunda præceptio. In ecclesiæ nomine non modò fidelium omnium concio intelligitur, verum etiam ecclesiæ pastores & doctores, præsertim in concilio congregati. Hæc ostensa nobis est libro 4. cap. 4. conclu. 4. & libro 5. ca. 4 conclu. 3 Præceptionis verò huius exempla multa sunt, sed nos pauca ponemus. Illa Domini lege,

Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, omnes semper ecclesiæ sacerdotes intellexêre id præscribi, vt hoc idem ipsi facerēt, quod & Iesus Christus tum faciebat, hoc est, vt Eucharistiæ sacrificium offerrent. Nam post illa verba in persona Christi prolata, Vnde & memores, inquiunt, nos serui tui, &c. offerimꝰ maiestati tuę de tuis donis ac datis hostiam sanctā, & c. Vvicle fistę igitur, qui dixerūt, non esse fundatum in euangelio, quòd Christus missam ordinauerit, Lutherani item, ac multò etiam magis, qui negant in ecclesia Eucharistiæ sacrificium esse, iure à nobis hæretici habērur. Sed dē hac re in hoc eodē libro posterius. Rursum, concilium Lateranense patrem & filiū verè & propriè rem vnam eandemque esse intellexit ex illo, Ego & pater vnum sumus. Ita in hoc Abbas Ioachimus damnatus est, qui hunc locum non ad rei eiusdem & naturæ vnitatem, sed ad consensionem voluntatis vnius retulisset. Pari enim errore illum alterum locum interpretabatur, Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Prætereà, Spiritum sanctum à filio procedere, concilium Ephesinum ex illo scripturæ loco accepit, De meo accipiet: ex illo etiam, Quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, & c. Animam rationalem tandem formam esse subsistentem quidem, sed essentialiter, verè ac per se humanum corpus informare, concilium Viennense, vt equidē sentio, ex eo loco habuit, Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. In eo enim quòd Deus animam homini inspirasse dicitur, illam patres foris venisse interpretati sunt, quemadmodum

Idem synodus Ephesina.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Gene. 2.

dum flatus extrinsecus venit. Non itaque spiritum hominis educi de materia, nec ab ipsa pendere, sed per se omninò subsistere. In eo autem, quòd per eundem spiritum factus est homo in animam viuentem, cognouêre vtique illam corpus verè viuum efficere, atque adeò formam substantialem esse humani corporis. Itē, hoc traxerunt ex illo. Nusquam enim angelos, sed semē Abra. *Heb. 2.* hæ apprehendit. Si namque animus hominis non esset corporis vera forma, parsq; omninò humanæ naturæ, sed corpori, vt nauta naui, iuxta Platonis Origenisque sententiam assisteret, sine dubio substantia esset, quod ad naturæ conditionem attineret, separata, quā nos angelum nuncupamus. Quare Deus animam rationalem assumens, angelicam naturam assumpsisset.

Hæc igitur & alia eiusmodi tametsi in scriptura obscurius continentur, ecclesia tamen iure suo explicat, fidelibusque ad credendum exponit. Quod dum facit, ipsius decretum non solùm non esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratumque esse debet, perinde ac si in libris sacris patentius haberetur. Pastores ergo ecclesiastici, quos in Ecclesiæ voce communiter intelligimus, cùm scripturæ certam constantemque intelligentiam præscribunt, & absolutam veritatis catholicę exhibent formulam, & notas quoque certissimas, quibus hæreses contrariæ dijudicentur.

Tertia præceptio. Si sedes Apostolica aliquem scripturæ sensum præfinierit, ille idem catholica veritas cēsenda est. Quam sanè præceptionem, nisi opinio nos fallit, diligentissimè in sexto superiore libro demonstrauimus. Multis quippè ibi ac necessarijs argumentis addiximus, sedem Apostolicam in fidei iudicio labi non posse. Scripturarum verò interpretatio, quùm in disceptationem illæ veniunt, fidei iudicium est: non ergo in scripturarum intelligentia sedes Apostolica errat, si eas ex præscripto interpretatur. Nam si non constanti iudicio fixoque decreto, sed ex opinione sua quasi prętereiens exposuerit id, quod aliàs sæpè dictum est, nihil constituet omninò, quod certum exploratumque sit. Quare si tunc erret, scripturam vel parum aptè interpretan-

tando, vel in sensum etiam alienum detorquendo, nihil huic præceptioni obstat. Quæ non omnia illa sensa præstituit, quæ Pontifices è scriptura sacra ad res, de quibus agebant, suadēdas accersierunt: sed illa docet firmè esse tenenda, quæ fidelibus à sede Apostolica præstituuntur.

Cap. 5. q. 4. Quibus autem signis sedis Apostolicæ conciliorumq; firma iudicia internoscantur, in quinto libro explicatum est. Ac certè eiusmodi iudicia, quæ in scriptura interpretanda versantur, ad sedem Apostolicam peculiariter attinere, adeò clarè hodie est in Clement. vni. de summa trinitate & fide catholica diffinitum, vt minimè sit hæsitandum, quin Pontificis sententia eadem, &

Matth. 16. Viennensis concilij sit. Quid? quòd claues habet Petrus, vt librum clausum aperiat? Quid? quòd quæcunq; solueris in terris, erunt soluta & in cælis? Quid? quòd ab initio constitutum est, vt ex ore eius gentes verbum Euangelij & audirent & crederent? Quid? quòd aduersum hanc petram ne portæ quidem inferi prævalere queãt? Quid? quòd pro eo orauit Christus, ne deficeret fides ipsius, quò fratrum vacillantem & nutantē fidem confirmaret? At quid ego stultus contra prouerbium vetus acta ago? & argutis minutisq; interrogatiunculis quasi aculeis lectorem pungo, atque ea vt modò primumque nascentia edo, quæ in sexto libro altissimis defixa radicibus vsque adeo confirmata sunt, vt nulla vnquam vi labefactari possint. Huius autem præceptionis exemplum habes in Extrauag. Benedicti vndecimi, cuius initium, Benedictus Deus in donis suis. Vbi pronunciat Pontifex, hæreticos eos fore, qui negauerint animas iustorum, simulatque è corpore excesserint, diuinā essentiam clarè videre: si nihil tamen habuerint, quod pœnis purgatorijs antè expiandum sit. Hoc vero sine dubio accepit ex illo, Id, quod in præsenti est momentaneum & leue, tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ne quis autem falso errore ductus existimaret, hanc operationem æternæ gloriæ aut ad præsens mortalis vitæ tempus, aut ad futurum vniuersale iudicium esse referēdam, subiungit statim Paulus, Scimus enim, quòd si terrestris domus nostra huius habita-

2. Cor. 4.

2. Cor 5.

habitationis dissoluatur, ædificationē ex Deo habemus domum non manu factā æternam in cælis. Ac ne quis rursum aliter æternam illam gloriā interpretaretur homini cōtingere, quàm per claram diuinę essentiæ visionem, mox rem eandem apertius exponēs subdit, Scientes quoniā dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulabamus, & non per speciē, audemus aūt & bonam voluntatē habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominū. Quē locum D. Tho. quarto aduersum gentes libro, pressius vrget. Vbi quamuis & alia scripturæ testimonia referat, *Cap. 18.* sed ad meum sensum, imò ad synceram, subtileq; iudicium, nullum aliud hoc testimonio præstantius, vt & illa fidei veritas comprobari & contraria hæresis refutari queat. Præclarè itaque mihi sentire videor, si summū Pontificem autumo, ex his ipsis Pauli verbis illud fidei dogma elicuisse. Ea igitur verba in falsum aliū sensum peregrinumq́ue deflectere hæreticorum erit.

Quarta præceptio. Consentiens eadem sanctorum omnium conspiransq; scripturarum intelligentia, ipsissima est fidei catholicæ veritas. Quæ præceptio in septimo lib. c. 3. conclu. 5. adeò fusè lateque & explicata exēplis, & rationibus ac testimonijs confirmata est, vt ineptus ego sim, si quicquam in præsenti adijciam.

Quinta præceptio. Si ex Apostolorum traditione cōmunis ecclesię vsus vnamquamlibet scripturæ interpretationem præ se tulerit, ea vt fidei veritas tenenda est. Vt ecclesiæ mos perpetuus expressit in illis verbis, Quęcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis, Petro Petriq; successoribus datam esse facultatē & soluendi vota, & relaxandi iuramenta. Qui hanc ecclesiæ facultatem inficiatus fuerit, is verè ac iure hęreticus iudicabitur. Atq; hanc quoque præceptionem nec probare argumentis, nec exemplis illustrare debeo, propterea, quòd in 3. lib. illam vtrisque rebus patefeci.

Sexta præceptio. Quodcunq; dogma fidei vel ecclesia habuerit, vel concilium auctoritate Pontificis roboratum, vel etiam summus ipse Pōtifex fidelibus prę-scripserit, vel certè sancti omnes concordissimè con-

ſtantiſſimeque tenuerint, ita nobis illud pro catholica veritate habendum eſt, vt contrariam ſententiam hæreticam ſentiamus, quamuis nec apertè nec obſcurè in ſcriptura ſacra contineatur. Docui nimirum in tertio libro copioſius, dogmata fidei non è ſola ſcriptura petenda, ſed ex Apoſtolica traditione. Quæ verò Chriſti & Apoſtolorum traditiones ſint, non alia via & ratione melius inueſtigari poſſe, quàm eccleſia ipſa duce atque magiſtra, ſuperius non ſemel explanatum eſt. Eccleſiæ porrò auctoritatem non modò omnium fidelium cœtu cõſiſtere, verùm etiam conciliorum decretis, ſedis Apoſtolicæ iudicio, ſanctorum doctorum conſenſione, ſuperioribus quoque libris expoſitum eſt ſatis, vt arbitror, diligenter. Chriſti quippè Apoſtolorumque doctrinam partim ſcripto, partim verbo in eccleſiam deſcendiſſe, cùm aliàs ſæpè, tum fuſius in tertio libro monſtraui. Oſtendi etiam ſæpiſſimè, nihil per ſe ad eccleſiæ fidem attinere, niſi quod Chriſto & Apoſtolis reuelantibus accepit. Cùm autẽ neque eccleſiæ, neque concilium, neq; ſedes Apoſtolica, neque ſancti omnes ſimul poſſint in fidei iudicio falli, quemadmodum ſuis quæque locis patefacta ſunt, certè, quodcunque nobis fidei dogma tradiderint, ſi in ſacris literis non habetur, Chriſto Apoſtolisque tradentibus in eccleſiam venit. Eodem itaq; gradu habendum, ac ſi patenter illud ſcriptura traderet. Omitto iam plura exempla, hæreſum notiſſimarum, quibus præceptionis huius nota inuſta eſt. Nam in tertio libro exempla ſunt penè innumerabilia.

Septima præceptio. Si vel eccleſia, vel concilium, vel ſedes Apoſtolica, vel etiam ſancti vna mente eademque voce aliquam Theologiæ concluſionem & confecerint, & fidelibus etiam præſcripſerint, hæc veritas catholica ita cenſebitur, vt ſi eſſet per ſe à Chriſto reuelata: & illi, qui aduerſetur, æquè erit hæreticus, ac ſi ſacris literis traditionibusue Apoſtolorum refragaretur. Concluſionem ſanè Theologiæ hic appello eam propriè, quæ ex principijs huius facultatis certa & firma conſecutione ducitur. Huius rei exempla ſunt in promptu vel plurima. Sexta ſynodus generalis duas eſſe in Chriſto voluntates,

tates, duasq; item operationes collegit, tum ex illo, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, tum ex eo, quòd Chriſtus Deus eſt, & homo perfectus. *Matth. 26.* Concilium Lugdunen. ſub Gregorio decimo, ratione quoque Theologiæ cõſtanti demonſtrauit, Spiritum ſanctum ex patre & filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquã ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna procedere. Pater ſiquidẽ & filius iuxta fidem ſunt vnus Deus, vna potentia, vna ſapientia, breuiter in omnibus vnum, in quibus nõ obuiat relationis oppoſitio, nec enim aliter diuinæ naturę vnitas in duabus perſonis ſeruari poteſt. Cùm itaq; in ſpirãdo nulla ſit à patre filij diſtinctio, ſequitur patrem & filium non eſſe duo principia Spiritus ſancti, ſed vnum; quemadmodum non ſunt duo principia creaturæ, ſed vnum. Qua ex re intelligitur vtrumq; errâſſe vehementer, Eraſmum nempè & Ambroſium Catharinũ: illum, qui hanc concluſionem nihil ad fidem pertinere credidit: hunc, qui eam, cùm ſit Theologiæ propriè cõcluſio, inter principia prima, hoc eſt, fidei articulos numerauit. Item concilium Lateranen. ſub Innocentio tertio, ratiocinatione Theologica aduerſus Ioachimũ effecit, diuinam eſſentiam nec genitam eſſe, nec generare. Rem videlicet genitam & generantem realiter diſtingui oportere: quare ſi eſſentia diuina generaret eſſentiam, ipſam à ſe non ſola cogitatione, ſed re etiã eſſe diſtinctam. Itẽ patres ad vnum omnes ex eo principio, Hoc eſt corpus meum, ratiocinati ſunt, conuerſionem panis in corpus Chriſti fieri, ſine qua nec verborum illorum veritatem poterant comprehendere, nec cætera, quæ fides catholica de vera incluſione corporis Chriſti ſub ſpecie panis confitetur. Ita concilium Lateranen. patrum veterum conſenſione conſtituit, panem in corpus vinumque in ſanguinem tranſſubſtantiari, ſic enim cõcilium loquitur. Hac re conſtituta illa ſuerunt conſectaria, quæ concilium Conſtantienſe decreuit, panem poſt conſecrationem non manere, atque adeò manere ſine ſubiecto accidentia. In mutatione quippè & cõuerſione quacunque, terminus à quo, mutatio & conuerſio initium ſumit, non manet. Quare ſi per conſecrationis

verba panis transit in corpus, non vtiq; perstat ille, sed perstant accidentia eius. Item synodus Complutensis Sixto quarto in Extrauag. sua, corroborãte certo Theologiæ argumento, confecit ex illo Ioannis testimonio, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non solùm sacramenti pœnitentiæ institutionem haberi, sed confessionis etiam præceptum. Id, quod nos in selectione de pœnitentia euidentissimè deduximus. Inde ergo exẽpli huius probatio petetur. Nam & reliqua delibamus, extremisq; ue, vt dicitur, digitis, attingimus, quæ latè longeq; ue diffusius in lectionibus olim quotidianis persecuti sumus.

Ioan. 20.

Octaua præceptio. Si scholastici Theologi aliquam itidem conclusionem firmam & stabilem vno ore omnes statuerint, atque vt certum Theologię decretum fidelibus amplectendum, constanter & perpetuò docuerint, illam vt catholicam veritatem fideles sanè amplectemur. Constituimus autem, vt reor, hanc prẽceptionẽ in 8. lib. firmiter & necessariò, nec ad opinionem meam solùm, sed planè ad veritatem. Ac fieri potest, vt aliorũ iudicio errem, sed meo ita prorsus existimo. Christi igitur animam, statim, vt est in corpore inclusa, Deũ apertè vidisse, scholastici ad vnum omnes fidentissimè docent. Eam rem vnde sibi persuaserint, non omnibus passim expeditum est. Sed ita esse minimè ambigitur, nisi quod Erasmus in quæstionẽ vocat. At quibus rationib. & testimonijs ea conclusio confecta sit, posterius explicabitur. Illud modò ponimus, vniuersos scholæ Theologos, in Theologiæ certis constantibusq; decretis præfiniendis errare non posse, sicut ne in fide quidem, quod eorum error, error esset ecclesię, vtpotè quùm ad cernẽdum huius generis res nõ alios ecclesia, quàm Theologorũ oculos habeat, qui si fallerẽtur, totũ ecclesię corpus in suo facerent errore versari. At enim, vt dixi, post ea, quæ 8. lib. disputata sunt, non est operæpretium in hac re cõstituenda elaborare. Sed ne quis sit admiratus, cur cùm inter omnes ferè Theologos constet, à meq; ue ipso sæpè affirmatũ sit, eiusmodi cõclusiones, quę ex fide per explicatam cõsecutionem deriuantur, Theologię proprię esse, non fidei. nunc ita confundã, quasi Theologia & fides eadem virtus sint. Si enim error conclusionis Theologicę error fidei est, vt est reuera; si eam negare sit hæresis, sequitur, fidem aq; Theologiam ad eandem pertinere virtutem, quandoquidem errores vtriq; facultati contrarij ad idem pertinẽt vitiũ. Sunt enim vtriq; ue hęreses. Sed non erit difficile ei, qui superiora relegeret, hãc obterere contundereq; calumniam. Diximus enim fidẽ, licet nõ immediatè, sed versari tamẽ circa eas cõclusiones, quę per euidentem & necessariã consequentiã ex articulis fidei colliguntur. Quare necesse est, vtin fidelitas, mediatè quoq; circa conclusiones Theologiæ contrarias versetur. Cùm aũt ex huiusmodi aduersis erroribus non egrotatio modò fidei, sed etiam corruptio sequatur, fit, vt eorum & fidei sit indirecta quidem & cõsequens, sed vera & naturalis repugnantia. Quamobrẽ ecclesia, tametsi intelligit, eiusmodi cõclusiones nõ è fide solum, sed è principijs quoque naturæ pendere: quia tamen non putat, hominem rationalem ea, quæ rationi perspicua sunt & manifesta, negare; eum, qui illas inficiatus sit, hæreticum iudicat. Sumit enim maximaque ex causa sumit, illum non in naturæ ratione, quæ erat euidens, sed in fide claudicare. At verò si quis vel consequentiam rerum aliàs perspicuam ignoraret, vel principium etiam naturale, quod cum articulo fidei ad colligendam Theologiæ cõclusionem sumitur, certè nõ esset hęreticus. Vt si homo indoctus, verbi causa, existimaret hanc enunciationẽ esse falsam, Omnis homo est risiuus, vnde quamuis crederet Christum esse hominem non ideò arbitraretur, eum posse ridere: hic profectò non esset proprię infidelis, sed stultus, qui non per se supernaturali lumini, sed naturali repugnaret, Verùm quoniam eiusmodi stultitia, quamuis per accidens & indirectè, fidei tamen exconsequenti corrũpit deprauatq; iudiciũ, iure apud ecclesiã nõ in stultitia habetur, sed in crimine. Atq; hę mihi videtur prẽceptiones summę atq; optimę, in quib. tanquã insignitæ notę & catholicarum veritatẽ & hęresum cõtrariarũ apparẽt. Si quis

verò certiores melioresque protulerit, ei ego magnam habeo gratiam. Quanquam erunt fortasse qui reprehendent communiter illi quidem omnia, quæ præter opinionē suam ab his libris meis animaduertent: separatim autem in singulis si perspicient quædā, in quibus vel à communi ego opinione, vel à clemētia & lenitatis specie discedo. Nam & præceptionum tertiæ & postremæ acerba cuipiam fortè seueraque iudicia videbuntur. Sed is primum rationes illas expendat velim, quibus in 6. & 8. lib. vsi sumus ad duas has præceptiones corroborandas: modestiam quoq; ac temperamentum, quo huius nostri iudicij acerbitatem indulgenter etiā, nisi nos sententia fallit, emolluimus. Deinde si tam indulgens in huius seculi temerariā insolentiam esse vult, vt asperior ei disciplinę correctio displiceat, obsecro videat, ne, dum iudicum ecclesiasticorum animos à seueritate & vehementia ad remissionem indulgentiamque traducit, nō modò forum ecclesiæ relaxet, sed vsque ad atrium licentiæ impudentis atque adeò intolerandę explicet. Crudele est, fateor, illud, Vexat censura columbas, sed illud etiam dissolutum, Dat veniam coruis: vtrum verò hoc tēpore & ætate pernicioſius, non facilè dixerim. Sed quoniam eorum errores, qui de ecclesiæ doctrina parū rectè sentirent, non eodem gradu esse omnes multis in locis perquā breuiter perstrinxi atq; attigi: de his quoq; errorum gradibus pauca dicantur. Accepimus enim è cōcilio præsertim Constantin. alias propositiones hæreticas esse, alias erroneas, alias sapientes hæresim, alias temerarias, alias scandalosas, alias piarū aurium offensiuas.

CAPVT VII.

De varijs errorum gradibus, primumque de hæresi & hæretica propositione.

PRius verò, quàm istiusmodi propositionum genera notasque definio, illud explicandum est, an omnia illa ad hæresim requirantur, quæ sunt ad hæreticū cōstituendum necessaria. Sunt enim auctores nobiles, qui existiment omnē propositionem hæresim esse, quę si dei veritati repugnet, quāuis ab ignorāte sine vlla pertinacia defendatur. Hęreticus autem nisi sit pertinax, nullo modo intelligitur. Huius autem opinionis suę multas causas reddere conātur. Primam, quòd nisi ita esset, aliqua propositio ab vno affirmata esset hęresis, ab alio nō esset. Vt si homo doctus sciens contrarium in sacris lib. contineri, assereret Moysen non Iudæum fuisse, sed Aegyptium, tunc illam propositionē hæreticam esse hęsitari non potest. At si eadem non inscitè ab aliquo homine rustico & idiota affirmaretur, hęretica nō esset. Ita fieret, vt propositio ab asserente pēderet, &, vt inquiūt, quàm sit erroneū, vel mediocriter docto est manifestū. Si enim propositio falsa est, à quocunq; dicatur, semper erit falsa: ergo si est propositio hęretica, à quocunq; illa asseratur, semper erit hæretica. Alterā causam reddunt, & veritas catholica nō pendet ab asserēte, vt veritas catholica sit. Nam siue Iudæus, siue Paganus, siue Christianus Deū esse vnum & trinum affirmet, illa certè assertio catholica est: ergo neq; contraria falsitas ex eo, à quo asseritur, hęresis sibi aut nomē, aut rationem vindicat: sed absolutè & per se est hæretica, quoniā absolutè & per se eū catholica veritate pugnat. Cęteras causas, vel ego nō intelligo, vel certè indignas iudico, vt à nobis referātur. Illa vehementior apparet, quę ab illis omittitur, quod Theologi rogati, an propositio aliqua hæretica sit, an nō, simpliciter respōdent aut esse aut nō esse, nulla eius, qui asseruit, habita ratione. Noua autē res esset & inaudita, si Theologi propositiones eas, quarum notę quærūtur, designare nollēt, nisi illis antè asserentiū ingeniū conditio, doctrina, & culpa innotescerent. Hinc colligūt, omnem propositionem, quæ modò est hæretica, semper hęreticā fuisse: nec ecclesiam definitione sua ex non hæretica hæreticā facere, sed id quod re ipsa erat, ignoratum tamen & occultum, declarare. Hanc sententiam Occam tenuit, 1. par. dialogor. lib. 2. c. 11. & Cardinalis Turrecremata lib. 4. par. 2. ca. 3. & Adri. 4. Senten. q. 1. de confess. & Alphonsus Castro Zamorensis lib 1. de iusta hæreti. puni. ca. 1. At auctores alij haud deteriores, mea quidem sententia, nam meliores multi credūt, ab his longè dissentiunt, in quibus est Caieta. 2. 2. q. 1. artic. 1. Diuusque etiam

etiam Thomas prioris ad Corinth. cap. 11. lect. 4. Afferunt autem ad huius sententiæ confirmationem argumenta plurima. Primum est, quòd Concilium Constan. distinguit propositiones hæreticas, erroneas, sapiẽtes hæresim: quas res difficulter omninò secernemus, si omnis error in materia fidei est hæresis, prius etiam, quàm diffiniatur ab ecclesia. Deinde 24. q. 1. cap. Quod aũt: & capit. Achatius, & 24. quæst. 3. cap. Notandũ, dicuntur aliquæ hæreses esse nouæ, aliquę veteres, non ergo absolute sineque vllo respectu asserentis hæresis dici potest. Præterea, ad hæretici rationem, quia hæreticus est, pertinacia requiritur: ergo de ratione hæresis est pertinacia. Quemadmodum si cœnatum non nisi vesperi intelligimus, nec cœna quidem nisi vespertina intelligetur. Ac certè sicut à candore candidũ, ita ab hæresi nominatur hæreticus, quare qui hæresim asserit, hæreticus ille est, vt qui habet candorem est candidus. Quid enim absurdiùs dici potest, quàm veram fornicationem esse in eo, qui non est fornicarius? Verum & proprium homicidium in eo, qui non est hõmicida? Absurdum igitur etiam est, in eo verè & propriè hæresim esse, qui non sit hæreticus. Ad hæc, Hæresis est vitium non solùm intellectus, sed etiam voluntatis, nempè crimen est, quod nisi voluntate consentiente intelligi non potest: vbi ergo nullum est crimen, nullaue cordis aduersum fidẽ repugnantia, ibi ne vlla quidem hęresis est. Adde quod actus fidei catholicæ non est, nisi assentiamus propositioni catholicę ab ecclesia definitæ, quamdiu enim res est ambigua, neque ecclesia alterutram controuersiæ partem prę finiuit, neutrius opinionis assensus fidei catholicę, iudicium est. Qua ex re intelligitur, non esse hæresim, nisi quis veritati catholicę, quam ecclesia certò præscripsit, refragetur. Adde etiam, quòd veritatẽ catholicam appellare, quã nec ecclesia credendam proposuit, nec fideles per fidem infusam credunt, sed vnusquisq; probabili opinione tenet, videtur à nomine quoque ipso veritatis catholicæ alienum. Atq; opinionẽ, quę inficias iret, diuinas personas relationib. distingui, antequã esset ab ecclesia definitum, nemo hæresim vocare auderet, nec

Hieron. eodem modo loquitur in 3. c epist. ad Tit.

veritatem

veritatem catholicã, quæ aduersam sententiã tueretur.

Mihi verò semper concilium fuit omnium controuersias aut declinare omninò, aut paucis exponere. Itaque si de hæresi propriè loquimur, non dubito quin receptior crebriorq; sententia eadem verior sit: nempè nõ aliud exigi ad constituendum hæreticum, quàm id, quo hæresis constituitur, hæresis quippè flagitium in aliquo homine est, illumque denominat, in quo esse constituerit. Cuicũque igitur hæresis nota verè & iure inuri potest, is verè iureque erit hæreticus, id quod ex argumentis nunc positis quędam manifestè probant. Sed quemadmodum vrina impropriè sana dicitur, quòd signum est sanitatis, etiam si fallax aliquando sit, sic propositio in voce vel in scripto vocatur hęretica, quod signum hæresis esse soleat, quamuis interdum ab hæresi is, qui dixerit, excusetur, quia ignorans fuit. In quo sensu illorum opinio vera est, qui arbitrantur aliquam propositionem hæreticam esse, tum etiam cùm is, qui asserit, hæreticus non est. Vel loquuntur etiam de hæresi ex genere & obiecto. Vt si quispiam concubitum illum primum Iacob cum Lia fornicariũ appellaret, non quod re vera fornicatio fuerit, sed quòd ex genere & natura talis sit, quãuis ignorantia interueniat. Verũ scholę theologi, q vocũ significatus pressius tenent, nec concubitũ Iacobi cũ Lia fornicationẽ esse dicunt, nec acceptionẽ rei alienæ, furtum, neq; cædem hominis homicidiũ, nisi quum & res aliena malè per iniuriam attrectatur, & homo iniquè cõtra ius occiditur. Maneat ergo perpetuũq; sit, si verã & propriam nominis rationem sequimur, hæresim nõ esse, cui pertinacia non est adiuncta, & omninõ cætera, sine quibus crimen hęreseos verè & propriè nõ constat. Nec si ad fidem illa ex se pertinẽt, quę à Deo sunt ecclesię reuelata, quanquam in eorũ fortè nos ignoratione versamur, contrarios statim errores hęreses iudicamus. Non enim si quispiã color albo contrarius est, protinus est ater: nec si aliquid liberalitati aduersatur, mox auaritię nomẽ habet. Sic igitur fieri potest, q; paulò pòst demõstraturi sumus, vt etiã in Christiano error aliquis sit fidei quodammodo aduersus; nec hęresis

Gene. 38.

tamen

tamen sit vitium inter ea, quæ fidei repugnāt, vel maximum. Quemadmodū autem, (nam hoc exemplum etiā premendum est,) colori albo giluus, glaucus, & pallidus contrarij sunt, imperfectè tamen: ita quidam etiam sunt Christianorum errores, qui, cùm inchoati sint & informes, hæresios speciem nò attingunt, licet ad eam ipsam quàm proximè accedant. Quia verò hęresis cum fide nō solùm pugnat, sed summè maximeq; etiam pugnat, sequitur errorem tunc propriè hæresim esse, quum non fidei materialiter, sed formaliter aduersatur. Libet enim hoc loco scholę verbis abuti. Sed experiar, & dicā, si potero, melius. Si quis fidelis in his, quæ fidei sunt, vitiosè per insciētiam erret, & flagitiosè etiam catholicam vnā quamuis veritatem ignoret, ad dialecticorum legē quidem fidei contradicit, ad morumq; etiam normam culpæ mortalis reus est: sed nisi viuus, vt dicitur, vidensque pereat, hoc est, nisi prudens volens que se à catholico dogmate seiungat, nec facit sectam, neq; hæresim admittit. Nondum enim simpliciter & absolutè cum fidei forma pugnat, si de pugna mortali sermo sit. Nam de pugna dialectica nulla nobis quæstio nunc est. Sunt tamen eiusmodi errores informationes & inchoationes quædam hæreticę prauitas, ad cuius speciem indirectè, vt imperfecta ad perfecta, rediguntur, quemadmodū hominis embrio homo quidam informis est & inchoatus; at non simpliciter homo, sed secundum quid. Non ergo si quispiam error fidei cōtrarius per ignorantiā, vel negligentiam vituperabilē fideli obrepit, illico hęresis nominabatur, quę est summa quędā infidelitatis species, errorq; fidei catholicæ aduersus, nō vtcunq; , sed perfectè, absolutè, formaliter. Perfecta verò hęc, absoluta, & formalis repugnantia, quū sit etiā moralis, nō modò dialectica; ex obiecto & genere seorsum non accipitur, nisi subiecti quoq; & voluntatis humanę ratio habeatur. Ecquis enim nesciat morales actus ex dispari hominū statu, cōditione, affectu, notitiæq; varietate diuersa, varias item nominationes speciesque sortiri? Error igitur ille, Christus non est verus Deus, tametsi in quocunque cuiusque conditionis homine fidei repugnat, in Iudæo tamen

nē infidelitas Iudaica est; in Pagano, paganica, in Christiano, hęretica. Nisi adeò loquendi imperiti simus, vt eiusmodi erroris culpam in Pagano hęresim appellemus. Apud nos ergo, qui multas & discrepantes infidelitatis species ex vario hominum cultu ac professione distingui mus, nihil obstat, cur non illiusmodi & rerum & vocum genera ab asserentibus pendeant. Quibus rebus expositis facilè vt opinor, intelligitur, mala hæresim ratione finiri, quòd sit error catholicæ veritati contrarius: quippè cùm ista finitio vna in omnes errores valeat, Iudęorum, Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum. Sed hoc quidē sanè luculenter, vt ab hominibus definiendi peritis, à Theologis scholæ dictum est, Hæresim esse eius, qui fidē professus fuerit, pertinacem errorem, illi veritati manifestè contrarium, quæ catholica certò sit.

CAPVT VIII.

Contra hæresis finitionem argumenta quædam.

ATenim vt hæc definitio illustrior appareat, quibusdam argumentis exploranda est. Primum Christiana doctrina & institutū est hæresis, vt auctor est Philo in libello de vita rhetorica supplicū apud Eusеb. lib. hist. eccle. 2. cap. 17. at non est error, sed ipsa potiꝰ catholica veritas, &c. Deinde, Apostata à fide & religione Christiana catholicæ veritati apertè repugnat, quam semel professus est, non tamen est hæreticus. Prętera, Ex verbis inordinatè prolatis, vt Hiero. ait, incurritur hæresis, sine errore ergo & pertinacia hoc crimen inuenitur. Præterea, Dubius in fide, infidelis est, de hæreti. cap. 1. si ergo antea erat Christianus, ex eiusmodi dubitatione efficietur hæreticus. Nihil enim est in genere, quin in aliqua eius generis specie constitutum sit. Quod si hęsitatio illa est hæresis, qui autem hæsitat, suspensus & incertus animi pendet, nullique rei omnino assentitur; fit, vt hæresis sine errore aliquando sit. Nam error veritati repugnans assensionem habet. Adhæc Diuus Thomas 1. p. q. 32. ar. 4. docet, quod opinari falsum circa ea, q̄ sunt nobis principaliter ex fide tradita, hoc ipso inducit hæresim, maximè si pertinacia adiungatur. Siue pertinacia igitur

igitur hæresis esse potest. Id, quod ecclesiæ vsus confirmat, quæ ex vna actione adorandi idola circuncidendiue puerum, hominem quasi hæreticum iudicat, non iudicatura, si ad hæresim pertinacia nimiaque illa in errore perduratio exigeretur. Adde, quòd incredulitas & duritia cordis sine pertinacia esse non potest, discipuli ergo vndecim, quorum incredulitatem & duritiam cordis Dominus increpauit, habuerunt in errore pertinaciam. At error circa resurrectionis articulum, quē Dominus ipse manifestè prædixerat, fidei catholicæ apertè erat cōtrarius, quare si finitio illa vera & perfecta est, discipuli in hæreseos crimen incurrere. Id si perabsurdū est, dicamus potius in ea definitiōe & superesse quicquam, & etiam abesse.

Hęc verò argumenta paucis q̄ fieri poterit expediemus. Non enim hoc loco nos de hęresi institutione suscipimus, quæ nisi longissima oratiōe nullo modo absoluetur: sed quasi prætereuntes breuiter & circūscriptè explicare volumus, quidnam propriè hęresis sit, vnde, quis sit hæreticus error, eluceat, & quæ hæretica: propositio, quā in voce vel scripto erroris hæretici signum esse, nemo qui vir doctus sit, ignorare potest.

Ad 1. argu. 24. q. 3. cap. hæresis. Primùm igitur, hæresis Græcè, ab electione dicitur, vt auctor est Hieron. in 5. cap. epist. ad Galat. & in cap. 3. epist. ad Titum: Isidorus lib. 8. etymolog. cap. 3. D. Thomas 2. 2. quæst. 11. articul. 1. & in 3. cap. epistol. ad Titum. *1. Cor. 11.* Græcam verò hanc vocem Latinus noui testamenti interpres interdum seruat, quandoque in sectam vertit, vt ad Gal. 5. vbi editio nostra, In carnis operibus sectas, habet, Græca habent, Hæreses. & Acto. 28. Iudæi, cùm Paulo inquiunt, Nam de secta hac notum nobis, quòd vbique ei contradicitur, Hæresim Græcè Lucas dixit. *Isido. 8. ety. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. ad 3.* Secta igitur & hæresis eadem res sunt, sed vt secta à sectando, sic hæresis ab eligendo dicitur, ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι, quod est, eligo. Deinde & illud animaduertendum, nomen hęreseos apud Græcos veteres & Latinos auctores generale esse, & vnamquamlibet sectam designare, vt Platonicam, Stoicam, Peripateticam. At Christiani scriptores cō tracto vocabulo hæresim nuncupant sectam & diuisionem,

nem, qua quis à communi se ecclesiæ fide seiungit, priuatamq; opinionem eligens à catholica institutione discedit. Præterea, & illud, licet in promptu & multorum sermone teratur, commemorādum est tamen, doctrinā euangelicam propriè neq; hæresim, neq; sectam appellandam. Tum quia eam non sequimur ex electione nostra, nec enim commentum aut inuentum nostrū est, sed habemus ex traditione diuina: vt non nobis sic an aliter opinandi optio detur, sed Deum quacunque trahit rectaq; hitq; sequamur. Tum etiam, quoniam euangelij doctrina semper catholica & vniuersalis fuit, ad omnes æquè pertinuit, omnesq; eam omni tempore tenuerūt, qui de Deo & veritate rectè sentirent. Cùm ergo hęresis & secta priuatam quandam disciplinam sonent, quam sibi vnusquisq; pro suo arbitrio & eligit & sequitur, nimirum catholica disciplina hominibus ad vnum omnibus à Deo tradita, nec secta nec hæresis vocanda est, quālibet Philosophorum placita hæreses vocitētur. Auctores sunt Hieron. in 3. ca. epist. ad Tit. Isidor. 8. li. etymol. cap. 3. Theophylactus in 2. cap. epist. ad Colos. Tertullianus in li. de Præscriptionibus hæreticorū. Quod igitur Philo nostrā religionem hęresim dicit, neq; in malam partem tamen, more illius ætatis facit. Sic enim ferè ab hominibus appellabatur.

Ad 2. argu. At verò vtrum apostasia hæresis sit, magna doctissimorum dissensione certatur. Siluester in ver. Hęresis, 1. quæst. 2. affirmat, apostatam hæreticum propriè non esse. Sed in ver. Apostat. §. 1. & 2. secum ipse, vt videtur, pugnat. Caiet. 2. 2. quæst. 11. art. 1. docet, quòd apostatæ verè hęretici sunt, quia licet non credant in Christum, vt ait, actu elicito, profitentur tamen eum charactere Christiano. In hæresim itaq; incidunt, cùm desciscant à fide catholica, quam professione tenebāt. At in Summa in ver. Apostata, videtur contra sentire, inquiens, Apostasia peior est hæresi: vtpotè excedens ipsam totaliter tollendo fidem. Cardinalis Turrecremata in lib. 4. part. 2. ca. 13. apertè confirmat, apostatam hęreticum non esse. Quæ eadē sententia est D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1. & q. 12. art. 1. ad tertiū. vbi expresè dicit, apostasiam non importare determinatam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam speciem infidelitatis, sed recipere speciem à termino, ad quem, est motus recedentis à fide. Ac certè vsu, è more loquendi sanctorum, hæreticus ille' duntaxat est, qui post professionem Christianę fidei sub nomine Christiano doctrinæ Christi resistit, vt Augustin. inquit 18. de Ciuitat. Dei cap. 15. & 16. li. ca. 2. tradit, quòd Cham medius Noe filius nec in primitijs Israelitarum, nec in plenitudine gentium tanquam sè ab vtroque discernens, & inter vtrunque remanens, typus hæreticorum fuit. Atq; Origenes in tertium cap. epist. ad Tit. Hæreticus, inquit, est ille, qui Christo se credere profitetur, sed aliud de veritate Christianæ fidei credit, quàm habeat traditio definitionis ecclesiasticæ. Et ne singulorum verba referendo prolixi & molesti simus, Ambro. in 3. cap. epist. ad Tit. Gregor. 5. moral. cap. 11. Beda in Lucæ cap. 17. idem cum Diuo Thoma & Augustin. sentiunt, nec quisquam veterum in longissimis aduersum Iulianum disputatiõibus, eum hæreticum, sed apostatam nominauit. Sed ne ratio quidem Diui Thom. pessima est: is enim, qui totam Christi doctrinam reijcit, nihil videtur eligere, sed penitus à fine discedere. Item, Apostasia motum quendam importat discedentis à fide: motus autem non habet speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Cùm ergo apostata ad Iudæorum superstitionẽ & errorem accedit, Iudaicæ infidelitatis reus est: cùm verò ad paganismum, paganicæ infidelitatis culpam contrahit. Quod fieret, vt apostasia, si hæresis est, in duabus speciebus eiusdem proximi generis collocaretur. Rectiùs ergo Diuus Thomas philosophatur, cùm ait apostasiam nullam determinatam speciem infidelitatis præ se ferre, sed ad eam redigi & reduci, ad quam apostata accessit. Nam ex eo quòd recessit à Christiana fide, apostasia speciem non habet, sed circunstantiam quandam aggrauantem, iuxta illud, Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti. Quo magis eos miror, qui in contrariam sententiam verba D. Tho. rationesq; deflectunt. Sed eorum argumenta videamus.

Vnum est, quòd hæreticus homo per multiplicationẽ hæresium, hæreticus esse desineret. Nam si in aliã & aliã hæ-

hæresim quotidie laberetur, quousque totam prorsus desereret catholicam fidẽ, iam ex hæretico per augmentum hæresum priore nomine amisso apostata fieret. Alterum argumentum est, quòd pœnæ in iure aduersum hęreticos decretæ apostatas etiam comprehendunt, id, quod non esset, si illi non essent hæretici: quùm nulla lex canonica sit, quæ in huiusmodi apostatas animaduertat, nisi in hęreticis contineantur. Postremum argumentum grauius est multò, quàm cętera, quòd Bonifacius octauus apostatas hęreticos esse definierit in hæc verba: Contra Christianos, qui ad ritum transierint Iudæorum, erit tanquam contra hæreticos procedendũ. *Debat. in 6.*

Sed primum argumentum non est difficile eludere. Quamlibet enim hæreses cumulentur, si Christum homo ille generaliter profitetur, & sub Christiano vocabulo eius fidẽ impugnat, hęreticus semper erit, apostata nõ erit. At vbi primùm & Christi nomen & totam omninò religionem deserere instituerit, apostata fit, & nomẽ hęreseos amittit, non per hæresim superioribus adiectam, sed per apostasiam nouã, quæ hæresis non est, sed maius aliquid hęresi. Quis aũt dubitat, minora per maiora aboleri, & nominibus cõmutatis priora in posteriora trãsire? Dispositiones mutantur in habitus, & nomẽ dispositionis cessat. Scientia viatoris in scientiam cõprehensoris vertitur, & scientia illa prior fidesque & fidei nomen eluitur. In continens in continentijs sæpiùs iteratis prauus efficitur, & nomen illud vetus euanescit, aut certè in grauius aliud permutatur. Quapropter nihil est admirandum, si asserimus, hęreticum per apostasiam, quę nouum crimen est, ab hęresi separatum, multoque grauius crimen, quàm hęresis, antiquum nomen amittere, & nouum comparare, præsertim quùm hęreticus apud veteres sanctos non ille apertus hostis sit, sed falsus propheta, qui venit in vestimentis ouium: leprosus itẽ, qui *Matth. 7.* dum rectis praua permiscet, colorem sanum maculis aspergit: Pharaonis magnus, qui veritatis imaginem prę se ferẽs veritati resistit: fons deniq; & nubes sine aqua, *Exod. 7.* arbor autumnalis, sydus errãs, quę omnia aquę fructus, lucis speciem obtẽdunt. Cùm ergo hęretici nomen, ge- *2. Pet. 2.*

neralem quandam Christi professionem connotet, non est absurdum, si, cùm connotatio abest, absit quoq; hæretici vocabulum. Quemadmodum, si quis cœnam ad sequentem diē varijs poculis quàm maximè possit, varioque item sermone produxerit, cœna iam illi mutato tempore in ientaculum, aut prandium etiam cōuertetur, nec propriè nomenclaturam priorem retinebit.

Secundum verò argumentum ita refellitur. Non est dubium, quin apostatæ in pœnas hæreticorū incurrant. Id quod ab ineunte ecclesia perpetuò seruatum est, quē admodū ex Cypriani opusculis, vel maximè liquet. Falluntur autem in ea re plurimi, quòd omnes ecclesiæ leges à iuris voluminibus petendas esse existimant, in quę vel Raymundus, vel Gratianus, vel quilibet alius decreta sanè quàm plura congessit. Hinc enim Caietanus noster præceptum ieiunij quadragesimalis, quoniā in decretis pontificijs, quæ passim circumferuntur, non apparet, vix potuit constituere, eodemq; labore penè confectus est, dum legem quæreret, qua clerici monasticam religionem professi, ad diuinas præscriptas preces exoluendum astringerentur. Multæ sunt, mihi crede, ecclesię leges, quas non scriptura, sed vsus inseruit. Nec conciliorum atque Pontificum scripta omnia iuris contritū volumen complectitur. Apostatarum ergo pœnas ante Bonifacium octauum mos ecclesiæ præscripserat. Sed quoniam quispiam dubitauit, illius dubitationem pōtifex in eo capite resoluit, definiens non aliter aduersum apostatas, quàm contra hæreticos procedendū. Verùm è Pontificis verbis & diffinitione non habetur, apostatas hæreticos esse. Nam illa particula, Tanquam, similitudinem rei aliquando, non semper veritatem affert. Cuius rei exēpla non est opus in præsentia referre: quia in sacris & profanis literis obuia sunt plurima. At de hoc argumento, cùm nominis etiam controuersiā habeat, nimis multa dicta sunt.

Ad 3. arg. Illud porrò testimonium, quod Hieronymi nomine scholæ Theologi iurisq; periti etiam terunt, Hieronymi non est, sed à Magistro senten. acceptum, Diuus Thom. cæteriq; deinceps, vt solet, vsurpārunt. At, si illa Hieronymiana ad Damasum epistola de triū hypostaseon vocabulo accuratius relegatur, Diuus Hieronymus in ea potius sententia est, vt existimet è sensu non è verbis hęresim æstimandam. Ecquid enim aliud sibi vult, cùm ita loquitur? Ab Arrianorum præsule & Campensibus trium hypostaseon, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet. Et quia vocabula non edicimus, hæretici iudicamus. Et multa alia posterius eiusmodi, è quibus intelligas, Hieronymum nihil sibi in recta & sana intelligentia à crimine hæreseos timuisse, sed nouā vocem, vbi venenum sub melle latere suspicabatur, reformidasse. Alioqui illud Hilarij Hieronymus legerat, de intelligentia hæresis, non de scriptura orta est: & sensus, non sermo fit crimen. Itaque ex verbis inordinatè prolatis in hæresis suspicionem incurrere fortasse possum?: in hæresim, si error in fide absit, non possumus. Quùm enim fides in intellectu sit, necesse est, in fidelitatem, cuius species est hæresis, in intellectu quoque esse. Item, veritati nihil contrarium est, nisi error: quùm ergo hæresis fidei veritati aduersetur, sine dubio est error. Sed quoniam interdum legislatores & iudices iuris fictione & præsumptione in foro exteriori crimina persequuntur, dicta factaque externa, quæ hæresim testari solent, & hæreses vocant, & pro hæresibus puniunt. Quemadmodum & in eos, qui foris deserunt fidem, opereque externo cultum idolo exhibent, quamuis ex metu id faciant, perinde animaduertunt, ac si interius à fide & religiōe desciuissent. Sed quod ad voces attinet, nihil moror. Nam sicut externa testatio & professio fidei interdum fides nuncupatur, ita etiam externa testatio hæresis eandem quoque nomenclaturam habet. Rerum quippè signa & imagines rerū sępè nominibus appellātur. Quo modo prouerbium illud vetus atq; laudatum, cui ego vix vnquam sum assensus, verū est in sermone vulgari, Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hęresis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At sermone proprio, vt diximus, hęresis apud Christianos error est eius, qui fidem Christi generaliter se habere profitetur, nec tamen veram habet. Sed enim de rebus ipsis eos, qui fidei & religionis iudicium exercent, admonendos putaui, vt non eodem modo dictorum ac factorum iudicia faciant. In factis sanè, quæ ipsa per se tetra ac flagitiosa sunt, nihil est periculi, si ritu Iudaico circuncidentem aut idolo dęmoniúe sacra facientę pœnis hæreticorum mulctent. Tametsi non sum nescius, viris & Theologię & iuris peritissimis placuisse id, quod mihi ipsi non displicet, vt quoniam illiusmodi homines non sunt aut hęretici aut apostatæ, nisi iuris fictione & pręsumptione probabili, iudices fidei in ea ipsa quidem extęrna flagitia studiosè nimis ac diligenter inquirant, num re vera ex interiori infidelitate proficiscantur & prodeant. Quod si cōstiterit, non errore intellectus, sed cupiditate, metu, aut alia quauis animi perturbatione id genus scelera patrata perfectaque fuisse: tunc illa nō tanquam hęreses, sed leuiore animaduersione punienda. Verùm, quùm verba quātumcunq; inordinatè prolata, sępè à crimine hęreseos, nonnunquam etiam à crimine omninò vacent, in eorum sensu & mente inuestiganda adhibeat iudex licet diligentiam vel maximam, sed si in verbis peruersis & inquinatis recta sentētia dicentis appareat, sanaque & munda fides, admonendus est homo, corripiendus, terrendus quoque: clementer tamen moderateque mulctandus. Interdum verò dissimulanter est vel tota pœna mortalium insciticæ & imbecillitati condonanda: cùm liberior loquendi licētia hominū leuissimorū, quāuis errorē non habeat, vehementer coërcenda sit: vt quæ afferant audientibus aliquando pernicię. At hæc vt à præsenti instituto aliena, quasi primoribus labris gustata dedimus. Quæ sequuntur, ea nostra sunt, atque ad hoc tempus & locum propriè pertinent. Quamobrem, vt breuiter quidem illa, sed enodatè explicentur, ingenij quantum potero, laboris plus penè quàm potero, adhibebo.

Ad 4. argum.

Controuersantur ergo iuris periti atque Theologi, an dubius in fide hæreticus sit: itemque similiter, eadem enim

enim quęstio est, dubitare de vna qualibet catholica veritate an sit etiam hæresis. Nam esse, ratio illa posita prius videtur ostendere. Deinde & Augustini testimonium illud, Errare est, verum putare quod falsum est, falsumq; quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertum verò pro certo, siue falsum siue verū sit. At qui de vna quauis fidei veritate dubitat, is habet certa pro certis, errat ergo contra fidem: fides enim, vt Bernardus ait, ambiguū non habet, quòd si habet, fides non est. Hęsitatio igitur illiusmodi error est cū fide pugnans. Quare si pertinaciam habeat adiūctam, procul dubio est hęresis. Præterea, concilium Viennense doctrinam omnē aut temerè asserentem aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis nō sit humani corporis forma, tanquam erroneā ac veritati fidei catholicæ inimicam reprobat. Non igitur ille solum errat in fidem, eique cōtrarius est, qui asserit propositionē hęreticam, sed etiam qui veritatem catholicam vertit in dubiū. Quorsum insuper illud caput, Dubius in fide infidelis est, in titulo de hæreticis cæteris omninò capitibus prępone-retur, nisi vt intelligeremus, id genus homines & hæreticos habēdos esse, & tanquā hæreticos puniendos? Prętereà, is qui dubitat, fidem amittit, alioquin nō esset infidelis: at fides in baptismo susceptа, nisi per hæresim nō amittitur. Adde, quod de ratione fidei est cōstans & certa firmitudo: vacillatio autem & dubitatio pertinax fidei corrūpit firmitudinem: est ergo fidei saltē indirectè contraria, atque adeò est hæresis. Ea enim re error aduersus theologicę conclusioni hæresis est, quia fidei est indirectè corruptor. His argumentis vtuntur illi, qui dubium in fide, si est in dubitādo pertinax, hæreticū censent. Nā si ex infirmitate, non ex pertinacia vacillat & claudicat, omnium vna sententia est, hunc hæreticum non esse: Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? Dubitatio igitur hominis infirmi non funditùs tollit fidem, quam in imbecillo modicam ait Dominus esse nonnullam. Alij verò auctores etiam ipsi eruditissimi contrà sentiunt, dubitationem in fide fidei quidem opponi priuatiuè, non contrariè: hæresim autem fidei esse contrariam

In Ench. cap 17. & 19.

Adrian quodli. 2. Gab. 3. d. 23. q. 2. Arim. Flor. 3. p. tit. 23. c. fin. Ioan.

And.& Panor. super primū c. de hær. positiuè, sic enim scholastici loquuntur, itaque dubitationem non propriè esse hæresim; etiamsi homo prudens videnſque dubitauerit. Quam opinionem multis & ipsi argumentis persuadere conantur. Primùm est D. Tho. testimonium prioris ad Cor. 11. lecti. 4. vbi docet, de ratione hæresis esse, vt quis priuatæ disciplinę pertinaciter inhæreat. Nam electio, vt ait, firmam importat inhæsionē: vnde colligit, hæreticum non esse, nisi qui sper nit disciplinā fidei diuinitus traditā, & pertinaciter propriū errorem sectatur. Quę eadem sententia Hieron. est in ca. 5. epist. ad Gala. & in ca. 3. epist. ad Titum, inquiētis: Hæresis ab electione dicitur, quòd scilicet eam hęreticus sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Atque Augustinus lib. de vtilit. creden. ad Honora. cap. primo, Hæreticus, inquit, est, qui falsas opiniones vel gignit vel sequitur. At qui dubitat, hic neque habet firmam inhæsionem, nec alterutram quæstionis partem eligit, nec opinionē falsam aut gignit aut sequitur: non est igitur hæreticus. Rursum, hæresis contrariè opponitur fidei, & non per negationem aut priuationē: at dubitatio, cùm non habeat assensum nec dissensum, non aduersatur fidei cōtrariè, nam fides assensum prę se fert. Dubitatio igitur non est hæresis. Præterea, hæresis, error est catholicæ veritati contrarius, error autem assensus est, vel dissensus falsus: cùm ergo hęsitatio nec assensus nec dissensus sit, ne hæresis quidem est. Ad hæc dubitatio mediū quoddam est inter duas extremas controuersantium partes, fides verò & hæresis duo sunt extrema summè maximeq; pugnantia: dubitatio igitur, quæ inter dogma hæreticum & veritatē catholicam intermedia est, non est hæresis, sed illius particeps atq; vicina. En causæ, quibus auctores sanè nobiles moueri solēt, vt isto modo opinentur.

Aug. de Antho. in li. de potest. eccle. vide Turrecre. li. 4. p. 2. c. 32. Mat. 14.

2. 3. q. 3. c. hæresis.

24. q. 3 c. Hæreticus

Nec argumenta eos aduersariorum vrgent, quò minus in sua sentētia perstent. Etenim cùm primū illis objicitur, dubium in fide infidelē esse, hoc ita repellūt. Infidelitas, inquiūt, tripliciter accipi potest: vno modo secundum puram & simplicem negationē, vt dicatur quis infidelis ex hoc solo, quod nō habet fidē, & hoc modo, vt

vt dicit sanctus Tho. 2. 2. q. 10. arti. 1. in his, qui nihil audiuerunt de fide, non habent rationem culpæ, sed magis pœnæ. Secundò capitur infidelitas secundum contrarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditæ fidei, vel etiam contemnit ipsam, & in hoc propriè, vt eodem loco Diuus Thomas affirmat, ratio infidelitatis perficitur. Tertius modus infidelitatis est medius inter duos modos prædictos, & est fluctuatio quædam inter duas partes, nec vni nec alteri adhærēdo: quomodo Stephanus Papa loquitur in illo ca. 1. de hæreticis. Tres verò infidelitatis species eius esse intelliguntur, quæ propriè fidei contraria est, hoc est, nō primo aut tertio modo, sed secundo.

Errare autem eos, qui certa pro incertis habent, ita demum esse interpretātur, si aut affirment incerta esse illa, quæ certa sunt, aut negent etiam esse certa. Error enim est ꝓpositio falsa verbo siue affirmato siue negato. Qui verò nihil vel affirmat vel negat, hūc propriè nō errare, nisi fortè is etiā errare dicitur, qui scopum non attingit, quum sagittam quidem non iacerit, collineaturus tamē, si iecisset. In quem sensum peccatores in vniuersum errant, nō ij modò, qui operantur malū, verumetiā illi, qui non faciunt bonū. Sed hoc improprium est. Alioqui, vt ad propositum reuertamur, si propterea quòd fidem certam esse oportet, quisquis incertus est, errorē habet, qui opinabitur Christum esse Deum, hic quoque propriè & errabit & erit hæreticus, nempè cum non habeat firmitudinem eam, quam veritas fidei requirit. Sicut enim dubitatio fidem pellit, ita etiā opinatio. Formido nanq; opinationi coniuncta, perinde certò fidei assensui repugnat, vt illa dubitantis ambiguitas. At est ne quisquam tanto ductus errore, vt veram opinionem esse errorem existimet, quia cum certo assensu, quem fides exigit, simul esse non potest? Qui igitur habebit certa pro incertis, nihil aut asserendo aut inficiando, sed quia pendēs animi nec veritatem catholicam, nec dogma contrariū eligit, is fictione iuris hæreticus fortè erit, vocis certè proprietate non erit; cùm non sit contrariè & positiuè infidelis, quanquam est infidelis negatiuè, aut etiam

priuatiuè, eò quòd fides sine vllo errore & abiecta omni formidine & cunctatione vera esse intelligitur: si autem formidinem aut cunctationem habet, fides non est.

Quod verò ex concilio Viennensi testimonium excitatur, non modò nō est contra hos, sed maximè horum causam opinionemq; confirmat. Cùm enim doctrinam omnem siue asserentem siue vertētem in dubium, quod substantia animę rationalis, humani corporis nō sit forma, tāquam erroneam ac fidei catholicę inimicam synodus reprobasset, ne quispiam putaret dubium, atq; assertionem eodem gradu & loco habendam esse, subiungit, Definientes quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis non sit forma corporis humani, tanquam hęreticus sit censendus. In quibus verbis perspicuum est, eos, qui eam rem in dubium verterent, non esse à concilio tanquam hęreticos condemnatos, sed eos tantūmodò, qui eius rei contrarium pertinaciter asserérent. Nec enim sine causa existimandum concilium est eos, qui in dubium verterent, prętermisisse. Doctrina igitur ea, quę in dubium vocat catholicas veritates, inimica est fidei Christianæ, non consummatè & absolutè, sed imperfectè & inchoatè: nam & suo quodā modo colores medij albo inimici & contrarij sunt, & non solùm color ater extremus. Qui ex re satis intelligitur, hæsitationem meram sine assensu atque dissensu neq; errorem propriè esse, neque fidei omni ex parte inimicam.

Iam, quod caput illud, Dubius in fide infidelis est, ante cætera ponitur in eo titulo, qui de hæreticis inscriptus est, non probat, dubiū in fide hæreticum verè esse, sed iuris fictione esse. Id quod secundum eius tituli caput ostendit: Qui alios, inquit, Leo, cū potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. At qui hæreticis fauent, & in eorum errore conueniunt, affectu illicientę, nō errante intellectu, hi iuris quidem suspicione hæretici sunt, verè autem & propriè nō sunt. Error, Innocentius ait, cui non resistitur, approbatur, & veritas quū minimè defensatur, opprimitur. Quid ita? nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit

23. dist. ca. Error.

sinit obuiare. Et Gregorius: Consentire, inquit, videtur erranti, qui ad resecāda, quæ corrigi debent, nō occurrit. Nec Stephanus Papa, cuius decretū illud esse dicitur, aliter se ipse interpretatur. Nempè, docere volebat, quibusnam testib. fides habēda sit, & inter cęteros eos à testimoniorū fide reijcit, qui aut fidem veritatis ignorant, aut dubij nimirū in fide sunt. Hos enim Pōtifex iure & infideles esse sumit, & in testimonijs ferēdis mendaces. Quocirca primum illud caput non eò forsitan spectat, vt ex illius sententia homines hęretici iudicētur, sed eò potiùs, vt fidei iudices intelligant, quosnam sint in causa fidei testes legitimos habituri. Absurdum enim esse, vt infideles de fide aduersum Christianos testificētur, siue infideles veritatis ignoratione aut dubitatione sint, seu multoq; etiam magis errore contrario.

Eadem distinct. cap. Consentire

At eum, qui non infirmitate, sed pertinacia dubitat, fidei habitum amittere mihi vehementer probabile est. Nam actum fidei omnis vel pertinax vel imbecilla dubitatio tollit, qui quidem ambiguum nō habet, & si habet, actus fidei non est. Fidem verò in baptismo susceptā non nisi per hæresim perdi, huius opinionis auctores facilè negant. Colorem nanque album non modò ater expellit, sed giluus etiam & glaucus, ac cæteri omninò intermedij. Fides item nō solū infidelitate excluditur, sed clara etiam visione. Quum enim venerit quod perfectū est, euacuabitur quod ex parte est. Nihil igitur obstat, quin & per hæresim perfectè contrariam, & per dubitationem & opinationē, quę ex parte fidei aduersæ sunt, fides ipsa tollatur.

Enimuerò, quod postremo loco argumentum additur, facillimum est. Error quippè theologię contrarius cùm & assensum falsum habeat, & in falsitate cōtumaciam: indirectè licet, vndique tamen fidei aduersus est, tum ex intellectu, tum ex voluntate. Dubitatio autem pertinax ex voluntate quidem fidei perfectè aduersatur, ex intellectu nō item, vt qui, quamdiu dubitat, errorem assensionēq; non habeant. Qua ex parte rationē cōtrarijs claudicare, qui aut admiratur, aut ambigit, is se, qui sit vir doctus, nescire fatetur. Cū ergo hæresis non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte, sed vndiq; fidei contraria sit, efficitur, dubitationem hæresim propriè non esse, quantumuis dubitatio sit pertinax.

Quid ergò satin hoc est, vt de fidei veritate pertinaciter dubitantes non esse heretici videantur? Mihi quidē non videtur, quanquam alterum earum opinionū metaphysicus probo, alteram philosophus moralis non reprobo. Ad normam siquidem Metaphysicę legesq; contrariorum à dialecticis physicisq; prescriptas dubitatio neque speciem habet, neque formam. Nihil enim affert, nihil ponit, quod aut res sit, aut formæ rationē habeat. Constat autem, quæ propriè contraria sunt, ea duas formas esse maximè repugnantes. Quo modo satis euincitur, dubitationem, nec esse hæresim, nec fidei esse contrariā. At si philosophię moralis sequimur leges, quæ in id spectat, quod frequentissimum est, tum verò hominē pertinaciter de veritate catholica dubitantem, eundem nullum omninò errorem habere fidei verè contrarium, prorsus incredibile est. Quod enim quispiam vel de conclusione aliqua, vel de vno etiam quolibet Theologiæ principio ambigat, nihil est admirandū. Quòd autē non conclusiones modò in ecclesia certas, verumetiam omnia catholicæ doctrinæ prima principia in dubium vertat, nulli assentiatur, nulli repugnet, nequaquam verisimile fit, nisi velimus hominē quempiam fingere hærentē ad omnia & nutantē, cui vniuersarum rerum infinita quæstio sit, & nullo loco constans & fixa veritas. Verùm pone hominē eiusmodi reperiri, qui ancipiti semper gradu pendeat, nū, si Christum generaliter profitetur. Christi etiam doctrinā in generali probat, fac ergo eum scripturas sacras admittere, aut certè ecclesię auctoritatem. Cùm ergo is dubitauerit de vno quolibet dogmate, & in scripturis inuenitur, vel ab ecclesia diffinitum est, si illi ostendas aut ecclesiæ definitionem aut scripturæ apertum dogma, necesse est illum aut dubium abijcere, aut credere ecclesię scripturæq; testimonia incerta esse. Nam si certa illi sunt, omnem hæsitationem pellent. Meritò igitur ecclesiastici iudices & Theologorum & iuris peritorum auctoritate confirmati, eos omnes hæreseos nomine condemnant, qui de dogmate catholico pertinaciter dubitarint. Sed nunc quid pertinacia sit, ea quæ vel maximè hæreticum perficit, quàm breuissime explanandum est.

Quod autem hæresis esse sine pertinacia nequeat, nam id primùm queritur, non est difficile ostendere, tum communi omnium & Theologorum & iuris peritorum consensione, tum grauissimis veterum testimonijs, in quibus illa præclara sunt, quæ ex Augustino referuntur 24. quæstione 3. capit. dixit Apostolus: & capi. Qui in ecclesia. Idem colligitur ex cap. Damnamus. de summa Trinitate, non enim tanquam hæreticus condemnatur, nisi qui doctrinam fidei contrariam defendere præsumpserit: præsumptio autem, sic enim vulgus arrogantiam appellat, radix est pertinaciæ. Et cap. vni. de summa Trinitate in 6. Illi censentur hæretici, qui præsumpserint aut temerario ausu asseruerint, & cæt. Et in Clement. de sum. Trinit. apertiùs: Quisquis asserere pertinaciter præsumpserit, & cæt. Diuus quoque Thomas tantum abest, vt ab hac sententia alienus sit, vt non modò arbitretur, hæresim sine pertinacia reperiri non posse, sed etiam cō- tendat, eam in hæresis ratione includi. Quam rem suadet in primis ex nominis origine, nam vt explicatum est, hæresis Græcè ab electione dicitur. Non est ergo hæreticus, nisi qui videns & prudens doctrinam eligit fidei cō trariam: id quod sine pertinacia non fit. Vtitur deinde illo Apostoli testimonio, Si quis aliter docet, & nō acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ. Qui ergo ecclesiæ doctrinæ resistit, atque ideò est pertinax, is duntaxat hæreticus habendus est. Præterea, hæresis, vt suprà quoque diximus, fidei catholicę maximè ac summè repugnat: nō est autem perfecta fides, nisi intellectus assensio vera voluntatis recta consensione firmetur, igitur nec hæresis absoluta & consummata est, nisi falsum intellectus errorem praua voluntatis electio confirmet, vt quemadmodum in fide constantia veritatis exigitur, ita in hæresi cōtraria insit pertinacia falsitatis. Sed benè habet, quod in hac re asserenda nullum aduersarium habemus.

Ad 5. ar. & huius cōfirmationes in quibus id vel maximè quærebatur, quid nā pertinacia sit, etiam sine illa hæresis esse posſit. In epist. ad Glori. & Eleu. & de ciui. dei. li. 18. c. 51. & cōtra Mani.

2.2. q. 2. 6. 2 et q. 11. 2. 3. et 1. Cor. 11. le. 4 1. Tim. 6.

Qua-

Quapropter etiam si rationes nec probabiles essent, nec satis idoneæ ad faciendam fidem: communi tamen omnium seusu ea finitionis particula comprobaretur. Non enim arbitrantur hominem quempiam hęreticum esse, quin idem in errore sit pertinax.

At quid pertinacia sit, à multis quidem addubitatum est, à paucis verò expeditum. Siue autem dicatur pertinax, quasi nimium tenax, seu plus etiam', quàm decet animo prætendens, hæc enim minutula nimisque depicta libentius omitto, perspicuum est tamen, eũ nunc vocari pertinacem, qui valdè nimisque etiam in errore permanet, falsamq; sententiam mordicus tenet arctequedefendit. Ita à quibusdam definitur hoc modo, Pertinax est, qui id tenere prætendit, quod debet dimittere. Cui definitioni illa, vel finitima, vel certè eadem, Pertinax est, qui in errore persistit, quem deserere tenetur. Facilimè dicuntur hęc. quis dubitat? Sed si ea pertinacia explicata est, quæ errori adiuncta facit hæreticum, plures sanè in hæreticis habebuntur, qui hęretici non sunt. Primùm enim si error contra fidem sit, illum fugere ac declinare debeo, siue fidei contrarium esse videam, siue etiam ignorem. Errant quippe illi vehementer, qui ignorationem existimant obligandi vim à præceptis auferre. Non id, mihi crede, ignoratio efficit, vt obligatione soluamur, sed ne res alias vetita nobis impingatur ad culpam. Omnis igitur homo, etiam si in ignoratione versetur, errores fidei contrarios simpliciter & absolutè euitare debet, si eos nondum habet, & si habet, destituere. Itaque si in eis perstat vel ignorans, id nimirum tenet, quod dimittere tenebatur. Verũ isthæc missa faciamus, quæ tenuiùs disseruntur, quàm vt quiuis ea possit agnoscere, & ea persequamur, quę facilè vel imperiti comprehendent. Enimuerò, cùm homo imperitus vel ab episcopo suo est admonitus, vel à fidei iudicibus, vel à theologis insignis cuiuspiam academiæ, vel ab amicis etiam eruditis & pijs, si adhuc errorem non deserit, in eo nimirum perstat, quod debet dimittere. Est ergo verè pertinax, si in verbi eius definitione neque abest quicquam nec redundat. Nihil igitur deerit, quod ad hæresim constituendam est necessarium. Habet enim homo ille errorem fidei contrarium, in quo etiam est pertinax. At minimè ambigitur, eiusmodi hominem, tametsi ominò peccat, hæreticum tamen non esse: si non existimat, sententiam suam ecclesiæ esse contrariam, sed aut episcopum aut inquisitores, sic vulgò appellantur, aut Theologos academiæ falli. Quocirca nondum videtur ex ijs, quæ dicta sunt, pertinacia illa innotescere, qua hæresis constituitur. Sed ne hanc rem quidem ea pertinaciæ insignia patefaciunt, quæ vt ederent, plurimi sine causa sudarunt. Nam rei huius quosdam notas septem, alios duodecim, alios etiam viginti edidisse peruulgatum est. Et cum signa ex illis quædam dubia sint, potest accidere, vt aliquod signum dubiè datum pro certo à fidei iudicibus sit acceptum, ita fiet, vt pertinax is & hæreticus iudicetur, qui hæreticus verè non est. Sed quoniam aliter iurisperiti, aliter theologi hæc & similia tractant: iurisperiti, quatenus tenere manu res possunt, theologi quatenus ratione & intelligentia: exponamus primũ ad theologorum leges, quænam ea pertinacia sit, quæ hæresim perficit: deinde, si fieri potest, iuris quoque prudentibus pertinaciæ huius signa notasq; tradamus, non illas tam multas, tam varias, tam ambiguas, sed perpaucas, fixas atque constantes.

Ratio igitur hoc theologię postulat, vt pertinacia, quę hæresim facit, non sit temporis diuturnitate æstimanda. Vt scilicet ille sit pertinax, qui diu in errore persistit. Certè si constaret quòd vna solùm hora quispiam, Deũ non esse trinum, ex animo defendisset, is hæreticus ab ecclesia iudicaretur, quæ ex vno actu quantumuis breui, vel adorandi idola, vel puerũ circuncidendi, solet homines, tanquam si essent hæretici, iudicare: nequaquam iudicatura, si crimen hæreseos diuturnum longumq; illud tẽpus exigeret, Rursum, si quis sciens prudensq; totam fidem abnegarit, quamuis breuissimam moram interposuerit, apostata vere & iure ab ecclesia censebitur, ergo & ille hæreticus iudicabitur, qui manifesto fidei articulo repugnauerit, etiamsi repugnantia illa diutina & longinqua non fuerit. Præterea, vt fidei actus omnibus suis numeris

numeris expletus sit, temporis longinquitas nulla est necessaria, ergo nec hæreseos aduersa actio diuturnitatem sibi erroris vendicat & requirit. Illud rursum ratio theologiæ docet, hæreticum eum esse, qui volens vnicuilibet dogmati assentitur, tum etiam cum intelligit ecclesiæ finitioni refragari, sui adhuc iuris sententiæque sit; hæc scilicet vera hæresis est, atque in sua specie perfecta. Id quod egregio argumento Caietanus demonstrauit. Fides enim assensu intellectus perficitur, ex consensione voluntatis in eo, qui rem, quam credit, cognoscit esse catholicam veritatem, ergo & infidelitas dissensu intellectus perficitur ex consensione voluntatis, in eo, qui rem, cui assentit, cognoscit esse contra ecclesiæ communem fidem. Contrariorum enim contrarias oportet esse notiones. Confirmat autem hoc vel maximè præclarum illud Augustini testimonium inquientis, Constituamus aliquem id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istũ nondum hæreticum dico, nisi manifesta sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit. Præterea, qui sic tenet errorem fidei cõtrarium, vt nõ sit paratus ab ecclesia corrigi, sine dubio est hæreticus, vt August. idem in epist ad Glorium & Eleusiũ affirmat. Sed qui videt suam opinionem aduersam esse catholicæ fidei, & adhuc in ea permanet, hic non est paratus ab ecclesia corrigi, cuius videlicet auctoritatem reijcit & contemnit, verum igitur crimen hæreseos admittit. Qua ex re intelligitur, pertinaciam eam, quæ hæreticum facit, semper solumque in eo inueniri, qui dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit catholicam sententiã aduersari. Id vero nominis ipsa quoq; notio declarat. Pertinax quippè is dicitur, qui plus nimio in propria sententia hæret. At qui opinionem suam intelligit communi ecclesiæ sensui & fidei repugnare, atque in ea perstat nimis, profectò ille in priuata sententia perseuerat, verè igitur est pertinax, imò hæc sola consummata pertinacia est, quæ absolutè cum fidei constantia pugnat, at q; adeo sola ea simpliciter

Qualis ue sit ea pertinacia, quã hæresis exigit. 2. 2. q. 11. art. 2.

lib. 4. cont. Don. ca. 6.

24. q. 3. ca. Dixit Apostolus.

pliciter hæresim conficit. Nam quemadmodum, vt paulò antè dictum est, fides ea electione perficitur, vbi is, qui vult veritati assentiri, intelligit illam esse catholicam veritatem, sic & hæresis cõtraria omninò electione cõsummabitur eius, qui aduersante catholica fide propriã sententiam videns volensq; complectitur. Ecquis enim eo pertinacior esse potest, quem desuscepta caussa propositaq; sententia nulla ecclesiæ vis, nulla catholicorũ depellit auctoritas? Præclarè itaque Hieron. interpretatur, hæreticum idcirco subuersum esse & proprio iudicio cõdemnatum, quia suo arbitrio ab ecclesiæ institutiõe discessit, quę discessio proprię conscientię videtur esse damnatio.

Quibus rebus positis, illa consectaria sunt. Primùm, si dogma aliquod nondum est certum & expeditum ad catholicam fidem attinere, quamuis pleriq; viri docti existiment, à Deo esse reuelatum, peccat ille quidem grauiter, qui cum eo dogmate pugnat, estq; item pertinax, qui plurimorum & doctissimorum auctoritatem cõtemnit, eamq; obstinatione quadam sententiæ repudiat, sed nõ est hæreticus, quoniam pertinacia illa tametsi impudens & vitiosa est, non tamen in ecclesiam tendit, sed in viros illos eruditos ac pios, quos ille arroganter despicit ac pro nihilo putat.

Illud deinde consectariũ est, Si certum exploratumq; sit, dogma vnumquodlibet fidei veritatem esse, qui ignorauerit eiusmodi dogma ad fidem spectare catholicam, & quãuis admonitus ab episcopo, ab hisq; rursum, quibus fidei cognitio concessa est, à viris demùm doctis & pijs placitum suum præfractè nimis obstinateque defenderit, hic temerarius, contumax, præceps, insolens, sapiẽs hæresim, & quibusque huius generis nominibus notari poterit, nec tamen etiamnum notam hæreseos habebit, quia, dicendum est enim sæpius, pertinacia eius nõdum cum fidei veritate & ecclesiæ auctoritate pugnat, sed cum eorum sententia, qui & fallere & falli possunt. Rectè igitur D. Thomas asseruit, eum, qui paratus est corrigi secundum ecclesiæ determinationem, hæreticum nõ esse; quia non ex malitia errat, sed ex ignorantia. Quod

de

de crassa etiam ignorantia dictum accipio, nam quę affectata est, hæc non tollit. quin peccatum sit eiusmodi, cuiusmodi esset, si à sciente & videnti committeretur. Nempè affectatus error ex electione est, nec paratus est ille corrigi, qui de industria commonitionem ecclesiæ doctrinamq; declinat. At, qui ex ignorantia non affectata erat, hic quodammodo inuitus est & repugnans, non libens & voluntarius. Quocirca nec errorem elegit, nec grauatè feret, quum ab ecclesia corrigetur, errorem suũ ipse corrigere.

Verũ nostris hisce documentis illud in primis obijci tur, quòd error iste ignorantiæ vitiosæ mortale peccatum est. Præsertim postadmonitionem episcopi docti, prudentium iudicum, Theologorum sapientium. Peccatum autem mortale hoc non nisi sub infidelitatis genere cõtinetur. Tres verò solùm esse infidelitatis species Diuus Thomas definiuit. Cùm ergo crimen eiusmodi nec Paganismus, nec Iudaismus sit, erit profectò hæresis. Adde, quòd si quis ex ignorantia vitiosa & supina hominem occideret, verè & propriè homicida esset, in easque pœnas incurreret, quæ fuerint homicidis à iure præscriptæ. Eadem verò causa subest in eis, qui manus violenter clericis attulerint, atque in cæteris omninò sacrilegis. Qui igitur ex ignorantia crassa post susceptum Christi baptismum errorem habuerit fidei contrarium, is verè erit hæreticus. Actus enim, qui ex huiusmodi ignorãtia proficiscitur, simpliciter & absolutè, & volentis est & consentientis, poterit ergo excusari quidem ne tam grauis culpa sit, non autem vt hæreseos culpa non sit, & eius omninò generis, cuius esset, si à nõ ignaro proficisceretur. Adde etiam Diui Thomæ testimonium in hęc verba, Ab errore circa articulos fidei non possunt aliqui propter simplicitatẽ excusari, quin sint hęretici, præsertim quantum ad ea, quę ecclesia solennizat, & quę communiter versantur in ore fidelium. Sed circa alia, quæ indirectè pertinent ad fidei disciplinã, vt quòd Isaac fuit filius Abrahæ, non iudicatur aliquis hæreticus, nisi ab errore non recedat, etiam viso quid ex eo sequatur. Hactenus ille. Quæ verba adeò aperte cũ hac nostra doctrina pug-

1. Cor. 11. lect. 4.

pugnare videntur, vt non sit necesse argumentari. Sed & Chrysostomus videtur quoque nobis aduersari, qui illum Pauli locum, Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, &c. de eis accipit, qui non aduersandi affectu, sed studio discendæ veritatis veritati resistunt. At Paulus de hæreticis loquebatur, quos alio loco semel atque iterum commonefaciendos esse corripiendosque præcepit, sed post vnam & alteram correptionem deuitandos.

Hom. 6. in epist. ad Titum. 2. *Tim.* 2. *Titum* 3.

Quibus argumentis breuiter ita respõdeo. Diximus supra dupliciter aliquod peccatum in genere & specie collocari, vno modo formaliter & directè, altero modo materialiter & reductiuè. Dent mihi Latini veniã precor, si verba minus Latina vsurpârim. Sic à dialecticis accepimus, materiam in prædicamento substantię poni, punctum in genere quantitatis, embrionem in eius specie animantis, cuius gratia à natura paratur. poni, inquam, non per se & propriè quidem, sed per accidẽs, & quasi impropriè. In moribus itidem quædam peccata sunt in sua specie perfecta, quę videntes & scientes de industria committunt, & ea propriè per se, & formaliter in sua quoque specie reponuntur. Alia verò imperfecta sunt, quæ præter intentionem ignorantes admittunt, & eiusmodi ad speciem & genus per accidens reducuntur. Error igitur ille catholicę veritati contrarius, quando in vitio ignorantia est, ad speciem hęresis referetur, nec tamen hęresis perfecta erit, nec perfecta infidelitas, quę, vt antè etiã dictum est, in tres species à Diuo Thoma distinguitur. Prima itaque obiectio minimo negotio pellitur. Illa altera difficilior est, vbi quęritur, cur, qui hominem ingnorans perimit, verè homicida est, atque adeò pœnas homicidij contrahit, si eius ignorantia est in vitio, is autem, qui contra fidem errat post fidem in baptismo susceptam, nec crimen hæreseos verè patrat, nec in pœnas hæreticorum incidit. Quę sanè quęstio ita soluitur. Non est hęreticus, nec Theologorũ, nec Iurisperitorum vsu, qui in hęresim illam imperfectam incurrit, nec heresis illa imperfecta in frequenti Vulgatoque sermone simpliciter & absolutè hæresis est,

sed ille tantummodò hæreticus dicitur, qui formaliter & ex electione quasi dedita opera cum cõmuni fide pugnat. Quare nisi à perfecta & consummata hæresi nullum hæreticum nominabimus, si frequentem eundemque proprium huius vsum vocabuli volumus cõseruare. Eam rem quoniam tùm ex nominis origine & notione, tùm ex veterum testimonijs, tùm ex communi omnium sensu paulò antè ostendebamus, nihil est necesse acta agere. Hinc illud est, Excommunicamus omnem hæresim extollentem se aduersus catholicam fidē. Non errorem, ait, extollentem se aduersus episcopum, non aduersum inquisitores, non aduersum Theologos, aut Parisienses, aut Salmaticenses, aut Complutenses, aut Bononiēses, sed aduersus catholicam fidem. Hinc enim illud, Non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ. Non dixit, Sanis sermonibus episcopi sui, non eorũ, qui de fide inquirunt, non Theologorum etiam multorum, sed Domini nostri, &c. Quòd si vel in diuinis libris, vel in ecclesię doctrina nõ acquiescit, hæreticus est, quãuis non sit nec ab amicis, nec à Theologis, nec à fidei iudicibus admonitus. Contrà verò, si horum omnium repudiatis & monitis & præceptis, sermones tamen Dei & ecclesiæ non industria repudiat, sed ignorantia, hæreticus nõ est. Nec verò eædem causæ subsunt, vt cętera vitia, cùm ex ignorantia crassa supinaq; prodierint, & nomen & speciem amittant. Non enim homicida is solùm dicitur, qui hominem data opera occidit, sed qui iniustè occidit, quamuis animi perturbatione, aut etiã imprudens id fecerit. Atque item similiter in reliquis.

De hæreti. ca. Excommunicamus.

1. Tim. 6.

Iam D. Thomas vel prudenter fidei iudices admonet, idq; illis præcipit, quod non suspicari modò, sed sumere etiã atq; existimare debent: vel non putat ea, quæ in omnium catholicorum ore versantur, ab vllo omninò fideli ignorari posse, nisi qui errorē affectauerit: vel de hæresi imperfecta intelligit, quę nec pertinaciam requirit, nec absolutè & simpliciter hæreticum facit, sed quodammodo. Atque hoc responsum idem illa etiam verba recipiunt, quæ ex 1. par. suprà scripsimus.

At

At Chrysostomus à nobis stat, non contra nos. Qui enim non studio certandi, sed discendę veritatis doctrinæ resistit, cùm doceri paratus sit, cum nec Chrysostomus, nec alius quisquam hæreticum propriè vocauerit. Et illos tamen, de quibus Paulus Timotheo sermonem faciebat, graue peccatum peccauisse, verti in quęstionē non potest. Inuenitur ergo, Chrysostomo auctore, error fidei contrarius, qui tametsi in vitio est, non tamen est hæresis: quia non est malitiosi error, sed ignorantis. Quòd si Chrysostomi interpretationem sequimur, non erat Paulo de hæreticis sermo, qui, quoniam obstinatè pugnaces sunt, non sunt admonendi, sed vitandi. Quē sentium iudices fidei videntur sequi, cùm in vniuersum iubent, hæreticos vel omissa fraterna correctione denunciari. Quod vtique præceptum vulgo datum prudentia plenissimum est, quanquam non omnium hæreticorum aures, vt quidam falsò putãt, ita clausæ sunt veritati, vt ab amico præsertim docto & sapienti verum audire non queant. Hanc spem, fateor, de amicis hæreticis nõ sunt passim indocti habituri: paucorum erit ista fiducia, eaque prudentissimorũ, sapientissimorum, cõiunctissimorum, qui & prudenter intelligant, quorum non sit desperanda salus, & sapienter amiceque possint suos ad fidem ecclesiæ reuocare. De quibus non valdè obfirmatis, Paulum quoque ad Timoth. loqui haud absurdè intelligimus: Nolo autem, vt quispiam quamuis doctus & amicus, hac periculosissima ætate, vbi hęretici obfirmatissimi sunt, vel plerique, vel omnes, fraterna correptione abutatur, nisi firmiter & certo existimauerit, hæreticum esse ex animo conuertendum. Non enim propter cõiecturas, aut verosimiles, aut etiã probabiles, rem tanti momenti debet periculo exponere, præsertim cùm experimento exploratum fuerit, quantum nostratibus incommodi attulerit in crimine hæresis intentata correptio. Meminisse debet vir doctus & prudens Paulũ mulieri cõsulere, vt maneat cũ viro infideli: quòd videlicet inter gentes, quibus tunc scribebat, spes erat, vt vxor virũ suum ad fidē alliceret. At vbi ecclesia cõperit, inter Iudæos præsertim vxores potius corrumpi à viris,

S. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7.

1. Cor. 6.

prudentissimè sanxit, ne vxor ad fidem conuersa cũ viro infideli maneret. Quã lege non Pauli cõsilium euertit, sed firmauit. Sic fidei iudices, quando multis magnisq; experimentis acceptis legem tulerint, de denunciando hæretico quamuis occulto, fraternæ correptionis legem à Christo præscriptam non violant, sed stabiliunt. Nisi naturæ iuribus legislator repugnauit, cùm sapientissimè edixit, Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicẽs: Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu & patres tui, non parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies, &c. Deut. 13. Hęc igitur lex in crimine hęresis populo seruanda est diligenter, ne, dũ per falsam misericordiam homini indulget, in rẽ Christi publicam crudelis sit.

Ad confirmationem 2. quinti argum.

Nec operæprecium erit hoc loco disputare, an Apostoli hæretici fuerint, quod, qui fatetur, qua hũc obiurgatione, aut quo potius cõuicio à tanto errore conetur auertere? Potest enim, Deus immortalis, absurdius dici quicquam, quàm ministros primos Euangelij ad vnum omnes, nõ à fide modò alienos, verùm etiam hęreticos fuisse? Quantò & verius & modestius illi sentiũt, qui arbitrantur Apostolos Christi nõ ex malitia, nec de industria, sed ex animi perturbatione & ignorantia peccasse. Apertè illis Dominus mortem & resurrectionem suam prędicebat, & tamen ipsi, vt Lucas ait, non intelligebãt, quæ dicebantur: & credemus nos post tot adeoq; magnas turbas excitatas, discipulos nõ perturbatione animi, sed malitia dubitasse? Nã incredulitas & duritia cordis cuiusmodi illa fuerit, Euangelista nobis exposuit, inquiens, Quia his, qui viderant eum resurrexisse, nõ crediderunt. Illi porro, qui viderant, digni omninò erant, quibus fides haberetur: sed falli poterãt tamen. His ergo nõ credentes Apostoli quidam & multis & incorruptis testibus duri erant, incredulicq; etiam erant: at non Deo, sed hominibus. Pertinaces itaque erant aduersus homines, non aduersus Deũ & Christum eius. Quocirca Christi discipulos hæreseos insimulare, stultitiæ est manifestæ, si ea, quæ diximus in hæresis finitione constituenda, rectè & dicta & confirmata sunt. Confirmatum est aũt multa esse, quæ concurrant, vt quispiam hęreticus constituatur. Primùm, errorem habeat oportet. Deinde vt is error catholicæ veritati contrarius sit. Tertio loco certum esse necesse est atque expeditum, errorẽ illum veritati catholicæ repugnare. Quarto, errori pertinaciam adiungi, non quamuis, sed quæ cum certa ecclesiæ regula pugnet. Quinto, vt is error sit post susceptam fidei professionem in illo, qui Christo se credere profitetur. Hactenus Theologis nostris attenuatè persequè finiuimus, quidnam hæresis sit, vnde illis statim perspicuum fiat, quænam sit hæretica propositio. Nam in mẽte eadem prorsus res sunt, in voce autem vel scripto hæretica propositio dicitur, quæ hæresim interiorẽ enunciat, illiusque est omninò signum. Quia verò solus Deus nouit & corda & cogitata filiorum hominum, nemo mortalium profectò potest alterius habere clarè cognitam hæresim, & satis firmè conceptam animo atq; compræhensam. Quamobrem, cùm vox scriptumque ipsum, ac cætera demùm omnia externa signa fallacia aliquando sint, non est facile certas & constantes formulas fidei iudicibus exprimere, vt rectè atque ordine valeant de hæresibus iudicare. Nam Theologi quùm compertum habuerint, propositionem aliquam fidei catholicæ esse manifestè contrariam, subscribent fortè illicò, hæreticam illam esse, quoniam interdum de rebus ipsis nudè positis ex genere naturaq; loquuntur, & eas, quas circunstantias appellant, quandoque aut negligunt, aut certè in iudicum fide ac diligentia deponunt. Itaque suo se munere probè functos arbitrantur, si vnũ illud explorauerint, an error, cuius ab eis nota quæritur, fidei apertè aduersetur. Cùm autem ad hæresim perficiendam eam, quæ legibus proscripta & damnata est, quædam alia sint, vt diximus, necessaria, non videtur esse benè consultum multorum infirmitati & innocentiæ, nisi fidei censores iterum atque iterum admoneantur, vt diligentissimè errantium iudicium, ingenium & animum studeant indagare, illudque potissimùm, an

Luc. 18.

Matth. 16.

eim pertinaciam habeant, quæ suprà studiosè nobis & sedulò diffinita est, quòd in hac re vel maximè ecclesiastici iudicij cardo versatur. Nec satis est ad sententiam de hæresi ritè iusteque ferendam, hæresim ipsam suspicione attigisse, sed comprehensione quadam opus est, vt sine errore de erroribus iudicetur. Nisi enim illos iudex quasi manu teneat, præceps ferè erit temerariumq; iudiciũ. Quòd si in causa sanguinis id ciuiles leges præscripsêre, vt probationes essent luce meridiana clariores: ecquid fieri oportet ab ecclesiæ iudicibus in eis causis decernendis, in quibus non solùm res, honor, fama, vita hominis vnius periclitatur, sed totius etiam generis ac familiæ præclara & sempiterna existimatio? Age ergò normas præstituamus, quibus ecclesiæ iudices tutò in hæresi dijudicanda vti possint.

CAPVT IX.

Regulæ tres, ad quas fidei externa iudicia dirigenda sunt.

PRima formula in promptu est, ipsius contra se errantis testimonium, quod in omni foro exploratum est, admissi criminis argumentum, præsertim si crimen suum reus sua spõte & voluntate testificetur. Tametsi ea etiam cõfessio, quam à reo iudex quæstione ac tormentis exprimit, secundum leges tum ciuiles, tũ canonicas idonea est ad faciendã in externo iudicio fidem. Sed de toto hoc & cõfessionis & quæstionis genere cõmodius non à iurisperitis solùm, verũ à quibusdã etiã optimis viris familiariter colloquentibus, quàm ab vllis Theologis vlla in schola disputatur. Nec verò quempiam velim in eum sensum formulæ huius verba interpretari, vt reus, qui hæresis fortasse vim & naturam nescit, hæresim ipse sit suo iudicio æstimaturus, illumq; secuti in sententia iudices. Sed ita accipi oportet, vt reus cùm factorum atq; dictorũ suorum, tũ propriè cõscientiæ atq; animi testis contra se sit, iudices ex factis, dictis, mente, ingenioq; illius hæresim deprehendant, cuius notionẽ ante oculos positam habere in omni fidei religionisque iudicio debent. In hominem præceptor olim meus incidit, qui vehemẽter se ipse affirmaret hæreticũ esse.

esse. Quid ita? rogat. Cur te hæreticum esse arbitraris? Respondit se tenere cõtra catholicam fidem. Hic ille vrget. An tu credis catholicam fidem falsam esse? Minimè gentium, inquit iste, ideò enim me hæreticum existimo, hoc est errantem, & à veritate alienum, quia contra fidem catholicã sentio. Iam præceptor risum cõtinere nõ valens, abi stulte, ait, eò enim minus hæreticus es, quò magis te hæreticũ opinaris. Salua quippè res est, si tũc errare te sentis, quũ fidei catholicæ repugnas. Sic hominis stultitia est nõ tam Theologiæ rationibus, quàm prudentiæ manibus cõprehensa. Mihi etiã ipsi aliquando contigit, vt à iudicib. fidei errores nescio quos denotandos acciperem: certè hominis eius errores, vt posteà comperi, qui iudicũ nec iussu nec accersitu ad tribunal venerat, sed sacerdotis cuiusdam suasu & consilio, quẽ pœnitentiæ administrum habebat. Spontè igitur suoq; iudicio hæreses aduersum se plurimas, sic censebat, excipiẽte notario, prodidit. Ad me ergo itum est, vt errorũ notas ederem. Quos vt multos variosq; conspexi, cœpi mecum ipse attentiùs cogitare, quisnam eorũ auctor haberi posset. Quicunque porrò is esset, partim ex Arrij, partim ex Macedonij, partim ex VVicleffi, partim ex Lutheri fontibus, quasi quosdam diduxisse riuulos videbatur. Crederes eum assiduè in omnium hæreticorum lectione versatum. Quòd si vlla esset rerum consequentia & connexio, errorúmue cõpositio & coagmentatio aliqua, mihi quoq; iniecta esset ista suspicio. Sed cũ cernerem, in tanta errorum copia non complexionem esse, nõ vinculum, insaniæ hominis potiùs, quàm hæreseos venit in mentem. Nolui itaque de erroribus iudicare, nisi prius auctoris ingenium & iudicium explorassem. Ergo iudices rogo, num copia sit videndi hominis. Aiũt esse, Nam datus erat in custodiam, & coniectus in carcerem. Soluitur vinculis, coràm producitur, intueor oculis, animo cerno, video illum parum sana mente esse. Periculum ex rebus præsentibus feci, quas longum esset commemorare, probaui ita se habere rem, vt antè ego cogitaram. Vix tamẽ à iudicum animis opinionem infixã potui diuellere. Sed vici tandem, & persuasi, atque,

vt erant viri boni, dederunt manus, amẽtemque sponte confessum, suoque iudicio conuictum, in parentum domum cerebro vacuum quidem, sed omni etiam pœna vacuum dimiserunt. Ac de his nihil est necesse, vt Theologi præcipiant: sed tamen ea cognoscenda, pertinent enim ad eum vsum, quem iuris prudẽtes sunt è locis theologicis habituri, de qua re hoc libro disserimus. Reliqua deinceps persequamur, nam formula hæc tantùm attingenda fuit.

9.32.ar. 4. c.11.l. 4. Alteram D. Thomas protulit in prima parte, & in priorem ad Corin. epistolam. Ea est huiusmodi: Si error fidei contrarius circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quin ad fidem catholicam certò pertineant, tunc iudices tutò de hæresi pronunciabunt. Vt si, exempli causa, homo quiuis etiam de media plebe aut negat Christum crucifixum, verè mortuum, verè à mortuis excitatum: aut ait, superfluum esse & vanum orare pro mortuis, nullo præmio iustos à Deo affici, nullo supplicio improbos, & cætera similia. Itẽ si vir in scholę Theologia diu multumq; versatus cõtendat spiritum sanctũ à filio nõ procedere, aut patrem & filium spiritus eiusdem duo esse principia, aut nõ esse tres pœnitentię partes, aut Christianis nullo modo esse licitum cum hostibus belligerare, aut episcopum nõ esse superiorem simplici sacerdote, aut quicquam eiusmodi, quod incredibile est nescire Theologos ad ecclesiæ communẽ fidem attinere, præsertim si in schola, vt dixi, perdiu sese ac valdè exercuerunt. Quà in re non dubito, quandoque à iudicibus per remissionem nimiam aut magnam certè ignorationem erratum. Nolo enim suspicari, fidei leges per gratiã esse, aut populi furori, aut potentium voluntati concessas. Fuerunt ante hos paucos dies theologi quidam habiti doctissimi, in ijs erroribus deprehensi, quos & Lutheranorum esse proprios, & ecclesiæ cõmuni fidei aduersos, nemo addubitare poterat, qui vel mediocriter rebus Theologicis esset instructus. Coacti sunt hæreses abiurare quasi suspecti, de hæresibus non conuicti. Cùm tamẽ, si hæc non dico ad rhythmicorum aut musicorum acerrimã normam, sed ad perad perpendiculum communis iuris & vulgarem rationis formulam dirigerentur; nullum facilius erat proclriuiusque iudicium. Turpè fuit autem ea dubitare peritos, quæ ne rustici quidem dubitant, nempè nullo pacto verisimile fieri, vt homines in earum, quas diu multumque tractarunt, ignoratione versentur. Ecquis autẽ credat, viros theologicissimos, sic censebat vulgus, earũ rerum insçios & rudes, quæ Theologis vniuersis notæ & peruulgatæ sunt? Erat in animo, quæ horum Theologorum fuerunt, errata subscribere: vt in hac quasi imagine & huius præscriptionis regula illustrior appareret, & admonerentur quoque futuri iudices, vt alieno periculo saperent, neque animi relaxationẽ & molliciem, clementiam, & misericordiam esse arbitrarẽtur. In illis nimirum & reis & iudicibus, ne quod perniciosum exemplum esset proditum, pertimescebam. Quod enim exemplo fit, iure fieri putant. Sed quoniam iam rei ipsi decesserunt, omniq; odio carent & inuidia, non putaui eiusmodi errores traducendos, quos si contestatos & consignatos ederem ad sempiternam memoriam turpitudinis, non solùm in mortuos reos, sed in viuos etiã iudices viderer maledicta conferre. Quanquã fortè ibi timeo, vbi non erat timor. Sed vtcunq; res habeant, iurisperitos admoui, ne in animum inducant credere, nullos esse pertinaces, nisi qui iudicũ monitiones præceptaque despexerint. Ante hominum hortatus istos, crede mihi, vera hęreticorũ pertinacia reperitur, eorũ scilicet, qui minimè ignorant opiniones suas cõtra fidem ecclesię venire. Ipsa vero omnium fidelium vox idemq; communis sensus, non pro vna monitione dico, sed pro mille sufficit. Quapropter ecclesię vnam vocem qui spernit, hic multo pertinacior est, quàm si sexcentas, aut Theologorũ aut iudicum contempsisset. Ac de secunda quidẽ regula hactenus. Tertiam hanc habebimus.

Si de cuiuspiam errantis pertinacia dubitant iudices; duæ res illis sunt accuratius transigendę: quarum vna Theologorum propria est, altera cum Theologis iurisperitorum etiam communis. Priorem ergo à Theologo iurisperitus mutuabitur, posteriorem autem suo sibi

iure vindicabit. Primùm igitur à sapientissimis Theologis illud explicatum diffinitumque habeant iudices, an error, qui in iudicium venit, cum fide catholica apertè pugnet. Nam vna ex hac parte dupliciter hæreseos iudicium excludetur: vel quia incertũ est dogma illi errori contrarium catholicæ fidei veritatem esse, vel quia repugnãtia erroris eiusmodi & catholicę veritatis obscura est, & in opinione posita. Vt si, verbi gratia, olim negaret quis, epistolã ad Hebræos esse Pauli, habeat autem pro certo illam esse canonicã, & de auctore epist. quæst. moueat, non de auctoritate; sunt Theologi qui sentiãt hæresim illam esse. Ego verò nisi ecclesię definitio obstaret, non puto, qui existimem Christi fidem in nullo extremo versari discrimine, si libri canonici auctorem nesciamus, modo sciamus librum esse canonicũ. Quocirca siue Paulũ, siue Luc. seu Barnabam illius epist. auctorẽ quispiam dixerit, si solida ei est fixaq; & constans epist. auctoritas, non continuò Christi fidem euertet. Cũ igitur tempore D. Hieron. nondum fuerit exploratè cognitum, an fidei certa veritas sit, Paulũ illam ad Hebr. epistolam scripsisse, si error aduersus ad tribunal fidei tunc referretur, criminis fortasse quidem iudiciũ fuisset, sed hæreseos iudicium nõ fuisset. Item, Dei auxilio peculiari nos egere, vt sicut oportet credere, sperare, diligere q; possimus, fidei dogma est longè certissimũ. Qui inficiabũtur, nullos esse habitus spei & charitatis infusos, illi dogmati huic, quidã sentiunt, repugnabunt: sed quia ea pugna, tametsi valdè probabiliter apparet, non tamẽ est manifesta ratione compræhensa, eorũ hominum error notãdus est, temeritas & impudẽtia notanda: hæresis ne suspicanda quidẽ ante sacri concilij Trident. decreta Qui locus nullo etiam cõmemorante fidei censores admonet, vt id mutui, quod à Theologis sunt necessariò accepturi, non à quibusuis accipiant, sed ab eruditis, expertis, exercitatis. Qui scilicet cũ exploratum habeãt, qui nam ex Theologię locis certi ac firmi sint, qui contrà probabiles & nõ necessarij; tum argumentorũ Theologicorum frequenti atq; expedito vsu facilè quoscunque errores deprehendant, qui fidei catholicæ dilucidè refragen-

refragẽtur. Altera erat res, vt iudices diligentem nauent operam, quò illis errantis pertinacia pateſcat. Quæ si in dubium fortasse vertitur, & neque ex ante aut dictis aut factis, neq; ex errantium statu, cõditione & ingenio colligitur, nõ alia eam ratione meliùs deprehẽdent, q̃ si errãti certũ signum catholicę eius veritatis ostendãt, cui error istius contradicit. Vt si proferatur apertiùs aliquis scripturæ locus, aut definitio legitimi cõcilij generalis, aut decretũ constãs apostolicæ sedis, aut vna quælibet alia certa nota earũ, quib. & catholicę veritates & cõtrarię omninò hæreses diiudicãtur. Quòd si hisce signis notisq; platis ille cesserit, argumentũ erit ignorantię probabilissimũ: sin repugnauerit, argumentũ erit pertinacię certissimũ, præsertim si nec ingenij nec doctrinę expers sit. Nã si adeò rudis & imperitus est, vt harũ rerum intelligentiã nullo modo habere possit, equidem nullã certã regulã præscriptionẽq; cõ tãtem exprimerẽ, vt hominis eiusmodi pertinacia innotescceret. Certè si qua est crassa pinguiq; Minerua describẽda formula, ea erit sententia ecclesię cõmunis, fideliũq; consensus & cõspiratio cadẽ, quibus si iste aduersetur, tum etiã cũ videt cõtra se venire omnes, pertinax atq; adeò hæreticus existimabitur. Nec necesse erit tamen orbem omniũ peragrare terrarũ, & singulorũ fidelium rogare sententiã. Nam quæ sit fideliũ singulorum, neque arte aliqua, nec diligẽtia & inquisitione perpenditur, sed quodã quasi prudentię sensu iudicatur. Quemadmodũ enim si quispiam neget omnem ignem calefacere, non est opus, cõtumax in natura habeatur, propositionem illam generalem indu ctione & demonstratione singulorum ignium, sed signi ficatione potiùs & ratione declarare, cum quibusdam demonstratis eadem sit de cæteris ratio. Sic in fidem ecclesię ille erit pertinax, qui suę prouinciæ aut ciuitatis fidelibus vniuersis in fidei sententia repugnauerit. Sed relinquamus, idque largiamur inertiæ nostræ. inepti enim sumus, vt hebetes ac rudes ad regulam & lineam exigamus. Hæc verò omnia, quæ in hac postrema constituenda regula diximus, si ad vulgaris prudentiæ rationem dirigas, recta fortasse erunt, sin perpende-

Sic fortè interpretãda est sententia Bar. l. Tutor. ff. de suspect. tuto. & Felini in rubrica. de hæreti. & Cardi. in Clemẽ. 1. de sum. Trin. Qui sentiunt episcopi & inquisitorum ad monitionẽ esse legitimam, vt qui eã contemnit, hic pertinax censeatur.

re ad exactioris disciplinæ præcepta velis, reperientur quædam fortasse non recta. Quid enim in tam inæquabili & rerum & ingeniorū veritate præscribere nos possumus, quod æquabile inter omnes & vnum omnibus esse queat? præsertim cùm id genus causæ propemodū coniecturales sint, in quibus iudices iudicijs quibusdā atque vestigijs in ipsa penetrare hominum corda pertētant, quæ si cognoscerent, nō egerent perpendiculis, nō normis, non regulis. Quid igitur hæresis sit, quæ hæretica propositio, qua demum via ac ratione vtrique & theologo & iurisperito internoscēda, mihi iam satis superque dixisse videor.

CAPVT X.

De propositione erronea, sapiente hæresim, piarum aurium offensiua, temeraria, scandalosa.

DEinceps vt erat propositū, de propositione erronea videamus. Cuius notio ac definitio nō cadē omnibus, sed sua cuiq; est, vt hic etiam verum id esse cōprobes, Quot homines, tot sententiæ. Illud autem in primis definitum & constitutum sit, propositionem erroneā ab hęretica non cogitatione modò, sed re etiam separari. Non enim, vt quidam existimant, concilium Constantiense, vnde varia ista errorum genera accepimus, propositionē erroneam vsurpat in significatione generali, vt erroris hęretici & cæterorū genus cōmune sit, quę videtur esse eius nomins propria significatio. Ec quis enim credat quicquam aliud esse propositionem erroneam, quàm errorem? Sed concilium, vt dixi, ab hac vsurpatione longè abest, id quod statim planum faciam, si verba patrum adscribam. Compertum est, inquiens, ex prędictis articulis plures esse notoriè hæreticos, alios non catholicos, sed erroneos. alios scandalosos, quosdā piarum aurium offensiuos, nonnullos temerarios. Quæ forma sermonis esset & falsa & absurda, si propositio erronea pro quocunque errore communiter sumeretur. Iam enim rectè quoque dici posset post multas argumentationes enumeratas, in his quasdam esse syllogismos, quasdam inductiones, quasdam argumentationes, quod

quod quàm sit ineptum, nemo est, qui non intelligat. Sine dubio igitur erronea propositio ab hæretica secernitur, non tanquam genus ab specie, quod esset discrimen rationis, sed tanquam vna erroris species ab altera, quæ vera rerum, non modò vocabulorum, distinctio est.

Illud deinde constituere debemus, quod prius forsan dictum oportuit, sed doctrina sera non est reprehendenda, præsertim si in opportunum tempus reseruata sit. Constituendum ergo catholicas veritates non singulari modo, sed bipartito reperiri. Quædam enim sunt catholicæ veritates, quæ ita ad fidem pertinent, vt his sublatis, fides quoque ipsa tollatur. Quas non vsu frequenti, non solùm catholicas, sed fidei veritates appellauimus. Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicæ & vniuersales, nempè quas vniuersa ecclesia tenet, quibus licet euersis fides quatitur, sed non euertitur tamen. Atque in huiusmodi veritatum contrarijs erroribus suprà dixi fidē obscurari, non extingui: infirmari, non perire. Has ergo nūquam fidei veritates censui vocandas, quamuis doctrinę Christianæ veritates sint. Speciales orationes applicatas vni personæ per prælatos vel religiosos plus prodesse eidem, quàm generales, Fratres non teneri labore manuū victum quærere, sed licere eis esse mendicos, & complures alias similes propositiones, quas omnes catholici veras esse sine dubio existimant, ideoq; veritates catholicæ vocari possunt, atque etiam debent. Quæ igitur propositiones huius posterioris generis veritatib. contradicent, eas equidem erroneas appello, quæ quoniam doctrinæ catholicæ aduersantur, errores sunt hæresi proximi, hęreses nō sunt. Nec nostro more nos ita loquimur, sed est etiam hoc in more positum sermoneque maiorum, vt nomen generis speciei illi absolutè tribuant, quæ est in eo genere imperfectissima. Sic Aristoteles in prædicamētis dispositionem seiunxit ab habitu, cùm tamen dispositio aliàs habitus ipsius genus sit. Virtus quippè, quam habitum esse nemo est qui nesciat, dispositio est perfecti ad optimum. Ac ne plura exempla, quæ sunt propè innumera, referamus, illud est passim vulgi etiam ore contritum, quo animalis vocem, cùm omnium animantium com-

communis sit, interdum pro his solùm accipiunt, in quibus nihil aliud, quàm vis animantis apparet. A qua consuetudine ne Paulus quidem abhorruit, quum animalem hominem dixit, quasi brutum expertemq; rationis. Patres item concilij Constantiensis hoc sensu videntur esse locuti, si accuratè eorum voces expendamus. Ex quibus facilè intelligimus, erroneas propositiones contra catholicas fuisse diuisas, & inferiore quodam gradu, quã hæreticas fuisse locatas. Error itaq; qui & minus quiddã quàm aperta hæresis, & catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur. Theologi deniq; modestiores, quum in disputationibus suis quicquã sanæ doctrinæ aduersum hæreticum appellare non audẽt, temperato vocabulo erroneum esse confirmant. Quum verò in hunc sensum & vulgari consuetudine alliciat, & compellat maiore Philosophiæ ratione, facilè me patior in eum adduci libenterq;, in eo cupio retineri. Est & propositionis erroneæ alius item gradus. Quum enim veritas aliqua, sapientum quidem opiniõe vehementi, fidei veritas est, sed non est planè ab ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata, tunc veritati illi aduersari non est hęreticum, sed erroneum. Videlicet hęresis, quẽadmodum supra diximus, à voluntate quoq; errantium pendet, nedum ab intellectu. Error autem sicut & falsitas, è rebus ipsis significatis perpenditur, nulla asserentis habita ratione. Ita licet veritas illa ad fidem suapte natura pertineat, quia tamen nec hoc certum nec expeditum est, hæretica pertinacia abest, error grauis & periculosus non abest. Similiter & propositio erronea tertio quodam gradu vocari potest, quæ certæ veritati catholicæ fidei aduersatur, non manifestè quidem, sed sapientum omnium longè probabili ac fermè necessaria sententia. Eius quippè erratio grauis est, qui hoc defendit cõtumaciter, quod viri omnes docti sentiunt periculũ grande catholicæ fidei conflare. Quicunque ergo vel doctrinam fidei appendicem liquidò euerrit, vel fidem ipsam in discrimen adducit, vehementer ille sanè in Christiana disciplina errat, atq; adeò eius dicta iure appellẽtur erronea. Verũ de erronea propositione plus, q̃ satis dictũ est,

Pro-

Propositio verò sapiens hæresim à quibusdam definitur ea, quæ in significatione, quam verba prima facie ostendunt, sensum habet hæreticum, quanuis piè intellecta sensum aliquem habeat verum, vt sunt, inquiunt, istę propositiones, Pater est maior filio, Christus est creatura. Tres sunt dij. Quæ definitio nec vocabuli potestatem exprimit, nec rei diffinitę vim naturamque declarat, nec mutuo nexu cum illa est copulata. Quis enim dubitat, illam propositionem, Ridiculum est Eucharistiæ sacramẽtum solenni ritu per vias publicas circunferre, Lutheranorum hæresim sapere, qua negãt in Eucharistia corpus Christi verum contineri? & tamen in nullo pio sensu vera est. Huiusmodi propositiones multas in Erasmo, Ioãne Carione, aliisque quibusdam huius seculi scriptorib. passim leges, quæ nec apertas hæreses præ se ferant, nec sanum aliquem habeant sensum, sed quia hæreseos sapore quendam & odorem referunt, merito eas quidẽ dicimus hæresim sapere, qui verò illas proferunt, hos hæreticorum & saporem habere & proferre odorẽ. Nec exempla illa placent, quibus hi suam definitionem illustrant. Veriora equidẽ exẽpla desidero & magis ad rem, de qua agitur, accommodata, quamuis in hoc genere nihil ab ijs requirẽdum est, qui omnes istos propositionum gradus permixtos esse ac confusos opinantur. Sed primum exẽplum à Ioannis Euangelio Christiq; doctrina sumptum est. Quòd verò Christi doctrina & Euangelium hęresim sapiat, scribere ego non auderem. Illud secundum exemplum congruens atq; aptum est, si eis assentimur, qui existimant, illam orationem, Christus est creatura, simpliciter veram esse, sed eam Theologos refutasse, quòd fœtorem quendam ab Arrio contraxerit. In quam sententiam Diuus Thomas multa dixit. Ac Sophronius in sexta synodo planè fatetur, Christum creatum & increatum, idemq; in tertio libro Ioannes Damascenus. Sed & Hieronymus creaturæ nomen in Christo non horret. Ego vero semper habui persuasum, enunciationem illam & simpliciter falsam esse, & catholicæ fidei absolutè contrariam. Est enim in creaturæ voce negatio intus inclusa, quæ Chr.sti supposito absolutè diuinitatẽ tollit. Nam

3.p.q.14.ar. gu.6.act.11 In Isaiæ 45.ca.

qui

qui dicit rem aliquam factam ex nihilo, is negat eam de substantia generantis extitisse, hoc enim discrimine, id quod verè & propriè factum est, ab eo, quod verè & propriè est genitum, separatur. Quemadmodũ igitur illud, Christus cœpit esse, fidei aduersum est, quoniam inde perspicua argumentatione sequitur, filium Dei esse cœpisse, atque adeò aliquando non fuisse. sic & illud, Christus factus est ex nihilo, fidei quoque aduersatur, quod implicitè filius Dei de natura eius, à quo extitit, esse negatur. Siue igitur incipere, siue factum esse, seu esse creaturam, de filio Dei verè enunciari non possunt, quoniam inficiationem abditam & latentem continent, quæ à filio Dei, pro quo nomẽ Christi accipitur, vel perpetuum esse vel esse à patre depellat. Itaque, vt mea fert opinio, propositiones illæ ac cæteræ eiusmodi non tanquam sapientes hæresim, sed tanquam hæreticę à Nicæn s patribus sunt damnatæ. At propositionem hæreticam & sapientem hæresim eandem esse, mihi quidem non fit verosimile. Stultus nempe haberetur is, qui quam rem vinum esse constaret, hanc vinum sapere, nisi per iocum & ridiculum, diceret. Iam patrem & filium & spiritum sanctum tres Deos esse, cum fide apertè pugnat. Nã sensus ille, qui pius dicitur, impius est. Pari certè ratione illa propositio, Deitas est crucifixa, hæresim sapere diceretur, quam tamen, vt hæreticam manifestè, quinta synodus condemnauit. Illa item, Essentia generat essentiam, in gradu sapientium hæresim locaretur, quam in hæreticarum numero poni oportere, Concilium Lateranense definit. Quid illæ? Essentia diuina non est persona patris, In tribus personis tres sunt Deitates, aliæque plures huiuscemodi, quas in sensu nouitio, & nuper à se excogitato, quidam veras esse dixerunt. Sane nihil tam absurdum dici aut excogitari poterit, quod in sensum aliquẽ fictum si detorqueas, verum non sit, ac rationi tum humanæ, tum diuinæ consentaneum. Sed consentaneum non est, sensa eiusmodi commentitia, ab vsuque sanctorum & ecclesiæ aliena, pia nuncupare, & homines futiles talium sensorum excogitatione defendere. Ego certè, vt quod sentio loquar, harum propositionum auctores

res nihil minus, quàm hęreticorum saporẽ habuisse arbitror. Sed si in eis aliquem meo gustu percipio, insciticę sapor ille est, non hęreseos. Quũm verò loquendi vim & consuetudinem verborum teneo, propositiones ipsas, de quibus loquimur, non sapientes hæresim dico, sed fidei manifestè contrarias. Sermones porrò istos per metaphorã figuratos, considerata intelligentia magis percipere possumus, quàm circũscripta definitione explicare. Quamobrem, quid hæresim sapiat, quid non sapiat, non tã definitione & argumentatione speculatricis disciplinæ, quàm sensu quodam gustuq; prudentię iudicatur. Videas hominem in Lutheranorum dogmatis expugnandis & internoscenda mente exercitatũ, qui, vt canes venatici, in libro, quẽ legendum suscipit, hæreses odore quodã suspicionis quàm sagacissimè perueſtiget, eiusq; libri auctorem corruptum esse acutissimè sentiat. Leget eum librum fortasse alius stipes sine sensu, qui nihil omninò indagare, nihil olfacere, nihil ne suspicione quidem possit attingere. Quales sunt hodie non pauci, qui Baptistam Cremensem, Henricum Herpp, Ioannem Taulerum, aliosq; huius farinæ auctores quotidie habẽtes in manibus, quotidie in ore, eorum errata tamen, mentẽ, animum, non odore vllo, non vestigijs, nõ saporę capiunt. Videlicet, abstulit Dominus à Iuda & Hierusalem iudicẽ & prophetam, & ariolum, & senẽ, & sapientẽ, de architectis, & prudentem, nõ solũm eloquij mystici, sed hæresis occultæ dijudicandę. Quid ni muti sint canes & latrare non valeant, quibus ad inuestigandum nulla iam est sagacitas nariũ? Et cùm tot signis lupi declarent, qui sint ac velint, quid quærent ac desiderẽt, canes tamen ferè stupor oppressit, pastores verò cæcutiũt & obsurdescunt nescio quo modo, vt nec ea, quæ à viris sagacibus monentur, audiant, neque ea, quæ à lupis geruntur, videãt, nisi fortè omnes & pastores & canes stupidi timore obmutuerunt. Atqui vnde libet stupiditas accidat, ad ecclesię perniciẽ idem est. Securi enim iã potuerunt viri improbi non modò ad aurẽ admouere sermonem, qui vt cancer serpat, sed parentius venenũ spargere, atque euomere virus pestilentissimum erroris sui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd, si mens non læua fuisset, etiam occultum atque in venis inclusum, à sano humore secerni & internosci tam poterat adhibita diligentia & cura, grauique & acri iudicio, quàm potest color albus à nigro, aut dulcis sapor ab amaro distingui. Sed non est huius loci ecclesiæ calamitatem deplorare. Nunc enim id solũ agitur, propositionum sapores magis sentiendi & gustandi viribus discernendos, quàm speculandi. Causa quippè hos, non natura distinguit. Itaque non præceptis & regulis, sed prudentia & sagacitate dijudicantur. Expediã breui rem hanc, & planam exemplo vno faciam. Leges illam propositionem, Pater maior me est, in Euangelio. Habes illius doctrinæ auctorem cognitum & perspectum: antecedentia & consequentia in Euangelio verba diligenter attendis, eius doctrinæ principia reliqua memoriæ tenes. Iã experière, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum, propositionem illã, Pater maior me est, non hæresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eandẽ in Arrianorũ libris Athanasius, auctores intus & in cute nouerat Arrianę disciplinę causas & effecta, principia & connexa perspexerat, & quæ in Euãgelio Christi dulcis erat super mel & fauũ, eadẽ propositio in Arrij libros transfusa sapiebat hæresim, eratq; eius gustui vel amarissima. Atq; vt idem vinum ex vase vno sapit picem, ex altero non sapit, & res eadem illud olet, vnde sit, è cœno malè, ex arcula muliebri benè, sic vna & eadẽ oratio ex vno corde & ore odorem spirat iucundissimum, ex altero teterrimum, ex vno saporem suauem seruat, ex altero insuauem. Quemadmodum etiam videmus, aquam à radicibus & canalibus, per quas transit, aliud atque aliud & olere & sapere. Non itaque è rerum ipsarum orationumque natura, sapor odorúe omnis existimandus est, sed tum res, tũ orationes ipsæ à venis aliquando & vijs, per quas permeant, saporem & odorem accipiunt. Saporem igitur propositionum, vt dixi, non tam scientia, quàm prudẽtia dijudicat. Quocirca, quę propositio hæresim sapiat, quæ contrà nõ sapiat, nõ Theologi quiuis, sed prudentes solùm atque experiẽtes poterũt iudicare.

Idem verò de propositione malè sonante, seu piarum aurium

aurium offensiua dixerim. Est enim, vt linguæ nariumque, ita & aurium, iudicium suum, absurdos & abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodum autem nõ solùm res falsæ atque perabsurdæ, sed graues quoq; ac veræ sententię inconditis verbis elatæ offendunt aures, acres præsertim & acutas, sic Theologorum aures teretes, & religiosæ, non à sententijs modò falsis & hæreticis, sed ab ijs etiam abhorrent, quas intelligenti iudicio percipiunt malè atque absurdè sonare, quamuis nullam in eis falsitatem hæreseos deprehendant. Dupliciter ergo de propositione malè sonante loqui possumus: vno modo generaliter, quò omnis propositio fidei contraria fidelium aures offendit, eoq; magis, quò apertius illam vident fidei catholicę esse contrariam. Alio modo specialiter, quò gradum quendam propositionum constituimus ab illo hęreticarum supremo distantem. Qua ratione ea propriè malè sonantes propositiones & piarum aurium offensiuas dicimus, in quibus nullus error fidei aduersus manifestè notari potest, sed absonum nescio quid atque absurdum, quod indignum esse pijs & religiosis auribus videatur. Enimuerò in hisce absonis & absurdis propositionibus discernendis, nollem equidem imperito atq; imprudenti vulgo aures dedere, quarum est iudicium pinguissimum. Sanè quanquam nonnullis in rebus, quę fidelium omnium scilicet cõmunes sunt, iudicium rectum adeò doctis, atq; indoctis, est & promiscuè & cõmuniter à fide datum, vt quę propositiones vulgi opinione malè sonantes habentur, intelligentium quoq; iudicio malè sonantes ferè sint: at promiscuum vulgus auditum plerunq; hebetiorem habet, interdum etiam teneriorem, quàm opus est, & multa sępè tum auribus accipit, tum animo ferr, quę tritæ atque intelligentes aures aspernantur: quædam contrà refutat quasi absona, quæ Theologos peritos & sapientes non modò nõ lacessunt, sed ne mouent quidem. Theologos, inquam, peritos & sapientes. Nam in quibusdam aurium sensus fastidiosissimus est, in quibusdam etiam superbissimus. Quia igitur vel Theologi quidam nonnulla respuunt, quæ aures clementes & modestas

Universidad de Deusto
Biblioteca

minimè offendūt, necessarium est, si res has rectè & sapienter dijudicare volumus, aurium habere sensum politum, tersum, subtilem, prudentem. Quòd si propositionum absonarum consonarumq; iudicium ecclesia in vulgi auribus collocasset, illam certè propositionē, Beata virgo peccatum originis à primo parente contraxit, malè sonare, & pias aures offendere iudicaremus. Illa enim audita vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur. At piarum aurium offensio crimen est. Id autem in crimine ponere, quod ecclesia ab omni alienum crimine censuit, temerariæ insolentiæ est. Euangelij itē verba quędam, si turba nobis lex est, malè sonantia fuissent, & piarum etiam aurium offensiua. Turbas quippè
Ioan.6. aliquando Dominus vocibus ambiguis obscurisq; turbauit. Quin insigniter atque asperè discipulorum quandoque teneras auriculas perculit, nā Pharisæorum aures mordaci solebat radere vero. Pharisæi audito Christi verbo scandalizabantur: pleriſq; discipulis durus erat illius sermo: turbis habere dæmonium videbatur. Nec est ambiguum hoc tempore esse Pharisæos quosdā, esse stolidam turbā, & multitudinem falsis opinionibus obtusam, certos demùm esse discipulos, quibus est sermo veritatis durissimus. Hi, si abusus reprehendas, qui in imaginibus & colēdis, & ornādis, in sacellis, tēplis, monasterijs, sepulchrorū monumentis, sempiternisq; memorijs condēdis sunt plurimi: si affirmes, in huiuscemodi interdum, vel potius nimium sæpè plus vanitatē valere, quàm religionem, diabolum, quàm Christum; hi, inquam, fortasse dicent, te Lutheranis opinionibus occupatum intolerabiles sonos fundere. Non est igitur habēda ratio vulgi promiscui, imbecilli, perturbati, imprudentis, sed prudentis, synceri, pij, incorrupti. Nec Theologia modò requirenda est, sed pietas & prudentia, sine qua nullæ aures possunt consentaneos sonos abhorrentesque discernere. Itaque, vt semel finiamus, cùm non sit cuiusuis malè sonantē propositionem à benè sonāte distinguere, prudentissimi Theologi, quod iam iterum ac sæpè dixi, consulendi à iudicibus ecclesiæ sunt, nisi velint in harum rerum iudicijs vehementer errare. Et quamuis

quamuis nullam nos quidem comprehensionem habeamus, definitionē nullam, qua iu dices valeāt singulas in specie malè sonantes propositiones iudicare, illud tamē speciatim admonere possumus, huiusmodi propositionū duos esse gradus, Vnum earum, quas antè diximus, hęresim sapere. Videlicet, quæ fidelium gustatui malè sapiūt, eędem malè sonant auditui. Verùm quia gustatus sensus pinguior & crassior est, auditus subtilior & acutior, alter gradus malè sonantiū propositionum est, quæ licet hęresim nō sapiant, sonum tamen quendam absurdum & peregrinum referunt, qui à doctrina sana synceroq; & solido ecclesię sermone discrepare videatur. Qua ratione pias illę aures feriunt & asperè & grauiter, tametsi cur ita feriant, causa sępè occultissima est. Huius generis illa exempla videntur appositissima, quę Concilij Constantien. notauit, Graduationes, & magisteria vniuersitatū esse vana gentilitate introducta, & tātùm prodesse ecclesiæ, quantum diabolum, Siluestrum & Constatinū errasse ecclesiam dotādo, Ecclesiam Romanam esse synagogam Sathanæ, Electionem Papæ à Cardinalibus per diabolum fuisse introductam. Item, Papam non debere dici sanctissimum propter officium. Alioqui diabolus diceretur sanctus, quia est officialis Dei. Item, plures Romę nūc saluati ex coniugatis, quàm ex clericis. Item, monacharum nō esse pietatem. Item Romani episcopi monarchiam post D. Hieronymi tempus exortam esse. Itē, Phocam instituisse Romanam ecclesiam omniū esse ecclesiarum caput: & alia innumera, quæ, ne longum faciam, prętermitto. Quòd si quis adeò tenui palato est, vt has etiā propositiones hęreseos saporē referre iudicet, cū eo equidem non magnoperè contenderim, pręsertim si de harum vna & item altera sermo sit. Quanquam mihi, fateor, palatum torpet quandoq; aciacet, auris subtilior & erectior est. Ita mihi videor faciliùs posse propositiones auditu, quàm gustatu percipere. Sed, vt dixi, neuter sensus regulis instituitur, si defuerit prudentia & spiritus quidam dijudicandi: si verò hęc affuerint, sine preceptis nostris theologi iudicium poterit esse vel rectissimum. Ac de propositione malè sonante hactenus.

Propositio verò temeraria duobus itidem modis vsurpari solet: & communiter, & propriè. Cõmuniter, vt omnis propositio à fide auersa temeraria quoque appelletur, etiã si hæresis manifesta sit. Ecquid enim in consideratissima ac dementissima temeritate plenius, quàm Christi ecclesiam contradicere? Propriè autem ea vox vsurpatur, quum assueratio, vt temeraria notari potest: vt hæretica, vel erronea, vel sapiens hæresim non potest. In quem sensum post istos propositionũ gradus postremum locum propositio temeraria tenet. Temeritas porrò non vno & simplici modo intelligitur. Temerè enim ea quandoque fieri dicimus, quæ non consilio, sed fortuitò geruntur. Quo modo ea temeraria sunt, quæ turbulentè & inconsultè effutita sunt. In hoc verò significatu temeritas, quæ nullo delectu aut discrimine ducitur ad iudicandum, sapientiæ contraria est, in qua nõ casus & fortuna, sed ratio & consilium valet. Qui ergo nulla aut ratione aut auctoritate impulsus res ipsas affirmat, sed temerè scribit & dictitat, vel quod in buccam venit, iure is tanquam stultus & temerarius reprehenditur. Nam quamuis vera aliquando dicat, sed vt vera dicat, tamen non id consilium & ratio, sed fors & casus efficit. Qualia sunt nonnulla, quæ viri quidam pij in vita rebusque gestis Christi Domini magis cõminiscuntur quàm contemplantur, quę etiam scribunt, non tam verè & prudenter, quàm deuotè & feruenter. Quorum est interdum ęcca ac temeraria quidem, & in assentiendo credulitas, & in asserendo facilitas: sed temeritas hęc tamen non est eiusmodi, vt à fidei iudicibus coerceri debeat, qui grauiorem errorũ censuram assumere suo iure possunt, leuioris huius vel imprudentię vel stultitiæ non possunt. Fidei quippè cognitio illis mandata est, non prudẽtiæ, eius præsertim, quæ viros pios sæpè destituit. Videmus aũt illiusmodi, seu meditationes, seu contemplationes, licèt incõsideratè atq; imprudenter, sine ratione & graui testimonio editas, cũ pietate ferè atque adeò cum sanctitate esse coniunctas. Non decet igitur, vt simplicitas columbina seueriſſimi tribunalis iudicio vexetur; quantumuis illa sit inconsulta & imprudẽs

Dicit

Dicitur rursum & id temerè asseri, quod insolenter, nimiumque audacter asseritur. Quo modo omnibus in rebus assẽuerandi temeritas pronunciandiq; audacia turpis est quidem, sed in his, quæ ad ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa vel maximè. Habet enim contemptionem superbam, ecclesiasticæ regulæ: quam contemptionem nisi fidei iudices coerceant & comprimãt, dici non potest quãtum discriminis omnis ecclesię doctrina sit habitura. Quæ igitur nõ inconsulta oratione modò, sed, vt verbis vtar grauioribus, cõfidenti audacia, insolentia proterua, exultatione impudẽti, iactatione superba, non contra fidem dico, sed cõtra ecclesiasticę modestię regulam asseruntur: ea Theologi in pręsenti temeraria censent, atque inter errorum gradus constituũt & locant, qui, quoniam hæresum appẽdices sunt, à fidei iudicibus sunt animaduertendi. Vt, Beatam Virginẽ non esse in cęlos cum corpore assumptã, quod licet fidei minimè aduersum sit, sed quia cõmuni ecclesię cõsensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur. Ita, In baptismo non infundi paruulis informãtem gratiam & virtutes; cùm concilium Viennense contrariam opinionem duxerit eligendam. Item, Angelum non esse simul cum mũdo corporeo creatum, aut ipsum etiam non esse incorporeum; cum vtriusque rei contrarium concilium Lateranẽse sub Innocentio tertio nos docuit. Item, Diẽ iudicij ad certum quendam diem, mensem, annúmue futurum. Vt, verbi causa, ab hinc quinto vel sexto; quod à concilio Lateranen. sub Leone decimo diligenter præcautum atque prouisum est. Nec enim est parua temeritas eius rei præsagitionem vsurpare, quam inclusam diuinitus pater in sua posuit potestate, & neque Apostolis, neq; angelis reuelauit. Item, Ioan. euangelista fuit in vtero sanctificatus, atque in summa omnes illę propositiones, in quibus à fidei & scripturarũ lege vniuersali quispiam sine idoneo testimonio, aut probabili ratione eximitur. Nam huius generis exceptiones, temerariæ fidei leges, tametsi non tollant, prędidunt tamen. Est demũ & ea temeraria propositio, quæ in doctrina fidei cum celebris vniuersitatis cõmuni decreto ac definitiõe pugnat.

Luc. 1.

Quanquam enim circunferuntur articuli Parisienses, qui non sunt articuli fidei omnes; quoniã nec hanc quidem vel longissimè tangunt: sed eius academiæ tamè de fidei & religione fixa constantiaq; decreta semper Christi ecclesia suspexit. Qui vero contempserunt, inaniaque & leuia, ac pro nihilo existimauerũt, omnes ad vnũ periclitati sunt, & ij qui manifestè ab ecclesia discessere, & ij qui ecclesiæ fuêre suspecti: postremò ij, qui in occulto adhuc latent, sed suo se tempore, vt cæteri, prodent.

Propositionem aũt scandalosam quidam cum piarum aurium offensiua cõfundunt, vt verbis distinguãtur, re eædem prorsus sint. Atq; huius generis exempla illa ponunt: Tyrannũ potest quilibet illius subditus occidere, Ieiunare impertiens est Christianæ perfectioni, Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo. At ijs ita perturbati sunt & confusi errorum gradus, nullus vt sit primus, nullus vt secundus, nullus vt tertius aut quartus. Propositio igitur scandalosa duob. similiter modis appellari solet. Priùs vsurpatione communi, qua omnis oratio, quæ occasionem ruinæ præstet, quamuis hæretica apertè sit, scandalosa dicitur. Quo sensu Conciliũ Constantiense 15. illam propositionem, Quilibet tyrãnus potest licitè à quocunque subdito occidi, &c. tanquam hæreticam & scandalosam condemnauit. Quales sunt itẽ reliquæ duæ, quæ ab his in exemplum sunt positæ. At verò posteriùs scandalosa illa propriè oratio vocatur, in qua scandalum notari potest, hæresis non potest. Qualis illa fuit enumeratio incommodorum auricularis cõfessionis, in qua incommodorum enumeratione tãto cum Germaniæ scandalo Erasmus versatus est. Tales illæ sunt siue commẽtitiæ fabulæ, seu narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia, vel finguntur, vel detegũtur. Id quod sine dubio sine imbecillium offendiculo fieri non potest. Non enim hic scandalum more vulgi vsurpamus, pro eo, quod aures offendit, quódue fidelis populus horret: sed pro eo, quod infirmis causam ruinæ præstat, & pro ante fideliũ pedes positũ eos facit in illud incurrere, irruere, offendere. Sic ecclesiæ Romanæ abusus plebi rudi obijcere atq; in vulgus edere, scandalum est.

Sic

Sic propositiones illæ scandalosæ sunt: Prælatus malus est verè fur & latro, Per cẽsuras ecclesiasticas clerus populum suppeditat & auaritiam multiplicat, Sacerdotes criminosè viuentes sacerdotij polluunt potestatem, Clerici epistolis decretalibus studentes stulti sunt, Dantes eleemosynam fratribus mendicantibus sunt excommunicati, Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris, Vniuersitates & collegia vanitate hominum sunt inducta, Leguminibus & piscibus venter inflatur & turget, atque adeò ad concubitum ac venereas voluptates aptissimus redditur. Quarum nonnullæ hæresim sapiunt, non inficior, sed quamuis in verum sensum deflectantur, non solùm error, sed ipsa etiam isthæc veritas, qualiscunque illa sit, quæ fortè in his dictis inueniri potest, scandalum affert idiotis & infirmis. Non enim solùm falsa scandalum faciunt, sed aliquando etiam vera. Ac de propositione scãdalosa satis ferè diximus. Propositionem autem schismaticam, seditiosam, maledicã, & cõtumelioſam, quorsum attinet definire? Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à quibusdam explicantur? Res itaque faciles & cuiq; per se satis expositas, consultò prætereo. Quoniam liber hic noster non pollicetur, quæ passim vulgata & contraria sunt, sed ea conatur exponere, quæ & sunt obscura, nec statim omnibus occurrentia & obuia. Sed ne Amalchæam quidem edimus, & bibliothecam rebus vnuersis instructam. Breuitati quippè studemus, atque vtinam non hoc decipiat nos breuitatis studium. Decepit enim multos, quosdam, qui cũ se breues esse putarent, fuêre longissimi, alios, qui cùm se breues esse laborarent, fuêre obscurissimi. Sed hæc hactenus, iam pergamus ad reliqua.

CAPVT XI.

Quemadmodum argumenta Theologiæ inuenienda atque è locis ducenda sint.

DE notis & catholicæ veritatis & erroris contrarij diximus, erroresq; ipsos, quàm breuissimè fieri po-

potuit, internouimus. Sequitur, vt vtriusque generis nota quæratur & formula, viam rationemque docere. Quę eadem erit ars argumenti inueniendi, ex lociſque Theologię ducendi. Quanquam Theologici argumenti inueſtigandi quidem atque eruendi cōmuniora præcepta ſunt. Illud enim perſpicuum eſt, omnium rerum in contrarias partes facultatē ex eiſdem ſuppeditari locis. Quocirca nihil minus hęreticus è locis Theologię argumēta ducet, quàm Theologus. Sed illius incerta, infirma, & ſpecie veri fallacia erunt; huius, vt qui nō vmbrā, ſed veritatē ipſam aſſecutus eſt, erunt certa, firma, & cōſtantia. Nec argumētationes tamen omnes Theologus è locis certas exprimit, ſed interdum, imò ſæpè etiam probabiles. Nec id ſolùm, quia loci quidam incerta ferè argumenta prębent, ſed quia locus firmus argumentū quandoq; præbet non firmū. Nolim enim quiſpiam hoc ducatur errore, vt ſi locus firmus eſt, omnia argumenta inde ducta eſſe firma arbitretur, aut ſi ecōtrario infirmus eſt locus, omnia ex eo accepta infirma eſſe. E ſacris quip pè literis interdum argumēta probabilia ducuntur. Vt ſi è ſenſu myſtico petita ſint, aut ſenſus etiam literalis non ſit exploratè diffinitus. Atque ediuerſò hiſtorię humanæ auctoritas, imbecilla ipſa cū ſit, certa aliquando argumē ta ſuppeditat. Quapropter vbi artē & prębepta adhibuerimus, quibus argumenta è locis Theologicis eruantur, adhuc iudicium deeſt, vt explorentur. Quòd ſi nulla iudicij ratio, nullum diſcrimen acceſſerit, copia quidem argumentādi facilis & prompta erit, ſed nullo in pretio tamē niſi apud eos, qui res numero ęſtimare ſolent, non pondere. Perfectus autē abſolutusq; Theologus nō modò varia è locis argumēta congeret, ſed diſſentientia & conſentientia, certaque & incerta ſecernet. Quemadmodum enim dialectici conſummati facultas duabus rebus expletur, inuentione ac iudicio, ſic Theologū inſtructum eſſe oportet cùm ad inueniendū, tùm ad iudicandū, ſi ars illi in Theologia diſſerendi expleta futura eſt, q quam dico, & ſua dogmata firmare poſſit, & errores cōtrarios refellere. Theologi porrò iudiciū tunc mihi videor inſtruxiſſe, cùm locorū Theologicorum & naturā expreſſi.

expreſſi. Nempè è decem partibus, in quas loci theologici amplitudinem poteſtatemque diuiſi, quænam earum partium firma argumenta continerent, quæ verò infirma, patefeci. Cumq; etiam veritatum catholicarum notæ eædem ſint & certiſſima ſigna, vt queſtiones fidei diſcernantur, & argumenta quoque certiſſima, vt concluſiones theologiæ probentur, non aliud mihi negocij dādum credidi in dijudicandis argumentis, quæ dogmata noſtra probarent, quàm datum paulò antè fuit in ijs notis edendis, quæ noſtras veritates inſignirent. Pars ergo illa iudicandi nec poſt ea, quæ diximus, admonitione ac præceptis indiget, nec propriè ad locorum tractatū attinet, quē liber hic noſter ſua inſcriptiōe pollicetur. Quod cùm perſpicuum ſit, ſequitur vt diſſeramus, id quod prę ſentis eſt negocij, quibus rebus poſſimus eum, quem è locis theologię volumus, adipiſci vſum argumētandi. Vbi illud primum occurrit, quod diſciplinarū ordo rerumq; contextus ipſe ac connexio monet, vt quiſquis è theologiæ locis inuenire cupiet, is communes præceptiones teneat, quas de inueniendis argumentis dialectici tradiderunt. Hæc etenim, ſi eſt ſimpliciter breuiterq; dicendum, quibus præceptis eruuntur à locis dialecticis, eiſdem fermè à theologicis, tametſi eſt alius quoq; quidam aditus ad theologicos, vt ex ijs peculiari via & ratione argumēta deriuentur, firma præſertim, quæ vſui theologi ſunt neceſſaria vel maximè.

Primū præceptū argumenti inuęniendi.

Omnium autem eiuſmodi præceptorum illud eſt caput, vt theologus habeat omnes theologiæ notos & tractatos locos. Notos, inquam, & tractatos locos. Nec enim memoria tenuiſſe ſat eſt, ſed paratos & expeditos habere oportet. Primum ergo diſcatur numerus naturaq; locorū qui ſint, quot ſint, quæ vis cuiuſq; ac proprietas. Quæ res, ſiue à nobis accipientur ſeu ab alio, qui ad hęc ſcribē da paratior poſt me atq; inſtructior venerit, nō multum refert. Certè, quę hiſce rebus perdiſcēdis neceſſaria ſunt, ea mediocriter, vt mihi videtur quidem, libris ſuperioribus edocui. Locorum itaq; numerum, vires & proprietates ſiue hinc, ſiue aliunde ad manum habere, id eſt in eorum cognitione primum.

Proxi-

Proximum est locos ipsos lustrasse ac comprehendisse vniuersos. Nam qui sacras literas aut non legerit, aut etiam lectas minimè intellexerit, is quo pacto primo loco argumentabitur? Qui traditiones Christi & apostolorum nusquam omninò obseruarit, quo hic modo è secũdo loco argumenta ducet? Qui nec in ecclesiæ, nec in Cõciliorum, nec in põtificum doctrina fuerit assiduus, quẽ huic argumentandi vsum loci eiusmodi suppeditabunt? Quas verò argumentationes è sanctis auctoribus ille colliget, qui sanctorum libros ne attigerit quidem? Quam autem differendi facultatem è scholæ theologis habere poterit, qui nullo se tempore in scholæ conflictationib. exercuerit? An è Physica, Metaphysica, Astronomia, Geometria, is homo ratiocinabitur, qui humanam rationem his nunquam disciplinis excoluerit? Philosophi demum & historici ecquid ei emolumenti afferent, qui non fuerit in illorum lectione versatus? Hæc igitur omnia, cùm argumentum quærimus, complecti animo, cogitatione, intelligentiaque debemus, nec locos modò habere cognitos, sed ipsos etiam diligẽtissimè coluisse. Sed ais: Est ne quisquam tanto inflatus errore, vt sibi se illa scire omnia persuaserit? Ego si Theologus isthæc non fuerit consecutus, nihil sanè vitupero, id reprehẽdo, si non secutus nomen sibi Theologi vsurpauerit. Illud autem argumentãdi genus, quod ex omnibus locis aptè ducitur, perfectum & absolutum est, atque omnes numeros habet, nec præter consummatum Theologum cadere in quenquam potest. Cùm verò aliquid perluasum est, in quo vel mediocria argumenta compareant, id cumulatè videtur esse perfectum, propterea quòd vulgus Theologorum quid absit à perfecto non ferè intelligit, quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod etiam, vt Cicero ait, in poematibus & picturis vsu venit, in alijsque compluribus, vt delectentur imperiti laudentque ea, quæ laudanda non sint, ob eam, vt credit, causam, quòd insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros. Sic nõnullos inuenias, quos, quoniam ijdem, quid in vnaquaque re vitij sit, nequeunt iudicare, mirificè delectent iuniorum opuscula quædam, in quibus nihil reconditum & exactũ est,

est, nulla ex proprijs argumẽta ducta: communia omnia vulgaria, imperfecta, ac ferè ex genere probabilium. Ita ieiunia & arida illorum tota est disputatio, quæ vix vnius fontis eiusq; vulgaris ac triti, aqua communi & perexigua rigatur. Quanto Diuus Thomas copiosior & neruosior est, qui non solũ aut rationi aut auctoritati confidit, sed omni modo argumentatur, & accuratè ex omni loco disserit, testimonijsque simul ac rationibus conquisitis disputat. At obscura quædam in Thomæ lucubrationibus sunt, istorum verò lucubrationes sunt lucidæ. Sanè quidem. Non tamen ab illo ita dicuntur de industria: nec in ingenio inest, sed in rebus ipsis obscuritas. Et propria, quàm communia, obscuriora sunt. Vinum quoque aqua mixtum clarius est quidem, sed dilutius est tamen. Merum ad bibendum difficilius, plus omninò habet virium. Ac de primo inuentionis præcepto hactenus. Reliqua persequamur.

Argumentationes porrò Theologorum suis locis reddere, adeò videtur esse facile, vt non sit fortasse præcipiendum. Nemo enim tam rudis est, quin sciat eò statim vnumquodque argumentum Theologiæ referre, vnde petitum est, aut ad sacras literas, aut ad concilia, & cæt. Quanquam non est inutile argumenta, quæ in doctorib. probatis inueneris, ad locum suum quodque redigere. Hinc enim & thesaurum tibi comparabis ex aliorum inuentis, & cùm intellexeris cuius loci vsus illis defuerit, ipse per te ea, quæ omissa sunt, diligenter inquires, vt in controuersia catholicorum cum Pelagianis, post sacrarum literarum, conciliorum, sedis Apostolicæ, sanctorũque testimonia, quibus Augustinus satis abundè causam obtinuit, rationes Theologiæ Thomas addidit, quæ & testimonijs pondus & causę lucem adhiberent. Agnoscere igitur apud veteres Theologos argumentationum locos plurimum prodest, tum in intelligendis eorum virtutibus, tum in discernenda varia eorum argumentandi ratione, tum quod copia quædam paratur hac diligentia & vsu, vt non solum quæ illi inuenerint, ea habeamus in promptu, sed vt, quoties è locis Theologiæ quærem⁹, similibus in rebus similes nobis argumentationes occur-

curraut. Atque in omni arte vtrumque scire operæpretium est, & quid, & quo pacto sit faciendum. Ambas verò has res imitatione peritorum sic assequimur, vt difficile sit iudicare, plus ne præceptis assequamur, an exemplis. Theologos sanè, quod ad inuentionem attiner, magis veterum exempla iuuabunt, quàm præcepta, non dico nostra, sed ne cuiuscunque quidem alterius artificis. Prudentia nempè argumentandi nedum scientia Theologi veteres polluerunt, qui nec indoctiores, quàm recentes isti, & certè prudentiores meliores que fuerunt viri. Nam de scripturæ sacræ peritia, in qua argumenti Theologici thesaurus præcipuè inclusus est, certare cum veteribus nulli possunt. Verùm non in scripturæ solùm intelligentia quærenda, sed cùm multis alijs in rebus negligentes iuniores sunt, tum maxime in argumentis Theologiæ proprijs eruendis. Nec recentiores ego Theologos contemno, quorum satis arguta multa, sed vt modò primumque nascentia, depicta nimis atque minuta, si ad vetera conferantur. Quæ plus nescio quo pacto videntur habere auctoritatis, plus neruorum, plus virium, non solum ad effectus permouēdos, sed ad fidei quoq; euincendos aduersarios In hac igitur præceptione quamuis facili elaborandum est, si non copiam modò, sed gradus etiam argumentorum exquirimus.

Tertium præceptū.

Multò verò magis Theologo elaborādum, vt cognitis ac tractatis locis, quæstionem, quam versare cupit, in locos Theologię conijciat. Cū aūt illam per omnes deduxerit, considerare accuratiùs debet, quid e singulis in vtranq; partē dici argumentando possit. Tū ei colligenda sunt omnia, & quæ consentire causæ propositæ, & quæ dissentire videantur, & iudicio adhibito peruidendū, vtāmne quæstionis partem ducta argumēta probent. Vix enim, quemadmodum suprà dicti, Theologus potest ab inuentione iudicium seperare, si veritatē quærere & amplecti est illi institutum. Nec in omni loco tamen aut prore, aut contra rē argumenta semper idonea reperiemus. Non enim si aut venator, aut piscator loca apta venationi ac piscationi cognouerint, quamuis diligentiam adhibeant,

hibeant vel maximam, protinus aut piscabitur hic, aut ille venabitur. Nulla quippè ars aut adeò esse certa potest, quæ non interdū operis sui fructu careat. Vt igitur in disputatione nostra loci concurrant omnes, optabile est. Si minus, plures maioresq; ponderis plus habebunt. Si verò nulli, non est minuenda artis opinio, nec de gradu deijciendus animus, sed etiam atq; etiam argumenta quærenda. Quamuis enim demersa sint, emergent tamē hæc aliquando, si pelagus vel immensum & nostra diligentia excitetur, & diuina gratia, quæ pulsantibus aperit, & quærentibus nunquam deest. Illud autē de probabilium quęstionum genere dictum accipi velim. Nam fidei dogmata ab his locis, qui auctoritate consistunt, manāt omnia. Quare nullum apud nos certum decretū est, quod non idem è locis oriatur. Nō itaq; verēdum, ne in fidei quæstione locorum nos argumenta destituant. Sed vtcunque aderunt res, nec enim omnes eodem ingenio & solertia, nec similiter inquirimus, argumenta rerum hūiusmodi semper quidem in locis inclusa erunt: eò autem eruentur vel pauciora, vel plura, quò inquirētis erit eruditio, ingenium, ac diligētia maior. Atque hęc quidē hactenus. Patefacta enim res ipsa est, vt non sit difficilè, in exquirendo argumento quid cuique faciendum sit, videre. Et multa etiam sine inquisitione se ipsa offerunt, prę-sertim hominibus eruditis, atq; in harum rerum vsu diu multumq; versatis. Quanquam quæ cogitatò meditata & præparata in disputationē inferuntur, ea iure illis antepo nimus, quæ repentina animi cogitatione prodeūt. Quæ, quoniam celerrima est atq; ad breuissimū tempus, offerre argumenta potest, ponderare non potest. Itaq; vt sine vllo errore & inuestigare argumēta & inuenire possimus, formula quædam constituenda est, quam si sequemur in disputatione theologica, nunquam à recto tramite recedemus. Erit autem hæc formula theologorum rationi disciplinæq; maximè consentanea. Vbi theologo differendi materia fuerit oblata, quæstionem accuratè habet expendere, statuereq; in primis, cuius generis illa sit ex omni illa, quam supra explicuimus, quęstionum varietate. Nisi enim theologus naturā quæstionis compręhende-

Universidad de Deusto
Biblioteca

henderit, nec facile intelliget qualia sint ei inuestiganda argumenta, nec ex quibus etiam petenda locis. Quam quam enim omnes inter se colligati atq; implicati sunt, tamen ex singulis certa argumentorum genera nascuntur: nec vniuersi, vt à principio statim huius operis dixi, æque omni quæstioni accommodantur. Cùm verò genus quæstionis constituerit illud vel maxime, quod est omnium difficilimum, an fidei sit, an non sit: per omnes locos ducat eam, illos præsertim, qui erunt quęstioni magis apti & congruentes. Nam si quæstio est supernaturalis, in eos locos est conijcienda potissimè, qui Dei auctoritate nituntur. Sin autem est naturalis, per eos præcipue locos deducetur, qui naturę ratiõe cõstãt. Quòd si mixta quæstio est, & partim à natura, partim à reuelatione pẽdet, per oẽs ducatur oportet: cũcti enim iuxta possunt argumenta præbere. Tãetsi nullius omninò generis quæstio est, quę non per omneis locos vtiliter deducatur. Naturæ quippè res sæpè scriptura tradit: & res quoq; supernaturales vel suadet ratio, vel exponit. Ac diuina auctoritas humanã fulcit, contraq; humana diuinæ seruit. Nec verò veritas, quę simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri & tẽperari potest. Sed diuina & humana ratio, vt sæpissimè dixi, dissimiles non sunt: nec alio hæc, aliò ducit illa, quin eodem spectant ambæ, & in eundem finem referuntur. Itaq; accepimus maiores nostros solitos execrari eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent. Quibus quidem ita sunt scholæ Theologi assensi, vt nisi has duas res in disputatione sua coniũxissent, non se putarent theologos verè esse. Coniecta itaque per omnes locos quæstione, & collectis hinc inde argumentis, siue quæ discrepare, seu quæ congruere videantur, in vtranq; partem disputet: sed tamen ad extremum finiat, quid verum sit, quid contrà falsum. Doceat verò primum quid fides Christi de ea quæstione teneat, quibusq; idoneis ac certis testimonijs id quod tenet, euincat: deinde, qd aut præscribat, aut certè suadeat ratio. Nã si quæstio naturalis est, ratio pscribit: sin est supra naturã, ratio suadet. Qua in re, vt modestissimè dicã, scholã apud nostros mediocriter ego iuui. Quæ ante nos nõ erat

rat adeò fidei argumentis instructa: à ratione ductis res theologica propemodum agebatur. Ordinem ergo D. Thom. immutaui. Etenim in summa aduersum Gentes ille quidem primò rationes, mox testimonia ponit. Ego verò in lectionibus meis semper à principio docui, quid præfiniret de vnaqualibet quęstione fides, tum quid ostenderet ratio. Sed immutationis huius prõpta est atq; expedita causa. D. porrò Thomas aduersum Gẽtes theologicæ negotium conficere ratione debuit: quia scripturæ testimonia apud eas, vel secundo, vel nullo etiam loco sunt. At apud nos, qui Christianos discipulos instituimus, primas partes auctoritas habet, secundas ratio. Quin & hunc differendi ordinem, tanquam naturæ nostræ consentaneum magis, Augustinus probat: quam- *De mori. eccle. catho. ca. 2.* uis Manichęis sese attemperans id agat interdum, quod in disputando fatetur esse vitiosum. Naturæ, inquit, ordo ita se habet, vt, cùm aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Sed quoniam cum ijs nobis res est, qui omnia contra ordinem & sentiunt & loquuntur, nihilque aliud maximè dicant, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram, &, quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Quo exemplo Thomas ad eundem modum se Gentibus accommodauit: nam *August. de verb. reli. c. 34.* in Summa theologiæ auctoritas ferè rationi præparat hominem, ratio deinceps ad intellectum cognitionemque perducit. In ipsa verò & auctoritate & ratione sunt gradus argumentorum, & quod cuiq; præstet, intelligi facilè potest: vt prima sint, quę è scriptura ducuntur, secunda, quæ è traditionibus Christi & Apostolorum, tertia, quæ ex ecclesiæ decretis, deinceps gradatim reliqua consequantur. Est autem inter theologos controuersum, vtra sit prior, scripturæ auctoritas, an ecclesiæ. Verùm hæc, sicut & cætera, quæ non ad inuentionem, sed ad dispositionem attinent, non putaui esse persequẽda. Atq; hæc res, si quando in contentionẽ venerit, quemadmodum dijudicãda sit, satis est, nisi malè memini, suprà disputatum. Illud perspicuũ est, eandẽ omninò esse spiritus sancti in scriptura & ecclesia auctoritatem, si res ipsas inspicias. Quare in se quidem neutra, aut prior,

aut maior, neutra aut posterior, aut minor est. Quid est ergo, quod in hoc loco nonnunquã dubitationẽ afferre soleat, considerandumq; videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit hominis eius ingenium, eruditio, institutum, qui cum disputationem institueris, spectare decet. Vt enim sunt, qui scripturas ecclesiæ vsui anteponunt, si reperias multos, quibus ecclesiæ mos & sensus maiores esse videantur. Quia verò ecclesia prior & antiquior est, dubitari non potest, ipsius auctoritatem quodammodo esse maiorem: nam quod sit & notior & crebrior, exploratum est. At in omnibus, vt dixi, eius, cum quo disseris, habẽda est ratio. Sic enim Petrus Iudeis ait, Habemus firmiorem propheticum sermonẽ: cùm Petri tamen sermo nullo nobis gradu inferior sit. Sed de hoc, magna enim res est, alio loco pluribus. Nũc ad propositum. Illa igitur & talia circumspicienda sunt in omni quæstione, & consuetudo exercitatioq; capienda, vt boni ratiocinatores argumẽtorum esse possimus & addẽdo deducendoq; videre, quę omniũ summa fiat, ex quo quantũ cuiq; quęstioni debeatur, intelligas. Sed vt nec medici, nec imperatores, nec oratores, quãuis artis præcepta perceperint, quicquã magna laude dignum sine vsu & exercitatione consequi possunt, sic argumenti theologici inueniendi præcepta traduntur, illa quidẽ vt seruemus ipsi, sed rei magnitudo vsum exercitationemq; desiderat. Quia igitur parum verba prodesse nostra poterunt, nisi ad rem conferantur, vsusque præcepta confirmet, necesse fuerit theses exercitationis gratia dicere id, quod ferè est à Peripatheticis institutum. Archelaum primum scribit Diogenes in vtranq; partẽ disputasse, fides sit penes illum, Cicero enim huiusmodi exercitationem tradit ab Aristotele inuentam. Cuius cõsuetudo de omnibus in contrarias partes disserendi, iure ab scholę theologis probata est: eò, quòd quid in vnaquaq; re verum sit, quid cõtra falsum, aliter nequeat inueniri. Quanquam enim cognitio veritatis, vt Augustinus ad Dioscorum ait, omnia falsa, si modò proferantur, etiam quę prius inaudita erãt, & dijudicare & subuertere idonea est: quia tamen hæc ipsa veritas elucere in disputatione

2. Pet. 1.

In 14. lib.

Epist. 56.

tione nequit, nisi ex vtraq; parte causarum sit facta cõtentio, nec potest fides vlla de re fieri, nisi priꝰ aduersariorũ persuasiones euellantur: maximè naturale est, vt anteq̃ probemus nostra, amoliamur aduersa, & opiniones cõtrarias refutemus. Vix aũt reperietur aliquid tã omnibus ingenijs consentaneũ & quadrãs, vt neminem habeat repugnantem. Omnis nanq;, vt Hilarij verbis vtar, humani eloquij sermo cõtradictioni obnoxius fuit semper, nõ solũ quia in alio capite & mente alia propemodum sententia est, sed quia dissentientibus voluntatum moribus dissentiens quoq; sit sensus animorũ. Vnde existimat Philosophorũ placita dici, quòd vnusquisque illud fermè amplectitur, non quod ratio præscribit, sed quod placet animo: nõ quod dictat illa, sed quod dictat affectus. Necesse est ergo Theologis variè in cõtrarias partes disserendo, quasi in simulachro pugnę exercere seipsos: id quod D. Tho. in quæstionibus disputatis diligentissimè fecit. Cùm verò in omniũ artiũ vsu optimorum imitatio artificum valeat plurimum, exẽpla in Theologia differendi ab his peti æquum est, qui in hac arte excelluerunt, quorum Augustinus & Thomas sunt facilè principes, Augustinus citra aleã, Thomas iudicio peritorum. Neq; enim in ancipiti solùm disputatione, in qua de vniuerso genere vtrinq; differi copiosè licet, sed in omni omninò quæstione adeò hinc inde vber ac diues est, vt mirandum sit, in rebus tam multis & varijs, ijsq; sæpè, neque peruulgatis, neque tritis, egregia in vtramque partem argumenta prõpta illi parataq; fuisse. In multos articulos, fateor, concidit omnia, & articulo ferè cuiq; præscripsit, velut lege quadã, argumentationũ numerum. Aridum quoq; illi fuit disputandi genus, & quæstionum tractatus vna perpetuò specie compositus. In ea deniq; fuit auctorum secta, quæ adeò nullum florẽ orationis sequitur, vt apparentibus sine carne neruis deforme videatur disputationis corpus, certè ab omni eloquentię ornatu alienum. Ita à doctissimo & grauissimo viro curiosi quidem homines & delicatuli lõgioris operis satietate, fastidio similitudinis inculcatæq; dictionis horrore abalienantur. Dixit in concilio Tridenti-

no vir eloquens sanè ac facundus, sed parum Theologus tamen, qui id suadere vellet audientibus, aduersum hęreticos, præsertim Lutheranos, non esse magnum vsum scholasticę cōcertationis: oratorio potius more cū illis disserēdum, nostrum enim spinosum esse ac permolestum. Quæ si vera essent, exempla in Theologia disputandi non ab his, quos antè dixi, meliora peterentur. Equidem etsi non sum nescius, quàm sit non scholę dico in disputando mos, sed tota omninò scholæ Theologia hęreticis inuisa, sed eò magis existimo, scholasticā disserendi formam ad hæreses refellendas efficaciorem, quò magis hæreticis inuisa est. Quòd si Lutherani academię subtilitate minimè capiuntur, ne oratione quidem ad rhetorum leges artificiosè composita capi poterunt: quoniam grandiores sunt & callidiores effecti, quàm vt orationis artificio apprehendantur. Cùm autem nec argutum Theologum pertimescant, nec rhetorem quamuis eloquentem: non sunt, mihi crede, aut Theologi acumine, aut rhetoris flumine, hoc est, non verbis sunt, & disputatione, sed viribus & flagellis feriendi. Verùm si eo loco res sit, vt aduersum Lutherana dogmata certare cogar, eligāt alij, nihil enim impedio, suaue orationis genus, quò mollius & familiarius homines istiusmodi ad ecclesię beneuolentiā alliciant: dummodò mihi relinquant scholæ ossa neruosque, ac pressam disserendi soliditatem. Quæ Augustinus porrò contra aduersarios ecclesiæ disseruit, tametsi & inuenta sunt acutius & dicta subtilius, quàm vt quiuis ea possit agnoscere, ad refellendos tamen hæreticos tantò maiorem habent efficacitatē, quantò tenuius ad vnum resecata sunt. Atque etiā, quùm oratorum more quasi torrens fertur oratio, quamuis multa cuiusq; modi rapiat, nihil tamē ferè teneas, nihil apprehendas. Cùm aūt ad scholę normā certa via & ratione premitur, contineri amplectiq; facilius potest. Itaq; præclarum à Diuo Thoma accepimus morem disputandi, si eum teneremus. Nemo verò à viro grauissimo orationis delicias quærat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras grauesq; sententias, argumenta solida & propria, sermonē rei, de qua disseritur, accommodatum. Quæ omnia Diuus Thomas adeò egregiè præstitit, vt si vitia in eo pauca sint, quæ ab istis inuidiosè commemorantur, plurimis tamē maximisq; virtutibus illa compenset. Quanquam, vt erat & modestus & prudens, minutissimorum articulorum numerū, legemq; disputationis æquabilem, tum rudioribus, tum magis suo illi sęculo dedit. Equidem non Diuum Thomam modò, sed scholæ auctores quosdam alios existimo, si humaniores literas coluissent, & quæ in schola didicerant, eloqui voluissent, ornatissimè splendidissimeque potuisse facere, & viros eloquentiæ studiosos, si ab scholæ instituto non abhorruissent, sed Theologiam hanc didicissent & tractare voluissent, grauissimè & copiosissimè dicere potuisse. Sed aut vtrique suo studio delectari alteros contempserunt, aut nihil omni ex parte beatum, vt semper aliquid desideremus. Verùm si alterum sit optandum, malim quidem indisertam scientiā, quàm inscitiam loquacem. Nam exempla illa disputationis Theologicæ suis omnibus numeris absoluta is solùm suppeditare potest, qui eloquentiam sapientiæ coniunxerit. Age tamen qualiacunque nostra sint, & ea ipsa afferamus, quæ etsi non meliora erant, quàm vetera, erunt tempori fortassis aptiora.

CAP. XII.

Exemplum primum, vbi principium Theologiæ in quæstionem vertitur.

DE Eucharistiæ sacrificio prima mihi cū Vuiclefistis & Lutheranis controuersia est. Facioq; cōtra institutum meum, cùm de re apertissima disputationem instituo. Nā si quid adeò certum & exploratum est, vt de eo inter viros doctos constanter perpetuoq; conuenerit, argumētari non soleo, ne rem minimè dubiam argumētando dubiam faciam. Nec verò in hoc dabo operam, vt rē planè in ecclesia definitā meis ego argumentis probem: sed in id potius incumbam, vt vnum è Theologiæ principijs, non tam ratiocinatione, quàm expositione confirmem. Ita fiet, vt veritate illustrata, omnium tenebras depellam errorum.

Luth. cũ sæpè aliàs, tum in lib. de abrogat. miſ. pri. & de capi. Baby. Oecolamp. in libello, qui à quibuſdã inſcribitur, de cæ. do. c. 9. Bucerus lib. 2. de re. & ſal. cœn. do. admi. Caluinus inſt. c. 18. Proteſtãtes in apolo. Auguſta.

Quanquam argumẽta pro eccleſię ſacrificio certiſſima ſunt: quibus aũt Lutherani contrà pugnant, vt ipſis quidẽ videtur, ſunt maxima, vt ego verò ſentio, friuola & commentitia ſunt omnia, vix digna lucubratione & ingenio anicularum, talia certè, propter quæ non modò à communi fidelium ſenſu cuique eſſet, ſed nec ab amici vnius priuata opinione diſcedendum. ⋆ At diſcipuli cæci magiſtri furentis rapiuntur errore, ſibiq; Euchariſtiam non eſſe ſacrificium argumentando perſuadent.

Primum argum. Heb. 7.

Caluinus porrò illo Apoſtoli teſtimonio in primis nititur. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcireo, quòd morte prohiberẽtur permanere. Hic aũt eò, quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuũ poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factis, qui non habet neceſſitatẽ quotidiè, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo aũt iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum. Quo loco Paulus ſacerdotium veteris Teſtamenti à noui ſacerdotio diſtinguit, & in illo plures erant ſacerdotes, in hoc vniçus eſt ſacerdos. Huius verò rei cauſam explicat, quòd illi mortales erant, quare indigebant ſucceſſoribus, qui in demortuorum locum ſubrogarentur. At Chriſto, qui immortalis eſt, nullos oportet ſuccedentes vicarios ſubſtituere: quales ij ſunt, qui nunc quotidie ſacrificant, & plures ipſi atq; mortales ad vmbras legis deflectunt, in qua plures ijdemq; mortales facti ſunt ſacerdotes. Noſtri quoq; ſacerdotes infirmi & ipſi ſunt, habentq; neceſſitatẽ quotidiè, quemadmodũ veteres prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Noui ergo iſti, cùm ſint veteribus ſimillimi, legales ſacerdotes ſunt, nõ Euangelici. Confirmat autem, vt ait, hoc illud vel maximè, quòd ſacerdos à Deo vocatus eſſe debet, quemad-

Heb. 5.

modum Aaron, vt Apoſtolus idem affirmat: at nullam vocatio-

vocationem proferre nos poſſumus, quæ noſtro ſacerdotio patrocinetur. Euaneſcit igitur ſacrificium, quod ſine ſacerdote eſſe non poteſt.

Secũdum argumẽ. Heb. 9.

Exiſtimat rurſum Caluinus idem, Paulum cum eccleſię fide pugnare, cùm in eadem epiſtola inquit, Nec vt ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioquin oportebat frequenter eum pati ab origine mũdi. Nunc autem ſemel in cõſummationem ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Quo ex loco iterum colligit, noſtros ſacerdotes eſſe legales, qui non modò per ſingulos annos, verumetiam per ſingulos dies intrant in ſancta, offerẽtes alienum ſanguinẽ, qui ſemel iuxta Apoſtolum oblatus eſt. Cùm verò diſertè Paulus aſſerat hoſtiam, quæ oblatione ſacrificatur, immolari & occidi neceſſe eſſe, profectò ſi ſingulis miſſis Chriſtus in ſacrificium offertur, ſingulis quoque miſſis interficitur. Aut ergo Pauli argumentum vanum eſt, cùm ait, Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, aut ſi Chriſtus in ſacrificium exhibetur, verè patitur. At corpus viuũ & impaſſibile in altari nos offerimus: oblatio igitur forſitan eſſe poterit, ſacrificiũ nullo modo. Hoc verò illud argumentum eſt, quod Caluinus atque Oecolampadius mirè iactant; & nondum collata manu tanquam feroces victores inſultant.

Tertiũ arg. Hebr. 10.

Illum prętereà locum Lutherani preſſiùs vrgẽt, vmbram habens lex futurorum bonorũ, non ipſam imaginem rerũ, per ſingulos annos, eiſdem ipſis hoſtijs, quas offerunt indefinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere, alioquin ceſſaſſent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra conſciẽtiam peccati cultores ſemel mundati. Et poſt multa alia, quę referre longum eſt, ita legimus, Omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidiè miniſtrans & eaſdem ſępè offerens hoſtias, hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, vna oblatione conſummauit in ſempiternũ ſanctificatos. Oblationes igitur veteris teſtamẽti imbecillas ac debiles oſtendit Paulus, quòd ſæpiùs iterabantur. Qui ergo in noua lege eadem ſacrificia iterant, ij ſua repetitione teſtes ſunt, obla-

tiones suas priores infirmas exiguasq; fuisse, atque adeò
Hom.17. in epist. ad Hebr. In 10.ca epist. ad Hebr. Christi oblationē fuisse imperfectā, qui quotidiè multas adijciunt. Medicamenti enim illa virtus est, quod Chrysostomus ait, vt semel imponatur, & non frequenter. Et Theophylactus, pharmaca, inquit, fortiora semel etiā imposita curant: quæ autē sępiùs iterantur & imponūtur, hoc ipso ostendūtur minùs fortia. Sed & pharmacū ꝙ sæpè admouetur idem, significat eādem ęgritudinem interturbare laborantem. Quocirca si eadē etiam hostia
Heb.10. nouis sacerdotū oblationibus, quasi idem medicamentum sępiùs apponitur, prima Christi oblatio, nec ꝓfectè curauit ægrotos, nec consummauit in ęternū sanctificatos, vtpote cùm homines nouos quotidiè ac repetitis sacrificijs curentur, sanctificentur, consummentur. Adde quòd paulò pòst Apostolus asserit, Vbi peccatorū remissio est, iam nō esse oblationem pro peccato. Post Christi igitur hostiam vnicam, qua omnia sunt in cruce expiata delicta, post remissas etiam per Christi sacramenta iniquitates, nulla reliqua est oblatio ꝓ peccato. Nō est itaque in ecclesia huiusmodi sacrificiū. Id quod Apostolus euestigiò testatur inquiens, Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam nulla relinquitur pro peccatis hostia. Qui autem nullam dicit, is non baptisma solùm, sed nullā dicit hostiam supereſſe. Nos autem dicimus, quod aliqua supereſt: contra Apostolum ergo dicimus. Neque his occurri potest, inquiunt, prætexendo in noua lege nō varia esse aut multa sacrificia, vt olim in lege, sed vnum idem sæpè reperi: quo modo Chrysostomus & Theophylactus occurrunt. Quoniam Apostolus è nouo testamento, nō solùm multarum diuersarumque rerum sacrificia reijcit, sed eiusdem etiam
Heb.9. hostiæ repetitam oblationem damnat in hæc verba: Neque vt sæpè offerat semetipsum, &c. At Christus in altari
Heb. 10. se ipsum nunc etiam offert, vt posteriùs ex catholicorū sententia ostendetur. Iteratam quoque oblationem in veteri testamēto ideò factam esse dicit, quia prior erat imperfecta. Siue autem plures res, siue eadem sæpiùs offeratur, Pauli argumentum manet inuictū, si prima oblatio perfecta esset, nulla posteriore indigere; ita posteriores

riores sacerdotes ab offerendo cessaturos. Quo fieri argumentantur, vt illud alterum catholicorum effugium vanum etiam sit. Nempè Apostolum loqui de oblatione cruenta, qua Christus semel in cruce defunctus est; nostras autem esse incruentas. Siue enim cruentum, seu incruentum sacrificium sit, si sæpiùs resumitur, prior oblatio non perfectè sanctificauit, nec exhausit delicta præterita, pro quibus alia hostia profertur. Nulla itaque, vt putant, rima effugere possumus, sed fateamur necesse est, totam ad Hebræos epistolam nouorum sacrificia sacerdotum explodere; præsertim cap. 10. vbi si Paulus de cruenta solùm hostia sermonem faceret, facilè eluderetur, vel quum ait, Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato, vel etiam magis quum dicit, Voluntariè peccantibus nobis nulla relinquitur pro peccatis hostia. Nihil enim interest cruenta sit an incruenta, si oblatio est & hostia pro peccato.

Ad hæc, Matthæus, Lucas & Paulus, apertè narrant, *4. arg. Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Dominum in vltima cœna nō obtulisse quidem corpus & sanguinem Deo, sed Eucharistiam discipulis accipiēdam distribuisse. Optima igitur missa illa erit, quæ erit primæ quàm simillima: prima autē cœna fuit, nō sacrificium. Etenim si sanguinem pro peccatis tunc Christus obtulisset, iam ante crucē essent remissa peccta, nisi frustra Christi sanguis in cœna oblatus est, qui peccatorum remissionem non obtinuit, quam vel nunc obtinet patri à sacerdotibus exhibitus.

Ea insuper loca nobis Lutherus obijcit, quibus locis *Quintum argu. Luc. 22. 1. Co. 11.* calix in sanguinis Christi testamentū dicitur. Testamētum verò non est opus hęredis, sed testatoris. At sacrificium opus est nostrum. Sacramentum igitur sanguinis non est sacrificium. Hanc verò ratiocinationem, bone Deus, quanto verborū ornatu quasi simiam purpura vestit. Quę est, inquit, tanta temeritas, vt testamētum, hoc est, promissionem hæreditatis nos opus esse nostrum dicamus, quod testatori in satis factionē exhibemus? Et vbi de acceptis gratos nos esse oportet, vbi accedamus superbi daturi accipienda: vt testator iam nō suorum largitor bonorum, sed nostrorum sit acceptor. Neque enim

fieri potest, ait, vt idem ab eodem simul & recipiatur & detur, & offeratur & acceptetur. Quàm verò insanus erit pauper & indigens, si bonum opus dicat se conferre diuiti, de cuius manu accipit beneficium? Afferunt etiam in hanc rem sanctorum veterum testimonia. Primùm illud Chrysostomi: Hoc nostrum sacrificiũ exemplar est illius, quod Christus in cruce fecit. Non aũt aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordationem ipsius operamur. Et Theophylactus, Imò potiùs, ait, memoriã illius oblationis facimus, qua se Christus obtulit. Ex qua correctione Oecolampadius colligit, Chrysostomo & Theophylacto missam nostrã non esse propriè sacrificium corporis & sanguinis Christi, sed exemplar. Alioqui non correxissent quòd verè ac propriè dictum est. Addunt illud Augustini, Holocausti sui imaginem in ecclesia celebrandam dedit. Et alio rursum loco, Christianos, inquit, peracti sacrificij memoriã celebrare. Et in epistola quadam ad Bonifacium docet, in Eucharistiæ immolatione nomen rerum ipsi figuræ exemplariq; tribui solere. Basilius demum apud Eurhymium hæc nostra exemplaria dixit esse veri sacrificij. Non ergo sunt verum sacrificium, sed sacrificij figura.

Sextum argu. Hom. 17. in epist. ad Heb. In 10. ca. epist. ad Hebr.

Lib. 83. quæst. Lib. cõtra Faustum. Cap. 18. Epist. 23 In Math. cap. 36.

Septimum argumentũ

Nec testimonijs solùm premere nos, sed etiam ratione volunt. Nam si sacrificio peccata redimerẽtur, quod catholici astruimus, redemptio nostra à nobis quoque ipsis per nostras oblationes existeret. Ita non solũ Christus redemptor esset, sed homines etiam sui essent redẽptores. Id quod stultitiæ est manifestæ.

Octauũ argu.

Addunt fieri nõ posse, vt operatio nostra alteri peccati remissionem conferat ex vi ipsius operis, quod nostri quidam dicunt ex opere operato. Solius enim Christi opera & actiones ex se peccata remittunt. At sacrificium & missa operatio nostra est; nefariũ est igitur affirmare, quòd ratione sui & Deum propitium reddat, & deleat quoque peccata. Atque in hoc vno Lutherani huius cõtrouersię statum constituendum censent. Asserunt enim se habere hanc rationem adeò firmam, certam, expeditam, vt aduersus omnes portas inferi consistere queat. Hanc autem ratione videtur confirmare Irenæus in hęc verba

Lib. 4. ca. 34.

verba: Non sacrificia sanctificant hominem, sed conscientia eius qui offert, sanctificat sacrificium pura existẽs, & præstat acceptare Deum quasi ab amico. Peccator, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi qui occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum & Paulus Philippensibus ait, Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis hostiam acceptam, placentem Deo. Dixerat autem sacrificium hoc illud esse, quod ex Malachiæ primo capite Theologi conantur inferre. Nulla igitur apud nos hostia manet, quæ ex se aliorum peccata deleat, sed si quid habet, id habet ex offerente. Quo argumento nos Bucerus impugnat.

Præterea, remissio peccatorum, hominis sanctificatio & iustificatio est, hæc autem per fidem cuique propriam obuenit, vt ad Romanos scribit Apostolus: nulla ergo sacerdotis oblatio ex opere operato aliorum peccata remittit. Nam ne Christi operationes quidem, nisi per propriam fidem applicantur hominibus, iuxta illud Quem proposuit Deus propitiatorẽ per fidem. Item, Si vi sua oblatio sacerdotis aliorum diluit culpas, gratiam ergo hoc sacrificium confert. Ablutio enim culparum sine gratia aquæ salientis in vitam æternam esse non potest. Neque elabi possumus dicentes remitti per sacrificium peccata venialia, non etiam mortalia. Quoniam si sanguis Christi in sacrificium offertur, omnia profectò remittit, qui in omniũ remissionem effusus est. Nisi frustra ac sine causa catholici petimus, vt hoc sacrificium omnia crimina nostra detergat: & rursum, vt sit ablutio scelerum, & omnium remissio peccatorum.

Nonũ arg. Rom. 3.

Præterea, cùm catholici fateamur, in hoc sacrificio sanguinem Christi contineri, fieret, vt vnico sacrificio omnes peccatorum pœnæ abolerentur. Res quippè oblata infiniti valoris est. Vanum itaque esset pro eisdem plures missas celebrare. Qui verò dicunt infinitæ hostiæ fructum à sacerdote offerente limitari, hi refelluntur à Lutheranis multiplici variaque ratione. Primùm, quòd sacramentorum fructus non definitur à ministris, ergo

Decimum argumen.

ne

ne sacrificij quidem. Deinde, quia quamuis sacerdos offerens in peccato mortali sit, sacrificium tamen illi prodest, pro quo offertur. Non ergo huius sacrificij virtus à sacerdote offerente terminum vllum accipit. Item, quia infinitæ rei precium non minuitur, siue à paupere detur, siue à diuite. Centum scilicet aurei centũ valent, à quocunque tandem offerantur. Imò quò res oblata maior est, & hic, qui offert, est pauperior, eò oblatio maiori habetur in pretio. Ad hæc, si semel offero sanguinem meum Deo, sanguis meus fusus est idoneus ad omnia peccata delenda, nec pretium imminuitur ab afferente. Martyres namque vniuersi, inæquabilis licèt meriti, æquè tamen consequebantur omnium veniam peccatorum. Si igitur verè offert sacerdos sanguinem Christi, nullus cum finibus circunscribit, quin satis sit etiam semel oblatus ad omnia redimenda peccata. Sacrificium denique altaris à Christo summo sacerdote, nunc etiam patri pro nobis offertur, ab illo infinitũ valorem habet, quem videlicet eadem ex causa infinitum habuit in cruce. Neque enim illud negare possumus, cùm Christus sempiternum habeat sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Atque Lateranense concilium sub Innocentio tertio, Vna, inquit, est fidelium vniuersalis ecclesia, in qua idem ipse est & sacerdos & sacrificiũ. Loquitur autem sine dubio de eo, quod offerimus in altari. In cõcilo rursum Tridentino definitum est, nostras omnes satisfactiones Christũ offerre patri: multò ergò magis illam victimam offeret, quã, vt Deum placemus, nos in altari probemus ad sacrificium. Quam rem non Ambrosius modò insigniter prẽter Latinos cæteros, sed Græci in canone suo manifestè testantur. Sanè quemaddum sacerdos non nomine suo consecrat & conficit eucharistiæ sacramentum, ita nõ in nomine suo, sed Christi offert eucharistiæ sacrificium. Quòd si Christi sanguis hostia nunc est ad culparum redemptionem, huius verò sanguinis pretium nullo fine concluditur, præsertim si à Christo ipso offeratur: manet omninò vnica

Cap. Firmiter. de sum. Tri et fide catho.

1. li. off. cap. 48.

vnica oblatione omnes culparum pœnas resolui.

Contendit postremò Caluinus, eucharistiæ sacramẽtum cum sacrificij voce pugnare. Eucharistia, inquit, donam est cum gratiarum actione percipiendum: sacrificium verò est pretium, quod Deus in satisfactionem accipit. Quantum ergo interest inter dare & accipere, tantum à sacramento sacrificium distat. Hac enim argumẽtatione fit, vt reliqua sacramẽta sacrificia esse nõ queãt. Eucharistia quoque post peccata gratis remissa, post reconciliationem adeptã, vitæ nobis promittit, & gratiarum augmentum. At sacrificium cantilenam aliã canit, nempè Deum quasi adhuc iratum, tanquam pretio quodam exhibito placari, nec esse piata scelera, quæ sacrificium expiare dicitur. Prætereo alia argumenta ridicula, indigna enim sunt, quibus nos seriò respondeamus. Sed & illa superiora, vt antè iam dixi, tamen in faciem apparent probabilia, diligenter tamen inspecta vana esse deprehendentur. Id tãtisper, dum explico, & fidem meam de ecclesiæ sacrificio breuiter expono, quæso lector attende.

Postremũ arg.

Si qua disputatio est, vbi id, de quo disputetur, necesse sit definire, hanc ego vel maximè esse crediderim, quę nobis hodie instituitur. Cùm non modò Vvicleffistas & Lutheranos, sed quosdam etiam catholicos videamus, sacrificij vi & natura ignorata, in summo errore & maximarum rerum ignoratione versari. Explicaturus igitur quidnam sacrificium sit, quidque sua definitione contineat, illud in primis accipio, sacrificiũ proprium esse religionis opus, id est, eius virtutis, quæ cultum Deo & cęremoniam affert, Est enim sacrificium quasi sacrum factum, vt Gregorius ait. Sacra verò Deo facere, haud dubiè ad Dei cultum & reuerentiam pertinet. Sacrificare igitur propria est religionis actio, quę videlicet solius Dei honori dedicata est, quemadmodum August. con. aduer. leg. & prophe. li. 1. ca. 18. Et de ciui. Dei, lib. 10. ca. 4. Acto. quoque 14. cap. Lucas scribit.

Illud deinde sumo, sacrificium speciem esse operis sancti & religiosi: atque adeò opus sacrum quasi genus esse sacrificij. Etenim qui vocem hanc ad sacras omnes cæremonias

monias & religionis actus extendunt, qua ratione id faciant, ipsi viderint: certè cũ perpetuo & ecclesiæ & scripturæ vsu pugnant. Septẽ enim sacramenta agnoscit ecclesia, septẽ sacrificia nõ agnoscit. Nõ itaq; quodcunque opus sacrũ, quicunqueue religionis ritus est sacrificium. Vnde & Concilium Florentinum non obscurè à sacris cæteris sacrificia distinguit. Atque in lege veteri alias fuisse leges de sacrificijs constat, alias de reliquis sacris ritibus. Quæ causa necessaria est, ne nos sacrificia cum sacris alijs confundamus. Adde, quòd in sacrificio hostiã esse oportet, quæ Deo immoletur: hostiam verò in omni religiosa cæremonia velle fingere, ridiculum est. Adde etiam, quòd sacrificium Latinus interpres semper appellat, quam Græci θυσίαν. Græcis autem θυσία non est quodlibet vnum sacrum opus, sed specialis religionis cęremonia, in qua res Deo sacra, vel per sanguinem, vel per ignem, vel alio quouis modo conficitur. Quanquã Theophylactus auctor est θυσίας propriè magis esse, quę per ignem sacrificantur, quàm ea, quæ per sanguinem. Sed & Porphyrius ab exhalatione, inquit, ignis, quam Græci θυμιασιν dicunt, Thysia quoque, quam sacrificium Latinè appellamus, apud Græcos antiquitus dicta est. Nũc verò non rectè capimus thysiam illum cultum appellantes, qui sanguine celebratur. Hactenus Porphyrius. Sed, vt prima vocis origo illa sit, non negant auctores hi vulgarem eius vocis vsurpationem vniuersa ea continere, quæ vel per ignem, vel per sanguinem immolantur. Atque hæc Latini interpretes sacrificia vocari perhibent. Sit itaque exploratum, sacrificium speciem quandam esse cultus sacri.

In li. de abstinẽ. ab vsu carn. Euse. de ꝓpar. euã. l. 1. c. 6

Quòd si ex vsu rectè loquentiũ diuinæq; scripturę cõsuetudine propria huius nominis significatio accipienda sit, inueniemus sanè, sacrificium tunc solùm esse, quũ res aliqua sacra offertur Deo. Vbi namque oblatio non est, ibi ne sacrificium quidem esse potest. Quj enim aut baptismi, aut confirmationis, aut ordinis, aut matrimonij, aut vnctionis extremæ sacramẽtum conficit, is quãuis sine dubio rem sacram & diuinam faciat, sacrificium tamen

tamẽ facere non nisi absurdissimè diceretur. Quoniam, ne ipsa quidem eucharistia, quandiu seruatur in pixide, sacrificij nomẽ habet. Tunc vero primũ hostia nuncupatur, quũ offertur. Oblatio igitur est de ratione sacrificij. Id quod Paulus sæpè docet, vt ad Heb. 5. Omnis, ait, pontifex constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis. Et ca. 7. Pro suis delictis hostias offerre. Et ca. 9. Munera & hostiæ offerũtur, &c. Et c. 10. Eisdem ipsis hostijs, quas obtulerunt indesinenter, &c. Nec hic laborare opus est, vbi nihil est ambigui. Illud addo, quod difficulter admittunt quidam, si vis & natura huius vocabuli perpendatur, nõ omnem oblationẽ sacram sacrificium esse, sed quiddã aliud præter oblationẽ sacrificij vocẽ vẽdicare, quẽadmodum D. Thom. argutissimè, vt omnia, dixit. Et Theopylactus, Doni, inquit, & victimæ exacta ratiõe quidem est discrimẽ. θυσίας enim, hoc est, sacrificia sunt per sanguinem & carnẽ oblationes, vel certè omnia, quæ per ignẽ sacrificantur. Dona autem sunt, vt fructus & quæcunq; alia exanguia & igni carentia. Quod vtiq; discrimẽ Paulus in epistola ad Hebræos diligenter obseruat. Omnis, ait, pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia. Et iterum, Omnis pontifex ad offerendũ munera & hostias constituitur. Atq; Chrysostomus explicans illud, Sacrificium & oblationẽ noluisti, oblationis & sacrificij hanc differentiam esse accuratè notauit. Non itaq; omnis oblatio sacrificium est. Quam omninò rẽ illud vel maximè argumentũ probat, quod cum animalis viui iuxta legis præscriptum fiebat oblatio, nusquam hæc aut hostia aut sacrificium vocabatur. Nisi velis, tum a Iudæis filiosim molari in sacrificium, cùm post purificationis cæremonias domino sistebantur. Quod quoniam absurdum est, consentiamus, non omnes res Deo oblatas hostias esse aut sacrificia. Porrò autem si circa rẽ, quæ offerebatur, quippiam sacri sacerdos faciebat, vt si animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat, si conterebat frumẽtum, si oleo similam conspersam frigebat in sartagine, tum demum verè sacrificium faciebat. Earum quippè rerum omnium sacrificia esse: Leuitici secundo & sexto,

2.2.q.85. ar. 3.

Inta 8. epi. ad Heb.

Heb. 5.

Heb. 8. in e. pi. ad Heb.

Nume-

Numeri quinto, & secundi Paralip. 28. cap. legimus. Scitè ergo ac præclarè Diuus Thomas admonuit, in eo sitam esserationem sacrificij, si circa rem Deo oblatam quicquam fieret, quo res ipsa sacra quodammodo conficeretur. Nam si integram & illæsam sacerdos offerret, donum dici & munus, non item sacrificiū. Id quod in Græca voce θυσία explicatius animaduertitur, vt paulò antè dicebamus.

Quibus rebus expositis faciè intelligitur, Lutheranos in Apologia Augustana perperam sacrificium definisse, quòd sit ceræmonia vel opus à nobis Deo redditum, vt eum honore afficiamus. Veluti munera, primitiæ, decimæ. Hanc verò finitionem cum exemplis suis, vt alia argumenta prætereamus, satis refellit Apostolus tum dona à sacrificijs distinguens, tū magis argumentans, quòd si Christus sæpè se in sacrificium offerret, sæpe etiam pateretur.

Sed vt occultæ atque inuolutæ rei notitia aperiatur, his, quæ dicta sunt, illud primum obijcitur, quòd Propheta sacrificium laudis sæpe commemorat, quod Paulus interpretatur fructum labiorum confitentium nomini Dei. Sacrificij igitur definitio non est tam angustè concluſa.

Illud deinde videtur esse contrarium, quod Apostolus ad Roman. scribit: Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam. Non ergo in sacrificio hostiam esse oportet, quæ mactetur, sed satis est, si corpus nostrū viuum ad sacrificium præbeamus. Tertio loco id opponitur, quod in omnium ore est, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Illa demum, Repletus sum his, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam. Et rursum, Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Quibus videlicet argumentis moti quidam putauerunt, sacrificij nomen terminis esse latioribus circumscribendum, à nobis enim strictissimè coarctatum. Ego verò tantum absum ab ista sententia, vt non modò non arbitrer, veram sacrificij finitionem, quæ est à nobis antè posita, his argumentis obscurari, sed fieri etiam illustriorem existimem. Duobus

Rom. 12.

Psal. 50, Heb. 13.

bus quippè modis verba in sacris literis vsurpantur, vno per proprietatem, altero per figuram. Atq; id quidem, licet facillimum, est tamē animaduersione dignissimū. Multos enim & ex alienis & ex nostris huius rei ignoratio fefellit. Dico igitur, nomen sacrificij dupliciter in scriptura sacra accipi, & propriè & translatè. Nos porrò, quùm res definimus, necessaria Philosophiæ ducti ratione non quid vox per metaphoram, aut aliū tropum translata significet, sed quid propriè contineat, exponimus. Sacrificij itaq; natura propria planè nobis definita est, at in omnibus testimonijs, quæ contrà posuimus, nominis translatio quædam & abusus est. Id, quod in singulis facilè intelligimus, si ea ad veram & propriam sacrificij naturam referamus.

In primo siquidē testimonio fructus labiorum laudantium Deum hostia dicitur, cùm lingua labiaq; mortificata Dei laudibus consecrantur. Quemadmodum enim vitulus mactatus in hostiā, nullas alias edebat voces, quàm in Dei laudem & gloriam, sic lingua cōuicijs, detractioni, ac turpiloquio mortua, & soli Deo laudando sacra, quasi sacrificium quoddā offertur, iuxta illud, quod scriptum est. Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Quāquam in psalmis dici potest sacrificij hostięq; voces sine tropo vsurpatas. Erat enim in lege præscriptum inter cætera gratiarum actionis sacrificiū, in quo veræ hostiæ mactabantur. Sed Paulus, vt solet, per allegoriam hostias illas carnales ad labiorum laudantium Deum spirituale sacrificium traduxit.

Osee 14.

Hebr. 13.

In secundo verò testimonio expeditior & planior est metaphoræ ratio. Tūc enim offerimus corpus nostrum hostiam Deo, quùm mortificamus membra nostra, quę sunt super terram, carnemque nostram peccato quidem mortuam, viuentem autem iustitiæ Domino offerimus. Quemadmodum Hieronymus, Illa, inquit, virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio, neque carnem libido maculauit. Atque fortassis quùm Apostolus viuam hostiam dixit, quasi pugnantibus inter se vocibus de more lusit. Similia sunt illa, Quæ in delicijs est vidua, viuens mortua est, mare dulce, terra cæ-

Lib. aduer. Ioui. 1.

1. Thes. 5.

lestis, spiritualis caro, spiritus carneus. Non itaque ex eo, quòd Apostolus viuam hostiam dixit, statim colligere oportet, animal non esse mactandum, quùm in hostiam præbetur. Quin potius, si Pauli ingenium tenemus, contrario modo argumentabimur. Iam in tertio quoque testimonio aperta translatio est. Cor namque instar frumenti contritum, & diuini amoris igne quasi succensum similitudine quadam sacrificium vocatur. Adde, quod familiare auctoribus sacris est, imaginum vocabula rebus per imagines significatis attribuere: vt nomen Dauidis Christo Ezechielis 34. Nomen etiã Petræ eidem, 1. ad Corinth. 10. Tale illud est, Ego sum vitis vera. Quia igitur per sacrificia illa legis externa, res quædam spirituales potiores præsignabantur, has omninò res sacrificia, holocausta, hostias, sacrę literæ appellant. Vt mactationes brutorũ animantium figuræ erãt mortificationis carnalium & irrationalium affectuum, qui regnãt in corpore, ideoq; carnis mortificatio hostia dicitur, non propriè quidẽ, sed figurata dictione. Et hunc in modum cætera, quæ non sunt modò longo sermone explicanda. Tres ergo priores scrupulos planè excussimus: quartũ verò illum facilius eximemus, si semel stabilitum fuerit his in locis Apostolum non propriè loqui, sed figuratè. Id quod liquidò demonstrari potest. Primum, quia sacrificium ad religionem proximè pertinet, at eleemosyna & beneficentia ad misericordiam vel liberalitatem. Dein ex illo Oseæ testimonio, Misericordiam volo, & non sacrificium. Quo loco sacrificium non obscurè à misericordiæ operibus separatur. Certè si sacrificij vox dona pauperibus collocata propriè contineret, nullo modo Propheta diceret, Sacrificium & oblationem noluisti. Quid igitur sibi Apostolus vult, quùm ea munera hostias vocat, quæ pauperibus tribuũtur? Nempè, illa esse Deo acceptissima. Videlicet hostias credebat populus maximè placere Deo, spirareque illi odorem iucundissimum. Gene. 8. Exo. 29. Leui. 1. & 3. Num. 28. Vsque eò autem persuasio hæc in animis vel fidelium insederat, vt præ sacrificijs opera interdum pietatis charitatisque contemnerent. Huius rei Apostoli minimè

Ad eundẽ modũ Augus. 10. de ciu. li. c. 6. loquitur, cùm affirmat, verũ sacrificium esse omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo. Nam c. 5. dixerat sacrificium visibile esse inuisibilis sacrificij sacramẽtum, id est, sacrum signum D. Tho. 2. 2. q. 85 2.

Ose. 6.

Psal. 39.

minimè ignari & plebem rudem ad veram & germanã pietatem reuocare cupientes, misericordiæ ac charitatis officia hostias appellabant, non falsò id quidem, sed verbis paululum quadam dicendi figura immutatis. Sic Paulus hostiam acceptam dixit in odorem suauitatis. *Philip. 4.* Sic Iacobus, Religionem mundam & immaculatam *Iaco. 1.* esse, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Quam rem planè & sine verborum immutatione legis ille peritus significauit, inquiens, Diligere proximum, *Mar. 12.* tanquam seipsum maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Quid ergo propriè sacrificium sit, qua etiam ratione per tropum transferatur, satis dictum est. Nec hæc tamen nimis multa videri debent, cum huius vocis vi ac potestate ignorata, multorũ disputationes vagari & errare cernamus. Erant autem hęc copiosius explicanda, ne immodicę breuitatis studio rarerentur verborum pondera differentis celeritate. Sed de his hactenus. Sequitur, vt sacrificium in species suas quàm breuissimè partiamur.

Lutherani in apolo. Augus. duas proximas sacrificij species esse aiunt, nec esse plures. Vnum enim esse sacrificium propitiatorium, nempè ad placandum Deum, & impetrandam veniam peccatorũ, alterum εὐχαριστικὸν, id est, gratiarum actionis. Has duas species sacrificij magnoperè oportere asserunt in hac controuersia nos in conspectu positas habere, & singulari diligentia cauere, ne confundantur. Id quod ipse etiam atque etiam moneo, sed illud quoq; animaduerto, hac diuisione multas sacrificiorum species vitiosè fuisse prætermissas. Non enim solùm vel pro peccato vel etiam ad gratiam referendam sacrificium fieri solebat, sed & vice supplicationis, vt à Deo vitæ commoditas ac prosperitas haberetur. Quòd, si Latinè liceret, possemus imperatorium vocare. Quale fuit sacrificium Iacob Genes. 28. qualesque etiam mulier illa prætulit, quæ in prouerbijs dixit, Victimas pro salute deuoui. Sanè in Leuitico post sacrificium pro peccato, hostiæ pacificę in duas species distri- *Leui. 7.* buuntur, vt alię sint gratiarũ actionis Deo exorato, alię *Pro. 7.*

voto vel sponte susceptæ Deo exorando. Ac præter hæc sacrificij genera aliud fortasse fuit in hoc paratum, vt fœdus cum Deo fuso sanguine sanciretur. Cuiusmodi Exod. 24. & 4. Reg. 23. mentio fit. Vt omittam sacrificium pro consecratione pontificis, quod legislator à reliquis sacrificijs distinxit. Nam holocaustum, quod humanæ seruitutis tributum proprium erat, & ad testationem diuinæ maiestatis ac dominationis Deo sacrum, dubium non est, ad duas illas sacrificij species minimè pertinere. Plura itaque, quàm duo hostiarum genera fuêre in veteri Testamento, at in nouo vtrum vnum saltem sit, quæritur. Cui quæstioni statim ego respondeo, si duo illa prius explicuero, quæ in hac controuersia explicatu quidem facillima sunt, sed sunt tamen necessaria vel maximè. Illud primum est, nomen sacrificij interdum pro re, quæ Domino offertur, interdū verò pro actione ipsa sacrificādi solere accipi. Pro re, vt ad Hebr. 5. Omnis pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Pro actione, vt illo apud Tullium loco, præbere hostias ad sacrificium. Quo modo D. Thomas hanc vocem vsurpauit, nec vsurpauit absurdè, artificium, lanificium, & similia ad eundem modum à doctissimis vsurpentur. Alterū est, catholicos sicut Eucharistiæ sacramentum, ita Eucharistię sacrificium duobus modis asserere. Est enim sacramentum tantùm, hoc est, species illæ vini & panis externæ, quæ corpus Christi ac sanguinē continent. Est item res & sacramentum, nempè, corpus Christi & sanguis, quæ res interius sub speciebus continentur. Similiter etiā in oblatione & Missa nostra est sacrificiū externum specierum panis & vini: quod Augustinus in Psal. 37. Sacrificiū panis & vini nuncupauit. Est & rursus sacrificiū interius corporis & sanguinis Christi, quod Deo patri sub speciebus illis potissimùm offerimus. Interius dico, nō quod ipsum per species non suo quodā modo videatur, sed quod intra species inclusum, occultum in se & inuisum sit.

Leui. 7.

2.2.q.85. art.3.ca. & ad 3.

His positis sit prima cōclusio. In lege noua verè nūc est & propriè sacrificium. Quæ omninò res primùm ex Malachia apertè cōficitur. Non est, ait, mihi voluntas in vobis,

Mala. 1.

vobis, & munus non suscipiā de manu vestra. A solis enim ortu vsq; ad occasum magnū est nomen meū in Gētib. & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mūda. At interpretātur hunc locum Lutherani de sacrificio spirituali omnibus fidelibus communi. Id quod nullo pacto defendi potest. Primū, quia nostra opera omnia sunt tanquam pannus menstruatę. Esai. 64. non igitur possunt dici absolutè oblatio munda, Luthero præsertim, qui nostras iustitias peccata esse contendit. Deinde quia offerre opus nostrum tanquam mundam oblationem & sacrificium, isti dicunt esse Pharisaicum. At Propheta non loquitur de Pharisaico sacrificio.

Præter eà, quia sacrificia spiritualia nō sunt propria legis euangelicę, sed cōmunia in omni lege fuêre. Propheta autem disertè loquitur de sacrificio quodā legis nouę proprio ac singulari. Postremò, quia idem propheta c. 3. loquens rursum de ipso eodē nouę legis sacrificio, Sedebit, ait, cōflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nō dicit filios Israel, sed Leui: & erunt domino offerētes sacrificia in iustitia. Peculiare ergo sacerdotium erat instituendū, & peculiares sanctificandi ministri, ad peculiare sacrificium legis euāgelicæ. Nam quod Protestantes illud primi capitis referunt ad sacrificium spirituale commune omniū fidelium, hoc verò tertij capitis ad prædicationem euangelij, de qua Paul. ad Rom. 15. Sanctifico Euangeliū, &c. sua hac varietate testantur se à veritatis vnitate discedere. Cūque hęc sint per figuratam dictionem sacrificia, qui ad tropos confugiūt hoc loco, ij & omnem scripturarum vim labefactant, & sibi etiam regnāt. Fatentur enim & ipsi non esse in sacrarū literarum intelligentia ad tropos confugiendum, nisi ex proprietate vocabulorum magna absurditas sequeretur. Nec verò cum his Augustinus facit, qui libro contra literas Petiliani secundo, hunc Malachię locum de laudis sacrificio interpretatur, de quo scriptum est, Immola Deo sacrificium laudis. Sic enim & septuaginta verterunt, Ab ortu solis vsque ad occasum glorificatū est nomen meum in nationibus. Id quod Apostolus explicat inquiēs, Per ipsum ergo offeramus hostiā laudis semper Deo,

Mal. 3.

Cap. 86.

Psal. 49.

Rom. 13.

Deo, id est, fructum labiorum cõfitentium nomini eius.
Id ferè in Zac. 8. c. Sed ne Hieron. quidem ab his dicit, quum Malachiæ testimonium his verbis exponit. Ergo propriè nunc ad sacerdotes Iudæorũ sermo fit, qui offerunt cæcum & claudum & languidum ad immolandum, vt sciant carnalib. victimis spirituales victimas successuras, & nequaquam taurorum hircorumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes domino offerendas, & non in vna orbis prouincia Iudæa, sed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam, vt à populo Israel, sed mundam & in cæremonijs Christianorũ. Non sunt, inquam, pro aduersarijs auctores hi, nec stant à mendacio contra verũ. Regula siquidem scripturarum est, vt idem Hieron. eodem ipso loco testatur. Vbi manifestissima propheta de futuris texitur, per incerta allegorię nõ extenuare quę scripta sunt. Cùm ergo in vniuerso orbe atq; adeò apud omnes gentes vna & eadẽ offeratur hostia mũda sacramentalis, & externa quidem specierũ panis & vini, ab omni carnis & cruoris fœditate aliena, interior verò incruenta etiã, quamuis corporis sanguinisque ipsa sit, quid attinet vaticinationẽ, quam in purissimo Christi sacrificio propriè impletã cernimus, allegoricis & spiritualibus interpretationibus inuertere? Non itaque si Augustin. atque Hieron. in ecclesia gentium laudis sacrificium, sanctorum orationes, & cętera demum spirituales hostias agnoscunt, quę allegoricè & figuratè hostię sunt, idcirco verũ & proprium eucharistiæ sacrificium excludunt. Quinimò is ipse Augustin. ad Paulinum scribens in missa & sacrificio, quod celebrat ac frequentat ecclesia, omne precum, orationum, laudumq; genus, de quo Paulus 1. Timoth. 2. loquitur, contineri existimauit. Sanè quidem eucharistię oblatio magna cum excellentia præstantiaque oblationum reliquarum, sacrificiũ est gratiarum actionis & laudis, in quo nomen Dei gloriosissimè & magnificentissimè summo splendore illustratur. Eucharistia item verũ illud thymiama suauissimi odoris est, quo omnes sanctorum preces & orationes referuntur, vnde iucundum & ipsæ odorem mutuantur.
Lib. 4. cõtra hære. c. 32. & 34. Quę causa Irenęo fuit, vt ex Malachiæ propheta vtranq; hostiam

hostiam in Christi ecclesia futuram intelligeret, & eam quæ propriè hostia est gratiarum actionis & laudis, quã ob id ipsum eucharistiã appellamus, & quę figuratè per allegoriam hostia nuncupatur. Verùm ne propheticis obscurisque testimonijs Lutherani se impugnari causentur, alterum ex euangelio clarissimum proferamus.

Extat ergo apud Lucam scriptum apertissimum testimoniũ ad huius rei approbationem. Accepto, inquit, pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem, hoc est, accepit & gratias egit dicens, Hic est calix nouum testamentũ in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Vbi illud primũ animaduerto, iure Cornelium episcopum Bitõfinum in cõcilio apud Trid. à patribus & Theologicis vniuersis explosum, qui dixerit, Christum in cœna non suum corpus & sanguinẽ obtulisse. Ritu quippè Iudaico gratias Deo agere, calicem in manibus accipiendo & leuando, verè est hostiam gratiarum actionis offerre. Quum itaque dixit Dominus, Hoc facite, planè iussit apostolis, vt quod ipsum facere cernerent, id quoque illi facerent eucharistia, hoc est, gratiarũ actionis hostiã exhibẽdo. Quemadmodum Cyprianus ad Ceciliũ enucleauit in hęc verba, Scriptura dicit, vt quotiescunque calicem in cõmemorationẽ Domini & passionis eius offerimus, id quod cõstat Dominum feciſſe, faciamus. Et paulò pòst: A Domino admoniti & instructi sumus, vt calicẽ Domini cum vino mixtum secundum quod Dominus obtulit, offeramus: Atq; Irenæus. Calicem, inquit, similiter suum sanguinẽ confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem. Quã ecclesia ab apostolis accipiens in vniuerso mũdo offert Deo ei, qui alimenta nobis prestat, primitias suorũ munerum in nouo testamento. Et cap. postea 34. Offerimus, ait, ei eucharistiam non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, &c. Vbi omissis auctoritatib. non dubitem, ipsare & ratione exquirere veritatẽ. Quemadmodum enim in rebus alijs contingit, vt eas sanctè ac religiosè offeramus Deo ab illo primùm acceptas, ita, ac multò etiam magis, cùm in Eucharistia

De cõsecra. d. 2. c. Scriptura.

Lib. 4. c. 32.

Ratio Iren.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpus Christi ac sanguinem cælestis benedictionis largitate acceperimus, impij profectò erimus & ingrati, nisi summam gratiam referamus, eadem dona, quę à Deo accepimus, ipsi reddendo. iuxta illud, quod scriptum est: Tua sunt Domine omnia, & quę de manu tua suscepimus, reddimus tibi. Et iterū, Quid retribuā Domino pro omnib. quę retribuit mihi? Calicē salutaris accipiam. In quem locū paraphrasis Chaldaica sic habet, Calicem redēptionis accipiā mundo venturo. Nam & hunc Psalm. ad mysteria & fidem euangelij pertinere auctor est Paul. Salutare autem Christus est, vt Simeon in euangelio cecinit, Sed benè. Accipiam, quia nisi accepero, retribuere non valeo. Et cùm generaliter nihil ex nobis Deo dare possimus, sed quod ab illo accepimus, id tanquam iam nostrū iterū illi reddere, cuius dono acceperamus, peculiariter tamen hęc dona, hæc munera, hęc sancta sacrificia cælestia erant, de cælo ergo accipienda erant, & nomen Domini inuocandū, vt tali nomine consecrata, nobis fierent corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi. Quòd si nos piè, gratè, atq; sapienter sanguinē Deo proprium fundimus, vt beneficiorum non memoriā modò, sed obseruantiam teneamus, cur sanguinē Christi à Deo nobis propriè tributum non illi refundamus, qui nobis cum filio filij sanguinē dedit: Hesiodus eadem mensura iubet reddere, qua acceperis; aut etiā cumulatiore si possis. Nos, qui Christi sanguinem & corpus accepimus, si mensura cumulatiore non possumus, nō reddemus eadem? Quid Christus? An non per amicitiæ vim, quasi vnus nobiscū effectus, dona nobis à patre collata pro suis existimabat? Sanè quidē. Nisi ergo cultus fuit & ingratus, accipiens panem & calicē nō solùm nostro nomine gratias egit, sed patri pro suo sumno beneficio meritam ac debitam gratiam cumulatissimè retulit, certè parem patri persoluit, & commemorandam, dum fidelium genus erit, persoluendamque putauit. Hoc, ait, facite in meam commemorationem. Te appello, Luthere, atque adeò vos appello omnes Lutherini. Nónne intelligitis, quàm apertū vobis sit cū Christ euangelio certamen? Vos porrò eucharistiam percipientes, nō item offerētes,

1. Paral. vltim. Psalm. 115. 2. ad Cor. 4. Luc. 2.

Propriè dico, quia singulis attributus est: quo sensu et sol cū omniū cōmunis sit, cuiusque etiā est proprius.

Domini

Domini quidem cœnam agitis, sacrificium verò crucis nō agitis? Quod vester quidam cōfitetur euictus. In nostra, ait, eucharistia mors Christi tantùm verbis, nō etiā symbolis prędicatur. Non igitur Christiana est eucharistia vestra, Christus enim non iussit vt dicamus hæc in memoriā eius, sed vt faciamus, Hęc facite, ait, in meam cōmemorationem. Non est itaque in mysterijs hostia Christi dicenda solū, sed etiam facienda. Symbolis ergo & non verbis tantūmodò sacrificij Christi memoria in altari repręsentāda erit. Alioqui si manducatio est, non oblatio, exemplar & imago cœnę erit, exemplar & imago sacrificij non erit. Quanto meliùs tota per orbem ecclesia intellexit, quę quū sacerdos confectis in nomine Christi mysterijs ait, Hęc quotiescunq; feceritis, in mei memoriā facietis. Ipsius voce sacerdotis illa respōdet, Vnde & memores, Domine, nos tui serui, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus prędarę maiestati tuę de tuis donis ac datis hostiā puram, &c. Nullo ergo modo negari potest, quin ecclesia offerens corpus Christi & sanguinem in eucharistia, & Christi exemplo id faciat, & euidenti ratione ducta, & prędepto denique ipsius Domini impulsæ.

Bucerus l. 2. de vera & falsa Domini cœnæ admi. ca. 9.

Sed his tamen obijcitur, quod cum apostolus illud domini præceptum retulisset, Hoc facite, &c. eucstigiò subiecit, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annūciabitis, &c. Ipsa ergo manducatio & potatio symbolum est dominicæ passionis Non itaque necessarium est offerre sacrificium, vt hostiam Christi etiam symbolis commoremus. Huic argumento primum ita respondeo. Nō si quispiā dicat, Quotiescunque concœnauerimus, confabulabimur; mox intelligimus concœnationē & cōfabulationem eadem esse. Sic si Apostol. dixit: Quotiescū. que manducabitis, &c. nō necesse est interpretari cœnationem dominicę mortis annunciationē esse. Voluit ergo Dominus, vt quę mensa est, ea sit nobis & altare, hoc est, vt nō modò cœnaremus, verū etiam sacrificaremus. Quare idē instituit vt esset simul & sacramentū & sacrifi cium, quorū alterum dominicæ cœnę, alterum domini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

eę mortis esse symbolū. Pauli ergo sententia hæc est. Ne putetis vos satisfacturos legi, si manducetis & bibatis, qua in re cœnæ Christi cōmemorationē facietis: oportet enim vos mortem etiam cōmemorare, id quod magis sacrificando, quàm manducādo fit. Deinde non inficior equidem, quin manducando corpus, sanguinemq; potando in diuisione sanguinis ex corpore, id quod in cruce gestum est, apertè designetur. Cùm frangitur hostia, Aug ait, cū sanguis Christi in ora fideliū funditur, quid aliud, quàm dominici corporis in cruce immolatio designatur? Sed re vera, vt diximus, in separatione sanguinis à corpore mors significare potest, nō aūt propriè significatur hostia, nisi corpus quod moritur, offeratur. Quanquā consumptio specierum oblatarum ad perfectionem sacrificij pertinet. Ita populus cum sacerdote hostiam olim consumens, verè explebat sacrificium, atque adeò hostiæ crucis perfectum signum dabat.

Illud præterea animaduertendum çenseo, quamuis *Matth. 26.* Christus in cœna nullum omninò sacrificium obtulisset, eo tamen quod dixit, Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur, &c. mox verò subiungit: Hoc facite in meam commemorationem, satis ostendisse, nos mysticè corpus traditurus, sanguinemq; effusuros: quod reipsa apertè & sine mysterio ipse erat postea facturus. Hoc scilicet quod ego faciam, vos facite, sed ego faciam sacrificio cruento, vos facite in meam cōmemorationē incruēto. At Dominus, vt in Græcis omnib. exēplarib. vide re licet, semper est vsus verbo presentis temporis. Non enim ait, Hoc est corpus meū, quod pro vobis dabitur, sed, quod pro vobis datur. Nec si verbum verbo reddas *Luc. 22.* dixit, Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur, sed, qui pro vobis effunditur. Et apud Paul. τῶν μυστῶμα τὸ ὑπὲρ *1. Cor. 11.* ὑμῶν κλώμενον. Id est, Hoc meum corpus, quod pro vobis frangitur: quemadmodum & Ambrosius in hunc Pauli locum, & Beda enarrans euangelium Lucæ legūt. Nec dubitandum catholicis est, quam rem posterius explanabimus, in altaris sacrificio sanguinē Christi fundi non aliter ad effectū, quàm si nūc funderetur in cruce: corpus Christi item frangi ad efficientiam, perinde, vt si nunc

nūc nobis in cruce frāgeretur. Præterq; quòd in sacrificio externo misticè, & tanquam in exemplari atq; imagine, & sanguis Christi funditur, & frangitur corpus. Vnde Augustin⁹, Quū frangitur hostia, inquit, quid aliud, quā dominici corporis in cruce immolatio designatur? Ac ne sacramētum quidem solum, sed verum etiam corpus Christi sacerdotum manibus frangi, Romanum concilium sub Nicolao definiuit. Vides ne quemadmodum nobis omnia consentiunt, qui & Christū in cęna corpus suum & sanguinem mysticè tradidisse, & ad eandem nos formam instituisse, non rebus solū & rationib. sed verbis quoq; ipsis efficimus? Nihil enim prohibet, quū Luthera nos redarguimus, exemplaribus Græcis præsertim consentientibus adhæresce re.

De cons. d. 2. ca. Quum frangitur.

De cons. d. 2. Ego Berengarius.

Sed quia sacramentarij causantur se his ferè argumētis nō premi, vt quę maiori ex parte sumāt, corpus Christi verū & sanguinē in eucharistia esse, id quod isti pernegant, agè rationib. conquisitis hos quoq; vrgeamus. Tāetsi quędam ex his, quas ante posuimus, Sacramentarios etiam pressiùs astringunt, q̄ vt fugere aliquando possint. Atq;, vt omittā quod rem perspicuam, atq; è sacris literis manifestè exploratam & comprehensam inficiātur, nolo enim hodie hac de re cū Sacramentarijs certare, de sacrificio dico, etiāsi in speciebus panis & vini, nec corpus Christi, nec sanguis essent, vt verè sunt, adhuc tamen sacrificia in altari Christianorum existere multis & grauib. argumētis posse doceri. Est hoc primum & ex definitiōe sacrificij & ex perpetua consuetudine ecclesiæ grauissimum & firmissimū argumētum, quòd sacerdotes nostri panē & vinum offerunt Deo, faciuntq; sacri aliquid circa res oblatas, panē scilicet frangentes, huiusq; portionē tingentes vino, adde, si placet, rem vtranq; etiam consumentes: verè ergo & propriè sacrificeant. Si enim oblatio similæ ac farinæ conspersæ oleo in figurā mortis Christi futuræ sacrificium erat, nihil est ambiguum, quin panē oblatū frāgere ac vino tingere in figurā mortis pręteritę sacrificiū sit. Quid aūt in hoc opere Lutherani reprehendēt? An q̄ panis & vini munera à Deo accepta referim⁹? Arguant Abel ac cæteros in lege naturæ patres, arguant Moysen

Moysen cum scripta lege sua, arguant oblationes, quas in ecclesia primitiua piè offerri solêre, libenter illi concedunt. Quin naturam ipsam potiùs arguant, quæ nos ad gratiam referendam informauit, quam Deo tamen referre aliter non valemus, nisi dona, quæ accepimus, ipsi reddendo. Sed panem frangi ac tingi reprehendent. At hisce cæremonijs crucis immolatiõem designamus. Mirum est autem, si hoc nobis vitio vertant, quòd Christi passionem non verbis modò, sed rebus etiam commemoremus, præsertim cùm Dominus dixerit, Hoc facite in meam commemoratiõem. Sanè si illud peccatum est, qui baptizant, ij quoque peccant, quoniam symbolis mortem Christi figurant. Si ergo huius verbi definitio rectè nobis declarata & circumscripta est, sine dubio sacerdos in altari verè sacrificat, quamuis nihil aliud spectes, quàm species ipsas vini & panis externas. Atque etiam, si sacrificij partes ipsas expendas, hoc est, offerri, frangi, tingi, adde etiam consumi, cum his rebus mysticè peragendis nihil insit vitij, quemadmodum ostensum est, fit vt non solùm verè ac propiè, sed piè etiam atque religiosè sacerdotes nostri sacrificent. Eam quippè rem Augustinus considerans, speciem panis hostiam appellat, quod vtique nomen vsque adeò in omnium fidelium & auribus & linguis inhæsit, vt vanus & stultus sit, qui illud inde euellere tentarit. Sacramentarij igitur quidam negarent esse in ecclesia corporis & sanguinis Christi sacrificium, at sacrificium panis & vini nullo modo erant negaturi, ne propriam sacrificij notionem ignorare viderentur.

De consec. d. 2. c. Quum frangitur.

De cons. d. 2. Cũ frangitur hostia Sacrificiũ panet vini August. vocat in Psal. 37.

Prætereà, Melchisedech sacerdos erat Dei altissimi, sacrificium ergo offerebat Deo: omnis enim sacerdos constituitur, vt sacrificium offerat, at non legitur aliud, quàm panem & vinum obtulisse. Cùm igitur nos ad eundem modum & ordinem panis & vini species offeramus, propriè vereque sacrificium exhibemus. Quæ causa ecclesię fuit, vt illud Diui Thomæ in die festo atque solenni eucharistiæ celebraret, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit. Verùm argumentum hoc Lutherani duobus modis eludunt.

dunt. Primùm negant, Melchisedech Deo panem & vinum obtulisse, scilicet, Abrahamo obtulit, non Deo, vt Gen. 14. c. legitur. Id quod Epiphanius lib. 2. contra hæreses hæresi 55. agnouit. Deinde negant, sacrificium Christi in eo fuisse secundum ordinem Melchisedech, quòd panem & vinum obtulerit: sed in eo fuisse affirmant, quòd Christus non secundum legem mandati carnalis, oleo isto corporeo sacerdos effectus est, sed, quemadmodum Melchisedech, oleo spiritus vnctus sit à Deo præ participibus suis. Sic enim Apostolus ad Hebræos interpretatur. Sed scrupulus prior sic eximitur. Non inficior equidem, Melchisedech panem & vinum Abrahamo ad reficiendum exercitum contulisse, sed cum scriptura statim adiecerit, Erat enim sacerdos Dei altissimi, nisi causa inepta est, intelligere oportet, easdem res obtulisse solitum Deo, quas tunc proferebat Abrahamo, sed huic in cibum, illi in sacrificium. Quemadmodum Cyprianus ad Cecilium, Ambr. li. 5. de sacramentis, ca. 1. Hieronymus in 26. Matthæi caput, Augustinus in Psal. 33. concio. 1. Cassiodorus in psalm. 109. Damascenus lib. 4. ca. 14. Chrysostom. homil. de prodit. Iudæ. auctores sunt. Scrupulum verò posteriorem hoc modo eximemus, Non si in vna re sacerdotium Christi simile est Melchisedechis sacerdotio, omnis alia similitudo excluditur. Quin si figura perfecta est, aptè quadrare ad multa potest. Nihil igitur obstat, cur non in sacerdotij & constitutione & oblatione, Melchisedechi Christus appareat similimus. Lex insuper & religio nulla est sine sacerdotij munere atque functione. Hęc enim tria ita sunt semperque fuêre coniuncta, vt si vnum tollas, reliqua necesse sit esse sublata. Translato, inquit, sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Si ergo Christiani legem ac religionem habemus, habemus profectò & sacerdotium. At sacerdos omnis in hoc paratur, vt sacrificium offerat: Christiani ergo etiamnũ sacrificium tenemus, sine quo nec sacerdotium, nec religionem, nec legem tueri possumus. At non omnes esse sacerdotes affirmant, hostiasque spirituales offerre. Sed cùm hæ non propriè sint hostiæ, sed translatè, sacerdotium quoque non proprium, sed translatum & impro-

Ad Heb. 7. Euseb. 1. libr. eccles. histo. cap. 3.

De consecr. d. 2. In calicem. & c. Accipite.

Ad Heb. 7.

Ad Heb. 5. & 8.

prium

prium erit, translato verò sacerdotio, religionis itē translatio fiet. Ita nimirum qui nobis sacrificium eripiunt, simul hi & veram Christi religionem conantur eripere, & falsam eius inducere, qui iuge ab ecclesia auferet sacrificium. Nam & Danielis testimonio constringi fortiùs poterunt, quàm vt elabantur. Rogādi sunt videlicet aduersarij, quodnam sit illud iuge sacrificium, quod Antichristus ab ecclesia ablaturus est per dies 1290. Et cū in ecclesia non sit aliud sacrificium iuge præter id, quod in altari offerimus, iure arguimus, Lutheranos ministros esse Antichristi. Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? Etiámne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut coniectura capienda est? An dubitari potest, vbi nullum peculiare sacrificiū, priuatim res sacra nulla, sacerdos propriè nullus est, ibi ne religionem quidem esse posse? Tradit Plato, sacerdotes magna claritate oportere abundare propter eorum quæ tractant, magnitudinem. Quapropter apud Aegyptios non licere regem absque sacerdotio imperare. In plurimis quoq; Græcorū ciuitatib. præcipua sacra à magistratibus summis instituti, atq; apud Athenienses creato regi sacra maxima esse attributa. Tradit rursum oportere, vt vnus semper ex magistratib. deorum alicui pro ciuitate sacrificet. Aristoteles deinde auctor est, in heroicis temporibus reges diuinæ rei cultum exercere solitos, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotiū requirerent. Docet alio loco idem in optima Republica sacerdotes honoratissimos cōstituendos. Neq; enim, ait, agricola, neq; artifex, neq; vilium exercitiorum quisq; sacerdos est deputādus: honos nanq; dijs est à ciuibus impendendus. Cicero & Valerius scribunt, tantum studiū antiquis obseruandæ religionis fuisse, vt senatus tūc, quū florebat imperiū, decreuerit, vt de principū filijs pauci quidā electi Hetrurię populis ad disciplinam sacrorum percipiendā traderētur: ne ars tanta propter tenuitatem hominum & religionis auctoritatem, adduceretur ad mercedem & quæstum. Tantus honos apud veteres natura duce religioni est habitus, vt nulli nisi principes & optimates cæremoniarum erga Deum haberent facultatem. Et volunt Lutherani adeò

Dani.12.

lib. 16. qui est de regno

Dial. 8. de legib.
li. polit. 3. c. 10. li. polit. 7. c. 9.

li. de diui. Ci. li. 1. Valerius.

Christum

Christum desipuisse, vt Rempub. instituerit, in qua sacrificia omnia vulgaria passim & contrita essent, sacerdotes deliri etiam senes, garrulæ anus, adolescentes leues, sartores, lanij & coqui, quos honos præfandus sit, si vel cursim velis recensere. Scilicet, sacerdotium nostrum Lutherani Turcarum more informare cupiunt, apud quos à communi populo non multum sacerdotes differunt. Quantò religiosius antiqui olim Germani statuerunt, vt verberandi animaduertendique in hominem, nisi sacerdotum auctoritate nullis esset concessa facultas, quò iudicia non humana, sed diuina viderentur. Sed quid ego communes naturæ rationes profero? Ad nostras, hoc est, Theologicas redeamus. Apostolus fideles cupiens ab idolorum cultu deterrere, eo maximè argumento vsus est, quòd si idolis immolarent, participes essent altaris & mensæ impiæ atque irreligiosæ: nam sine discrimine eandem vocat & mensam & altare. Qui autem ad altare Christi accedunt, participes sunt huius etiam altaris: fieri autem non posse, vt vtriusque simul participes simus, nisi Deo & idolis pariter seruiamus. Altare igitur habet ecclesia, habet igitur sacrificium. Etenim sicut mensa dicitur, in qua editur cibus, sic altare, in quo offertur sacrificium. Negent ergo altaria fidelibus Lutherani, solum concedant mensas, quia cibum nobis esse aiunt, sacrificiū * non item. Nec altaris modò, sed & missæ nomenclaturā adimat, quæ casum quiddam & inanis vocis sono deco ratum erit, si nobis in altari oblatio non est. Missæ porrò vocem ex Hebræa lingua mutuò acceptam cū doctissimi è nostris, tum pleriq; e Lutheri familia testantur. * Est autem Hebræis Micca oblatio.

1. Cor. 10.

** Deu. 16. vbi nos habemus, Spontaneæ oblationē, Hebræi habēt Miecā. Quo etiā significatu docti. Carth. 4. c. 84. hoc nomē vsur pauit, in hac verba, Episcopus nullā prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, siue gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad missam catechu. de con. 1. d. Episcopus. * Li. 4. ca. 32. 33. & 63.*

Sanè verò tum altaria, tum oblationem corporis & sanguinis Christi, quam missam & sacrificiū appellamus ex apostolorum traditione nos habere, exploratissimum erit, si regulas eas huc referamus, quę in uestigandis apostolorum traditionibus libro huius operis tertio sunt à nobis constitutæ. Certè * Irenæus verbis nihil obscuris affirmat ex traditione apostolorum esse, quòd corpus & san

sanguinem Domini offeramus. Andreas quoq; Apostolus referente Philacteto ex literis sacerdotum Achaiæ, Egeę proconsuli, Immaculatū, ait, agnum quotidie in altari sacrificio. Iacobū & missæ celebrationē addidisse testes sunt patres Trullanæ synodi cano. 32. Conciliū insuper Carthag. 3. ait dominum tradidisse, vt in sacramento corporis & sanguinis eius nihil amplius, quā panis & vinum offerantur. Sed, vt dixi, nihil est opus oratione longiore, vbi promptum est formulas illas quærendæ traditionis ad præsentem disputationem accommodare.

De conſ. d. 1. c. Iacobus Cap. 24.

Iam ecclesię auctoritas pro hac conclusione notior & crebrior est, quàm vt iudicanda sit. Nihil enim frequentius, tum in canone, tum aliàs sępè intonat, quàm hostiā Deo se corporis & sanguinis Christi puram & immaculatam offerre.

Cōcilia verò ab hac sententia sunt plurima. Toletanum primum, cap. 5. Toletanum vndecimum, ca. 14. Toletanum 12. ca. 5. Bracharense tertium, cap. 1. Antisidiorense, capi. 8. Carthaginense tertium, Ephesinum, Nicænum, cap. 14. Lateranense sub Innocentio 3. Adde etiam Trullanum, quod nomine sextæ synodi à Gratiano refertur. Adde etiam Florentinum in decreto vnionis Armenorum. Sed & in concilio Constantiensi ille error cōdemnatus est. Non esse fundatū in euangelio, quòd Christus Missam ordinauerit.

De conſ. d. 1. In ſacramēto de cō ſe. d. 2. Neceſſariæ. 93 d. peruenit, de ſum. tri. firmiter. de conſec. d. 2. Didicimus conciliū itē Martini papæ de conſ. d. 2. Non oportet. Epi. 3. quæ eſt de offitio ſacerdotis.

Quid sedis apostolicæ antistites? Nempè eandē apostolorū & ecclesiæ fidem profitentur. Anacletus de cōsec. dist. 2. ca. Episcopus. Clem. de conse. d. 2. ca. Hic ergo. Alex. 1. de consec. d. 2. c. Nihil. Euseb. de consec. d. 1. c. Consultò. Iulius de conse. d. 2. c. Cùm omne crimen. Felix de consec. dist. 1. ca. Sicut non alij. Sother in epistola ad episcopos Italiæ. Syricius ad Cumerium Tarraconens. episcopum cap. primo. Innocen. I. ad Exuperium Tolos. episcopum, c. 1. Leo ad Dioscorum epist. 79. de cons. dist. 1. c. Necesse est. Hi omnes antiqui ecclesiæ pontifices, nā posteriores quid attinet commemorare?

Auctores verò veteres, quos ecclesia & consecrauit & publicè dedicauit, si referre velim, negocium lectori facessetur. Itaq; non omnes referam, sed nobilissimos. Docent

cent in primis hoc ex Græcis Dionysius, cap. 3. libr. de eccle. Hiera. Ignat. in epist. ad Smirnen. Athan. in li. quęstionum ad Antiochum, quæst. 34. Gregorius Nazanzenus in carminibus ad episcopos, Eusebius Emissenus de consec. dist. 2. Quia corpus. Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Hebræos, qui falsò nomine Ambrosij citatur à Gratiano, de consec. dist. 2. cap. in Christo. Chrysostomus quoque idem lib. 6. de sacerdo. paulò post principium. Cui Theophylactus consentit in cap. 10. epistо. ad Hebr. Et Damascenus lib. 4. cap. 14. E latinis verò habes Irenæum lib. 4. cap. 32. & 33. & 34. & 63. Cyprianum lib. 2. epist. 3. quæ scribitur ad Concilium de conse. d. 2. cap. 1. & 2. Atque idem repetit in sermone de cœna Domini. Ambro. lib. 1. officiorum cap. 48. Hieronymum ad Hedibiam quæst. 2. & ad Tit. 1. Paschasium in lib. de pascha. de consec. d. 2. cap. Iteratur. August. lib. 10. de ciui. ca. 20. & lib. 17. cap. 20. & lib. 20. contra Faustum ca. 18. Quem locum & Caluinus & Bucerus impudenter pro se referunt. Greg. 4. lib. dialogorum, c. 58. & in quadam homilia paschali de consec. dist. 2. cap. Quid sit. Fulgentiū denique li. 2. ad Monimum.

At omnibus his testimonijs Caluinus respondet, Eucharistiā ideò à patribus sacrificium vocari, quia est exēplar & imago sacrificij. Nec enim aut nouum aut insolitum est, rerum vocabula rerum imaginibus attribuere. Ad Gal. 3. Ante quorum oculos Iesus proscriptus est, & in vobis crucifix⁹, ad Rom. 6. Cōsepulti in baptismū, Apoca. 10. Agnus, qui occisus est ab origine mundi. Sic aūt Chrysostomum, Theophylactum, & Augustinum, fidē suam de sacrificio explicuisse. Hæc Caluinus. Nam Bucerus dicit quidem alios patrum in hac sacrificij appellatione id spectasse maximè, sed alij tamen in vsu, inquit, huius vocis præcipuè spectārunt oblationes, quas suarum rerū fideles offerebāt, & Domino cōsecrabant. Id quod Lutherus etiā animaduerterat in libro illo pestilentissimo de captiuitate Babylonica. Sed scitum illud est, qui verecundiæ fines semel transierit, eum benè & nauiter oportere esse impudentem. Primùm enim isti colligunt, si sancti auctores asserunt, Eucharistiam esse

Inſtitutio. c. 18. li. 2. c. 7.

exemplar sacrificij in cruce facti, statim haberi, non esse verum sacrificium. Quòd si ad eum modum colligere licet, ne vetera quidem sacrificia propriè & verè sacrificia fuissent, quoniam omnia figura & imago erant vnicę illius hostiæ, quā Christus moriēs immolauit. Vtrunque igitur signum vnius & eiusdem hostiæ censendum est. nostrum quidem præteritæ, illud autem legis veteris futuræ, sed vtrumque tamen verè sacrificium. Nisi quis adeò insaniat, vt putet, magis pertinere ad rationem sacrificij, quòd significet rem faciendā, quàm quòd commemoret rem factam. Ego sanè ita iudico, Eucharistiam nostram exemplar sacrificij Christi esse non posse, nisi esset quoque ipsa sacrificium. Quæ res paulò antè est à me diligenter explicata. Quemadmodum enim cœna nostra commemoratio non esset dominicæ cœnæ, imagoque illius & exemplar, nisi verè manducaremus, sic nec Eucharistia nostra hostiæ Christi exemplar & imago esset, nisi verè sacrificaremus. Deinde illud ab his quæro, an sancti dicāt, offerre nos in hoc mysterio corpus Christi & sanguinem. Bucerus negat, sed rem tamen apertā negat. Nam vt cæteros omittam, manifestè id tradunt Cyprianus ad Cecilium. Ambro. libr. officior. 1. Augusti. 17. de ciuita. Dei. Et contra Faustum libr. 20. Damascenus lib. 4. Irenæus item lib. 4. Ac demum Alexander papa ad omnes orthodoxos: nolo enim esse longus in reliquis excitādis. Quòd si sanguinem Christi in hoc mysterio offerimus, verè illud est quidem sacrificium, & exemplar est tamen, quoniam hostiæ cruentę imago incruenta est, sed ita incruēta, vt pro eo sit, ac si nūc cruor ipse effunderetur.

Atque argumenta hæc vsque adeò pleroſque Lutheranos cogunt, vt in sacrificio asserendo ex parte iā cum ecclesia consentiant. Non enim penitus sacrificium negant: sed in eo perstant, qui hostiam pro peccatis admittunt, eos iniuriam imponere Christi perfectissimo sacrificio, quo vno cuncta sunt remissa peccata. Itaque gratiarum actionis sacrificium in ecclesia esse quidē, quod eucharisticum isti vocant, sed pro peccato nullum esse, quod propitiatorium appellant. At nobis secunda in hac con-

hac controuersia conclusio certissima & ipsa est, Eucharistiam non modò iuxta nomen suum sacrificium esse, quo Deo gratiam referamus, sed id etiam esse, quod nobis Deum placatum propitiumque reddat. Eandem itaque hostiam pro gratiarum actione & pro peccato esse. Hæc primùm ostenditur ex illo apud Lucā, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Et de calice similiter, Qui pro vobis effunditur. Est ergo sacrificium pro peccatis. Id quod forma consecrationis præ se fert, quę habet, Effundi sanguinem in remissionē peccatorum. Nā quod Lutherani quidam aiunt, verba, quibus hoc mysterium sacerdos conficit, materialiter accipi, non significatiuè, non est huius loci temporisque refellere. Illud sanè exploratum est, si verba formę materialiter acciperentur, nec sacerdotem in Christi nomine corpus sanguinemúe conficere, imò ne conficere quidem vllo modo. Quin etiam, si sacerdos verba illa significatiuè nō profert, ex vi verborum, neque corpus Christi in Sacramento habemus, neq; sanguinem. Ex quo Sacramentariorum stultitia existit.

Luc. 22.

Ambr. de cōse. dist. 2. c. Si quotiescunque.

Deinde, Omnis sacerdos, vt ad Hebræos tradit Apostolus, constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, aut ergo nullus nobis sacerdos est, aut sacrificium propitiatorium habemus. Nec verò Paulus de solo legali sacerdote loquebatur, nisi ineptè argumentatus fuisset, Christum pro peccatis quoque obtulisse, quoniam sacerdos erat.

Hebr. 5.

Præterea, pœnam aliquam manere remissa iam culpa, non solùm ecclesia definiente, sed scriptura etiā tradente credimus. Cùm ergo corpus Christi & sanguinem Dei dono tanquam res nostras habeamus, vtique poterimus, offerre Deo ad redemptionem animarū nostrarum, quemadmodum & pœnas proprias & sanguinem quoque nostrum offerimus.

Hanc verò esse Apostolicam traditionem & Epiphanius li. 3. cōtra hæreses, & Chrys. ad populum Antioch. apertè docent, & facilè per regulas suprà à me positas ostendi potest, quas permolestum erit post tam longam disputationem ad huius nos loci vsum in præsentia

conuertere. Quanquam vna ecclesia satis est ad huius rei certam fidem in animis inserendam. Illa quidem cum alias frequentissimè, tum in canone maximè profitetur, plebem sanctam fidelium hanc hostiam Deo pro redemptione animarum suarum offerre.

Romanos verò pontifices superuacaneum erit recẽsere. Itaq; duos solùm antiquissimos & sanctissimos referemus, Alexãdrum in epist. ad omnes orthodoxos inquientem, crimina atque peccata his sacrificijs deleri. Cui assentitur Iulius de consecr. dist. 2. c. Cùm omne crimen. Quibus D. etiam Gregorium addo de cõsecr. dist. 2. cap. Quid sit.

Nam in concilijs habemus Cambinolense de consecra. dist. 1. c. Visum est. Florentinum quoq; habemus ac Tridentinum, adde etiam, si videtur, & Trullanum.

Iam sancti veteres eam rem constantissimè tradunt. Chrysost. hom. 17. ad Hebræos, & Theophylactus in ca. 8. eiusdem epistolæ palàm dicunt, in mysterijs & sacrificio esse remissionẽ peccatorum. Eusebius Emissenus hãc redemptionis oblationem vocat. Damascenus affirmat esse omnis sordis expiationem. Idem astruxit & Athanasius libr. quæst. ad Antiochum. Epiphanius item inducit hæresim Aërij in hæc verba, Orat viuus, aut dispẽsationem facit, id est, missam, quid profuerit mortuo? Cui respondet Epiphanius, quòd omninò prosunt preces eiusmodi defunctis, etiam si totam culpam nõ abscindunt. Quem locum incredibile dictu est, quàm prauè Bucerus torquere nititur. Sed benè habet, quòd habemus alios, quos hæretici, rumpantur licet, torquere non possunt. Chrysostomus hom. 69. ad populum Antiochenũ, Nõ temerè, inquit, ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim inde multum eis posse contingere lucrum. Cùm enim totus constiterit populus, sacerdotalis plenitudo & tremendum proponatur sacrificium, quomodo non exorabimus pro his deprecãtes? Vide etiam eundem lib. 6. de digni. sacer. Gregorius lib. 4. dialog. c. 55. Si culpæ, ait, post mortem insolubiles non sunt, sicut non esse docuerat, multum solet animas etiã post mortem sa-

tem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare. Theophylactus in c. Luc. 12. in illud, Eum timete, & c. Nõ semper, ait, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam. Sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes, quę fiunt pro defunctis, quæ nõ parum conducunt, etiã ijs, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Vide etiam Ambrosium epist. 8. lib. 2. ad Faust. Et Cyprianum lib. 1. epist. 9. nã in sermone de cœna Domini apertè dicit, hoc sacrificium esse iniquitatum expiationẽ. Vide etiã Paschasium de consecratio. dist. 2. c. Iteratur. & August. de cu. pro mor. ge. c. 1. & lib. con. 9. ca. 11. & 28. & de hære. ca. 53. & in enchi. c. 110. Possemus his Theologorum sequentium manũ adiungere, in hæreticorum cæde iam sæpè victricẽ. Sed victoribus occurrent acto iam de inimicis ecclesiæ triumpho? Itaque ad prælium serò venient quidem, sed ad palmã opportunè. Quanquam hoc loco necesse fuit eos aduocare, non vt nostra confirmarent argumentis ac rationibus, sed vt scholæ more presè atq; argutè contraria refutarent. In refutandis quippè hæreticorum argumẽtis tantum scholæ Theologia valet, vt facilè possit ea, quæ istis videntur esse grauia, ostendere vel leuissima.

Primum sanè argumentũ, quod Caluinus tantoperè iactat, facillimè diluitur. Quis est enim, cui nõ perspicua sunt illa, quæ verbis iste multis exornat & amplificat? Vnicum sacerdotẽ nostrum præstitisse id, quod oẽs illi veteres minimè præstiterunt, nempè remissionẽ peccatorum in sanguine proprio. Rursum immortalẽ esse & perpetuum, qui semper corã Deo pro nobis assistat, nec suorum modò vulnerum cicatrices, sed etiã sanguinem, quẽ effudit in cruce, omneis ecclesię & oblationes & orationes, sed demum ecclesiamq; suam patri in sublimi altari repręsentet. Itẽ vna sola oblatione cõfeciisse, quod ne plurimis quidem veteres illi sacrifici valuerunt. Hæc videlicet cõtrita sunt, & vel minutis Theologis peruulgata. Illud nos addimus, q; Caluinus ignorat discrimen esse inter sacerdotes veteres & nostros, quòd in illis nemo fuit, cuius cęteri vicarij essent, neq; enim posteriores prioris alicuius gerebant vices, sed quisq; suã offe-

rebat hostiam, & suo, non alterius sacerdotis nomine offerebat. Ita ex hac parte plures omninò erant sacerdotes. Non enim in vno veluti capite conueniebant, cuius loco ad ministrarent. At nostri cùm in nomine Christi & in persona eius accedant ad altare, quodammodo omnium vnum est sacerdotium, sicut episcopi ac vicarij vnum iudicium est. Aliunde etiam veteres illi plures erant sacerdotes, quia plures hostias easdemque differentes exhibebant, at sacerdos à sacro faciendo dictus, vbi eandem hostiam offert, idemq; omninò sacrum conficit, aliquo modo idem est, licet plures esse videantur. Ac reuera sacerdos, qui Deum sanguine placaret & recõciliaret mũdo, vnus est Christus. Nos quippè hoc sensu nõ dicimur sacerdotes, sed quia dispẽsatores sumus mysteriorũ eius, applicantes populo sanguinẽ, quẽ ille effudit in cruce, & simul cum illo offerentes. Inde enim nostra oblatio vim habet, non ex nobis. Non igitur nos plures sacerdotes sumus ad eum modũ, quo veteres plures fuisse tradit Apostolus. Quòd verò Caluinus ait nostros sacerdotes esse infirmos ac peccatores, vt olim in lege, magno discrimine agnoscimus. Etenim illi cùm adferrent hostias, quæ ex se placere Deo non poterant, Nec placita sunt, inquit, quæ tibi secundũ legẽ offeruntur, cũ sanguinẽ, inquam, hircorum & taurorum afferrent, si peccatores erãt, per sacrificia sua nihil consequebãtur: Respexit quippè Deus ad Abel & ad munera eius, neq; offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerũt, vt rectè Gregorius admonuit. Legis ergo infirmitas erat, quòd nec hostiam habebat, quæ ex se Deo esset accepta, nec sacerdotes impollutos, qui Deo gratiosi gratã quoque hostiam efficerent. Sacerdotes verò nostri, tametsi infirmi sunt, nihil tamẽ ecclesiæ sacrificio incõmodant, vtpotè, quod vim suam non ab illis habet, sed à Christo summo sacerdote, in quo patri benè complacuit, qui simul est & sacerdos & sacrificium, quẽadmodum Innocentius tertius in concilio dixit. Hostiæ igitur Euangelicæ excellens præstantia est, quòd & ipsa per se Deo est quàm gratissima, & vnum habet perpetuò sacerdotem sanctum atq; impollutum, cuius oblatio vim tribuit sacrificio,

Ad Heb. 9.

De sum. tri. c. firmiter.

crificio, omnibusque fidelibus memoria seculorum omnium prodest. Quocirca sicut in Christi sacramento impius administer nihil ecclesiæ nocet, ita ne in Christi quidem sacrificio sacerdos improbus diuinæ vtilitatis fructu ecclesiã priuat; quamuis ipse sibi non emolumẽtum cõparet, sed exitiũ. Verũ de primo argumẽto hactenus.

Huius autem confirmatio argumenti nõ est nunc oratione longa infirmanda, ne nouam hic controuersiã de noui sacramẽti sacerdotio constituamus. Illud breuiter dicimus, eos sacerdotes à Deo esse vocatos, qui ab Apostolis & eorum successoribus ritè & ordine vocati sunt. Nec verò sacerdotij nostri ratio popularis est, multorũue suffragijs declaranda, non de terra cõficta, sed de cælo ducta & delapsa est. Resuscita, inquit, gratiã Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et alio loco, Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij. Et in epistola ad Titũ, Reliqui te Cretæ, vt cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Paul. deniq; & Barnabas constituerunt per singulas ecclesias presbyteros in oratione & ieiunijs, vt mos est, & nunc in ecclesia fieri solet. Quemadmodum igitur qui Apostolos audiebat, is Christũ audiebat; ita etiam quos apostoli vocabãt, hos vocabat Christus; & quos à sacerdotio repellebant, eos Christus ipse repellebat. Nam quòd hæc nunc ab illis defensionis ratio viaque tentatur, in his scripturæ locis de senioribus agi, qui Rempublicam gererent, non de sacerdotibus, qui rem diuinam facerent, satis ostendunt, quàm parum in sacerdotij dignitate & auctoritate ponant, qui illud existiment aut à senectutis veneranda canicie, aut ab ecclesiæ administratione seiunctum. Aristoteles porrò nõ credidit alios fore ad sacerdotium idoneos, nisi vel qui reges essent, aut principes ciuitatis, vel certè quos post Rempub. diu suo cõsilio gubernatã, aut res in bello præclarè gestas, defessos iam atq; defatigatos omni cura humana & labore vacuos esse oporteret, vt non nisi in ætate & auctoritate senatoria sacerdotium resideret. Quam naturæ institutionem Apostoli secuti, cùm sentirent sacerdotibus ecclesiæ gubernationem fuisse à

2. ad Tim. 1. 1. ad Timoth. 4. Tit. 1. Actor. 14. Pol. 7. c. 9.

Christo cõmissam, ea existimarunt esse in sacerdotũ ordinem cooptãdos, qui verè presbyteri essent, hoc est, seniores. Ita factum est, vt presbyteri nomen in eum, qui sacra facit, remaneret. Sed nos eo loco locati sumus, vt non longè prospicere oporteat futuros sacerdotij casus, cùm eos in prẽsentia videamus. Deflexit enim iã de spacio curriculoq;, multumque deflexit consuetudo maiorum, & eos nobis episcopi initiatos sacerdotio tradunt, qui nõ modò presbyteri non sunt, sed sunt etiam valdè iuuenes. Ita sacerdotij auctoritas sceleratissimis ecclesiæ hostibus ludibrio est. Verùm de episcoporum abusu minimè contendimus, in eo certamus, sacerdotis creandi rationẽ nos ab apostolis, Apostolos à Christo accepisse. Quod ne dubitare possimus, certissimo est argumento, quod Christus in cœna dixit, Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Si enim hoc, quod prẽcepit facere, sacrũ erat, imò si, vt antè probatum est, sacrificium erat, Apostolos sanè tunc sacerdotes instituit, nisi iussit facere nec dedit tamen potestatem faciẽdi. Conficere autem Christi corpus & sanguinem, vt sacra nostra Deo faciamus, quoniam supra naturam est, sine diuina facultate fieri non potest. Quia verò sacrificium hoc Dominus facere iussit donec veniat, necesse est, vt copiam, quam Christus fecit apostolis sacrificij iugis & perpetui faciendi, illi in posteros sempiternis seculorum ætatibus transfuderint. Sic enim, vt Oecumenius ait, sacerdotium Christi æternum est secundum ordinem Melchisedech. Sed primi argumenti confirmationi refellendæ plusculum etiam quàm concedebat ratio largiti sumus.

In secundo verò argumento multa simul obijciuntur aduersum ea, quæ ex ecclesię sententia diximus, sed nos exprimemus omnia perspicuè, vt res dicta propè manu tentari possit. Primùm autem illud sacerdotibus nostris opponitur, quòd offerunt alienũ sanguinem. Id quod sine dubio falsum est, quippè cùm Christi sanguis, dono Dei licet, noster sit tamen, noster, inquam, veluti vniuersalis causa nostra est. Sol autem tuus ad generãdum est, at non ita tuus, vt sine peculiari tua generet actione.

Illud deinde Caluinus obijcit, Christi sanguinẽ semel iuxta

iuxta Apostolum oblatum esse. Quam rem non absurdè intelligunt plurimi de oblatione cruenta, quę palã ante oculos omnium posita fuit. Sic enim se idem Apostolus exposuit, quum subiecit, semel in consummationẽ seculorũ per hostiam suam apparuit. De illa ergo victima sermo fit, quę in monte Caluarię palàm in ore atq; oculis Iudeæ prouincię mactata est. Ex quo intelligitur, contra oblationẽ altaris, vbi sanguis Christi in mysterio fusus nõ corporis, sed mentis oculis cernitur, ne verbum quidem vllum Apostolum dicere. Aequè videlicet Pauli verba torquere aduersarij possunt in eam oblationem, quã Christus in cælis incruẽtã fecit, semper patri pro nostris peccatis apparens. Sed ne me in hanc quasi fugam cõferam, maximè animaduertendũ censeo, oblationẽ non simpliciter & vno modo esse. Vna enim est vniuersalis, altera est particularis, quę generalem illam quasi ad efficiendum applicat. Et quoniã Lutherani omnes oblationes ad vnum exemplũ & regulam quęrunt; nos huius diuisionis exemplum ex similitudine rerũ naturalium capiemus, vt horum ignoratio illustrior appareat. Illuminatio dupliciter à Philosophis accipitur, & ea, quę vniuersalis est, & ea, quę est particularis. Videlicet, simul atque Deus produxit solem, potest dici semel mundũ illuminasse, nempè tanquã in causa vniuersali. Sed sunt tamẽ plures quotidie illuminationes proprię, quę non solum cum generali illa nõ pugnant, sed ità subseruiunt, vt sine illis vniuersalis illa aut propemodũ ociosa sit, aut certè penitus ociosa. Sic & illud interpretamur, Illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, scilicet, illustratione quadam generali, quę in hoc quidẽ genere vna & eadẽ sufficiens & idonea est, atq; adeò sempiterna, sed si illustratiões peculiares desint, quib. singulorũ hominum mentes priuatim illuminẽtur, vniuersalis illa sufficientiam habet, efficaciam nõ habet. Nec enim generales causæ quicquam efficiunt, nisi priuatis & proprijs causarum secundarum actionibus, vis illa efficiẽdi communis ad singulos effectus adiungatur. Similiter ergo oblatio Christi vna generalis fuit redemptionis ac sanctificationis humanæ, non solùm idonea causa, sed

Ioan. 1.

suis etiam omnibus numeris absoluta: cui, in genere suo dico, nihil addi, nihil detrahi possit. At sunt plures oblationes particulares, quibus vniuersalis illa efficientia ad effecta quędā singularia contrahitur. Nemo igitur nos legales sacerdotes existimet, quòd singulis altariū sacrificijs sæpè ac priuatim offerimus, sed potiùs ita secū reputet, sacerdotes sunt isti secundi sub vno primo pontifice Christo administri & dispēsatores mysteriorū eius. Ac de prima quidem huius argumentationis parte, itēque de secunda disputatum est, reliqua est tertia eadēq; postrema, in qua Caluinus & Bucerus se insolentiùs iactant, quasi argumentum inuenerint, quod refellere neque imus. Qua vna in re, fateor, superiores sunt. Illi nāq; quomodo opinionē cōmentitiam confirmarent, inuenerunt, ego tam leue argumentū qua ratione infirmem ac diluam reperire non possum. Sed age, horum insolētiam reprimamus, iamq; doceamus seriò, quàm ridiculè exultent homines, non solùm doctrinæ Apostolicę ignari, sed omnis omninò philosophiæ. Primùm aūt, quamuis denuò velimus sacrificij cōplicatam notionem euoluere, non facilè tamen reperiemus, an ea cędem occisionemque contineat, cùm animal sacrificandū est. Contrà enim dicet fortasse quis, prophetas Baal quoddam etiā sacrificij genus prębuisse, qui lanciolis & cultris se inciderint, donec perfunderentur sanguine. At demus illud & concedamus argumentātibus quod ad perfectam animalis immolationem nos quoque attinere credimus, cōficī, dico, ipsum & occidi oportere, si verè sacrificatur. At corpus viuum & spirans nō offerimus, idem enim in eucharistia est atq; in cælo. Sed etsi Christi corpus in eucharistia viuum est, ac sanguis in corpore, non tamen à nobis aut corpus offertur quia viuū est, aut sanguis quia est in corpore. Sed illud quia mactatū, hic quia effusus in cruce. Quòd si Christus in cruce se offerēs non se è cōspectu nostro abstulisset, sed perpetuò penderet in cruce, ante omnium fidelium oculos omni & loco & tempore positus, nihil necesse erat, exemplum facti relinqueret, & in simulacrum ex animali exemplo veritas transferretur. Sicut enim ij, qui tunc fuerunt iuxta crucem

3. Reg. 18.

eandem

eandem cum Christo hostiam patri obtulerunt, si modò verè erant pij, & rem quę gerebatur, intelligebāt, sic si eadem externa crucis hostia in cōspectu nostro æterna permaneret, nullo exēplari & imagine hostię illius indigeremus. Quia verò licet oblatio illa & mactatio externa trāsierit, sic tamen corā Deo cōstat acceptabilis, & perpetua virtute cōsistit, vt non minus hodiè in cōspectu patris illa sit efficax, quā eo die, quo de saucio latere sanguis exiuit, ideò verè nunc offerimus eandem crucis hostiam cū Christo, perinde arq; illi, qui erant iuxta crucē, quamuis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat, cum res ipsa viua in præsentia esset, atque ante oculos proposita, nobis autem per imaginem Christus hostiam illam excitauit, & quasi in quodā exemplari statuit ante oculos. Sed imago hæc & exemplar nihil reuera obstat, cur nō eundem illum sanguinē modò offeramus, quem Christus fudit in cruce, nō aliter ac si nunc coram effunderetur. Que est sententia Chrysost. falsò tamen Ambro. attributa, de consecrat. distinct. 2. cap. In Christo. Adde, quòd quale fuerit sacrificium, talis est requirenda mors, vt si illud cruentū est, hęc sit etiā cruenta: sin illud incruentum erit, mors quoq; erit mystica & incruenta, id est, effectus mortis ceu nunc præsens adesset. Satis est enim vt verè & propriè sit sacrificium, quòd mors ita nūc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus ipse moreretur. Id quod scriptorum veterum testimonijs confirmatur. Greg. In ſc. 2. ipso, inquit, immortaliter viuens iterum in hoc mysterio moritur. Et August. Semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidiè immolatur in sacramēto. Paschasius, Quotidiè Christus mysticè pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, &c. Et Cyrill. in concilio Ephesino, Athanasius ad Antiochum, Theophylact. in decimū caput epistolę ad Hebræos, Damascenus in quarto libro, Gregorius demum Nazanzenus, vt cæteros prætermittam, hanc incruentam exanguemque immolationem vocant, vnicam illam quidem, qualis nō fuit alia similis, per quā ad effectū scilicet sic nobis Christus immolatur, vt illis, q̄ præsentes erāt

Vide etiam

De cōsec. d. 2. Quia corpus.

De cōsec. d. 2. Quid sit. De cons. dist. 2. Semel. De cōse. Et dist. 2. Ita ratur.

quan-

quando se in cruce offerebat. Sed quia sine effusione cruoris, quę in prędentia cernatur oculis, applicatiõe verò cruoris iam effusi fit oblatio, rectè à patrib. incruentũ sacrificium nuncupatur. Atq; ad ea, quę sunt à Lutheranis in secundo argumento dicta, diximus satis.

In tertio quoq; argumento refutando post hęc nihil est necesse laborare. Docuimus enim Christi oblationẽ in cruce nõ aliter se habere ad redimenda peccata, quã aut lucem ad illustrandum, aut medicinam ad curandũ. Lucem dico, quę omne lumen ederet: medicinam, quæ omnes sanaret morbos. Ecquis autẽ dubitet, causas perfectas & principales sine adiuuantibus & proximis nihil efficere? Medicamentũ quippè quãlibet prędens & salutare sit, nisi ægro corpori adiungitur, neq; opem indigẽti fert nec salutẽ. Quod si agnus, qui tollit peccatũ mundi, sine adiutrice & socia causa ipse per se expiauit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitẽtia absit, sacerdotia sileãt, ministeria facessant, atq; adeò omne salutis nostrę & sacramentũ remoueatur & instrumentũ. Præceptum illud vanũ sit, Baptizate in nomine patris & filij & spiritus sancti: gratia illa vana, Quorũ remiseritis peccata, remittẽtur eis: inanis sermo ille, Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum: sit deniq; ille falsus, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Quin etiam, si ita libet, quia orauit pro nobis Christus, non oremus, quia ieiunauit, non ieiunemus, quia lachrymatus est, non ploremus. Colligunt enim arguti isti dialectici, quia obtulit semel Christus, nos non offeramus. Sicut ergo cõpatimur, vt passionis eius participes simus, ita etiã offerimus, vt oblationis ipsius partem capiamus. Nobis sanè religio actuosa est, Lutheranis ociosa. Qui nos feriatos volunt cessatione torpere, & quasi pueros delicatos nihil agere. Ita ex animis hominũ extrahunt radicitus religionẽ, cùm sacrificia, sacerdotes, cęterosq; religionis administros tollũt. Non ergo nos repetitis oblationib. Christi sacrificiũ testamur fuisse imbecillũ, sed causam principalem perfectamque fuisse, quę quantumuis licet sufficiens in se & consummata sit, sine explicatione tamen causarum adiuuãtium

Matth. vl. Ioan. 20. Actо. 2.

Tit. 3.

Heb. 10.

nihil

nihil efficit. Illud verò, Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos, simile est, vt si dicerent, Deum vna illustratione mundum in æternũ illustrasse. Id quod reuera fecit, quum solem quasi sempiternum lumen accendit. Alioqui quid alio loco Apostolus iubet, Vt emũdemus nos ab omni inquinamẽto carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei? Certè Christi sanguis emũdauit nos ab omni delicto, & tamen Paulus ait, Mũdemus nos. Certè vna oblatione Christus cõsummauit sanctificatos, & tamẽ Paulus monet vt ipsi perficiamus sanctificationem in timore Dei. Christus igitur mundat ac perficit, & nos quoq; perficimus ac mundamus, sed ille agit nobiscum vt causa principalis, nos sub illo agimus vt causæ adiuuantes. Dei nanq; adiutores sumus. Sed addunt illud, Vbi peccatorum remissio est, iam non est oblatio pro peccato. Respõdemus. Si remissio solum est vt in causa vniuersali, iam non est oblatio generalis quidem pro peccato, est tamen oblatio specialis, q̃ vim illius ad efficiendum applicat. Quemadmodum si illustratio est mundi vniuersalis, nulla alia generali est opus, non enim alio sole indigemus, alia luna, alijs stellis. Sed necesse est tamen illustratiões quotidie singulas aeris interuenire, si terra est diebus singulis illustrãda. Addunt etiam, Post remissas per Christi sacramenta iniquitates, quorsum oblationes facimus pro peccato? Respondeo, remissio iniquitatis duplex est, vna perfecta, altera imperfecta. Perfecta, quum non solum culpa, sed tota etiam pœna remittitur, de qua illa intelliguntur, Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Beati, quorum remissæ iunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Proijciet in profundum maris peccata nostra, Mich. 7. & cætera similia. Atque hæc per baptismum contigit omnibus baptizatis. Imperfectam verò illam dicimus, in qua vel culpa remittitur, sed non tota pœna, vel remittitur pœna remissa iam culpa, de qua illud accipimus. Propter remissionem prędentium delictorum. Et rursum, In redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento. Antiquis porrò patribus culpas ante Christi mortem fuisse remissas ambiguum non est,

2. ad Cor. 7

1. Cor. 3

Esai. 38. Psal. 31.

Rom. 3. Hebr. 9.

iuxta

iuxta fidem quippè defuncti sunt testimonio fidei probati. Non esse autem perfectè remissas confirmat Paulus cũ ait, Christum mortuũ esse in remissionẽ præcedentiũ delictorũ. Quæ si plenè Moysi, Aaron, Dauidi, cæterisq; sub lege & natura sanctis condonata fuissent, nec illis esset ianua regni cælestis occlusa, nec loci inferi in custodiã deputati. Ecquis enim dicat, omninò resoluta crimina, quorum pœnę luuntur in carcere? Dauidi rursum homicidij & adulterij scelera relaxata quo tempore ad Nathan prophetæ vocem peccatum confessus est, & Nathã ipse idem, & auctor libri ecclesiastici testes sunt. At si plenam remissionem percepisset, quorsum illa? Dele iniquitatem meam, Amplius laua me ab iniquitate mea, Auerte faciem tuam à peccatis meis. & c. Certè hanc ampliorẽ & pleniorem indulgentiam non prius à domino impetrauit, quàm multis supplicijs in eo dominus acerrimè vindicasset. Itaque si per Christi sacramenta plena cuiquam peccatorum remissio contigit, non pro illiusmodi peccatis hostiam minimè offerimus, vt si quis proximè recens baptisma susceperit, ac si peccator non est perfectam remissionem consecutus, quod in sacramento pœnitentiæ ferè accidit, pro huius delictis sacrificium exhibemus, vt cui Deus subiratus etiamnum est, ei fiat aliquando propitius.

Quid igitur sibi Apostolus vult, quum minis horribilib. audientium animos perterrefacit in hæc verba, Volũtariè peccantibus nobis iam nõ relinquitur pro peccatis hostia? Nempè, qui dicit, volũtariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis nullam hostiam esse reliquã, is sine dubio significat, ignorantibus aliquam hostiã superesse, ijs præsertim, qui ante acceptam notitiã veritatis peccauerunt, quemadmodum Chrysostomus ac Theophylactus argumẽtantur. Rem ergo Apostolus verbis grandioribꝰ exaggerat, atque, vt solet, terrorem exuperatione inijcit. Ostendit itaq; non quid clemens & misericors iudex interdum sua lenitate concedat, sed qua pœna is dignꝰ sit, qui singulari baptismi beneficio suscepto filium Dei cõculcat, & sanguinem testamenti pollutum ducit, & spiritui gratię contumeliam facit. Indignus nimirum

mirum est, qui fuerit huiusmodi, cui Christꝰ iterum crucifigatur. Toties autẽ nobis crucifigitur, toties immolatur, quoties eius crux nobis & mors ad peccati remissionem applicãtur. Si de iustitia ergo agitur, nulla relinquitur pro peccatis hostia ijs, qui ex malitia peccãt. Sin verò de misericordia Dei agitur, quę omnem etiam sensum exuperat, nõ solũ infirmis & ignorantibus aliqua superest hostia, sed ijs etiam, rarò tamẽ, qui voluntariè peccauerũt post acceptam doctrinã veritatis. Enimuerò quod hæc apostoli oratiò alta & exaggerata sit, illud primum argumento est, quod statim subditur. Terribilis aũt quędam expectatio iudicij, & c. Atque euestigiò, Iratam quis faciens legem Moysi, &c. & post pauca, Rememoramini pristinos dies, &c. & tandem, Nolite amittere confidentiam vestram, quę magnam habet remunerationẽ. Illud deinde hoc confirmat maximè quod in 6. ca. cũ dixisset. Impossibile est eos, & c. ne existimaretur nulla esse rerũ expectatio meliorum, quasi à desperatiõe ad spem reuocare cupiẽs, Cõfidimus, ait, de vobis dilectissimi meliora & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Ex quo tẽperamento Hieronymus li. aduers. Iouin. 2. colligit, Apostolum Hebræos per exaggerationem territasse. Est & aliud respõsum dignum, nisi me fallunt omnia, quod magnoperè animaduertatur. Videlicet, hostia pro peccato duobus modis intelligi potest. Vno modo pro pœna, altero etiam pro culpa. Quòd enim peccati vox pro pœna peccati vsurpetur, illa demonstrant, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Et rursum, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autẽ minus dimittitur, minus diligit. Quo loco multorũ peccatorum pœnas multa dominus peccata vocat. Nam culpas antè fuisse remissas, qui superiores lachrymas consideraverit, is vocare in dubiũ non poterit. Et q̃ dilexerat, & ingemuerat, ea certè culparum veniã fuerat cõsecuta. Sed cui in præsenti dicitur, Remittuntur tibi peccata, Vade in pace, ei plenissima indulgẽtia cõceditur, omniũq; pœnarum psolutio. In pœnis verò locũ habet, vt maiori dilectioni maior remissio respondeat, minoriq; etiam minor, nã culpę vel simul remittuntur omnes, vel nullę.

Macha-

Heb. 10.

Heb. 6.

De pœni. d. 2. c. Si enim

Roma. 7.

Luc. 7.

Luc. 7.

Mach.12. Machabæorum sententia vulgò etiam sermone teritur. Sanctam & salubrem cogitatiõem esse pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Vbi pœnas purgatorias *Dani.4.* culpis debitas peccata sine dubio appellauit. Simile est illud, Peccata tua eleemosynis redime. Pœnas autem Daniel pecunia redimendas existimabat: nam culpas aut pœnitentia diluit, aut certè sine argento gratia resoluit. Atqui siue figuratè nomen causæ ad effectum transferatur, siue remissio pœnæ ad integram remissionem culpæ pertineat, non valdè interest quidem, tametsi D. Thomas atque Innocentius huiusmodi locutiones improprias esse testantur, quibus peccata deleri, detergi, abluí, remitti dicuntur, quia soluuntur pœnæ. Iam ergo cùm Apostolus ait, nullam hostiam supereſſe pro peccato, pro culpa propriè intelligendus est. Cui sententiæ non est illa contraria, relinqui pœnitentiæ sacramẽtum, quod iudicium est, non sacrificium, relinqui etiam hostiam pro pœna, quæ impropriè dicitur hostia pro peccato. ũed quæris, quid causæ plerisque antiquorum fuerit, vt baptismum hostiam appellauerint, ideoque dixerint, non supereſſe hostiam pro peccato, quia baptismus repeti non potest. Sanè quia in baptismo Christo commorimur, & per hoc sacramentum applicatur nobis hostia crucis, ad plenam peccati remissionem, hinc illi baptisma translatitiè hostiam nuncuparunt, ac post baptisma semel acceptum nullam hostiam esse reliquam interpretati sunt: quia baptisma secundum non est. At in pœnitentię sacramẽto non applicatur mors Christi per modum hostiæ, sed per modum iudicij. Itaque quamuis pœnitentia post baptisma superſit, non proinde tamen hostia supereſt pro peccato. Sed de tertio argumento nimiũ multa.

Sine pretio remittitur culpa. nõ tamen sine dispositione. 4.d.12.q.2. ar.2.q.2. Sermo est de mortalibus, q̃ simpliciter, & quasi per antonomasiã peccata dicuntur. Nã venialia hoc pentitus sacrificio delẽtur. de con.d.2. c. Iteratur, etc. vtrum. Probabilissimum est, specierum quoque mixtionem ad sacrificij integritatem attinere. Nã ab Apostolis ecclesiæ traditũ ambiguum non est.

Quartum verò non confutatione eget, sed reprehensione. Ecqua enim vel inscitia vel imprudentia est, ea aduersum nos testimonia excitare, quę à nobis faciunt maximè, Constat sanè, eucharistici sacrificij partes quatuor esse, vnam consecrationem corporis & sanguinis, alterã oblationem, tertiam fractionem, postremam consumptionem. His quippè quatuor partibus nostrum sacrificium

cium redintegrari, confici, absolui, qui negauerit, nihil illum de ratione perfecti sacrificij didicisse, nihil quæsisse, nihil scire conuincam. Consecrationem porrò atq; oblationem cum gratiarum actione coniunctã ex Euãgelio colligi, ostendimus paulò antè, fractio autẽ apertissimè traditur. In eo discrimen est, quòd Lutherani in fractione, nihil mysticum esse arbitrantur, sed solam panis distributionem, nempè, vt sua cuique portio cõtingat: at ecclesia sancta quùm hostiam frangit, dominici corporis in cruce fractionem significando, Christi hostiam commemorat, quemadmodũ Christus ipse & verbo & exemplo commemorandã tradidit. Quod verò ad plenam huius sacrificij rationem consumptio specierum attineat, concilium Toletanum duodecimum testatur, inquiens. Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur. Augustinus insuper in libro sententiarum Prosperi consentit, dum sanguis de calice in ora fideliũ funditur, dominici corporis immolationem, eiusq; sanguinis effusionẽ designari. Spectat ergo ad perfectam significationẽ sacrificij consumptio specierum. Quæ causa catholicis perpetua fuit, vt dum sacerdos species sumit, nõ edere illum dicant, edat licet, sed consumere. Vt intelligamus, in missa potius haberi rationem consumptionis, quàm manducationis, magisque sacrificium spectari, quàm cœnam. Quod Lutherani sentientes negauerunt, Christum corpus suum sanguinemque sumpsisse, ne consumpsisse & sacrificasse probaretur. Verùm ratio primùm conuiuij hoc exigit, vt cibi communionem & consociationem habeat, alioqui qui ad cœnã inuitat, is non conuictor esset, sed cõditor instructorque conuiuij. Atq; accubationem epularem amicorum, tametsi melius nostri conuiuium, benè tamen Græci tum compotationem, tum concœnationem vocant: vt qui vocat ad cœnam, nec concœnator ipse & compotator est, non solùm non vrbanũ conuiuium ineat, sed ne conuiuium quidem. Deinde, vt Chrysostomus argumentatur, ne discipuli horrerẽt carnem & sanguinẽ, necesse erat, vt Christus prior ipse deguſtaret. Christus certè, quod se videbant facere, id vt

De consec. dist. 2. quæ frangitur.

De consec. dist. 2. c. Relatum.

De consec. dist. 2. quæ frangitur.

facerent iussit Apostolis. Intellexit autem semper ecclesia sacerdotibus iniunctum esse, vt sumerent, sumpsit ergo & Christus, nisi sacerdos omnibus suis numeris absolutus non absolutum, sed inchoatum sacrificium fecerit. Nec me fugit D. Thomam aliquando, vt videtur, quidem, docuisse sacrificium ante fractionē hostiæ esse peractum, sumptionemq; spectare propriè ad sacramentum, oblationem verò ad sacrificium. Et rursum asserere, fractionē hostiæ non ita esse necessariam, vt, si omittatur, sacrificium maneat imperfectum, quòd videlicet huius rei significatio non ad corpus Christi verum, sed ad mysticum referatur, non ergo fractio in partibus sacrificij numerāda est. Quòd autem sacrificium ante fractionem peragatur, id magno argumento sit, sacerdotē statim à consecratione illa verba dicere, Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam purā, &c. Iam ergo nondum fracta hostia & oblatio est & sacrificium. Verùm, qui D. Thomam nobis obijcit, id ille agit, vt & secum ipse Thomas, & cum vera sacrificij ratione pugnet, eius enim in Secunda Secundæ, verba nō obscura sunt, sacrificium propriè dici, cùm circa res oblatas aliquid fit. Quam rem illo etiam exemplo confirmat, vt quùm panis frangitur & comeditur. Vnde colligit, primitias oblationes esse, non aût sacrificium: quia nihil sacrum circa eas fiebat. Hostiam igitur aliquando ante fractionem nō solùm D. Thomas, sed etiam ecclesia vocat eo more, quo rem instantem & proximā quasi præsentem nominamus. Sic Cicero præbere, ait, hostias ad sacrificium. Vbi animal sacrificandum hostiam appellat. Quin & in Leuitico, & in alijs quoque plerisque locis holocaustum, hostia ac sacrificiū ab eo, quod proximè futurum est nomen accipiunt. Sed & panem ipsum ante consecrationem hostiam vulgò appellamus, à qua appellatione ne Diuus quidē Thomas abhorret. Sacerdos porrò ante consecrationem dicit se offerre sancta sacrificia illibata, &c. Quis autem Theologus tam insigniter stultus fuit, vt peractum sacrificium ante hostiā consecratum existimauerit? Atq; vt de occulto & interiore sanguinis & corporis sacrificio nihil dicam, externum cer-

3. part. q. 83. art. 4.

Art. 6. 6.

q 85. 3. 3.

num certè & mysticum sola oblatione non cōstat. Cùm itaque circa species ante fractionem nihil sit à sacrificio factum, ne sacrificium quidem peractum est. Item cùm symbolis rerum Christo instituente debeamus mortem ipsius agere, si verum & perfectum nostrum sacrificium est, eiusque victimæ absolutum exemplar, quam Christus in cruce præbuit, nullum autem sit rerum symbolum antè, quàm species frangantur, misceantur, consumentur, certissimum accipere argumentum possumus, ante fractionē nondum esse expletum sacrificiū. Manet igitur, non consecrationem modò & oblationē, verùm & fractionem quoq; ac consumptionem ad integritatē externi sacrificij pertinere. Quæ res non pertenui nobis argumento indicioque patefacta est, sed graui constantiq; ratione, præterquàm quòd ab Apostolis has nos sacrificij partes accepisse, promptissimum est ostendere, nam Christum tradidisse, satis suprà est à me demōstratum. Vt Lutherani argumenta probabiliora deinceps excogitent: siquidem quartum hoc, quòd modo diluimus, improbabile est. Improbabile esse dico, Lucæ Paulique testimonijs vti, vt ecclesiæ sacrificium explodatur. Nam ratio ea, quæ adiungitur, captiosa est, & veri similitudine fallere imperitos potest. Primùm autem, qui Lutheranis respōderet, Christum in cœna sacrificium, non pro peccato quidem, sed gratiarum tamen actionis obtulisse, hic non ab illis facilè eluderetur. Eius enim rei probabilē rationem redderet, quòd cùm sacrificij cruenti dies instaret iam planè, aut certè iam appropinquaret hora, non oportebat hostiam in cœna pro peccato mysticam exhibere, cùm impenderet generalis hostia illa, in qua patri complacuit omnia peccata resolui. Quanquam & sanguinem circumcisionis pro nobis Christus obtulit & ieiunauit, fleuitque pro nobis, nec tamen remissio ea peccati secuta est, quæ à cruce tandem expectanda erat. Quemadmodum enim martyrij plena efficacitas nō in qualibet sanguinis effusione est, sed in ea demùm, in qua martyrium cōsummatur, quāuis sanguinē suum Deo statim à principio martyr obtulerit, sic passionis Christi perpetuæ vis illa absoluta &

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfecta, non in initio aut medio, sed in fine fuit. Deinde mysticæ oblationis effectus, non is est, quē falsò existimant Lutherani nos credere, nempè, vt omnes culpas pœnasque resoluat. Qua de re paulò pòst dicturi sumus. Alia enim efficientia hostiæ illius est, quam Christus palàm tractauit in cruce: alia illius est, quā sub speciebus definitis mysticè præbuit in cœna. Illa generalis est, sicut diximus, nec per sacrificium modò, sed per omnia sigillatim sacramenta ad effecta longè diuersa applicatur. Hæc peculiaris efficientia est, & sub specieb. certis ad peculiaria quædam effecta concluditur. Obtulit ergo Christus hostiam in cœna, tum pro culpa veniali, tum pro pœna, quæ pro culpa etiam mortali deberetur. Quin in peccato soluendo sacrificij peculiaris effectus est. Hanc verò habuit in cœna sanguis oblatus: nam in cruce vim remissionis habuit generalem. Sed quoniā, vt modò dixi, hanc rem sumus in confutatione sequentium argumentorum fusiùs explicaturi, pergamus ordine refellere argumenta, quæ restant.

Quinto verò argumēto refutando Roffensis episcopus calicem ait nouum Testamētum ideo dici, quia noui Testamenti confirmatio est. Quem vocis vsum, vt probare testimonijs non queo, ita non audeo explodere. Illud affirmo, nomen hoc pro re, quæ ex testamento obuenit, interdum accipi: vt in epistola ad Hebræos, ca. 7. Melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Sic enim promissionis vocabulum pro re, quæ promittitur, scripturæ auctores vsurpant: ad Hebræos 6. Imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones, ad Hebræos 9. Repromissionem accipiant æternæ hæreditatis. & Actor. 1. Expectarent promissionem patris. Si ergo promissio pro re promissa accipitur, & testamentū Luthero ipsi quoq; promissio est: nihil mirum, si pro re ipsa, quæ testamento est relicta, vsurpetur. At prima res eademq; potissima, quam nobis in testamēto suo legauit Christus, fuit sanguis. Quid igitur obstat, cur rē, quā beneficio testatoris habuerim, nō ego in funus eius exequiasq; rependā? Quid, inquā, obstat, cur quod de manu morientis accepimus, non id nos viuenti illi reddamus? Nisi

Nisi illud frustra atque importunè repetimus, Tua sunt Domine omnia: & quæ de tua manu suscepimus, reddimus tibi. Quod aūt calix impropriè dicatur testamentū, manifestū est. Siue enim, vt Innoc. placet, testamentum promissio est: siue vt Vlpian. verè sentit, sententia est voluntatis iusta de eo, quod post mortē fieri voluerimus, omninò liquet, calicē nec promissionē propriè, nec sentētiam esse, sed rem, quę testatoris promissione voluntatisque sententia relinquitur. Hanc verò nos hostiam præbere ad sacrificium quis prohibet? Sed de quinto argumento hactenus. *Cap. Cum Marthæ. de celeb. Miss.*

Iam argumento sexto quid attinet respōdere, nisi eadem velim, quę suprà dixi, verba repetere? Colligunt enim acuti scilicet Dialectici, si eucharistia exemplar & imago est, non esse illam verè ac propriè sacrificium. Quę sanè collectio perridicula est. Quid enim stultiùs dici potest, quàm legis veteris hostias sacrificia nō fuisse, quòd verorum exemplaria fuerint. Innocentius porrò tertius quosdam meritò irridet, qui putarint, in sacramento nō esse corporis Christi & sanguinis veritatem: ex eo, quòd scriptura interdum commemorat, id, quod in altari suscipitur, mysterium, imaginem, figuram & exemplum esse. Quorum errorem Pōtifex doctè grauiterque refellit, si enim, quia figura est, sacramentum altaris veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi veritas est credenda: siquidem eas similitudinem & imaginem esse Apostolus tradit, ac Petrus quoque scribit Christū exemplum nobis in sua passione reliquisse. Nihil igitur obstat, cur non in externo sacrificio forma sit, species, imago, & exemplar sacrificij crucis, in sanguine verò & corpore, quæ sunt res intus incluse, eiusdē sacrificij existat veritas. Sed quoniam in cruce, quod aliàs diximus, palàm & sine mysterio hostia cruēta fuit, in altari occultè & mysticè absc̄dita, ne eodem modo, quo Christus, sacrificare putaremur, rectè cū suo Chrysostomo Theophylactus admonuit, nos non immolare Christum, quemadmodum se ipse in cruce immolauit, sed potiùs illam crucis hostiam commemorare. Verùm quia commemoratio nostra ociosa & vmbratilis non est, *Cap. Cum Marthæ. de celeb. Miss.* *1. Pet. 2.*

sed efficit, quod significat: quanquam non Christum occidimus, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, Christi tamen mortem applicamus ceu nunc facta sit.

Matth. 26. Applicamus autem non fide sola aut solis verbis, sed etiam symbolis. Post illa nanque verba, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, non ait Dominus, Hoc credite: non, Hoc dicite: sed, Hoc facite in meam commemorationem. Quæ causa, nisi me fallit animus, Apostolo fuit, vt veteris legis symbola, quoniam vacua erāt, vmbras appellaret, non ipsas imagines rerum. Nam euangelium ipsas rerum imagines quasi viuas continet, non ad significationem modò, sed ad efficientiā. Vt baptismus imago est spiritualis ablutionis, quę per Christi sanguinem facta in cruce est, sed habet tamen res ita cōiunctas, ac si Christus ipse nunc pro baptizato sanguinē funderet. Quocirca & aliquando idē ausus est dicere, in singulis baptizatis Christum crucifigi: non illa solùm loquendi forma, qua Ioannes euangelista scripsit, agnū occisum esse ab origine mundi, sed ita potiùs, vt ad effectum idem prorsus sit, ac si Christus verè nunc pro his, qui baptisma suscipiunt, crucifigeretur. Nec verò existimo, quum Paulus legem dixit vmbram habere futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, de significatu disceptasse, quod pleriq; interpretati sunt, vt vmbram signū obscurū & imperfectum, imago rei expressum perfectumq; signū intelligatur. Quę vt vera esse nō

Heb. 10. inficior, ita à præcipuo Apostoli instituto esse aliena iudico. Id quod ex verbis eiusdem Apostoli manifestè conficitur. Ait enim, Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerū eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, &c. Quia igitur hostiæ illæ vim efficiendi non habebant, ideò legem vmbram habere dixit, futurorum in lege gratię bonorum. Vmbra quippè ignis nō id efficit, quod ignis, nec vmbra hominis idem præstat atque homo, neq; enim in agendo quicquā aut imbecillius vmbra aut inanius est. Sacramenta verò & sacrificiū nostrum imagines rerum sunt, non pictæ vel vmbratiles inanesque ad efficiendum & imbecillæ, sed cùm ad viuū

viuum rerum ipsarum expressæ, tum, si ita loqui liceat, adefficacitatē res ipsæ viuæ, quarum imagines sunt: tāta Christi & euangelij potentia est, vt eādem vim penitùs symbolis imaginibusq; tribuerit, quam res ipsæ haberent, si quum earum cōmemoratio fit. verè patrarentur. Sed in sexti argumēti repræhensione multū temporis insumpsi. Nihil enim responsione opus erat: sed vt loca eadem diligenter isti pertractarent, & bona fide relegerent. Ibi enim planè reperirent, auctores sanctos, & verum in ecclesia corporis ac sanguinis Christi sacrificium, & verissimum quoq; exemplar affirmare: alterū in externa forma & figura, alterū in re, quæ inclusa atq; abdita in mysterio latet occulto. Quanquā Euthymius ante cōsecrationem exemplar interpretatur: post cōsecrationē autem sacrificij veritatem. In quē etiam modū Basilium exponit Damascenus 4. lib. cap. 14.

In septimo argumento existimant homines parum in Theologia exerciti, actus nostros nostrę redemptionis, sanctificationis, ablutionis, nullo modo causas esse. Quę si vera essent, illa omnia essent falsa, Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se. Item, Mundemus nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus, perficiētes sanctificationem in timore Dei. Item, Peccata tua eleemosynis redime. Itē, Per misericordiā & fidē purgantur peccata. Item, Misericordia & veritate redimitur iniquitas, & cætera id genus, quę in sacris literis passim occurrūt. Neq; ex his, quemadmodū isti falsò iudicant, quicquam de Christi in nos gratia, merito, vi, & redemptione detrahitur, quin gratiæ Dei & Christi multò magis attribuitur. Exemplū ponam ex natura, vt gratię vis manifestiùs eluceat. Res vniuersas ad suū quenque finē vi quadam ingenita moueri, philosophis omnibus exploratū est. Sic igni, vt ad locum naturę suæ congruētem ascenderet, leuitatem indidit procreator ille mundi Deus, vt verò calefaceret, quæ erat actio ignis naturæ conueniēs, impertijt calorem. Id quod in reliquis promptum est cernere, quæ sic à principio & forma interiore mouentur, vt non solū non repugnent, sed agi spontè videantur. Animalia porrò non modò hanc inclinationem &

1. Ioan. 3. 2. Cor. 7. Dani. 4. Prou. 15. Prou. 16.

formam à natura habent, verùm ipsa etiam se mouent actionib. quibusdam suis, & ad quętendum sibi consentiēs bonū, & ad propulsanda aduersantia mala. Quæ res præcipuè in hominib. illustrior apparet, q quoniā non aguntur, vt serui, sed liberè potiùs agunt, vt Domini, ratione eligunt media & se ipsi cient, vt per talia media fines propositos consequātur. Nec id circo tamen aut primæ causæ virtus minor est, aut potestas infirmior, imò hoc vberior & maior, quòd attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter. Ecqua enim vis ea fortior esse potuit, quæ adeò suaues & cōgruentes impetus in rerū natura posuit, vt eas nulla vi quidē illata moueat, sed vehementissimè moueat tamē? Quę Dei virtus eximia insigniſq; suauitas multò latiùs in gratuitis effectis, quàm in naturalib. se effundit. Non enim solū vitales operationes, quę supra naturam sunt, in se edit mortalis homo per gratię formā & virtutes, sed ad vitam ipsam capiendam sua se actione parat, & viuendi sibi causa est. Quemadmodū enim, si materia dispositiones, quibus ad suscipiēdam formam ignis præparatur, ipsa in se faceret, eadem sibi causa esset effectrix, vt à forma illa informaretur, sic quoniā prępparationes viuificantis gratię homo in se efficit, ipse in sui generatione Dei adiutor existit. Qua in re, vt dixi, suauior & effusior gratia, quàm natura est. Vitā nanq; à natura datā curare ac tueri ipse valeas, salutē quærere, morbos pellere aduersos, tū externis quibusdā medicamentis adhibitis, tū animæ viribus interiùs excitatis. At vitæ causa tibi esse non poteris, sed aliunde eam accipis nulla interueniēte operatione tua, dispositione tua nulla. Dispositio quippè omnis, qua ad animā corpus aptatur, à patre generāte editu . à filio genito nullo modo, In natiuitate verò spiritualis is ipse, q nascitur, non solùm principium est, vt postægritudinē sanus sit, verum etiam, vt postquam fuerit mortuus, & vitam habeat, & abundantiùs habeat. Præclarè itaq; dictum illud est, atq; ad Philosophię rationem aptè, Iustus ex fide sua viuet. Ex quo Hieronymus colligit, hominē sibi esse viuificationis suæ causam. Nempè actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, quibus Deus vtitur ad animum

Sap. 8.

Abac. 2. Rom. 1.

mū viuificandū, homo ipse in se facit, gratuito quamuis & supnaturali auxilio permotus. Ne certes, quasi actus nostri gratię remissionisq; culparū causę efficiētes sint, cum nihil aliud, quàm disponant animū, vt gratiā Dei iustitiāq; recipiat. Quemadmodū calor præparatio est, quæ ligni materiam efficiat, vt & formā ignis capiat & naturā. Sed sicut homo alteri homini nō est causa animę rationalis, sed causa tamen est, vt per rationalē animā viuat, sic homo licèt causa gratię non sit, causa tamen sibi est, vt per gratiā viuat. Cuius sententię illa iam consectaria sunt, Animas vestras castificantes: Item, ablue à malitia cor tuum: Item, Si quis emūdauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatū & ad omne opus bonū paratum. At vasa hęc quidē Deus ipse fecit in honorem, & præparauit in gloriam. Sed si nō à voluntate nostra pur gatio animę nostræ fieret, vt Damas. argumentatur, nō vtiq; dixisset Paulus, Si quis emundauerit se, &c. Verùm hæc subtilius fortasse disseruntur, quàm vt ea Luthera- ni omnis omninò Philosophiæ ignari possint agnoscere. Illud breuiter intelligant, nos in salutis nostrę opere, sanctificatione, purgatione, curatione Dei adiutores esse. In die, inquit, salutis adiuui te. ac rursum, Gratia Dei mecum. Nam de peccatorum redemptione quæstio est multò facilior. Ea nempè voce aliquando per solutionē pœnarum scriptura significat, quę post culpā remissam manent. Has autem non modò Christus per sacramenta sua, sed nos etiam ieiunijs nostris eleemosyniſque resoluimus. Pretia itaq; Deo constituta, quum pro pœnis debitis enumeramus ac pendimus, tunc peccata nostra redimimus. Nec verò pretium hoc æquale natura nostra, sed Dei gratia fecit, qui tum pro culpis grauiores pœnas, tum pro pœnis grauiorem posset compensationem exigere. Sed hæc pretia ille pepigit, lege clementiæ & misericordiæ quidem, sed æquitate iustitiaque permixtæ. Quòd si ad peccatorum redemptionem pretia hæc, nostra licèt, momenti alicuius sunt tamē, quoniam ita sua is lege constituit, qui arbitrio propriæ voluntatis rerum omnium iustus æstimator est: quantò veriùs & iustius nostras ipsi iniquitates redimemus Christi corpus & sangui-

1. Petri 1. Hiere. 4. 2. Timo. 2. lib. 4. c. 20. vide Chry. hom. 42. ad popu. Angatio. 2. Cor. 6. 1. Cor. 15.

sanguinem in altari offerendo? Christi, inquam, qui nobis est factus sanctificatio, iustitia, & redemptio. Ac tametsi redemptor noster vnus est ille, sed quia nobis tamen nostrisque actionibus vtitur ad effectum redemptionis explendum, eum quoque in hac parte nos iuuamus. Nec gloria redemptoris minuitur inde, sed augetur, qui nō naturæ diuinæ modò, verùm diuinę operationis socios nos etiam fecerit & consortes. Sed in hoc argumento refutando multum omninò operæ laborisq; cōsumpsimus; præsertim cùm proximè quædam horum simus adhuc latiùs explicaturi.

In octauo enim argumēto ridiculi citharœdi chorda semper oberrāt eadem, cùm causas Deo adiutrices in redemptionis humanæ opere negant. Quę stultitia cuiusmodi sit, exemplo naturæ demōstrare possumus. Fuerūt quidam vsque adeò naturalis sapientiæ imperiti, vt opinarentur causas secundas, sic enim appellant Physici, nihil omninò ex se agere, sed rerum omnium effectorem Deum ad præsentiam causarum, quæ secundæ proximęque dicuntur, per seipsum omnes effectus edere. Quę deliratio incredibilis stultissimorum hominum è schola Philosophiæ, non modò sibilis, sed etiam conuicio explosa est. Verùm quod isti in natura, idem in his, quę supra naturam sunt, Luth erani peccant, quī soli Deo redemptionem tribuentes, causas adiutrices accipiūt, quasi blasphemia sit, quod in natura sapientissimi quique dixēre, id nos in gratia dicere: nēpè causas esse adiuuantes & proximas, quib. prima & principalis vtatur, vt res supernaturales efficiat. Quo loco vis & potestas illius eo præclariùs extat atque eminet, quò magis se homini confert, cum illoque communicat non modò vt sit, sed vt causa etiam sit, quę, vt licet accepta diuinitùs, verè efficiat tamen, & Deum quoque ipsum in rebus faciendis adiuuet. Nā & Apostolus nō dubitauit scribere, Deinos adiutores esse, dispensatoresque & ministros mysteriorum eius. Item, se plantasse, & vt sapientem architectum fundamentum posuisse, ac filios per euangelium in Christo genuisse. Vt illa prætereamus, Baptizantes eos in nomine patris, &c. Quæcūque solueritis super

1. Cor. 2. & 3. Matth. vl. Matth. 18. Ioan. 20. vide Ambr.

super terrā, &c. Quorum remiseritis peccata, &c. Ex quibus Constantiensis synodus apertè confecit, sacerdotem verè absoluere, verè conficere. Quę si certissima sunt, vt sunt sanè, nihil necesse est, quod Albertus Pighius facit sacrificium operationē nostrā esse negare. Multò enim doctius Diuus Thomas asseruit, quem locum breuiter perstrinxi paulò antè, sacrificium oblationem esse, & eius actum virtutis, quæ Dei cultu pio continetur. Nostra igitur est operatio, non inficior equidem. Sed duplices sunt operationes nostræ. Quædam, quas nostro nomine reddimus, & quæ nostra gratia, meritisque nituntur, vt eleemosyna & ieiunium. Alteræ verò sunt, quæ non à nobis efficacitatem habent, sed prorsus à Christo, vt baptismus & absolutio sacerdotis in pœnitentiæ sacramento. Quia enim sacerdos, non in suo, sed in nomine Christi baptizat & absoluit, istiusmodi actiones, in quibus purum nudumq; ministeriū est, non à ministro vim accipiunt, sed à Christo, cuius reuera magis dicuntur esse, quàm nostræ. Nam ille est, qui baptizat, ille est, qui absoluit. Quocirca, siue iustus administer sit, siue iniustus, ad effectum sacramēti nihil omninò interest. Sicut refert etiam nihil, qui ignem accendit, & ad exustionem admouet, frigidus an calidus ille sit. Tantum quippè caloris impertiet, non quantum habet ipse, sed quantum habet ignis admotus. Priores igitur operationes nostræ non conferunt alijs peccati remissionem ex opere operato, id est, ex vi rei factæ: sed quemcunque effectum sortiuntur, ex merito eum nostro sortiuntur. At posterioris generis operationes ex se possunt peccata remittere, quia, vt diximus, Christi sunt potius, quàm nostræ. Ita si semel nos Christi sacramenta conficimus, eaque alijs admouemus, ex vi rerum effectarum, & aliorū culpas pœnasq; resoluimus, & gratiā Christi impartimur, non nostram. Sacrificium porrò altaris, quod primo argumento refutando explicui, in posteriore operationum genere includitur. Non enim suo nomine sacerdos hostiā præbet, sed Christi, nec suum meritum & gratiam Deo repræsentat, sed Christi, nec suum offert sanguinem, sed Christi. Quemadmodum autem, si ignem sa-

br. lib. 1. de pœn. cap. 2. Nouatus enim aiebat se domino deferre honorem, cùm soli remittendorum criminum potestatem tribuebat.

faceret, & ad comburendum adiungeret, ignis effectionem induceret, sic cùm sanguinem Christi in altari conficiat, eundemq; sua oblatiõe applicet, sanguinis Christi efficientiam affert. Quo fit, vt nec sacrificij huius effectus, aut à bono administro maior sit, aut à malo minor, nec sacerdotis iniquitas effectum huius impediat sacrificij, quemadmodum Innocentius libro 3. de sacro altaris mysterio, cap. 5. testatur. Non est autem dogma hoc nuper inuentum, nam auctorum etiam veterum libris peruulgatum est. Id Gregorius tradit 1. quæst. 1. Multi. Augustinus de consecr. distinct. secunda, Vtrum. Hieronymus aduer. Lucif. Chrysostomus hom. secunda in secundam ad Timot. epistolam, cuius verba libuit subscribere. Sacra, inquit, oblatio, siue Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quã dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa, minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui antè sacrificauerat. Qui autem hanc illa minus habere putat, ignorat Christum esse, qui nũc etiam adest atque operatur. Hactenus ille. Quam rem exemplo Philosophiæ apertiùs exponemus. Docent sanè Philosohi causas administras non eodem modo esse omnes. Quædam enim non agunt, nisi qualitatem similem à principali causa receperint. Vt aer non illuminat oculos, nisi sol lumen cum eo communicauerit: aqua non calefacit, nisi prius ab igni calorem habuerit. In quo genere eò effectus vel maior vel minor est, quò forma & virtus agendi magis vel minus fuerit adiuuanti causæ communicata. Qua etiam forma & virtute si caruerit, nihil penitùs ager, vt aer sine lumine, sine calore aqua, &c. Aliæ sunt causæ adiutrices, quæ vim principalium causarũ applicant, vt is, qui admouet ignẽ ad stipulam vel lignum. In quo genere actionis non facit diuersos effectus diuersa applicantium qualitas, modò ignis idem applicetur. Ministri autem & sacramenti, & sacrificij Christiani, sunt causæ secundi generis. Non enim per sanctitatem participatam reliquos ipsi sanctificant, nec mundãt alios, quia prius à Christo ipsi mundati sunt. Sed qualescunq; sint, si Christi aut sacramentum exhibent, aut præbent sacrificium, eundem Christi sanguinem & merita adiungunt.

Irenæus verò primùm non de solo altaris sacrificio loquitur, sed de cæteris quoque oblationibus, quæ figuratè sacrificia dicuntur. Id quod facilè apparet, quoniam Pauli testimonium ad Philippenses excitat, vbi de eleemosynis sermo fit. Illud etiam refert, Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: & itẽ illud, Si offers munus tuũ ad altare, &c. Deinde Irenæus sermonem apertè facit de sacrificio in ordine ad offerentem. At ne hostia quidem altaris eum, qui offert, purificat, si ipse nequam & impurus est. Quin magis ex oblatione sacrilega inquinatur. *Li. 4. c. 34.* Vnde & ait, quòd si quis timorem Dei non habeat, nequaquam per id, quod rectè foris oblatum est sacrificiũ, ad se ducit Deum, intus habens peccatum. Nec oblatio talis, inquit, proderit ei aliquid. Præterea, sacrificium altaris, non solius administri est, sed ecclesiæ totius. Ita licet sacerdoti malo offerenti non prosit, sed noceat: at ei, pro quo offertur, vtile est non sacerdotis merito, sed ecclesiæ. Quam rem exposuit Irenæus eo etiam capite in hæc verba, Quia igitur cum simplicitate ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium deputatũ est. Cùm verò in ecclesia Dei caput etiam includatur, quod est Christus, consequẽs fit, non oportere, vt sanctitas sacerdotis administrantis sanctificet sacrificiũ, quod & per se sanctum est, & ab impolluto sacerdote oblatum. Idem quippè est & sacerdos & sacrificium Christus Iesus. Cũ ergò argumentum illud, quod istis firmissimum & grauissimum videbatur, responsis omni luce clarioribus ego refellerim, qualia obsecro erunt argumenta reliqua? in quibus ad probandũ vis nulla est, ad contradicendum est profectò imbecilla.

Videlicet argumentum nouum minimo negocio refutabitur. In remissione enim peccati duo intelliguntur, & condonatio culpæ, & resolutio pœnæ. Atque illa quidem, vel per propriam fidẽ & charitatẽ contingit hominibus, vel per fidei sacramẽtum, hæc verò per fidem etiam & charitatem alienam. Ecclesiæ nempe societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit, quam

quam rem probare, alterius loci ac temporis est. Multò verò magis hanc pœnę relaxationem vir iustus à Christi passione participat: Christi autem passio per sacrificium altaris, non solùm commemoratur, sed communicatur etiam. Sacerdotis igitur oblatio ei, pro quo fit, bis conducit ad relaxandam pœnam, & quia sacerdotis ipsius opus meritorum est, quod ille ad soluendam pœnā proximo suo benignè ac liberaliter impartitur, & quia ecclesiæ atque adeò Christi sacrificium est, quem effectum sacrificio ex opere operato attribuimus, nam priorem illum habet ex opere operātis. Quare si sacerdos probus est, & suam operam & satisfactionē vult fratri indigēti dare, dupliciter, vt modò dicebam, illius commodis & vtilitati seruit, sin est im,pbus, vna est vtilitas sacrificij, quæ ab ecclesia & Christo offerente proficiscitur, quam omninò minister sacrilegus non intercipit. Sicut ne eleemosynæ quidē fructum domino adimit seruus, qui eam distribuit, detestabilis.

In huius autem confirmatione argumenti vis sacrificij in peccato remittendo queritur, culpás ne remittat an pœnas, an vtrasq; potiùs & culpas & pœnas. De qua re tres video sententias ferri, quarum nullā probo. Vnā, vt oblatio sacra culpas etiam mortales remittere possit, atque adeò gratiam conferre. Alteram, quę in remissione peccati nullam vim sacrificio tribuit, nisi ad impetrandum, quomodo eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, quia orationis loco apud Deum est, per quam ea bona impetramus. Id quod Ecclesiasticus expo

Eccle.3. nit, inquiens, Conclude eleemosynā in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Nec ideò tamen sacrificium propitiatorium esse negāt. Quoniam & is, qui veniā alteri impetrat, illum propitium reddidisse dicitur, quem suis precibus placauit. Per hanc igitur viam & rationem hoc sacrificium non pœnas solùm aiunt, sed culpas etiā omnes veniales mortalesq; remittere. Tertia sententia est, quę sacrificium ex opere operato in pœnas valere dicat: in culpas nullo modo. Satisfactionem itaq; in altaris hostia esse & exolutionē pœnæ, non expiationem & remissionē culpę. Ad hunc enim effectū sacramenta pa-

ta parata esse, ad illum verò esse institutum sacrificium.

Sanè qui primam illam opinionem induerunt, hi eisdem argumentis vtuntur, quæ nos attigimus, quod Alexander & Iulius tradunt, crimina omnia hoc sacrificio deleri: Athanasius, Cyprianus, & Damascenus affirmāt omnes sacerdotes expiari: Chrysostomus & Theophylactus non obscurè docent, esse remissionem peccatorum. Quòd si ex verbis illis, Quorum remiseritis peccata, &c. colligunt Theologi, ministros posse & culpas omnes remittere, & gratiam ex opere operato conferre: cur nos aliter eadem verba de sacrificio interpretemur? Præsertim cùm peccata propriè vocentur culpæ: reatus verò pœnę non nisi per tropum, quo effectus significatur nomine causæ. Atqui confugere ad tropos Theologo non licet, quando nihil absurdi est in proprio sermone.

Rursum sancti patres docuêre, sacrificium hoc crimina abluere, sordesque detergere. Qui autem abluit & detergit sordes, is maculam tollit, nō ergò solas pœnas hęc hostia resoluit, sed culpas quoque, in quibus maculam intelligimus. Remissa enim culpa, manet pœna, non macula. Adde quòd sanguis Christi mysticè hic funditur in remissionem peccatorum, quemadmodum nos ipsa forma consecrationis instituit, at sanguis Christi pro culpis etiam effusus est, non pro pœnis tantùm. Vtrasque ergò hoc sacrificium soluit. Postremò, cùm idem Christus patri offeratur in altari, qui se patri offert in cælo, sicut oblatio, quam sancta sanctorum ingressus patri exhibet, mortales etiam culpas remittit, ita & ea, quæ in altari fit, culpas remittet & pœnas.

Nec secūda opinatio præsidijs suis destituta est. Quaniam post oblatū sacrificium pro peccato, vt fideles intelligerent vim orationis in hostia ad illud delendum esse, ecclesia his verbis deprecatur: Sit hoc sacrificiū intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit remissio omnium peccatorum. Atque Diuus Thomas in quarto, distinctione duodecima, quæstione secunda, articulo secundo, quæstiuncula secunda, cùm in primo argumento obiecisset illud, Fit ablutio scelerum,

rum, &c. respondit, huiusmodi locutiones esse improprias. Dicitur enim hoc sacramentum scelera abluere, quia ipsa impedit, contra ipsa robur ministrando. Et ad quartum, Eucharistia (ait) inquãtum est sacrificium, habet effectum in illis, pro quibus offertur, in quibus non perexigit vitam spiritualem in actu, & ideò si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute veri sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit: & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, in quantum gratiam cõtritionis eis impetrat. Hactenus D. Thomas.

Tertia demum opinio, si opiniones tamen istas habeo dicere, quas video cum cõmuni Catholicorum sensu pugnare, quoniam in hostiæ huius efficacia peccata mortalia nescit à venialibus secernere, ne vtraque concedat per sacrificium remitti, ad pœnas vtrorumq; necessariò confugiendum putat, quæ est in his potissima ratio ita sentiendi.

Harum trium sententiarum, vt dixi, nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, nisi omnes Theologi fallantur, qui vno ore animoque dissentiunt. Nam si culpæ mortales per sacrificium soluerentur, pœnitentiæ sacramentum non esset ad salutem necessarium. Vbi enim sacerdos ea semel oblato sacrificio delesset, non esset opus easdem iterum culpas alio remedio extinguere. Neque Deus, qui non abundat in superfluis, duo externa signa proximè ad eundẽ effectum instituerat. Cõstat autẽ pœnitentiæ sacramentum ad remittendas culpas fuisse institutum. Quòd si sacrificium altaris ex se quoque peccata aboleret, duobus externis signis indiscriminatim ad culpæ remissionem abuteremur. Hanc cum adeò facile sacrificium exhiberet, pœnitentiæ disciplina penitùs eluderetur, quoniam sacrificium offerre remedium est cuique vel promptissimum. Quid? quòd culpas mortales sine cõfessione sacerdotes remitterent, oblatis videlicet sacrificijs. Id si fieri à sacerdote potest, frustra confessionis præceptum ecclesia vrgeret. Siquidẽ sacerdotes & sine cognitione causæ, & sine confessione peccantium, culpas vniuersas per sacrificium soluerent.

Ita

Ita post baptisma susceptum aliqua supereesset hostia pro peccatis. Id quod retrò diximus antiquis omnibus expositoribus repugnare, nouos enim fortasse isti contemnent.

Ex quo Ambrosij Catharini deliratio patet, peccata ante baptismum admissa per crucis sacrificium remitti, post baptismum verò omnia per sacrificiũ altaris. Hostiam quippè crucis generalem causam esse remissionis peccatorum, siue ante baptismum siue posteà commissa sint, tum ad Romanos & Hebræos tradit Apostolus, tũ etiam nos manifestissimè probaremus, nisi stultum esset commenta improbabilia refellere. Illa potius refellenda sunt, quæ isti contrà afferebant. Alexander, Iulius, Athanasius, &c. sacrificium aiunt delere crimina peccataque remittere. Hoc tribus modis refutamus. Primũ Ad 1. diximus, nec ita multò antè, cùm pœnæ pro culpis debitæ delentur, soluuntur, remittuntur, tunc crimina deleri, solui, remitti. Quo sensu ecclesia per indulgentias concedit peccatorum omnium plenissimam veniam, id est, pœnarum omnium, quas peccando contraximus. Nec refert multùm, an impropriè & figuratè illa sint dicta, an sine figura propriè, quia scilicet non est plenè remissa culpa, quàm diu peccator reus est soluendæ pœnæ.

Deinde cùm ad perfectionẽ sacrificij pertineat sum- Ad 4. ptio, quemadmodũ superius ostendimus, nisi enim consumeretur, non existimabant veteres consummatum & perfectum esse sacrificium, nihil mirum est, si corpus & sanguis Christi, quoniam gratiam conferunt, dum sumuntur, culpas omnes ex consequenti remittant, nempè effectus gratiæ proprius & coniunctus est. Atque hoc ecclesia videtur significare, cùm ait, Sumpta sacramenta, quæsumus domine, omnia crimina nostra detergãt. Quibus verbis intelligi voluit, sacrificium, si culpã spectes, non quia offertur delere crimen, sed quia sumitur. Eadem enim hac ratione & sacramentum est & perfectio sacrificij. Postremò Diuus Thomas in quartũ Sententiarum, vt modò citatum est, respondit sermones illos ad eam formam esse redigendos, qua hæc, quæ ora-

tione impetrantur, dicitur oratio facere. In quem sensum dictum est, Vitam presta puram, Solue vincula reis, &c. Quò Moyses etiã spectasse videtur, cùm præscriptis singulis hostijs pro peccato subiungit, Et orabit pro eo sacerdos, & dimittetur.

At verò ridiculum est, si verba illa, Quorum remiseritis peccata, &c. simpliciter ad culpas pœnasq; referimus, omnia similia, vtcunque, vbicunq;, & à quocunq; dicantur, ad eundem quoque modum interpretari. Aliud est, mihi crede, iudices constituere, qui de peccatis sententiam ferant, qui retinendi ac soluendi habeant potestatem, qui pro culparum vel leuitate vel grauitate seueriorem, mitioremue pœnam iniungant, aliud post gratiam initam & sacramentum reconciliationis acceptum altaris Domini participem fieri. Quòd si post remissam culpam nulla prorsus maneret pœna, nec post mortales condonatas veniales admitterẽtur, nihil esset opus, post institutum pœnitentiæ sacramentum hostiã propitiationis habere. At hac etiam in re præcipuè nobis indulsit Christus, qui non solùm pœnitentiam dedit ad reparandam resarciendamque amissam gratiam, sed sacramentum Eucharistiæ, idemque altaris sacrificium reliquit, quò gratiam sartam tectam haberemus.

Hoc enim sacrificio nõ modò pro cõciliata amicitia par pari referimus, verùm etiã subiratum iudicẽ & pœnam temporalẽ pro admissa ac remissa culpa minitantẽ propitiũ reddimus, hoc sacrificio detergimus pedes, & quod Apostolis aqua in peluim missa cõtulit, id ac multò etiam magis pœnitentibus tribuit sanguis missus in calicem, hoc deniq; oblato sacrificio disponimur, abluimur, præparamur, vt ad mensam dominicã puriter nedum amicè valeamus accedere, epulisq; accumbere diuum. Ordo igitur rerum sacramentorumq; natura poscit, ne remissionẽ peccatorum eodem modo in pœnitentiæ sacramento, & in altaris hostia interpretemur.

Nec ad tropos hic fugimus. Explicatum est namque, resolutionem pœnæ ad remissionem integram peccati attinere, nec esse plenè remissam culpam, pro qua manet soluenda pœna.

Acsi

Ac si sanctorum dicta hoc sanè loco ad tropum deflecteremus, nec sine necessaria causa, nec sine peruulgata eius vocis vsurpatione id faceremus.

At ablutio criminum sine aqua gratiæ non est, nec, nisi maculam habeat, quicquam aut tergitur aut abluitur. Ego, Lector, nolo ablutionis & maculæ metaphoras ad viuum resecare, quẽadmodum ij, qui ista subtilius inquirunt fortasse verè, sed ad communem vtilitatem parum. Nam si scripturæ ac veterum testimonia semper ad illam normam velimus exigere, inueniemus ea quãdoque à veritate discrepare. Id quod vno solùm exemplo manifestum faciam, quoniam vel mihi ipsi iã huius disputationis longitudo molesta est. Dauidi ad peccati cõfessionem culpam esse remissam, nemo vocare in dubiũ potest, nisi qui ea, quæ paulò antè scripsimus, aut non legerit, aut nunquam secum reputauerit. Dixi, ait, confitebor aduersum me iniustitiã meam Domino, &c. Sed quòd remissa culpa nondum fuisset plenam munditiem consecutus, is ipse testatur, inquiens; Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Item, Asperges me, &c. Qui amplius dicit, hic lotum se esse procul dubio sentit, sed non plenè atque perfectè. Macula igitur aliqua relicta erat, sordes aliquæ permanebãt, quæ nõ fuerãt penitus priore ablutione detersæ. In hũc ergo modum dixêre veteres, sacrificium abluere crimẽ sordesq; purgare, quamuis scirent, per pœnitentiam ante & remissam culpam, & gratiam iustificationis acceptam Pœnæ itaque resolutionem, quoniam purgatio & medicamentum animi est pœna omnis, ablutionem detersionemque appellârunt veteres, vel certè senserũt, per gratiam imperfectam non plenè sanari, ablui, mundari cor humanum, quoniam habitus vitiorum inhærentes & inclinationes quasdam ad bonum commutabile ex peccato trahimus: quę omninò res, cùm non statim per quamlibet contritionem euanescant, tum explo ratum est, quasi sordes animi & morbos esse. Benignè igitur fecit Dominus in voluntate sua Sion, cùm post sacrificiũ cordis humiliati atq; contriti, quo deletur culpa, alterum acceptat sacrificium iustitiæ, quo resoluitur

pœna. Vtroque purgantur sordes, vtroque abluimus, & mundamur, sed non eodem modo tamen. Multę enim variæque purificationes à rebus diuersis existunt, quas si similes omneis esse velis, stultum te esse fateare. Nam peccati maculam omninò totam, ita vt ne vestigiũ maneat quidem, per quamuis gratiæ ablutionem penitus elui, nec ratio admittit, nec auctoritas.

Sed sanguis Christi offertur, & mysticè funditur in remissionem omnium peccatorum. Mihi profectò sępissimè de ea re cogitanti, maximè illud considerãdum videri solet, quod in superioris cuiusdam argumenti refutatione breuiter admonui, sanguinem Christi in omnibus quidem sacramentis operari, sed in singulis suum cuique proprium effectum edere, iuxta cuiusque peculiarem & significationem & naturam. Quemadmodum causa vniuersalis prima, non totã vim in singulis adiuuãtibus causis effundit, sed ad illarum omninò vires vel perfectas vel imperfectas se attemperat, & varios quasi partus procreat perfectione & imperfectione differentes. Sic Christi sanguis per se quidem & in baptismo & pœnitentia remissionẽ peccatorum facit, sed non similiter tamen. Nã in baptismo quoniam regeneratio est, tota perfectè culpam pœnamq; resoluit: in pœnitẽtia verò, quoniam est iudicium, & satisfactionẽ habet adiunctam, culpam resoluit, pœnã non plenè, donec satisfactio fuerit expleta. Atque in reliquis sacramentis omnibus remissio quidem peccatorum est, sed quodã modo & quasi per accidens. Quia nimirum nõ sunt per se aut cõfirmatio, aut eucharistia, aut ordo, aut matrimoniũ, ad remittendum peccatum instituta: sed proprias tamẽ operationes habere nequeunt sine gratia, quæ si peccata in anima reperiat, ea depellit, vt contraria. Sacrificiũ altaris inuenio, cùm ad veritatem cœpi reuocare rationem, quia per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum.

Verùm cùm species habeat panis & vini, idemque & altare hic & mensa sit, ratio ipsa rerum & ordo naturæ postulat, vt huius altaris effectus in illis existat, qui mensæ huius participes esse possunt, nempè, sacramento

mento reconciliationis accepto, antequã ad amicorum conuiuium accedere absurdum est. In his autem culpa mortalis remissa est. Quare sanguis Christi in speciebus panis & vini per se quidem remissionem pœnæ & culparum venialium tribuit: interdum tamen, quamuis per accidens, tribuit etiam mortalium, non quia offertur, sed quia sumitur. Tunc enim, vt sæpè dixi, consummatur sacrificium. Quod quùm fortè inuenit hominẽ in peccato mortali, ignorato tamen, gratiam confert, illumque iustificat, si D. Tho. auctori credimus.

Quamobrem tametsi Christi sanguis offertur & mysticè funditur in remissionẽ peccatorum, vt iã argumento respõdeamus, ex significatione tamen specierũ panis & vini, tanquã ex causa instrumentali & adiutrice definitur, vt eam remissionẽ efficiat, cuius participes sunt ij, qui nõ indignè ad altare Domini accedunt, id est, qui nullius culpæ mortalis sibi sunt conscij, quam nõ prius per pœnitentiam eluerint. De effectu sacrificij ex opere operato sermo sit: nã quasi orationis loco ad impetrandam gratiã scio pro mortali posse etiam offerri. Nec tamen effectũ semper habere necesse est, & quasi lege edita pœnitentiam peccatori, atq; adeò veniã impetrare, tametsi oratio est hęc Deo gratiosa vel maximè. Sed obijcis: Exauditus est filius semper pro sua reuerentia: & hoc sacrificium semper offert patri filius, sempiternũ ergo effectum habet. Nec enim oratio filij frustrà & vanè fundi potest. Cui argumento respondeo. Quas Christus per se ipse fundit preces, eas omni & tempore & loco exaudit pater: at quas ille offert per homines, non semper exaudit. Sicut causa prima, quos effectus per se sine adiutrice alia voluit edere, in his nihil frustrà egit aliquando. At cùm per secundas causas operatur, frustrà quandoque agere dicitur, hoc est, quandoque finis euanescit non à præcipua causa, sed omninò ab adiutrice.

Ad eundem quoq; modum, si Christus in cælo hoc sacrificium offert, vt verè offert, non ad omnem effectum sanguinis instituit offerre, sed ad effectum sub certis speciebus & figuris dẽfinitum. Prima igitur sentẽtia sic nobis refutata sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui verò solam vim impetrandi in altaris hostia ponunt, hi in pœnis peccatorum primum errant. Quas sacrificio sanguinis Christi tanquam precio exhibito redimi, quoniã res nota erat, perstrinximus breuiter paulò antè. Si enim eleemosynis peccatorum pœnæ redimuntur, cur negemus Christi sanguine oblato in altari redimi? Ecquis autem ferat sacrificijs veteris legis pœnas resolui, sacrificio nouæ legis non resolui? An vtilior est Deo, sanguis Christi, quàm sanguis hirci? Sed quemadmodum in sacramentis non modò, quia actio nostra meritoria est, satisfactionem habet adiunctam pro pœna culpæ debita, verùm etiã ex eo, quòd per talia signa propriè nobis sanguis Christi applicatur, vt ipsius sanguinis & maior gratia confertur, & maior pars pœnæ remittitur: sic in sacrificio altaris non solùm quia oblatio nostra meritum habet, sed quia de eiusmodi externum signum passionis Christi commemoratio, atq; adeò applicatio fit, ex opere operato, id est, virtute sanguinis ipsius cumulatior pœnæ remissio, & offerenti contingit, & ijs etiam, pro quibus offertur. De viuis intelligo, nam in defunctis non subest causa eadem. Ad hos quippè sicut merita Christi per indulgẽtias, non nisi ad modum suffragij perueniunt, ita forsan nec sacrificij vis, nisi orationis & suffragij locum habet. At viuis per viam redemptionis & pretij prodest, quod lege iustitię acceptandum est, perinde vt si quanta pecunia debetur, tanta etiam exoluatur.

De conſ. d. 2. ca. Iterat. & ca. Virum.

Errant deinde isti in culpis venialibus, quas hoc omninò sacrificio deleri, testes sunt & scholæ Theologi, & veteres etiam sancti. Nec enim minore ecclesiæ consensione venialis per sacrificium altaris, quàm per aquam benedictam, per orationem dominicam, aut similia huiusmodi religionis opera remittuntur. Estque argumentum in promptu certissimum, quod ex vi formæ, qua consecratur sanguis, specierumque panis & vini retro colligimus, peccata amicorum, qui videlicet ad mensam dominicã haud indignè accedũt, per hoc sacrificiũ resolui. Illa autem leuia sunt & venialia, quæ in amicis etiam inueniri queunt. Vt apertè Christi erga nos prouidẽtiam & benignitatem intelligas, qui grauioribus morbis grauiorem pœnitentiæ curationem adhibuit, leuiores autem faciliori sacrificij medicamento curauit. Sed hæc hactenus. Isti atque etiam qui tertiam sententiam secuti sunt, videant quomodo tueri causam suam possint, cùm non solùm pœnas, sed veniales etiam culpas per altaris hostiam remitti, ratio & veritas ipsa conuincat. Ac de argumenti noni confirmatione, vereor ne nimium multa dixerimus,

Decimum verò argumentum quæstionem perobscuram habet de valore sacrificij, vbi quibusdã Theologis, quos video doctissimos habitos in schola, placuisse intelligo mirabilia quædam, sed nihil est tam improbabile, quin argumẽtando probabile quandoq; appareat: his præsertim, qui de facie rerum iudicant, & argutijs suis fumos Theologiæ persequuntur. Horum de valore missæ sententias refellere longum & molestum erit. Meam itaque breuiter exponam, quantum videlicet satis erit, vt argumento huic respondeatur. Primùm ergo vocari in dubiũ non debet, quin valor missæ ratione quadantenus infinitus sit, hoc est, ad sufficientiam, non ad efficientiã. Nam sicut Dei virtus & potentia sufficiẽs est quidem, vt infinitum effectum edat, quoniam infinita ipsa est, sed semper tamen edit finitũ, quia infinitũ capere res creata non potest, sic Christi sanguis, vbicunque reperiatur, siue in cruce siue in altari, infiniti pretij est, quia ideneus vt pro infinitis, si essent, hominib. satisfaceret: sed quoniam sunt finiti semper, effectus semper finitus est, quanuis pretium sanguinis nullo fine circunscriptũs sit. Ac de hostia crucis quidem nulla hodie nobis cõtrouersia est: hostiam verò altaris infiniti valoris esse duobus argumentis exploratè perceptum est & cognitum. Vnũ illud est, quod refutare modò nitimur. In ea enim parte, qua docet, sacrificium infinitum esse, quia sanguinem Deo infiniti pretij exhibet: difficilè factu est, efficacitatem illius argumentationis non probare.

Alterum argumentum est, quòd si valor missę finitus esset, minis satisfacerent pro pœna debita decem homines, qui offerrent sacrificium, quàm si duo tantũmodò

offerrent. Si enim rem quãcunque finitam in decem hominibus partiaris, non tanta portio obueniet singulis, quanta duobus contingeret, si inter duos solum diuideretur. Ita si decem audirent missam, valor distributus in plures, minor in quocunque illorum existeret, quàm si duo tantùm sacrificio interessent. Item, quo plures ministri vel in altari vel in choro sacrificio solenni inseruirent, eò minorem hostiæ partem acciperent. Quare qui post me vel auditor vel adiutor ad missam accederet, is fructus mihi & satisfactionis partem adimeret. Quæ profectò omnia absurda sunt. Quibus rebus efficitur, vt si duo fideles sacerdoti stipem & eleemosynam conferant, qui pro illis hostiam præbeat, non sit prior minorem ex Christi sanguine vtilitatem percepturus, quàm si posterior nullus omninò extitisset. Quemadmodum si iuxta crucem quis vnà cum Christo patri offerret sanguinem illum, nihil cõsequeretur minus, si solus, quàm si infiniti tunc simul adessent, qui idem cum filio sacrificium exhiberẽt. Eadem quippè hostia in cruce atque in altari est: tametsi ibi patens, hic in mysterio abscondita. Nec sacerdos tamen laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis promissa vna potest, sed quæ satis erit, vt de altari ad sobrietatem comedat. Non enim sanguinis Christi fructum meritumq; vendit, sed operas suas ministeriũq; locat. Quocirca nihil omninò plus à plurib. vindicare potest, ac si minor esset vtilitas pluribus quàm in vno. Omnis autem opinio in hoc cõsentiat necesse esse, sacerdotem, siue pro paucis siue pro multis celebret, cibum vitæ necessariũ expetere suo iure posse. Quẽ si vnus nõ dederit, nulli facit iniuriã, si expetierit à pluribus. Quin iniurius es tu, si cogas sacerdotem, vt solum pro te hostiã præbeat, nisi tu illi præbeas cibũ. Qui quantus qualisq; sit homini necessarius, prudẽtia magis quàm Theologia dijudicat. Vno in tempore & loco non satis erit argenteus numus, alio forsitan plus nimio erit.

Sanè quod de vtilitate sacrificij diximus, rectè Caietanus admonuit, hoc ad eos tantùm, qui offerũt, referẽdum esse. Nam qui non offerunt, ij non æqualem partem acci-

accipiunt, si pro pluribus, ac si pro vno duntaxat offerretur. Vt si sacerdos sua sponte à nemine amicorũ inuitatus pro illis absentibus sacrificet, dico nõ tantùm valere multis, quantum valeret vni, si pro vno illorũ singulariter sacrificaretur. Ad satisfactionem loquor, ad impetrationem nanque nulla vis minor in sacrificio est, quod p multis offertur, quàm in eo, quod pro vno solo. Quæ omninò res cunctis orationibus communis est, quibus nihil detrimenti ad impetrandum est, quòd pro plurib. effundũtur. At adiutores auditoresq; missarum ij etiã, qui sacerdoti alimenta ministrant, vel quoquo modo sacrificio inseruiant, re vera offerũt sacrificium, ideoq; pro sua deuotione quisq; partẽ capit hostiæ illius. Certè quò causa adiutrix sacrificij principali causæ coniũctior est, eò magis pro pœna satis facit. Vt sacerdos plusquàm diaconus, diaconus plusquã subdiaconus, subdiaconus plusquam acolytus, acolytus plusquam auditor, horum autem vtrunque excellit is, qui sacerdoti stipendium vitæ necessarium dederit. Atque hi etiam, quò deuotiùs ac religiosiùs suo quisque munere fungentur, eò magis satisfacient. Tanta verò deuotio & religio in offerendo sacrificium esse poterit, vt vna oblatione tota pœna debita resoluatur. Nec enim si sacrificium infiniti valoris est, id circo tota semper pœna redimitur. Quoniam infinitum est in genere causæ vniuersalis, quàm infinitam licet, causæ adiuuãtes ad finitos effectus determinare solent, tanto vel maiores, vel minores, quantò vis adiuuãtium causarũ vel maior vel minor est. Id quod in prima rerum naturalium causa criminis, quæ tametsi infinitæ virtutis ipsa est, per causas secundas finitos effectus edit tantos & tales, quantos & quales causarum adiutricum vis & natura poscit. Nec sacerdos sacrificio imponit limites ex merito & sanctitate, sed ex intentione & applicatione sua, qua huic aut illi, pro quo offert, sacrificij virtutem applicat. Sanè quemadmodũ paruulis baptizatis per ministri intentionem Christi sanguis applicatur, certusque gradus gratiæ confertur, non quam administri sanctitas præfiniuit, sed quem præscribere voluit Christus, nam quotus gradus ille sit, mortalibus ignotum est;

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic his, pro quibus sacrificiū offertur, si simul ijdem non offerunt, certus gradus pœnę remittitur, quem nos ignoramus, Christus sua voluntate præstituit. Sed vt adulti eò maiorem à baptismo gratiam percipiunt, quò religiosiùs & deuotiùs percipiūt baptismū: ita à sacrificio maiorem vtilitatem capiet is, qui sacrificiū sanctiùs & feruentiùs offeret. Paruulis porrò ablutio peculiaris ministri vim crucis ad certum gradum gratię definit, quem æqualem in omnibus illis esse credimus, quòd æqualis in omnibus dispositio est, adultis verò, quoniam non est eadem dispositio, sed alia cuique atque alia, non idem gratiæ gradus, sed alius alij conferetur. Quomodo vim sacrificij vniuersalem & infinitam & sacerdotis singularis oblatio determinat, vel ad certam & æqualem remissionem pœnæ in his, qui eodem modo se habent ad sacrificium: vel etiam ad inęqualem in ijs, qui cùm causæ adiuuantes sint sacrificij, aliter atque aliter afficiuntur, hoc, est, benè, melius, optimè.

Quòd si Christi sanguis tam propriè noster esset, quā suus cuiusque proprius est, sine dubio Christi sanguine oblato tota pœna quāuis infinita solueretur. At, sicuti diximus, noster est Christi sanguis eo modo, quo lux solis nostra est, nempè vt causa vniuersalis, cuius vis maior minórue recipitur, pro eo vt subiectum magis minúsue disponitur, pro coque vt causæ adiuuantes maius minúue opis ferunt ad effectum. Atque post hæc in refutando argumēto decimo ociosum erit verba plura prodigere.

Vndecimum quoq; argumentū ridendum magis erat quàm refutandum. Sed ridicula missa, præsertim cùm in tanta hominū cæcitate & miseria nihil est, q̄ rideamus. Prior ergo eius argumenti particula facillimè eluditur. Nulla enim repugnantia est, quin conuenit maximè, vt qua re Deo gratiam referimus beneficio, eam rem offeramus irato. Eisdem quippè munerib. boue, oue, agno, veteres patres & gratiam Deo referebant, & illū placare curabant. Quęm in modum nos corpus & sanguinem Christi, diuino nobis dono concessa munera, Deo & propitiatoriè reddimus & eucharisticè. Nam quod putant sacrifi-

sacrificiorum species confundi, si idem eucharisticum & propitiatorium sit, in eo mirificè isti falluntur. Non enim confunditur triplex animæ vis vegetandi, sentiēdi, intelligendi, si in vna rationali anima tres excellenter existant. Ex quo intelligitur, si veteris legis multa eademq; varia sacrificia vnū nouæ legis omnia transierint, vbi contineantur & emineant, non hanc esse specierum permixtionem confusam, sed Christiani sacrificij excellentiam perfectam. Deinde in moribus hoc videmus, vt diuersa virtutū ac vitiorum genera in vnam actionē coeant, si huic diuersi fines accedant. Idem scilicet actus est furtum & sacrilegium, idem misericordia & religio. Nihil igitur vetat, quin eadem hostia ad diuersos relata fines & propitiatoria sit & eucharistica. Deū sanè nos in remissione etiam peccati & misericordē & iustū agnoscimus, vt & gratis remittat peccata, & pretio remittat tamen. Iustificati, ait, gratis per redemptionem, *Rom.3.* quę est in Christo Iesu. Et rursum, Empti estis pretio ma- *1.Cor. 6.* gno. Donauit autē Christus nobis pretium hoc, gratisq; donauit, vt debita nostra soluamus. Quemobrem tum filio, tum patri ingentes gratias agimus: imò, vt aliquādo diximus, par pari referimus. Quia verò pretium istud acceptum licet, sed nostrum est tamen. verè hoc exhibito peccata nostra redimimus, Deūq; suis beneficijs placamus. Quam rē Irenæus in hæc verba persequitur, Qui *li. 4. c. 34.* nullius est indigēs Deus, in se assumit bonas operatiōes nostras ad hoc, vt præstet nobis retributionē bonorum *Matth. 25.* suorum: sicut Dominus ait, Venite benedicti, &c. ita & verbū dedit populo faciēdarum oblationū, quamuis nō indigeret eis. Ita & nos offerre vult munus ad altare. Hactenus Irenæus. Et Celestinus huius nominis primus e- *In epist. ad* leganter exclamat, O misericordiam Dei, qui nostra vis *omnes Gal* esse merita, quę tua sunt dona: & pro his, quę liberaliter *liarum epi* largitus es, ęterna pręmia es daturus. Quę causa Christo *scopos.* Domino fuit, vt in initio statim cœnæ, gratias egerit acci iens panem et vinum, vt distribueret discipulis. Accipiebat ergo ipse, qui dabat, & ideò gratias agebat. Quo modo nos & gratias agimus Deo pro accepto munere, & damus acceptum pro redemptione animarū

nostrarum

Idem habet Aug. de eccle. dog. ca. 32.

nostrarum. Quæ omnia ferè in argumento 2. pro prima conclusione, & in argumento 3. pro 2. conclusione, & in responsione ad 5. argumentum explicata sunt. Nã & posterior huius vndecimi argumenti particula in responsione ad 3. satis confutata est. Cur autẽ eucharistia sacrificium sit, cætera sacramenta non sint, non est illa causa, quam isti reddunt, sed quia in eucharistia corpus & sanguis Christi verè manent, in cæteris sacramentis non manent. Vnde cùm tam pretiosa munera in eucharistia habeamus, offerre ea Deo & possumus iure & debemus. Sine oblatione autem sacrificium non est. In eucharistiæ quoque oblatione mysticè Christus & incruentè immolatur, ideoque ibi hostia est, in alijs sacramentis non est. Propriè dico, nam per translationem baptismus quandoq; hostia dicitur. Abeant ergo cæci & indocti Lutherani, quos in vno hoc exemplo patefecimus disciplinarum omnium ignaros esse: Theologiæ, Philosophiæ, Dialecticæ, Grammaticæ. Nec enim rem tantummodò, sed sacrificij etiam nomen ignorant.

CAPVT XIII.

Exemplum secundum, vbi Theologiæ conclusio in quæstionem vertitur.

QVanquam in singulis præcedentibus lib. Lutheranorum nos militia coegit, de vno aliquo Theologię principio disserere, atq; adeò quęstionũ, quę præter naturę ac disciplinæ ordinem in controuersiam veniunt, multa exempla ponere, sed capitę superiore tam in eo pugnæ genere stylum diligentiùs exercuimus, & quasi ad spectaculum liberiore disputatione lusimus. Tametsi non ludicrum hoc, sed verum certamen fuit, quod spectante orbe in Tridentino concilio certauimus. Vbi patribus magnum lumen accendimus, tenebras aduersariorũ dispulimus, Theologi visi sumus, audaciùs verò fecimus, quàm scholæ auctores cæteri. Illi enim ieiunè solent nullis ornamentis oratorijs adhibitis hæreticorum sensa rationesque referre: nos autem illa ipsa hęreticorum argumenta ita amplificauimus, auximus, ornauimus, vt & quę arma inimici habẽt, acuisse videamur: & quæ non habent, suppeditasse. Sed, quod aliàs sæpè dixi, veritas mendacium superat miris licet modis instructum & ornatum. Verùm ne plus iusto volumen excrescat, non ad eum morem reliqua copiosè exempla persequemur: anguste & contracte disputabimus, atque vtriusque partis argumenta non omnia, sed præcipua breuiter perstringemus.

Agedum ergò illa sit nobis secunda quæstio, an Christi anima statim ab initio creationis suæ Deum clarè viderit? Sunt enim in vtranque partem argumenta adeò probabilia, vt neutra firmè stabilita videatur. Bucerus porrò negat Christi animã fuisse à principio perfectam, Erasmus in dubium vocat, Theologi vix ostendunt. Qui verò inficiantur, ij huiusmodi argumentis vti possunt: Primùm in Christo fuit fides: sicut scriptum est, Erit fides cinctorium renum eius. Non ergò mens eius videbat Deum, quoniam fides argumentum est non apparentium. *Isai. 11. Hebr. 11. Psal. 21. Rom. 8.*

Deinde Christus spem habuit, quemadmodum ipse patri loquens ait, Spes mea vberibus matris meæ. Quod autem videt quis, quid sperat.

Præterea timuit, vt videre est apud Marcum, timor autem futuri & incerti mali est Aristoteli, 2. Rhetoric. libr. Non igitur videbat clarè Deum, in quo nihil vt futurum incertumve cognoscitur. *Marc. 14.*

Præterea, creuit gratia non solùm apud homines, sed etiam apud Deum. Non itaque erat beatus, nec videbat Deum, quia beati crescere in gratia non queunt. *Lucæ 2.*

In notitia insuper & visiõe beata nulla rerum cognitarum successio est. At Deus Christi animæ quædam demonstrabat, alia cælabat postea demonstraturus, iuxta illud, Pater omnia demõstrat filio, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera. Et rursum, de die illa nemo scit, nec filius. *Ioan. 5 Marc. 13.*

Præstantius item & iucundius est gloriam & honorem consequi per opera digna, quàm sine vllo omninò merito. Christus ergò animæ suæ felicitatem tanquam virtutis præmium accepit. Quare non est in primo instanti visionẽ Dei consecutus. Meritum enim præmium ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

accedit laborq; mercedē. Nec fieri potest, vt simul quis & mereatur beatitudinem & beatus sit, nisi simul sit anima & in via & in viæ termino. Confirmāt autem argumentum hoc sacrarum literarum testimonia plurima. Vt illud, Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Satiabimur aūt, cum apparuerit gloria Dei. Item, Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Isai.53. *Psal.16.* *Psal.44.*

Item, cùm dixisset, Caro mea requieſcet in spe: &, Nō derelinques animam meam in inferno: subijcit Christus ipse, Notas mihi fecisti vias vitæ adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Non igitur ante mortē ad impleuerat eū Deus lætitia vultus sui: quadere ne ad faciem quidem videbat Deum. Item, Dignus est agnus, qui occisus est accipere diuinitatem & sapientiam: non ergò ante mortem acceperat, sed meritus est eas accipere moriendo.

Psal.15. *Apoc.5.*

Item, Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. En merces, en opus, gloriam ergò animæ commeruit. Nam gloria corporis, tametsi merces fuit operis sui Christo, nō tamen fuit simul cum eo. Item, Dicebat eum, propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriā adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Quid autem per consummationem intelligat Paulus, quanquam nomē ipsum præ se fert, in eadē epistola exponit, inquiens, Vt non sine nobis consummarentur. Finem ergò suum Christus per passionem adeptus est.

Isai.62. *Hebr.2.* *Heb.11.*

Postremò, nō potest esse cum summo gaudio summa tristitia coniuncta: at qui videt Deum maximè gaudet, Christus verò maximè tristatus est, iuxta illud, Tristis est anima mea, &c. & iterum, Repleta est malis anima mea. Non ergò Deum videbat, nisi velis duo simul contraria in eodem subiecto extitisse, eandemque animam pariter & repletam malis & repletam lætitia cum vultu Dei. Hæc videlicet sint argumēta potissima, quæ è locis Theologiæ contra verā Theologiæ conclusionē depromuntur. Nā si quæ sunt alia, vel facilia sunt, & cuiq; in promptu parata, vel ad ea, quæ posuimus, oīa referuntur. Sed nihil mouere nos debet, vt ab scholę decreto recedamus.

Matt.26. *Psal.87.*

Om-

Omnes autem Theologi definiunt, Christum ab instanti conceptionis Dei essentiam vidisse. Quæ conclusio, licet sola Theologorum auctoritate probaretur, satis firma habenda esset, quemadmodū lib. 8. constituimus, sed his quoque argumentis demonstratur.

D.Tho.3. p.q.9. ar.2. & q.34. articul.4.

Primùm ex illo, Vidimus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti à patre. Quo loco Diuus Thomas aduertit, gloriam animæ Christi ex personali vnione verbi & animæ esse deriuatam. Id enim Euangelista non obscurè significat, cùm voce eadem repetita ait, Gloriam quasi vnigeniti à patre. Illam sanè animam talem existimemus necesse est, qualem decebat eam esse, quæ esset Deo cōiuncta vel maximè. Nimirum vndecunque perfectam, omnibusque omninò numeris absolutam. Quod qui non sentiat, hic de vnione personali Dei & hominis stultissimè sentiat. Iam si anima Christi vnita verbo non fuisset glorificata, fuisset profectò imperfecta. Magna quippè humanæ menti perfectio deest, si felicitas deest. Ac videre Deum per speculū in ænigmate imperfecti hominis esse, testis est Paulus in hæc verba, Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, &c. Quia igitur ab vtero Christus non sapiebat vt paruulus, sed vir omninò perfectus erat, ab vtero quoque Deum facie ad faciem videbat. Id quod Hieremias prędixit inquiēs, Nouum creauit dominus super terram: fœmina circundabit virum. Adde, quòd cui communicator esse, ei etiam communicatur propria rei operatio, quę consequitur esse. Vt cui datur esse ignitum, eidem quoque datur vt calefaciat, & cui daretur esse solis, is sine dubio illuminaret. Ac propria Dei actio est videre seipsum: hac enim visione beatus est: ergò cum anima Christi haberet esse diuinum, habebat itē suo modo diuinæ naturæ propriam actionē, atque adeò videbat Deum. Adde etiam, quod maior erat vnio animæ Christi cum verbo, quàm vnio beatorum, sed ex hac existit claritas in intellectu,

Ioan.1. *2.Cor.13.* *Hiere.31.*

beati

beati vt Deum videant : ergò multò magis ex illis talis claritas orietur. Id D. Thomas hac ratione confirmat. Quantò receptiuũ propinquius est causæ influenti, tantò abundantius & plenius recipit influentiam eius. Sed mens Christi propinquior erat causæ luminis gloriæ, quàm omnes angeli beati : plenius ergò atq; perfectius cognoscebat Deum.

Argumentatur prætereà D. Thom. gloriam in anima fieri ex eo, quòd diuinitas sit præsens intellectui, sicut lu-
Ezech. 43. men in aere ex præsentia solis. Quia enim gloria Dei ingrediebatur per viam orientalem, terra splẽdebat à maiestate eius. Cùm ergò lux ipsa non solùm ingressa fuerit in animam Christi, sed ei fuerit in idem esse personale coniuncta : claritas gloriosa inde secuta est, vt splendor sequitur solem. Prętereà, Deus attingitur à natura intellectuali per cognitionem & amorem, at anima Christi propinquissimè attingebat Deũ, quia erat Deo propinquissima, ergò eius propriæ actiones, notitia & amor, non longè, sed proximè Deum attingebant. Mens verò cùm est viatrix, peregrinatur à Domino longeq; repromissiones aspicit : cùm autem videt per speciem, præsens est & propinqua, vt ad Corinthios & Hebr. tradit Apostolus. Si ergò anima Christi peregrina & hospes erat su-
2. Cor. 5. per terram, certè nõ erat Deo per cognitionem proxima,
Heb. 11. sed angeli erant Deo proximiores.

Nec me fugit posse calumniantibus obijci, aliud esse quod res sit præsens animæ secundum esse reale, aliud quòd sit præsens secundum esse intelligibile. Anima enim nostra intellectui nostro coniunctissima est, si esse reale consideres. Sed quia coniuncta non est secundum esse intelligibile, videre eam in se, quamdiu mortali corpore circundamur, non valemus.

At hæc obiectio haberet fortasse locum, si filius Dei animæ rationali perinde, vt lapidi aut stipiti fuisset vnitus, nec in vniõe illa esse intellectuale primò spectatum exquisitumque fuisset. Verùm patres ecclesiæ veteres mentem potissimè assumptam credidêre, per mentem animam, per animam vel ipsam carnem. Augustinus in libr. de ago. Christian. Inuisibilis, ait, & incommutabilis veritas

veritas per spiritum animam, & per animã corpus accepit. Et in epist. ad Volusianum, Ipsa magnitudo, inquit, diuinæ virtutis animã sibi rationalem, & per eandẽ corpus humanum totumque omninò hominem in melius mutandum coaptauit. Ac Damasce. in 3. lib. vnitum esse ait carni per medium intellectum verbum Dei. Quam rem D. Tho. 3. p. q. 6. diuinè, vt omnia, explicauit. Atque hæc causa, ni fallor, Euangelistæ fuit, cur nõ diceret, aut filium, aut vitam, aut lucem, sed verbum carnem factum esse. Verbum enim prolem mentis apertè significat, & naturam intellectualem præ se fert. Quorsum aũt Ioannes diceret, primum intelligibile, hoc est, verbum extremo illi, id est, carni se iunxisse, nisi vt moneret, Sapientiam Dei attigisse quidem à fine vsq; ad finem fortiter, Sap. 8.
sed disposuisse tamen omnia suauiter, & carnẽ sibi propter animam vniuisse. Etenim quod per se intelligibile erat, id cui se prius, quàm intellectui mentiq; coniungeret ? Nempè ex fine assumptionis liquidò apparet, quid Dei verbum in coniunctione expetierit. De qua re quoniam non ita multò pòst latius dicturus sum, nunc illud satis est, finem hominis Dei notitia constare. Qui ergo factus est homo, vt hominem ad finem suum, id est, claram Dei cognitionem duceret, is mentem sibi præcipuè cõiunxit, qua finis prænoscitur, quæritur, possidetur.

Hoc verò illa etiam argumentatio confirmat. Filius Dei in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati. Ecce, ait, testem populis Esa. 55.
dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Vt autem testis perfectus sit, illa res in eo prima quæritur, vt hoc probè cognoscat & teneat, de quo testimonium est laturus. Si dux itidem & præceptor consummatus quispiam habendus est, scire illum oportet & finem, quo ducat, & veritatem omninò, quam doceat. At Christus testis veritatis erat à patre dux & præceptor constitutus, quocirca necesse erat, vt à Dei verbo mens potissimùm & ratio hominis in ipsa vnione perficerentur. Nec laborare diu opus est, vt inuenias, quando Apostoli gloriam quasi vnigeniti à patre viderint, cùm Petrus id signifi-

cantissimis verbis patefaciat: Non indoctas fabulas sic-
2.Pet.1. uti, ait, notam facimus Domini nostri Iesu Christi vir-
tutem & præsentiam, sed speculatores facti illius ma-
gnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorē & glo-
riam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica
Memento scriptum esse, Non videbit me homo, & viuet. gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi compla-
cui: ipsum audite: & hanc vocem nos audiuimus de cæ-
lo allatam, cùm essemus in monte sancto cum ipso. Vir-
tutem & potentiam vocat, qua verbum caro factum
est: præsentiam verò, qua habitauit in nobis, at virtu-
tem & præsentiam simul, quia filius hominis erat in
Psalm.41. ad Christū esse referendum ostendit Ioannes c. Euangelij 13. vbi de Caiet. in Psal.8. Hier.14. cælo, hoc est, eius anima videbat Deum, & viuebat tamē
in mortali corpore super terram. Ita enim prænuncia-
uerat Dauid in paucissima verba, Beatum faciet eum in
terra. Nam, quòd beatus aliquis quasi transiens fuerit
in terra, in scripturis sæpè legimus. Sed quòd habitaue-
rit in nobis quasi colonus & quasi viator declinans ad
manendum, hæc præsentia potentiæ miraculum est.
Sanè viderunt gloriam animæ in corpore tanquam in
speculo, ideò aptè dixit, speculātes, gloriam autem quasi
vnigeniti in voce delapsa à magnifica gloria, Hic est, & ci
Testis oculatus est, Ipsum audite: doctor veritatis explo-
ratæ ac visæ est, Ipsum audite: dux est, qui & viam sciat,
& terminum sciat, Ipsum audite, atque adeò videte &
contrectate: nam habitat in vobis, quamuis gloria ea
sit apud me, quam in præsentia cernitis. Sed de primo
Ioannis testimonio nimium multa. Secundum prin-
cipale testimonium pro ea conclusione comprobanda
illud est, Verbum habitauit in nobis plenum gratiæ &
veritatis. Vnde Diuus Thomas bifariam colligit. Siue
enim plenitudinem gratiæ in Christi anima ponas, siue
plenitudinem veritatis: vtrinque conficitur, eam Dei
essentiam vidisse. Gratia quippè viæ in ordine ad gra-
tiam patriæ imperfecta est, tantumque deficit à plenitu-
dine, quantum à perfectione deficit. Quare si imperfec-
ta gratia in Christo fuit, non fuit nimirum gratia ple-
nus. Obijcit autem, Beatam virginem, dum vitam etiam
mortalem degeret, plenam gratiæ fuisse, nec vidisse ta-
men Deum. Verùm hunc scrupulum eximit, 3.p. quæst.
7. art.

7. art. 10. Non enim fuit Christus gratia plenus ex parte,
sed omni modo, vt art. 1. & 9. eiusdem quæstionis osten-
derat. Nempè in ipso complacuit omnem plenitudinē
Col. 1. inhabitare pacificans, &c. Et iterum, In ipso inhabitat
omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nulla ergo
Col. 2. ei gratiæ perfectio aut plenitudo defuit. Ita habuit gra-
tiam consummatam, cum qua gloria animæ coniuncta
& colligata est.

Quòd autem anima illa habuerit sciētiæ ac veritatis
plenitudinem, probat 3.p.q.9.art.1.& 2.q. item 10. ar. 4.
Videlicet non in Christo omnis plenitudo inhabitasse,
quia plenitudo ei scientiæ defuisset. Nam, cùm venit,
quod plenum & perfectum est, euacuatur, quod ex par-
te est. Non igitur cognoscebat ex parte anima Christi
Deum, sed plenè atque perfectè. Quocirca nō erat in ea
fides, sed visio.

Atqui huius argumenti vim & neruos omneis Caie-
tanus frangit, cū probabili ratione cōtendit, legi opor-
tere: Plenus gratiæ & veritatis Ioannes testimoniū per-
hibet de his. Frangeret sanè, si probabilis sentētia esset.
Verùm vulgata editione reprehensa, græcis latinisque
exēplaribus reiectis, interpretibus suggillatis, sanctis ex-
positoribus explosis, quid probabile fore putamus? Ec-
clesia certè melius intellexit verba illa, Et vidimus glo-
riam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, per parēthe-
sim fuisse interiecta: cùm ait, Verbum caro factum est,
& habitauit in nobis, cuius gloriam vidimus quasi vni-
geniti à patre plenum gratiæ & veritatis.

Tertium pro illa conclusione testimonium mox in
eodem Euangelio sequitur, Et de plenitudine eius nos
omnes accepim⁹, quia gratia & veritas per Iesum Chri-
stum facta est. Quæ sententia superiori connexa, nisi cę-
ci sumus, apertissimè ostendit, verba ea, Plenum gratiæ
& veritatis, ad Christum esse referenda. Sed hac re mis-
sa, id, quod instat, agamus. Accepit igitur Christus gra-
tiam & veritatē, vt ex eo gratia in omnes & veritas ema-
narent. Habuit itaq; maximam & perfectissimam gra-
tiam ac veritatem. Quia enim sol lucem habuit, vt inde
omnia lumē acciperent, habuit nimirum maximam &

perfectissimam lucem. Quare sicut perfectissima lux omnes lucis effectus edere potest, perfectissimaq; iustitia omnes effectus iustitiæ, sic Christi gratia & veritas omnes habebant gratiæ & veritatis effectus. Vnde Dionysius ait, solem, quia vniuersalis causa generationis est, ad ea omnia sua virtute se extendere, quæ sub generatione cadunt. At effectus præcipuus gratiæ & veritatis consummatæ, est videre Deum.

4. c. de diui. no.

Præterea, salus humanæ naturæ finis fuit humanitatis assumptæ. Per hanc enim tanquam per instrumentum operatus est Deus salutem in medio terræ. Vnde & Christum Apostolus scribit multos filios in gloriã adduxisse auctorem salutis eorum. Et alio loco, Misit Deus filium suum, inquit, vt adoptionem filiorum reciperemus. Instrumenti verò dispositio & qualitas præcipuè quidem pensatur ex fine. Salus autem animæ intellectu sano constat & voluntate sana. At voluntas per gratiam sanatur, intellectus per veritatem. Perfectã igitur oportuit habuisse & gratiam & veritatem eum, per quẽ cæteris omnibus salus futura erat, omnisque omninò & gratia & veritas. Quia principium in vnoquoque genere oportet esse perfectum, sicut solem videmus in genere lucidorum, Ignẽ in genere calidorum. A principio ergo Christi voluntas perfectè amabat Deum, ex gratia perfecta, & perfectè cognoscebat ex perfecta veritate. Iam felicitas animæ in perfectis Dei & amore & cognitione sita est. Felix itaque erat ab initio Christi anima, ideoq; videbat Deum.

Heb. 2.

Gal. 4.

Præterea, illud, quod est in potentia, reducitur in actum per id, quod est in actu. oportet enim esse lucidũ, per quod illustrantur alia.

Cùm ergo per Christum gratiam, veritatẽ, gloriam cæteri essent habituri, ipse profecto simulatq; cęteros illum ad finem mouere cœpit, & gratiam habuit, & veritatem, & gloriam. Eam verò motionem ab initio nimirum inchoauit.

Ea demùm, quę à primis causis mouentur in finem, quadam solent temporis successione perfici: at causæ ipsæ mouentes à principio statim suam largiẽte prouidenteque

denteque natura perfectionem habent. Vt ignis cũ substantia calorem accepit, aqua paulatim fit calida. Cælestia quoque corpora mox omninò suas virtutes accepere, quibus in tempore res terrestres inferioresque perficerent, Deus ergo, qui per Christi humanitatem, & gratiam, & gloriam erat omnibus communicaturus, eas licet res cæteris in tempore largiatur, at Christi animæ ab initio statim contulit. Nam cur non corpori gloriam ab initio daret, causæ sunt in promptu expeditæ.

Quartum pro illa conclusione testimonium eueſtigiò subditur: Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Vbi in homine piscatore videre licet, & rerum contextum admirabilem, & compositionem disciplinæ incredibilem. Quod vt perspicias lector, quæso diligenter attende. Nullum porrò fidei negotium ritè tansigitur, si omnes testes auriti sint, oculatus nullus. Quin, vt Augustinus ait, auritis credimus, quia audierunt à fide dignis, qui oculis suis rem se vidisse testificarentur. Cùm ergo Moyses & Ioannes Baptista primus & postremus è lege antiqua atque adeò prophetæ omnes, è noua item lege Apostoli Christi testes fuerint ex auditu vniuersi, oportuit vnũ esse pro omnibus, qui ex visu testimonium daret. Testes autem eiusmodi, qui nõ pro mille dico esset, sed pro mille millibus, esse non poterat, nisi & iustus esset, ne scilicet vellet fallere, & sapiẽs etiam, ne ipse vtique falleretur. Quocirca necesse fuit plenũ fuisse gratia & veritate, ne quicquam in optimo & absolutissimo teste desideraremus. Etenim quia gratia plenus, iustissimus erat, quia plenus veritate, veracissimus.

Quia igitur plenitudo testificationis & absoluta omninò perfectio ex visu est, ideoque ex auditu testis plenus veritate non est, cùm scriptura de Ioanne dixisset, Non erat ille lux, sed vt testimoniũ perhiberet de luce: de Christo verò, Erat lux vera, &c. & de Moyse lex per Moysen data est, illa etiam illico nexuit, De plenitudine eius omnes, Moyses, Ioannes, Prophetæ, Apostoli, prorsusq; testes in vniuersum omnes accepimus. Quia & lux erat, & plenus gratia & veritate erat, & gratia & veritas

veritas per eum facta erat, & denique testis ex visu erat. Deum quippè nemo vidit vnquam, nec Moyses, nec Ioannes, nec Propheta, nec Apostoli, nec Euangelista: vnigenitus, qui est in sinu patris, qui vidit arcana, ipse enarrauit. Ne verò hoc ad diuinitatem filij, nō etiam ad humanitatem referatur, tum ratio probabit, tum auctoritas. Ratio illa est, quòd Christus testis veritatis erat à patre destinatus, non solùm quia Deus, sed quia homo. Quare ex vtraq; natura opus erat testimoniū esse perfectum. Auctoritas eiusdē Christi est, qui hanc rem posteà manifestiùs exposuit inquiēs, Amen amē dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, &c. Et protinus, Nemo ascendit in cælū, nisi qui descēdit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Quo loco verè Caietanus & diligenter aduertit, verbum, Ascendit, non præsentis, sed præteriti temporis esse, quæ ex Græco exemplari patet. Quod enim Ioannes antè dixerat, Deum nemo vidit vnquam, id nunc alijs verbis Christus ait, Nemo ascendit in cælum. Tunc enim homo secundum animam in cælo esse dicitur, quum videt Deum. Quo sensu Latroni dictum est, Hodie mecum eris in paradiso. Et angeli in custodiam hominum diffiniti, quia semper vident faciem patris, qui in cælis est, semper quoque in cælis esse dicuntur, quanuis in terra sæpè sint. Ante Christum ergo, sicut nemo viderat Deum, ita nemo in cælum ascenderat. Vt autem quasi manu tangeres, sermonem de Christo secundū naturam humanam fieri, appositè subiūctum est, Filius hominis, qui est in cælo. In quam sententiam patri ipse postea locutus est, Volo pater, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Nec Baptista hanc Christi in testificando perfectionem tacuit, imò in hac quoque re suū à Christi testimonio excelli professus est inquiens, Quod vidit & audiuit, hoc testatur.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Matth. 18.

Ioan. 17.

Ioan. 3

Affirmat Hier Christum iuxta susceptī corporis dispēsationē

Nec verò inscius sum veteres Theologos hæc ferè loca ad Christi diuinitatem retulisse, secundum quam Christus & videbat Deū & vbiq; erat. Sed ea ætate bellū erat illis cum Arrianis & Eunomianis acerrimū, ob idque omnibus testimonijs, quibus poterant, Christi Deitatem

tatem asserebant, præsertim cùm res erat in promptu & facillima, quemadmodum fermè in præscriptis locis. Nam illud, Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis, qui est in cælo, quo pacto verè ac propriè in diuinitatem quadrare possit, non satis intelligo. Non enim filius hominis, quia Deus erat, tunc in cælum ascenderat, sed quia homo. Quomodo aūt in cælum ascendisset, nisi secundum animam, vix explicari queat. Cogor itaq; cum Caietano hunc euangelij locum ad astruendam animæ Christi gloriam vrgere.

à patre aīt, dire quid loquatur, ergo iuxta humanam naturā & vidit & audiuit, &c in Isa. cap. 50.

Quintum testimonium, quo Diuus Thomas vtitur, extat eiusdem euangelij cap. octauo: Etsi ego testimoniū perhibeo de me ipso, verum est testimonium meū, quia scio vndè veni & quò vado. Et posterius, Si dixero, quia nescio Deum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Quòd enim sermo sit de scientia, vt à fide distinguitur, illa verba videntur ostendere: Ero similis vobis mendax. Iudæi quippè fidem habebant eo tempore, quamuis cum Christo errarent. Quòd autem secundum humanitatem loqueretur, illud probat, Scio eum, & sermonem eius seruo.

Hoc verò Diui Thomæ argumentum video refutari posse. Quoniam est quædam scientia sanctorum, quę cum charitate cō iuncta est, quamuis euidentiam nō habeat. In hoc scimus, ait, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est. De hac scientia, si quis contendat Christum Ioannis octauo cap. sermonem facere, vix refelli poterit. Quin dicet fortasse quispiam, hæc Diui Thomæ argumenta probare id quidem, quod deceat: non id tamen, quod oporteat. Incongruentia illa esse, cogentia non item. Sed nos primùm non id agimus, omnia Diui Thomæ argumēta, ea etiam, quę ad certam Theologiæ conclusionem probandam afferuntur, certa esse & necessaria. Nimirum enim in veteribus quoque Theologis, in summis ecclesiæ pōtificibus, in concilijs tandem quędam argumēta inuenias, quę suadeant quidem, non cogant: at certis alijs exploratisque permixta, non modò totum disputationis corpus exor-

1. Ioan. 2ª

nent, verùm etiam confirment. Probabilia igitur argumenta necessarijs adiuncta, tantum abest vt reprehendenda sint, vt sint etiam commendanda. Quanquam istis equidē argumentis vtor, dum adsunt, cùm absunt, non requiro. Illud huius generis videtur esse, In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię Dei abscoditi. Illos in Christo non fuisse omnes, si scientia ei beatorum defuisset. Simile est hoc, Christum fuisse caput, non solùm hominum, sed etiam angelorum. Eph. 1. Colos. 2. Incongruens verò esse, vt membra capiti scientia & claritate antecellerent. In hoc denique probabilium genere forsitan & illud est, Quòd si ministratio mortis fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, &c. Et posterius, Nam nec glorificatū est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam est: multò magis quod manet, in gloria est, &c. Vsque ad illud, Nos autem reuelata facie, &c. Non ergo decebat, vt primus noui testamenti administer spiritus atque animæ gloria careret, ex qua non solùm facies, sed totum corpus glorificaretur ex integro. Matth. 17. vide Origē. hom. 12. in. Exod. Hæc igitur dicta in primis sint.

Deinde, quę res certè est animaduersione dignissima, non mihi illi probari possunt, qui ea in Theologia argumenta confundunt, quæ id, quod decet, offendūt: quasi non interdum idem etiam oporteat, quasiúe indecora omnia paria sint, & non sint quædam, à quibus & ratio & Theologia omnis abhorreat.

Sanè argumenta, quę confirmant esse quicquam in religione nostra cōgruens & decens, ea omninò bipartita sunt. Quędam enim sunt eiusmodi, vt etiam si non extitisset ea res, quæ probanda sumitur, nihil tamen inconsentaneum emergeret. Vt cùm Theologi ostendunt, decuisse, vt Deus ad reparandum humanū genus carnem sumeret: vtque ex diuinis personis filius is esset, decuisse cæteraque id genus plurima. Quæ decentia fuisse, vel maximè Theologus probat quidem, sed quando alia Deus remedia peccato nostro parasset, quæ innumera

sine dubio potuit, nullum rationis incommodum, nihil Deo indecorum haberetur. Talia verò argumenta nil profecto in Theologia demonstrant, sed solùm explicant, id, quod fide credimus, congruentissimum Deo nobisque fuisse. Altera argumenta sunt, quæ ita monstrant quicquam consentaneum esse, vt nisi res sic habeat, aliquid semper emergat, quod nullo modo aut diuinę naturæ, aut rationi humanæ consentiens videatur. Vt diuam Virginem intactam extitisse post partum scriptura sacra in sensu literali nusquā forsan edocuit. Id tradit apertè, in cōceptu & partu Virginem extitisse. Sed quoniam indecens Virgini erat, vt integritatem tā singulari & miraculo & mysterio conseruatā ipsa posteà volens, vt dicitur, & prudens labefaceret, & quę præter naturæ ordinem incorrupta permāserat, eadem si exponeret corruptori, adeò fidelium animis inhæsit perpe tuæ huius virginitatis firma sententia, vt etiam si nulla fuisset apostolica traditio, ea tamen ratio esset idonea ad faciendam fidem ijs, qui n ō ad contentionem informati, sed ad disciplinam sunt vel mediocriter instituti. Nec aliter ego puto in præsenti quęstione philosophandum. Cùm enim ostendimus non decere, vt verbum Dei animā intellectualem imperfectam, scientiaque ac sapientia vacuam assumeret, causam nos obtinuisse arbitramur. Quia res contraria scilicet adeò indigna verbi sapientia & prouidentia est, vt ne verosimilis fiat quidem, si de vnione personali verbi & animæ rectè sentimus. Consentiamus igitur, cæteris ecclesiæ sanctis gratiam per patres distributam, nempè secundum mensurā donationis Christi: at Christo ipsi non fuisse datum spiritum ad mensuram. Tantam enim gratiam dari congruebat, quantam anima capere illa posset, tātam, quantam in reb. esse ipsa gratia natura pateretur. Quod verò de spiritu gratiæ dicimus, id vt de spiritu sapientiæ, scientiæ, intellectusque dicatur, subest omninò causa eadem. Tantò enim melior in omnib. est angelis effectus, quā tò differentiùs præ illis nomen hæreditauit. Itaque vnctus est à Deo oleo exultationis præ participibus suis. Non ergo solum habuit parem cum angelis felicitatem, sed

Ephe. 4. *Ioannis 3.* *Heb. 1.*

sed multò etiam maiorē. Quocirca vt fruebatur, ita quoque videbat Deū. Quod qui negant, ij non ab schola modò, verùm à Theologiæ veteris institutione desciscunt.

De incarnat. do. Sacra. cap. 7. Ambrosius, Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, &c. Perfectā ergo animam assumpsit verbum, nō impefectam. Et lib. 7. epistō 47. ad Irenæum, Accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ, sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit, Speciosus forma, &c.

Augustin. in lib. de trinit. Mox vt verbum venit in vterum, factum est perfectus homo. Et super Exod. Nō habuit omninò Christus iuxta animæ meritū, quo posset proficere. Et illū versum Psal. 64. Beatus, quem elegisti & assumpsisti, de vnita humanitate interpretatur.

Luc. 3. Remigius in illud, Et ecce aperti sunt ei cæli, Sed nunquid tunc primò aperti sunt ei cæli etiam secundum humanam naturam? Fides enim ecclesiæ tenet, quòd non minus aperti sunt ei cæli ante, quàm post.

Græcus, quē refert sæpissimè D. Tho. in cathena, quāuis hoc loco vitiosa sit lectio, & tribuatur Gregorio Nazanzeno, Dicitur, ait, secundū humanitatem proficere. non quòd ipsa sucipiat augmentum, quæ ab initio fuerit perfecta, sed ex eo quòd paulatim manifestabatur.

3. lib. Damascenus. Qui proficere dicūt Christum gratia, nō venerantur vnionem, quæ est secundum hypostasim.

Theophylactus. Diuina erant, quę dicebantur & agebantur à puero, nō quasi duodecim annorum, sed quasi perfecti viri. Euangelista verò interpretatur, quid sit proficere illum sapientia. Subdit enim & statura. Profectum enim ætatis sapientiæ dicit profectum.

In illud Vt sciant reprobare malū, &c. In illud, Nouū creauit Dominus, &c. Hieronymus in Esa. 7. cap. Licet multa post secula de eo euangelista testetur, Puer autem proficiebat, &c. & hoc dicatur, vt veritas humani corporis approberur, tamen adhuc pannis inuolutus habebit boni, malicq; iudiciū, vt per hęc verba noscamus infantiā humani corporis diuinę nō prejudicasse sapientię. Et in Hier. 31. c. Iuxta incrementa quidem ætatis proficere videbitur sapientia, sed perfectus vir in vtero fœminco continebitur.

Leo

Leo. Deitas assumptam naturam beatificans, vt glorificata in glorificante permaneat. Loquebatur autem de incarnatione. Et alio item loco Cyrillum citat in hæc verba, Assumpsit verbum humanitatis naturam in sua ratione perfectam. Et Cyrillus ipse in Ioan. libr. 1. cap. 17. Videmus, inquit, gloriā Christi adeò sublimiorem creaturarum gloria, vt mentis quisque compos nulli alij, quàm vnigenito Dei filio illam conuenire fateretur. Plenus enim erat veritate ac gratia. Non enim mensura sibi datur, vt cæteris, sed vt in perfecto perfecta ineſt. Sed si plena est, inquiens, gloria eius gratiæ & veritatis, quomodo sapientia & gratia profeciſſe apud Lucam scribitur? aut quid accedere potest ad plenam? Illorum potiùs de Iesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia, vt magis indies cognoscētes magis illum procedere ac gratia crescere arbitrarentur. Vide etiam ca. 20. in illud. De plenitudine eius omnes accepimus. *Epist. ad Leonem Augusti. 95.*

Multa sunt eiusmodi veterū testimonia, quæ nos gratia breuitatis omittimus: cùm hęc etiam, quæ recitauimus, sine vlla aut expositione aut argumentatione perstrinxerimus. Nunc argumenta contrariæ partis breuiter quoq; refellemus. Non enim hoc loco volumus, nisi per quasdam summas & signa data rudiores admonere, vt in similibus quæstionibus, quæ non sunt Theologorū vsu contritæ, se diligentiùs exerceant. Inuenient quippè semper, si quæsierint. Atque in præsenti etiam quęstione non dubito eum longè plura inuenturum, cui & vberior lectio & maior eruditio fuerit. *In commē. super Esai.*

Primum autem argumentum nihil difficile est, si intelligamus, iustitiam ibi & fidem pro iustis & fidelibus vsurpari, cuius rei non modò Hierony. auctor est, sed 70. etiam interpretes. Vide Tho. 3 part. quæst. 7. art. 3.

Ad secundum facilior adhuc responsio est. Dicitur enim Deus spes Christi, quia in Deo erat fiducia eius, non in homine. Itē quia multa etiam à Deo sperabat, quamuis non speraret gloriam animæ, quam iam habebat. D. Tho. 3. part. quæst. 7. art. 4.

Ad tertium vide S. Thom. 3. part. quæst. 15. art. 7.

Ad quartum vide S. Thom. tertia part. quæst. 7. art. 12, vbi

vbi etiam respõdet illi euangelij testimonio. Ac nos etiam paulò antè veteres referebamus nõ paucos, qui nullo modo admitterent, aut gratiam aut sapientiam Christi potuisse in se ipsam aliquando proficere: adeò plenus ab initio & gratia & sapientia fuit. Sed qui in hominum existimatione crescit, tametsi idem ipse omninò perse-
1. Para.11. 2. Para.17. Ioan.3. ueret, eum dicit scriptura crescere. Proficiebat Dauid vadens & crescens. Item, Creuit Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime. Item, illum oportet crescere, me autē minui. Quia verò quod sæpè hominibus altum est, abominatio est ante Deum, ne existimares ostentationē esse prętigiosam & Pharisaicam. Talis, inquit, erat Deo intus, qualem se homini exhibebat foris, nec hominib. probabatur solùm, sed etiā Deo. Voluit enim Euangelista illud forsitan commemorare, quod de Samuele scri-
1. Reg.2.3. p.quæst.15. articu.7. ptum est, Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus. At D. Tho. docet Christum creuisse in effectibus & operibus gratiæ & sapiētię, quia in dies perfectiora opera faciebat. Quod
Actor.6. & 14. autem in effectu crescit, hoc crescere quandoq; dicitur. Vt vbi, Verbum Dei crescebat: & rursum, Fortiter crescebat verbum Dei.

In quinto argumēto duo testimonia referuntur, quibus Arriani filij sapientiam atque adeò diuinitatem impugnare sunt soliti. Quę causa quibusdam patribus fuit, vt ea de filio iuxta humanam naturam interpretando satis se putarint aduersarijs respondisse. Ac re vera in ea pugna, quam cum Arrio gerebamus, sat illud erat, vt in hac parte ictus eius conatusq; omnes eluderentur. Sed nobis opus est vniuersos errores euincere, & Christi etiā animam ab omni ignoratione vendicare, quę de eius dignitate quicquam detrahere videatur. Ambrosius porrò libro quinto de fide cap. 8. non audet asserere, tametsi cum Arrio disputabat, Christum secundum humanitatē aut in sapientia profeciſſe, aut quicquam penitùs ignorasse, si hęc vocabula propriè capiamus. Contrariam verò sententiam nonnullos ait tenuisse, sed qui fuerint, inquit, intimidiores, quàm ego sum. D. sanè Thom. non dubitat, vel eiusdem Ambrosij auctoritate confirmare, Chri-

Christum non secundum scientiam aut beatam aut infusam, sed secundum aliam acquisitam seu experimētalem quippiam aliquando ignorasse, quod postea didicerit. Didicit enim ex ijs, quæ passus est. Itaq; si de scientia hac experimentali sermo sit, Pater demonstrabat filio ea, quæ faciebat per illum mirabilia, maiora tempore futuro demonstraturus, quoniā & maiora facturus. Secundum hanc sci entiam item diē iudicij nescivit, anteq̄ esset, nam tūc experietur, cùm iudicium fiet. Probabiliter dicta sint hęc, non negemus: verùm nihil necesse est, in has nos angustias conijcere, quippè cùm sit alia horū locorum intelligentia sanior. Ac de priore quidem testimonio sic sentio. Reprehensus fuerat à Iudæis Christus, & quòd sabbatum solueret, & quòd se æqualem faceret Deo. Respondet ergò simul vtriq; calumniæ in hæc verba, Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem faciētem. Vbi primùm sic potentiæ æqualitatem agnoscit, vt nihil sibi arrogare videatur. Agnoscit enim patris etiam auctoritatem, qui accepta refert quæcunque facit. Non potest, ait, filius à se facere quicquā. Deinde ita arguētes redarguit. Cur me, ô Iudæi, re- Ioan.5.
prehenditis? Eadem certè ratione & patrem meum reprehenditis. Quoniam nō ex meo capite, vt dicitur, quę facio, ea ego confingo, nec affectu & libidine opera edo, sed à patre accepi id, quod facio. Non potest, &c. Non autem somnio accipio aut opinione aliqua commentitia, sed visu certissimo atque clarissimo cerno & comprehendo operantem patrem, & quæcunque ille facit, hæc ipsa eadem ego non clausis oculis, sed videns similiter facio. Si ergò me carpitis, quasi opera illicita faciam in sabbato, facio autem eadem, quæ pater meus, eodemque modo facio: coarguite, si ita lubet, Deum ipsum, quem ego operum omnium meorum auctorē & principium habeo. Vt autem probat se videre patrem faciētem opera, subdit: Pater enim diligit filium, ideoq; nihil illum celat, sed in conspectu eius, ipsoque adeò cernente omnia facit. Nec solùm, quæ antehac fecit, ea coram filio fecit, sed & maiora, quæ facturus est, in conspectu filij filioq; proinde spectante simulq; faciente faciet. Quibus verbis

non

non negat filium intelligere res priùs omninò, quàm fiant, sed humano more loquitur & se nostris sermonib. accommodat. Tunc enim res ostẽdere dicimur, cùm ita præsentes sunt, vt non ad intellectum, sed quasi digito ad sensum demonstramus. Quæ est nobis rei certitudo maxima. Nec obstat quòd verbo futuri vtitur, Demonstrabit, in his, quæ æterno Deo præsentia sunt. Sic enim solet scriptura nobis, nostroque tempori res æternas attemperare. Pater siquidem verbum & genuit, & gignit, & semper gignet. Quanquam qui subiungit, Vt vos mi remini, is de demonstratione quadam futura videtur loqui, quæ cæteris etiam pateat. Quare ex hoc loco nihil contra gloriam animæ Christi haberi potest.

Hieron. in Matth. 24. Ambr. li. 5. de fi. c. 8.

Posterius quoque testimonium nihil contra nos facit. Primùm, quia Hieronymus Ambrosiusque negant, illa verba, Neque filius, nisi in paucis quibusdam Græcis exemplaribus haberi. Quin Ambrosius contendit, ea ab hæreticis esse interposita. Eadem quippè lectio Matthæi & Marci erat. Matthæi verò Euangelium Ariani corruperant eisdem quoque verbis adiectis. Quæ modò nec Latina nec Græca exemplaria habent. Deinde etiam si ita fuisset ab Euangelistis scriptum, in eo sensu filius nescire dicitur, quia scire se dissimulat, nec vult alijs reuelare. Pater si quidem scit, quia filio manifestat, filius nescit, quia occultat, nec alios scire facit. Quod autem verbum, Scire, in hunc modum aliquando accipiatur, & vsu vulgi cõtrito liquet, & Ambrosius probat ex illo, Descendam & videbo, vtrum clamorem opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Simile est illud, Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, &c. Et vbi nos habemus, Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat an diligatis eum, editio 70. habebat, Vt sciat, an diligatis eum. Sed de hac re vide Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, ac patres cæteros. In his enim, quæ peruulgata sunt, longus ego esse, nec debeo, nec volo.

Gene. 18. Psal. 52.

Qui dissimulat, is exhibet se ad modum nescientis.

Sic Mar. 12. Cùm vidisset in-

Ad sextum respondet egregiè D. Tho. 3. part. quæst. 19. art. 3. vide illum. Primum verò testimonium, quo illa ratio confirmata, est, verba proximè antecedentia explicant,

cant. Si posuerit, ait, pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c. & statim, Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Secundum testimonium D. Tho. sic interpretatur, vt dicat, Christum meruisse manifestationẽ vnctionis quidem iuxta illud, Propter quod Deus exaltauit illũ, &c. Sed vnctionem ipsam non meruisse. In scriptura autem tunc rem aliquam fieri aliquando dici, cùm innotescit. Data est mihi omnis potestas, &c. Quia ergò Christus dilexit iustitiam, &c. id. eo exaltauit eum Deus in regem dæmonum, hominum, & angelorum, vngere enim est regem constituere. Respondet item, idque melius, hunc sensum esse, vt virga directiõis esset virga regni tui, vt diligeres iustitiam, &c. propterea, id est, vt hæc egregiè faceres, vnxit te Deus oleo, &c. Illud est simile, Homo ridet, flet, discurrit, propterea intellectum habet animam rationalem. Non enim necesse est, ea quæ antecedũt, causam esse eorum, quæ sequuntur. Vt ibi, Propterea sapiẽtia Dei dixit, &c. Luc. 11. Nec diceretur expressè, Vnxit te Deus oleo lætitiæ, quoniam dilexisti iustitiam, &c. quicquam contra nos faceret. Nam more scripturæ fit, vt interdum effectus loco causæ ponatur. Vt ibi, Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus.

quit, à lõgè ficũ habentẽ folia, ve nit, si quid fortè inueniret in ea. Sicut ergò ille, qui præstat spe ciẽ fingẽtis, & aliquid prudenter simulat, dicitur fingere: fingit enim se longius ire, sic gerit spẽtẽ & formã scientis. dissimulatque alinquid se scire, eum nescire scire scriptura dicit. Matt. 28. Psal. 44. In hunc Psalm. Phil. 2. Psalm. 16.

Tertio demum respondere possumus, actiones Christi non fuisse meritorias causas vnctionis, sed quasi materiales & dispositiuas. Docet enim D. Tho 3. par. quæst. 34. art. 3. sanctificatum fuisse Christum per proprium actum. Quemadmodum ergò verè dicimus, materiã ligni fuisse calore dispositam, propterea fuisse ignitam: Hominem fuisse contritum, propterea ei gratiam iustificatiõis esse donatam, sic dicere Propheta potuit, Christum optimos actus in primo instãti habuisse, propterea fuisse oleo Spiritus sancti perunctum. Nec opus est, vt vox illa, Propterea, causam efficientem aut meritoriam, denotet, sed satis erit, si sit causa, quæ disponat subiectum, quasi materialis. De tertio verò testimonio sic habeto. D. Tho. existimat in eo psalmo de resurrectionis æterna vita agi non solùm in Christo, sed in membris. Nam illa omnium capitis & membrorum resurrectio vitaque plena

plena delicijs fructus passionis Christi fuit. Qui, vt Paulus ait, conresuscitauit nos & consedere fecit in cælestibus, tũc scilicet, cùm ipse excitatus, sedit à dextris Dei. Si ergò Christus in hoc loco nõ in persona sua modò, sed in mẽbrorũ persona loquitur, nihil est difficile intellectu. Quòd si Saulo dicebat, Cur me persequeris, quia membra ipsius Paulus insectabatur, dicere quoq; potuit patri, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Quoniam gloria nostra gloria Christi est, nõ minus, quàm ignominia laborque noster Christi omninò est, Mox etiam non video equidem, cur non propriè de Christo ipso accipiamus, quod post resurrectionem adimpletus lætitia fuerit cum vultu Dei. Antè enim & corpus vacuum erat ea voluptate, quæ à visiõe Dei in corpus emanat, & anima nõ vndique plena erat lætitia, quin appetitus sensitiuus totus tristitiæ angoriq; patebat. Post passionem ergò impleuit eum lætitia Deus cum vultu suo. Quoniam & si prius Dei vultum clarè pleneq; videbat, non tamen affectus appetitusq; omnis plenè perfecteq; gaudebat. Qua de re in refutatione postremi argumenti nonnihil adijciemus, quod sit animaduersione dignissimũ. Quartum insuper testimonium facilem intelligentiam habet: nam & scriptum à poeta est, Priami faciem dignam fuisse imperio. In quinto autem mercedem Christi Isaias vocat fidelium populum. Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Vnde eueſtigiò subdit, Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino. Iustinus verò martyr in dialog. cum Tryph. aliter legit & interpretatur hunc locum. En tibi, inquit, seruator adest, qui mercedem suam reddit, opusq; suum ante se. Verè enim Christus id quod meruit, hoc est, mercedem operis sui, nobis reddidit. At Hieronymus planè interpretatur, hoc ideò dici, quia saluator ipse iudex sit omnium, vt reddat vnicuique secundum opera sua, iustis præmia peccatoribus æterna supplicia. De sexto testimonio denique nil aliud in præsentia dico, nisi gloriã Christi ante passionem nondum fuisse consummatam, sed quicquid ei propter nos & propter nostrã salutẽ ad absolutam hominis glorificationem defuit, hoc nõ dubium est

Actor. 9. *Psal. 15.*

Psal. 2. *Esai. 35.*

est per passionem suam Christum metuisse. Sanè verò nõ eodem modo omnia ædificia consummantur, quibusdam enim vel pariter desunt, alijs non deest nisi tectum. Nos itaq; consummamur accepta, nõ solùm gloria corporis, verùm etiam animæ, quoniam vtriusq; partis gloria deerat, at Christo non nisi alterius duntaxat, quare per illius adiunctionem consummatus est.

Ad postremum argumentum D. Thom. respondet de passionibus animæ articulo 10. ad 9. Contraria non posse esse in eodem per se quidem, sed benè per accidẽs. Vt cùm quis in naui deambulans fertur in contrarium eius, ad quod nauis mouetur. Ita, inquit, in superiori ratione animæ Christi erat gaudium per se, quia per actum proprium, dolor autem per accidens, quia per corporis passionem. Deinde respondet, quòd gaudium illud & dolor non erant contraria, quia non erant de eodem. Verùm responsum illud prius refelli potest. Quoniã locales motus si in eodem contrarij aliquando sunt, nihil mirum est, quippè cùm tota ferè eorum substantia & ratio externus quidam respectus sit. Ita pater & filius relationes contrarias præ se ferunt, & in ordine ad diuersos terminos esse in eodem verè possunt. At in formis & qualitatibus absolutis id fieri nequit, vt siue per se, siue per accidens duo contraria in eodem subiecto sint. Pugnat enim cum natura rerum, vt aqua simul calida & frigida sit, præsertim in summo: nec si quis contendat alterum esse per se, alterum per antiparistasin. Gaudium verò & tristitia qualitates sunt absolutæ. Sed & posterius responsum quispiam coarguet, quoniam Christus videns rationes in Dei essentia diuinas, de sua morte lætabatur, quam cernebat Dei & rationi & voluntati conformem. Tristabatur autem de eadem, quia erat malum naturæ contrarium. Quare obiectum materiale gaudij atque tristitiæ idẽ erat. Vt gaudium porrò tristitiæ cõtrarium sit, sat est vtrumque in materiali obiecto conuenire. Nam formalis gaudij tristitiæq; ratio discrepant semper, siue de eadem re, siue de alia atq; alia tristemur & gaudeamus. Non ergo negare possumus, si in Christi voluntate gaudiũ summum summaq;

tristitia de morte sua fuit, quin duo simul in eodem fuerint contraria. Atq; hæ animi affectiones se vicissim expellunt, tametsi non res eadem obiecta est. Nimirum enim, cùm pellere tristitiam volumus, alijs nō modò rationibus, sed rebus etiam gaudere curamus. Quod argumentum est, eas affectiones esse contrarias.

Cæterùm difficultas hęc tribus modis videtur expediri. Primum enim dicet fortasse quispiam, in appetitu intellectuali Christi, quę voluntas propriè vocatur, nullam penitus tristitiam extitisse. Quoniam illa animæ portio Deo fruebatur plenissimè. Quemadmodum autem à superiore potentia non deriuabatur gaudium ad inferiores, vt salutis nostræ mysterium in Christi passione transigeretur, sic ab inferiore potentia non perueniebat ad superiorem dolor. Non fuit itaque in Christi voluntate tristitia, sed in appetitu sensitiuo fuit, qui propriè tristitiæ subiectum est. Quam sententiam visus est Dominꝰ significare, cùm ait: Tristis est anima mea. Appetitus enim animalis, quia animalis est, non est intellectualis, sed sensitiuus. Cui etiam sentētiæ fauet D. Tho. 3.p.q.15.art.4. & 6. & q.46. art.7. & 8. Nam Scoti argumenta abundè refutat Caietanus. Quod si verum est, iā contraria nō sunt in eodem subiecto proximo: sed gaudium in voluntate, tristitia in appetitu sensitiuo. Ideoq; propriè ne contraria quidem sunt. D. Tho. 3.p.q.18.ar.6. in corp. & q.46.art.8.ad 1.

3.p.q.46. art.8.

Matth.26.

In art.7. q.46.

Huic verò responsioni illud obijcitur, quòd Dominus habuit in voluntate actum, quo mortē verè noluit, at tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt, vt Augustinus ait. Prior propositio, quoniam eam Caietanus negat, probatur. Primò ex D. Thom. 3.par.q.18.art. 6. vbi dicit, quod voluntas naturalis & volūtas sensualitatis aliud voluit in Christo, quàm diuina voluntas. Et ar.5. refert Augustinum contra Maximinum in hæc verba, In hoc, quod Christus ait, Non quod volo, sed quod tu: aliud se ostendit voluisse, quàm pater. Quod nisi humano corde non posset. Ac reuera ex illo Euangelij testimonio nō solùm sancti veteres, sed synodus sexta sub Agathone collegit, & duas volūtates in Christo, & duas voluntatum operationes. Sanè qui ait, Nō sicut ego volo, is actum voluntatis apertè significat. Verùm Caietanus elaberetur dicens, appetitum sensitiuum vocari interdum voluntatem. De qua Ambrosium hunc Euangelij locum explicare D. ipse Tho. interpretatur 3.p. q. 18. art. 2. Quin D. Thom. quæstionis decimæ octauæ, tertiæ partis articuli quinti argumentum tertium nō poterat refellere, si admisisset, Christi voluntatem aliquid velle, quod non habuerit. Beatus enim est, vt Augustinus docet, qui habet quęcunq; vult. In reliquis certè beatis probabilissimè Caietanus eiusmodi noleitates negat, quoniam in illo statu otiosæ sunt. Cùm ergo Christus secundū intellectum & voluntatem perfectè fuerit beatus, non videtur eiusmodi nolitiones habuisse.

Possumus deinde postremum hoc argumentum eludere, etiam si dicimus id, quod reuera probabile est, in voluntate Christi intellectuali, quæ propriè volūtas est, non tristitiam modò, sed summam maximamq; fuisse. Quia enim in hostia pro peccato, cordis contritio voluntatisq; tristitia potissimè desideratur, sacrificiū quippè Deo spiritus contribulatus, &c. & tristitia spiritualis hæc contraria est peccato medicina, quod sedem suam præcipuè in voluntate habet: consentaneum profectò erat, vt filius Dei hostiā se pro peccato exhibiturus, non solùm corporis & animæ sensitiuæ dolores, sed angores quoque spiritus & voluntatis tristitiam susciperet, quo pro culpis nostris omnibus hostia illa Deo acceptissima omnibus omninò modis cōtentaretur. Sic verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Sic non modò vulneratus est propter iniquitates nostras, sed attritus est propter scelera nostra. Sic disciplina pacis nostræ super eum, & liuore atque dolore eius sanati sumus. Sic Dominus eum voluit infirmitate conterere, qui posuit pro peccato animam suam.

Psal.50.

Isa.53.

Cap.9.

Augustinus insuper 14. de ciui. lib. asserit Christū eos naturę nostræ defectus suscepisse, qui perfectioni gratię non repugnant quidē, sed de amore boni & sancta charitate veniunt. At commendat magis charitatem suam Christus, si tristitiam quoq; eam Deo pro culpis nostris

in sacrificium prębuit, quam nos Deo pro illis debemus maximè. Planè item Ambrosius ad Gratianum imperatorem dixit, Sicut susceperat voluntatem meam, susceپit tristitiam meam. Nam voluntas propriè appetitus intellectualis est. Et velle propriè actus voluntatis est, ait autem, Non sicut ego volo.

Voluntatis etiam dolor hominis propriè tristitia est, nam qui in solo appetitu sensitiuo reperitur, hic animātis magis dolor est, quàm hominis. Decuit aūt, vt per dolorem propriè humanum humana peccata soluerentur. Ita cùm dixit, Repleta est malis anima mea, omnem a-
Psal. 87. nimę appetitum repletum dolore intellexit, siue sensualē siue rationalem. Quoniam & pronomen, Mea, rationalē magis, quàm sensualem præ se fert. Ea si vera sunt, vt videntur esse, nihil obstat, cur non per potentiam supernaturalem & gaudium summum & summa tristitia in eodē subiecto fuerint. Tum quia nec propria cōtraria erant, cùm oppositio debeat fieri circa idē, vt D. Tho. sępè sumit. Tum quia quod præter naturæ ordinē à Deo fit, id in naturæ leges referre velle stultum est. Miraculū fuit, quòd idem homo esset & viator & compræhēsor: miraculum, quòd à gloria animæ nihil deriuaretur ad corpus: miraculum, quod à superioris gaudio potētiæ nihil solatij in inferiores redundaret: miraculum, quòd inferioribus perturbatis nec superiores turbarētur, nec à sua perpetua operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem & delectationem vel ex minima parte resoluerent. Inter hæc miracula propter mysterium no-
Ephe. 3. strræ redemptionis explendum, quanquā voluntas Deo viso fruebatur, susceپit tamen spontè tristitiam quantā maximam capere potuit: potuit aūt capere tantā, quanta maxima esse in rerum natura poterat. Vt dolor pro peccatis non minor esse, quàm charitas & scientiæ ipsæ quoque supereminęret.

Sed & olim iuuenis, vt hinc iam nos demùm extricemus, coram celebri Theologorum concione diximus: quòd sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret: sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suapte natura ex clara Dei notitia

notitia prodiret. Gaudium, fateor ex Deo viso in voluntate necessariò nasci, non secus atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando sol radios suos, & ne calefaceret, compræhensus est etiam ignis: quare nihil mirum videri cuipiā debet, si in hominum redemptione per hominis vnius dolores explenda voluptas omnis reprimeretur, quam aliàs ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Nec obstat, quòd beatitudinē Benedictus huius nominis duodecimus definiuit in visione & fruitione consistere. Christus autem beatus fuit in via. Quoniā illud pontifex tradit de beatitudine consummata. Christus autem licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen accidentia, quæ inde per se etiam consequuntur. Decuit enim eum per passionem cōsummari. Quanquam & fruitio sine gaudio intelligi potest: fruitur enim arboris suæ fructibus, tunc etiam homo, cùm per morbum voluptatem nullam capit ex eis. Ita Christus non solùm videbat, sed etiam fruebatur, quam. *Vt quid* uis derelictus à Deo omniq; penitus solatio destitutus *dereliqui-* non gaudebat. Quamobrem, vt cæteri martyres gaudiū *sti me.* sibi futurum ante oculos posuit, vt crucem sustineret confusione contempta ad Hebræos 12. cap. Vbi miris omninò modis & charitatem suam in nos commēdauit & exemplum. Certè siue primo, siue secundo, seu tertio modo quæstionem soluas, miraculum facis: sed est hoc postremum eò plausibilius, quò maiores in nobis ignículos excitat tum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis. Sed sit iam huius quæstionis finis. Perspicuum est enim, in re sterili & ieiuna non paruam & exiguam copiam è locis Theologiæ suppeditatā. Restat tertiū quæstionis genus pertractandum eius, quæ à fide & natura pendet: de qua re capite sequenti disseremus.

CAPVT XIIII.

In quo ea quæstio vocatur in dubium, quæ cùm naturalis sit, tum etiam ad fidem pertinet.

QVoniam de eo genere argumentorum dictū est, quæ & ad fidei principia explicanda spectant, & ad conclusiones Theologiæ cōfirmandas: deinceps de

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceps de ijs, quæ ad rerum etiam naturalium probationẽ attinent disputandum est. Sunt autem naturales quæstiones in duplici differentia. Quædã enim solis naturæ argumẽtis probari possunt, aliæ fidei etiam auctoritate confirmantur. Et in naturæ ratione, quidem nullum inter hæc duo genera discrimen est. Vtriusque enim quæstionis argumenta ex eiusdẽ omninò locis petenda sunt, hoc est, ex humanis disciplinis. Quæ argumenta omnia tribus vltimis locis continentur. In hoc differunt, quòd quæstiones posteriores, quoniam fidei sunt, latiùs patẽt atque ex omni loco comprobari possunt. In hoc genere illa est, quam hoc capite versare cupio.

An animus hominis immortalis sit, quemadmodum Pythagoræ, Socrati, Platoni, Theophrasto, Themistio, Senecæ, Ciceroni, melioribusq; Philosophis visum est, an potiùs mortalis, quod Lucretio, Galeno, Plinio, Alexandro video placuisse. Nec me verò reprehensores vituperare debent, quòd rem aggrediar, quę diligentissimè est à pluribus disceptata. In quibus D. Thomam esse constat, cuius tanta est in vtranque partem argumentorum copia, vt nihil addi posse videatur. Sed quoniam fidei argumenta nulla ferè protulit, naturæ verò rationes Henricus atq; Scotus probabiliter suadere, aiunt, non necessariò demõstrare: nihil, vt mihi videtur quidem, temerè facturus sum, si de ea ipsa quæstione disputo, quam tam multa & præclara ingenia versarunt. Nõ enim rem actã agam: sed, nisi me fallit animus, planè vtilem, ne dicam necessariam: præsertim cùm Caietanus etiam noster sui valdè dissimilis scripserat, se credere quidem animã rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamẽ. Qua in re cum Henrico, & Scoto ex parte consentit: quos idem miris olim modis exploserat. Ex parte, inquam, quoniam non alios quidem, sed se scire inficiatus est.

In ea. 9. epist. ad Rõ. Cõtra scripserat et in primã par. & in 3 lib. de anima.

Vt ergò hæc controuersia, quàm fieri poterit, accuratissimè constituatur, principiò argumentabimur, hanc quæstionem nullo modo ad fidem attinere, deinde non posse naturæ ratione demonstrari.

1. argu. De bap. p. li. 3. ca. 20. & 1.

Docet porrò Augustinus, idq; non semel, sed sępiùs, nõ esse fidei quæstionem, an animæ rationales ex traduce

ce sint: an potius ex nihilo in singulis creẽtur singulę. At si anima hominis ex traduce vi seminis propagaretur, sine dubio esset vt generabilis, ita etiam corruptibilis. *retra. c. 1. & 10. sub per gen. c.*

*Dein Sadducæi existimabant animum hominis esse mortalem: nec tamen habebantur hæretici, quin & religiosos eos colebat fidelis populus. * 2. argu.*

Prętereà, quatuor sunt scripturę testimonia, quibus vel maximè animorũ immortalitas doceri potest. Vnũ illud est, Donec reuertatur puluis in terram, vnde erat, & spiritus redeat ad Deũ, qui dedit illũ. Alterum, Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginẽ similitudinis suæ fecit illum. Tertium, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem nõ possunt occidere. Quartum, quo Dominus in euãgelio vtitur, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Etenim quod Augustinus affirmat ex lege Moysis esse cæteris euidentiùs, id ne probabile quidẽ mihi videri solet, vt animas ab interitu vendicemus. Ex quatuor autem illis, quæ passim à Theologis referuntur, primum eludi potest, quod Augustinus docet, infirmũ esse aduersum eos, qui credunt animas per propaginem generari. Infirmum ergo etiam est contra eos, qui dixerint eas cum corporibus interire. Ac sicut scriptum est, ait, Donec spiritus redeat ad eum, qui dedit illum: sic etiã legimus, Spiritus vadẽs & nõ rediens. Secundum item refellet fortasse quispiam dicens, nõ ibi de anima sermonẽ esse, sed de homine, quem Deus per gratiam fecit à principio immortalẽ. Vnde statim subijcitur, Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Tertium autem de morte spirituali animæ, hoc est, de eterna, interpretari licet, de qua illud habes, Dentes leonis dentes eius interficientes animas hominum. Quæ res suadetur, quia protinus additur, Eum timete, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Quare Diuus Thom. nec in 1. part. nec in Sum. contra gent. nec in quęst. de anima hoc testimonium voluit vsurpare. Nam quartũ de resurrectione agit, non de immortalitate. Sic enim Dominus ait, De resurrectione autẽ mortuorum non legisti, &c. Nihil verò

Pſal. 77. Sap. 2. Matth. 10. Luc. 12. Matth. 22. q. 33 in Nume. Lib. 10. superge. c. 9. Matth. 22.

prohibet, vt anima cum corpore simul intereat, & postea cum corpore simul exsurgat. Non ergo fidei decretum est, animas esse immortales.

4.arg. De bono mor. c.9. 2.soli. & li.de im mor.ani. 5.arg.Sco. 4.d.43.q. 2.Iand.3. de ani.q.5. & 29.Caieta.in epi. ad Rom.c. 9.

Quòd verò naturali argumentatione animę immortalitas nequeat ostendi, illa prima coniectura est, quòd cũ Ambrosius & Augustinus, vt id probarẽt, omnes neruos intenderint, nihil omninò confecẽre. Non autem præcellimus Ambrosium & Augustinum.

Adhæc cùm Scotus, Iandunus, Caietanus Diui Thorationes expẽderint, viri scilicet magno ingenio magnaque Philosophię eruditione prędíti, at pnunciarunt tãdem, rem nõ esse demonstratam, sed creditã. Non est autẽ verosimile, rationes eas, si euidentes essent ac lucidæ, nullũ euidentię lumen acribus acutisq; oculis allaturas.

**6. argu.*

* Præterea, Aristot. non idem semper in hac re, sed tũ hoc, tum illud scripsit: non est ergo probabile, eũ in tanta varietate & inconstantia certã exploratamq; animæ immortalitatem habuisse. Nam quod pro animę rationalis incorruptione aliquando senserit, vt cætera loca omittam, quę & D.Tho. 2.aduer.gen.c.79. Ferrarien. in commentarijs afferunt, is locus planus & expeditus est, qui 2.lib. de gen.anim.c.3. habetur: vbi apertè docet Aristot. mentẽ hominis non in seminis virtute esse, vt reliquas animas, sed extrinsecus aduenire. Quod si nõ educitur de potẽtia materię, nec à generãte homine vi seminis editur: certè subsistens est, nec à materia dependet. Quòd verò de hac sententia interdũ etiam desciuerit Caiet. multifariam suadet: & mihi his argumẽtis fit verosimile. Primò, quòd nõ potest effugere, si sua principia Arist. retinet, animarum infinitatẽ, nisi incidat in errorem Auerrois, vel in Pythagorędeliramentũ. Secundò, quia, 1. cæli asserit, quicquid incorruptibile sit, id perpetuũ etiam fuisse. Tertiò, quia in eth.li.1. Solonẽ reprehẽdit, qui asseruerit, post mortem verã supereſſe hominis beatitudinem. Vnde & deplorat breuẽ hominis felicitatem, & opes ac diuitias tanquam felicitatis adiumenta requirit. Nec de hominis animo post mortem verbum vllum in illo reperies. Non est autem credibile eum si existimaret animã esse immortalem, nec de modo, quo intelli-

Iu lib.3. de anima

intelligeret separata, nec de eius felicitate quicquã vel breuiter perstricturum. Quartò, ex proœmio lib. de anima, vbi illud fundamentum iecit: si intelligere est phãtasia, aut nõ sine phantasia, non contingit anima separari: in tertio aũt libro posuit antecedẽs, quòd intelligere non est sine phantasia: vnde & consequens, &c. Quintò, quia non Greg. Nissenus modò, quem D. Tho. refert, verùm etiam Iustinus martyr in lib. admonitorio gentium, & Theodoritus lib. quinto de curat. græ. affecti. consentiunt, Aristotelem animorum immortalitatem negauisse. Quis autem credat, tantos talesque viros falsum testimoniũ dixisse? Nisi etiam Alexand. Aphrodisæus insignis præter cæteros Peripateticus falso etiam magistro suo hanc sententiam imposuit.

7.argu.

Præterea, animorum immortalitas cũ Dei erga homines prouidentia adeò coniuncta & colligata est, vt qui illam negarit, is hanc quoq; inficiaturus sit: qui verò hãc cõcesserit, eum necesse sit illam admittere, quemadmodũ suprà diximus. At Dei erga res humanas prouidentia nõ potest esse per rationes humanas manifesta, sed solũ ex diuinis oraculis exploratè percipitur. In quod Propheta testatur inquiens: Existimabã vt cognoscerẽ: hoc labor est ante me, donec intrẽ in sanctuariũ Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Et iterum, Dominus scit cogitationes hominũ, quoniã vanæ sunt. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eũ.

Psal.72.

Psal.93.

8.argu.

Præterea, ad indagandã animi immortalitatem illa rectissima via est, quam Aristo. est ingressus; nempè animi operatio propria. Sicut enim res se habet ad operationẽ, ita se habet ad esse, Experimento autem quotidiano illa probauit, animam nostrã nihil sine phantasmate intelligere. Pendere itaq; à corpore non solùm vt species intelligibilium accipiat, sed vt eis etiam vtatur, resq; ipsas intelligat. Respondent, pendere animi propriam actionem à corpore non tanquam à subiecto, sed tanquam ab obiecto. Verùm hæc responsio refellitur. Quia si, quãtum rationis lumen & sensuum indagatio docet, nulla nostra intellectio sine corpore est, nihil refert hoc, an illo modo sit, cũ vtrinq; probabilissimè colligatur, animã

si extra corpus esset, in modum glirium torpentem omni opere vacaturam. Experimur siquidem species intelligibiles & in fieri & in operari à phãtasmate dependere. Hinc enim Aristot. vacillauit, nec quicquam effecit, si effecit tamen, nisi animas cũ corporibus interire: ne vanæ scilicet & ociosæ extra corpora remanerent.

9. argu. Confirmat autẽ hoc vel maximè, quòd si animus per se subsisteret atque adeò immortalis esset, nõ indigeret corpore, quemadmodum aliæ formæ, propter esse, sed solùm propter operationem. Necesse quippè est, eũ species intelligibiles à corporibus per corporis sensus emẽdicare. Alioqui intellectus per se in natura subsistens, ideoq; à corporis grauitate & materiæ imperfectione liber nullo se modo corpori colligaret, si ex se haberet species ingenitas, quibus sine corporis adiumento intelligeret. Videmus autem, species à corpore acceptas, à corpore etiam in operando pendere. Ideo enim necesse est, intelligentem phantasmta speculari. Non ergo per illas anima à corpore separata intelliget. Alias verò species non habet superinditas, Quare seiuncta à corpore. somno ocioque torpebit, quod est absurdum.

10 arg. Sexta insuper synodus actio. 11. tradit, animam hominis non esse immortalem per naturam, sed per gratiã illam à morte coercentem. Et rursum. Nõ, inquit, naturã propriè immortalem habent animę, sed gratia id sortitę sunt. Nulla ergo ratio naturalis animę immortalitatem monstrare potest, vtpote cũ sit suaptè natura mortalis.

Adde vnum & viginti argumenta, quibus S. Tho. probabiliter egit, vt anima corruptibilis videretur. Quæ si ego hic repetam, molestus ero. Nam his alia adijcere, nõ video qui possem, nisi Ianduno, alijsque huius farinæ auctoribus velim esse similimus, qui vt argumenta afferãt, quibus animi mortalitas probare posse videatur, ea ponunt, quibus suadeant eum nõ esse formam actumq; corporis essentialiter. Quæ argumenta quidem Caietanus in 3. lib. de anima retulit, feciſsetque fortasse multò prudentiùs, si contempsisset.

11. arg. 9. de anima ar. 4

12. arg. 4. d. 43. q. 2. Adde etiam, quod Scotus argumentis, quę probãt animam esse immortalem, argutè respõdet. Si ergo ratio

nes

nes inuentę à prioribus nõ demonstrant, alias verò excogitare nouas non opis est nostræ, fateamur, animam immortaliter viuere, nullo certo naturæ argumento patefacere. Hæc afferre breuissimè potui, quibus illi vterentur, qui animorum immortalitatẽ infirmare pergerent. Quam tamẽ & fides catholica firmissimè docet, & certa naturæ ratio. Id quod conclusiones rationesq; sequentes patefacient.

Prima cõclusio. Animum hominis esse mortalẽ, fidei catholicę manifestè repugnat. Gene. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt. Sapien. item cap. 2. 3. 4. & 5. apertissimè traditur, animas cũ corporibus nõ interire. Eccles. 12. Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. 2. Machab. 12. Sancta ergo & salubris, &c. Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animum autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Ioan. 12. Qui odit animam suam in hoc mũdo, in vitã æternam custodit eã. Philip. 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ. Coartor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo. Primę ad Cor. 15. pro absurdissimo Apostolus colligit, Ergo & qui dormierunt in Christo, perierũt. Si in hac vita tantũ in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Et posterius referens illam insipientiũ vocem, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur, illicò subdit, Nolite seduci. Corrumpunt, &c. 2. Cor. 5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, audemus aũt & bonam voluntatẽ habemus magis, peregrinari à corpore & præsentes esse ad Deũ. Et paulò antè: Scimus quòd si terrestris domus nostra. &c. Sed de scripturę testimonijs, quæ D. Tho. dixit esse infinita, satis multa recitauimus. Quãquam vereor, ne quis nos iure ac merito reprehendat, quin in re nõ dubia vsi fuerimus testib. non necessarijs. Præsertim cùm ij, qui animæ immortalitatem inficiantur, nec Christo, nec euangelio credunt, ecclesiæ verò sanctorumq; fidem pro nihilo putent. Ita superuacaneum videtur esse, ex ijs locis, qui auctoritatẽ

fidei

Iustin. in colloquio cũ Triphone illud affert quòd Physionisa spiritũ Samu. euocauit, In q. verò gentiũ, q. 75. citat illud: Infernus subtus te cõturbatus est in occursum aduentus tui. Quod de Nabuchodonosor dictũ esse ambiguũ non est.

Et q. 76. illud, Hodie mecũ eris in paradiſo.

fidei continent, argumenta depromere. Nec concluſio hęc propriè Theologica eſt, vt ſit argumentationibus Theologię cõfirmanda. Quin Theologia, qua ratione effectrix eſt, & agẽdi muneri incũbit, illa duo habet primaria fundamenta, Deũ eſſe hominis & principium & finem, atq; adeò procuratorem, eſſeq; item animorum perpetuã vitam, in qua remunerator Deus ſit inquirẽtium ſe. Quæ niſi fidelis penitus habeat infixa & in animo quaſi inſculpta, nõ dico media, & finẽ conſequi felicitatis ſuæ, ſed ne ad Deũ quidem accedere poteſt, vt ab eo media finemq; requirat. Cùm igitur prima cuiuſque diſciplinæ principia tanquam notiſſimæ anticipationes ſupponãtur, nihil opus erat vel ea teſtimonia referre, quę ex ſacris literis commemorauimus. Niſi quòd ſunt quidam adeò curioſi, qui etiam optarint, Paulũ de animorum incorruptione manifeſtiùs loqui. Quod perinde eſt, ac ſi quis Philoſophus adeò eſſet inſigniter ſtultus, vt in philoſophorũ libris, præſertimq; Ariſtotelis, cuperet principium illud ſæpè & clarè reſumi, Quodlibet eſt, vel non eſt. Verùm de hac prima propoſitione, quoniam eſt ante oculos poſita, diximus ſatis. Secunda propoſitio, Animus naturaliter eſt immortalis, & nõ ex dono gratuito. Fuêre porrò quidam Arabes, qui dicerent, animum natura eſſe mortalem: ſed in nouiſſimo cum corpore immortaliter ſuſcitandum. Simili autem errore ductus poſſet quiſpiam dicere, animum cum corpore ſtatim quidem interiturũ, ſi naturæ ſuæ relinqueretur, ſed vi diuinæ potentiæ fieri, vt vel ad præmia, vel ad pœnas conſeruetur æternus.

Heb. 11.

Hoc qui aſſereret, is ſcripturas facilè in ſenſum ſuum detorqueret. Nõ enim affirmant illæ, animũ eſſe natura ſua immortalem, ſed ſolũ eum aiunt manere poſt mortem. Sicut corpus poſt reſurrectionem fides aſtruit perpetuam vitã habiturum, nõ tamen id in natura corporis, ſed in diuina potentia erit. Quam ſententiam ſextæ ſynodi verba retrò citata ſonare vidẽtur. Atq; Auguſt. 10. ſuper Gen. ad lit. c. 23. in illam magis opinionem inclinat, quę docet animas à parentib. generari. Quæ ſi vera ſententia eſt, nõ eſt animus ſua natura immortalis. Id q̃

ſolebam

ſolebam equidem, non tanquam hęreticum, ſed tanquã erroneum condemnare, ſemper quippe malui citra lineam conſiſtere, quàm tranſire, ſtultæque ignorantiæ potiùs argui, quàm inſolentiæ temerariæ. At ſi rem diligentius animaduertas, non dubites, huic errori hæreſeos notam inurendam, quando ad ſedem Apoſtolicam referatur.

Primùm, quia manifeſtum eſt, quoſdam Philoſophos naturæ ratiõe duce, animorum immortalitatem & veſtigaſſe & inueniſſe. Nõ eſt ergò ſupernaturalis animorum perpetua vita, aut dono eis gratuito conceſſa. Quis enim hominum ſcire poterit conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? niſi ille dederit ſapientiam, & miſerit Spiritum ſanctum ſuum de altiſſimis.

Auguſt. li. de tri. c. 9. Sapi. 9.

Deinde in Concilio Lateranen. ſub Leone 10. ſeſſione 8. definitur, hæreticum eſſe dicere, quòd ex principijs Philoſophiæ ſequitur, animam eſſe mortalem. Et tamen ſi naturaliter eſſet anima corruptibilis, huius corruptionis eſſet cauſſa aliqua naturalis. Item cùm nonnulli, inquit, auſi ſint dicere de natura animæ rationalis quòd mortalis ſit, & aliqui temerè philoſophantes ſecundum Philoſophiam ſaltem verum eſſe aſſeuerent, damnamus omnes aſſerentes animã rationalem mortalẽ eſſe. Cùm illa nõ ſolùm per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma ſit, verùm etiam immortalis. Hactenus concilium.

Præterea, non Theologi modò, verùm fideles etiam vniuerſi animarum immortalitatem, ita à maioribus accepimus, vt non per miraculum eas incorruptibiles, ſed per naturam eſſe credamus. Hic autem eccleſiæ conſenſus certiſſimo nobis argumento eſſe debet catholici dogmatis. Quod autem idem in hac re Theologi ac fideles ſentiant omnes vel ex eo liquet, quòd aſſerentẽ quemcunque, animos eſſe mortales, ſtatim exhorrent. Eadem quippe fide inſcriptum in mente habent, angelos & hominum animas natura ſua, vt intellectuales, ita quoque immortales eſſe. Adde quòd poſt Auguſtini ſeculum nemo fidelium in dubium vertit, quin animæ rationales creentur ex nihilo, & ſingulæ ſingulis corporibus infundantur, vt Concilij Lateranen. verbo vtar. Quòd ſi non

gene-

generantur vi naturæ animæ rationales, nec de potẽtia materiæ educuntur, sed foris veniunt; nimirũ ex se subsistunt, quare non cum corpore intereunt. Illud verò testimonium, spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, ne Auguſt. quidem ipse expedit. Si enim foris venit spiritus hois, consequens sit, vt nulla vi agentis naturalis propagetur. Quocirca si ingenitus natura est, natura quoque est incorruptus. Nec enim naturales causæ corrumpunt aliquid, nisi quod eædem possunt gignere. Nam quod interpretatur Augustinus, Deum primo homini spiritũ dedisse, cùm inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, in illo verò, qui cæterorum hominum caput erat, cæteris dedisse spiritum, hoc, pace tanti viri dictum sit, nulla ex parte argumenti vires infringit. Cùm enim Moyses in principio Geneseos rerum naturalium propriam vim & naturã exprimat, quod in primo homine significatum est, id de reliquis etiam intelligitur. Scriptura porrò, vt ostenderet viuẽtia reliqua viribus naturæ edi posse, ait, Germinet terra herbam virentem, &c. Et rursum, Producant aquæ reptibile animæ viuentis, &c. Et iterũ, Producat terra iumenta & reptilia, &c. Nemini quippè ambiguum esse potest, prima cetorum, iumentorũ, serpentium, leonum indiuidua, à Deo sine media causa adiuuante condita creataq; fuisse. Ob id namque adiectum est, Creauitq; Deus cete grandia & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas. Item, Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, &c. At significare scriptura voluit, si tũc à Deo huiusmodi animantia esse edita, vt in vi tamen elementorum & corporum, quæ ex elementis conflarentur, illorum generationem sitam esse censeremus. Sed enim cùm ad hominem ventum est, ne huius similis conditio crederetur, de corpore ait, Fecit Deus hominẽ ex limo terræ: de animo aũt, Inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ. Quod differentis conditionis varium discrimen à Moyse adeò accuratè obseruatum manifestè indicat, cæterorum viuentium animas in potentia materiæ esse, hominis spiritum, quo factus est in animã viuentẽ, non esse, sed à Deo creari & infundi, qui solus eius & spirator & creator est. Præterquã quòd qui dicit, Redeat ad Deũ, qui dedit illum, is non obscurè docet, spiritum non perire, sed manere. Explicat enim id, quod paulò antè dixerat, Ibit homo in domum æternitatis suæ. Alioqui quomodo ad Deum vadit, si dissoluitur tãquam mollis aer, & sicut vmbra ac fumus euanescit? Quemadmodũ aũt corporis naturam exprimit, cùm ait, Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, sic naturam spiritus manifestat inquiens, Et spiritus redeat ad Deum, &c. Iam quod Augustinus affert, spiritus vadens, & non rediens, à nobis est. Non enim scriptura dicit, spiritus veniens & non rediens, sed spiritus vadens, scilicet à corpore, & non rediens, &c.

Ecclę.12.

Psal.77.

Præterea, stulti illi, quorum error Sap.c.2. inducitur, animum existimabant naturaliter esse mortalem. Non enim de miraculo loquebantur, sed de natura. At Sapiens non modò cum illis apertè pugnat, verùm etiam vt insipientes & insensatos reprehendit. Animos ergo sentit natura esse immortales.

Tertia propositio. Erroneum est, ne dicã hęreticum, astruere, animæ immortalitatem naturali ratione demõstrari non posse. Si enim naturã habet incorruptibilẽ, huius rei vel à priori, vel à posteriori ratio aliqua demonstratiua erit. Nulla siquidẽ propositio ex natura rei & connexione terminorum per se ac necessaria est, quin vel ex effectu, vel ex proprietate, vel ex definitione, vel ex causa subiecti ostendi necessariò queat. Sed ais: Quadratura circuli demonstrabilis est quidem, sed demonstratio adhuc inuenta non apparet. Sic ergo Scotus Iandunusque sentient, animæ quidem immortalitatem ostendi posse, at non esse ostensam tamen.

Quarta propositio. Periculosum ac temerarium est, ne quid amplius addã, affirmare, quòd nullum argumẽtum hactenus inuentum verè demõstrat animę immortalitatem. Quia argumentum, quod sumitur ex operatione propria, vel etiã ex potẽtia, quæ substantiã rei necessariè naturaliterq; consequitur, verè ostendit, quale sit eius rei natura atque substantia. Theologi verò tum ex propria operatione, tum ex propria potentia, intelle-

Qui dixit rationes non esse, nec demonstratiuas nec necessarias, is videtur

Ecclę. 11.

Gen. 1.

Caietanus turpiter hic lapsus est, nõ intelligens scripturæ sensum.

Universidad de Deusto Biblioteca

hanc conclusionem reprobare.

intellectione scilicet & intellectu, animi incorruptionem argumentantur. Syllogismi igitur illi veræ sunt demonstrationes. Dicet fortasse quispiam, Non nego demonstrationes esse, sed nobis demõstrationes esse nego. Quibus argumenta illa certa & clara nõ sunt, quamuis idonea ex se sint, vt certitudinem atque euidẽtiam pariant. O insolentem temeritatem, cæteros ex tuo ingenio metiri, exque tuis aliorum oculos æstimare. Asserere, mel quidem ex natura sua dulce esse, sed dulce tamen fuisse nemini, quia tibi non fuerit, nullũ videre id posse, quod tu non videas, omnibus obscurum esse, quod tibi non pateat. Ait D. Thomas, ex præmissis manifestè ostendi posse, animam humanam non corrumpi cum corpore: concludit verò hęc verba, Patet igitur, quod intellectus humanus est incorruptibilis, ergò & anima humana, quæ est intellectiua substantia. Item, Necesse est dicere, animam intellectualem esse incorpoream subsistẽtem, incorruptibilem: Scotus contra, Non sunt, inquit, rationes patentes & necessariæ. Affirmat Chrysostomus, qui Philosophi de animæ immortalitate dubitent, eos addubitare, an in meridie sit dies: & credemus nos, viros & sanctissimos & modestissimos euidentiam, quam non habebant, fuisse ementitos? Atque Augustinus asseuerat, Philosophos quosdam naturali ratione animæ immortalitatem inuenisse: quãquam pauci, ait, idque ægrè inuenerunt. Præterea, Deus non deficit in necessarijs, ad vitã iuxta naturæ rationem benè & constanter instituendam. At vix homo potest vitam rectè & iustè instituere, nisi & Deum esse sentiat, & animos esse immortales: vix, inquam, aut certè nullo modo. Qui enim vel sine Deo fuêre, vel animum putarunt cum corpore interire, eos ferè perditissimis moribus fuisse memoriæ proditum est. Quam omninò rem Sapiens sapiẽter expressit. Nam simulatque impij illam opinionem induerunt, animos mori, consequenter de om-

2.con. gen. cap.79.

1.p.q.75. art.2.& 6.

Homi. 4. de proui.

Sapien. 2.

Psal.93.

Iob.35.

* 13. *de trinitate, cap.9. Mirum est Scotum hunc Augustini locum citauisse, vt opinionem suam confirmaret. Resurrectionem Augustinus ait non ratione, sed auctoritate teneri: at de immortalitate animæ contradicit. Nam & lib.de ci.Dei, 1. cap.22. scribit Platonem, qua mente immortalitatem animæ vidit, ne quis sibi mortem consciscaret, prohibendum iudicasse.*

omni bono futuræ vitæ desperantes, & nihil post mortem mali timentes, semetipsos tradiderũt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Post hæc, inquiunt, erimus tanquam si non fuerimus. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, &c. Et Augustinus Confess. lib.6. capit. postrem. Nisi credidissem, ait, restare post mortem animæ vitam & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit, Epicurus palmam in animo meo accepisset. De atheis autem cùm propheta illud posuisset, Non est Deus: statim subiunxit, Corrupti & abominabiles facti sunt, &c. Sic Iustinus in dialogo cum Thryphone: Eorum, inquit, sententia, qui Deum me atque te curare negant, quò spectet, non est difficile cognoscere. Impunitas enim & licentia faciendi & dicendi, quæ velint omnia, eos consequitur, qui nec supplicia metuant, nec beneficium vllum à Deo spectent. Diuinæ itaque procurationis fuit, vt in morum & vitæ necessaria regula duces naturæ ac magistros, non coniecturis & opinionibus imbueret, quæ huc atque illuc facilè traherentur, sed certa constantique ratione. Sic enim scriptum est, Qui docet hominem scientiã. Et iterum, Qui docet nos, super iumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos. Quòd si animantibus cæteris dati à natura sunt quidam instinctus, & quasi anticipatę cognitiones, non vagæ & instabiles, sed fixæ firmæque, vt ad bonum naturæ congruens rectà ferantur, retrahantur à noxio: cur in eorum saltem mentibus, quos naturæ auctor ad aliorum institutionem comparauit, inditas esse certas & constantes prænotiones inficiemur, sine quibus ad veritatem bonitatis non satis instructi informatique fuissent? Nec enim melior est belluarum cõditio, quam nostra. Nihil verò piget, eadem sæpè verba resumere. Hinc barbaræ etiam nationes pœnas improbos luere cum sapientibus consenserunt, atq; adeò animos esse immortales. Deus enim semper ea, quæ cuiq; naturæ necessaria sunt, prouidentissimè curat. Quis autem communes animi corruptiones incertas esse asseueret? Sed ais tandem. Quæ nam istæ rationes sunt necessariæ & euidentes, quæ Scoto & Caietano probabi-

Psal.13.

Pſal.93.

Iob.35.

Vide lib. 10.ca.4.

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Ethi. les & obscuræ visæ sunt? Dicam, si illud prius commemorauero, quod ab Aristotele prudentissimè dictum est, stultum esse æqualem in omnibus, certitudinem & euidentiam exigere. In naturalibus quippè disciplinis minor est, quàm in mathematicis: in moralibus minor est etiam, quàm in naturalibus. At in dispari certitudine tã stultus nemo est, quin scientiæ illis nomen impertiat. Syllogismi ergo illi & faciunt scire, & verè demonstrationes sunt, quibus & de natura & de moribus philosophamur: quamuis in eis rationibus nõ adeò magna aut necessitas aut euidentia insit. Prima igitur ratio demonstratiua auctore Chrysostomo est hæc: Qui animum esse mortalem, ait, is neget necesse est Deum humanarum rerum esse & procuratorem & iudicem. Si enim iusti mi grãt affecti iniurijs, improbi rerum omnium abundantia potiti, nec post mortem aut merces aut supplicium est, nulla certè est in cęlo pietas, quæ talia curet: nulla iustitia, quæ vel malos puniat, vel tribuat præmia bonis. Et cætera, quæ capite huius libri quarto latius persecutus sum.

Homil. 4. de prouidentia vel fato.

Respondet Scotus, argumentum hoc infirmius multò esse, quàm reliqua. Non enim, ait, ratione naturæ notum est, esse vnum rectorem hominum secundum leges iustitię retribuentem & punientem. Quæ responsio bifariam cõfirmari potest. Prius, quia Sapiens, cùm hoc eodem argumento vsus esset, huius rei ignorationẽ insciti am esse dixit sacramẽtorum Dei. Quòd si inter mysteria Dei censet & Dei prouidentiam & animorum immortalitatem, non est cur nos inter perspicua censeamus. Verba autem illius sic habent, Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorẽ animarum sanctarum. Posterius, quia Iustinus martyr & philosophus in lib. de Aristotelis reprehensione docet, gentes non scientia, quæ ad demonstrandum valet, de Deo creataque natura disputationes confeciſſe, sed probabili ratione suam explicasse sententiam. Et posteà, Hæc, inquit, satis etiam declarãt, verum esse, quod à nobis de gentium philosophis dictũ est, eos nõ scientia demonstrandi de naturis disseruisse, sed con-

Sapi. 2.

sed coniectura verisimiliq́ue ratione suam explicauisse sententiam. Adde his, quod D. Thomas hoc argumentum vbique gentium prętermisit, non prætermissurus, si certum & necessarium esset.

Verùm enimuerò nulla me huius generis argumenta mouere possunt, vt ab ea sententia discedam, quam Chrysostomo video placuisse. Habuit quippè pro re perspicua & constanti non alium negaturum, Deum esse hominum & gubernatorem & iudicẽ, nisi eum, qui dixisset in corde suo: Nõ est Deus. Sed quia hæc res suprà, vt dixi, manifesto argumento nobis demonstrata est, & accuratius est posteà demonstranda: satis nunc confectũ esse arbitramur, si rationem illam, quæ animę immortalitatem doceat, eò tandem ducere probauerimus, vt nõ possit Dei erga homines prouidentia iustitiaq́ue cõstare, nisi animę incorruptio consistat. Nam quod Scotus aliter eludi hanc ratiocinationem putat, perridiculum est. Vt admittamus, ait, Deum pro meritis & præmia bonis & malis supplicia retribuere: non exigua tamen improborum vindicta est culpæ turpitudo ipsa, cruciatus animi conscientiæq́ue flagellum.

C. 4. ad 7.

Abundè verò magna merces & præmium, fructus ipse virtutis, quo mirificè delectantur probi. In quam sententiam illud Augustini citat omniũ sermone cõtritum, Voluisti, domine, & ita est, vt omnis inordinatꝰ animus sibi ipsi sit pœna. Poterat & illud ex Apostolo afferre, Mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Quæ cùm dicit, parũ attentè considerat, in quos laqueos incurrat. Primum enim nodum illum explicet necesse est, si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Rom. 1.

1. Cor. 15.

Deinde, Propheta non existimauit quæstionem hanc expediri posse, nisi ad fines bonorum & malorum referretur, hoc est, ad nouissima, quæ probos improbosq; manerent. Ex præsentibus autem aut bonis aut malis illam non modò non solut, sed etiam implicari. Mei, inquit, moti sunt pedes, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, &c. Existimabam, vt cognoscerem: hoc labor est ante me, donec intelligã in nouissimis eorum.

Psal. 72.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quomodo facti sunt in desolationem, &c. Nec aliter aut Hieremias aut Abacuc huic quæstioni respondendum putauerunt. Quorum ego sensum libētius exponerem, nisi ad alia festinaret oratio.

Hiere.12. Abac.1. 23.

Prætereà, valdè restrictum Deum facimus, qui suis id solū in mercedis loco numeret, quòd animo æquo, imò verò etiam gaudenti ac libenti seruierunt. O præmium singulare, quod eripit spem futuri cuiusq; boni, quę sola, vt ait Cicero, hominem in miserijs consolatur. Quis enim dubitet, mortalium animos in arduis aduersisque rebus spe futurorum erigi & subleuari: frangi aūt & cōsidere, si cum omnium rerum desperatione confligant? Talē mihi remp. finge, vbi pessimi ciues metum omnē pœnæ & futurę vindicationis abijciant, optimi verò de spe futuræ gratiæ ac beneficij depellantur, & cùm nec probis lex adhibuerit calcaria, nec improbis frenos, ciuitas non dico benè morata, sed ne esse quidem poterit. Ita qui eam sine præmio pœnaq; constituit, hunc tu ipse stultissimum iudicabis. Quale ergo est eius reip. Deo procurationem administrationemq; tribuere, quā nemo vir sapiens sibi assignari pateretur? Demonstratum est igitur, animas esse immortales, tam euidenti & necessaria ratione, quæ refelli non valeat, nisi Deum facias aut improuidum esse & negligentē rerum hominis, aut eam stultè vrbem constituisse, in qua nullus supplicij timor sit, præmij expectatio nulla.

At Sapiēs ait, animorum incorruptionem ad Dei sacramenta pertinere. Primū id ego negare verè possum. Nec enim rem hanc ille in mysteria retulit, sed quòd via impiorum prosperetur, quòd vbique relinquant lętitiæ signa, quòd opprimant pauperē iustum, nec viduæ parcant, &c. Et in his omnibus Deus non taceat modò, verùm etiam probos duriter & acerbè, improbos contrà blandè & molliter tractare videatur. Hæc scilicet Dei sacramenta sunt, quæ humana ratio cōprehendit, aut vix aut nullo certè modo. Deinde sunt naturales res quędā in oculis omnium clarè positæ: aliæ latet in occulto tenebris densissimis circumfusæ. Quę naturæ mysteria rectissimè dixeris. In his fateor, animi immortalitas est, quæ

quę à paucis quidem, idq; difficulter, inuestigari tamen atq; inueniri potest, Iustini autem verba magna ex parte vera sunt, at vniuersas demonstrationes Philosophis eripere, tum absurdum est, tum Paulo etiam contrariū, quēadmodum refutando 7. argumēto patefiet. Nam D. Tho. eiusmodi argumētationibus vti non solet, quāuis sint liquidæ & exploratæ. Cauet enim ne argumentādo de genere in genus transeat, quod Arist. in demonstrādi arte docuit esse vitiosum. Constat verò in hac ratiocinatione à Dei prouidentia & iustitia ad animi incorruptionem transiliri, quæ in eodem genere non existunt. Verùm de prima demonstratione satis.

Secunda est huiusmodi, vt à proteruis refelli queat, à viris rectè instituris non queat. Eam verò in probatione quartæ propositionis postremā fecimus. Confirmat illā Cicero hunc in modū: Sicut satis probatur Deum esse, quia nulla natio tam fera est, quin Deū habēdum sciat, ita apud omnes gentes cōmuni consensu firmatum est, animos defunctorū interitu esse liberos. Quam omninò rem funeris cæremonijs testatam esse voluerunt. Nec enim eas corporibus impartirēt, nisi animos sacros esse ac diuinos in animum induxissent. Hinc verò, vt Cicero affirmat, mercedē funeris sepulturæq; constitui, nefas esse putarunt, & brutis animantibus huiusmodi honores negauerūt. Quas duas ratiōes sapiēs, vt mihi videre videor, perstrinxit. Vnam, cùm ait: Nec mercedem speraverunt iustitiæ: alteram, cùm subdit, Nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Sanè qui iudicat, vnum esse interitum hominum & iumentorum, is cum animū suum summa ignominia & dedecore afficiat, nō hominū ritu ac religiōe, sed sepultura asini sepeliendus erat: vt dignum haberet sua opinione & sentētia funus. Sed de secunda ratiōe hactenus. Tertiam significat magis scriptura, quā explicat, cū euestigiò subijcit, Quoniā Deus creauit hominē inexterminabilē, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Hominem quippè ad imaginem Dei esse factū, eò quòd natura intellectualis est, verti in dubium nō potest. Ex ea ergo parte homini corruptio conuenit, quia intellectū habet. Animum igitur, vnde

Lib. de senect. & Tuscu. q.

Sapien. 2.

Eccle. 3.

vnde homo intelligit,& similis Deo est, inexterminabilē esse oportet. Quę ratio, quoniā ex hominis natura & forma propria ducitur, atq; adeò nō ex alienis & extraneis, sed ex proprijs aptisq; principijs, diligētiùs nobis & illustranda & exponēda est. Id quod D. Tho. diuinè fecit: intelligebat enim hāc esse certā expeditamque viam, qua ad animi immortalitatē veniretur.

Primum igitur fundamentū huiusdemonstrationis est, formam omnem intellectualem esse subsistentē, hoc est, esse eius non à materia pendere. Hanc propositionē ostendit D. Tho. 2. con. gen. ca. 15. Quia intellectus non eget corpore sustinente; cū intellectio nec recipiatur in corpore, nec per corpus fiat. At dicis, Non eget corpore quidem tanquā subiectio, sed eget tanquam obiectio. Verùm hoc duobus modis manifestè refellitur. Primū enim animal non esset per se subsistens, quia indiget ad propriam operationē externis obiectis. Deinde id, quod per accidens alicui conuenit, non variat iudicium de natura rei. Vt lapis, qui in loco superiore detinetur, &c. Cū ergo anima intellectiua ex natura proprię operationis non sustentetur à corpore, consequens est, quod per se nō pendet ab illo. Quia actus nō potest per se à corpore nec omnes res sine discrimine intellectus perciperet, pendere, nisi tanquam à materia & subiecto, in quo recipitur. Vide S. Tho. in q. de ani. q. 14. & 2. contra gent. ca. 55. & 79. Certè si intellectio in corpore susciperetur, nec vniuersale cognosceret, sed solum singulare. Quòd si huiusmodi argumenta tibi euidētia non sunt, memēto nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neq; hic euidentiam mathematicam requirēdam. Sed iam tempus est, vt obiectiones oppositas repellamus.

Prima ergo sic repellitur. Fidei quęstionē duobus modis interpretari possum⁹, & ex natura sua, & quo ad nos. Ex natura sua illa fidei quæst. est, quę est à Deo ecclesiæ reuelata, quamuis à plerisq; ignoretur. Vt spiritū à patre filioque procedere, ipse spiritus apostolis reuelauit. Item, animas sanctorum, statim vt à corpore exierint, vidēt Deū. De quibus licuit olim variè sentire, & sine fi-

Hiero. perpetua constansq; sententia fuit,

licet erat planè ab ecclesia definita. Ita quo ad nos non

semper fidei quæstiones illæ sunt habitæ, sed salua fide viri quidam docti contrariam veritati sententiam tenuerunt. Quomodo asseruit Augustinus non esse fidei quæstionem, num anima rationalis ex traduce sit. Nunc autem cùm post ea tempora Theologorum fidelium q; omniū consensu firmatum sit, animum nō per generationem, sed per creationem existere, sine dubio ad fidē illa quæstio pertinet. Nec tamen si hoc fuit aliquando in controuersia positum, eadem de animæ immortalitate causa subest, quæ nunquam est à catholicis in dubium vocata. Sed de primo argumento satis.

animas in singulis corporib. creari singulas et quē post tota ecclesia secuta est. de eccl. do. c. 14. animas enim nō creari, sed exparē tū semine esse, Luciferi error fuit, vt Aug. refert de hære. c. 81. Ac certè cū dominus extēdēs cæli & fundās terrā, et fingens spiritū hominis, in eo nihil aliud significat, nisi ea opera à Deo ipso sine causa subiecta et subseruiēte patrari: quēadmodū Hieron. idē admonuit, vide Esa. 42 a. cap.

At secundo nil est difficile respondere. Cùm videamus, non solū sub infideli principe, quales Romani tūc erāt, sed sub imperatore catholico multos in Germania nunc publicè manifestas hæreses profiteri. Tantum refert principes habere, & fideles, & qui hæreticorum insolentissimam temeritatē coercere, tum velint, tum etiam possint. Præterquàm quòd vbi factiones sunt, ibi fauore partim, in repub. tolerantur, quid dico tolerantur? quæruntur, fouentur, stringuntur homines deterrimi ac sceleratissimi. Hoc in statu res Iudęorum publica cum esset, non est sanè mirandum, si Sadducæos ferret carnales populus, homines videlicet factiosos, qui & carni vsque adeò inseruirent, vt omnem spiritum esse negarent. Quē admodum autem gentes tales esse volebant Deos, quales ipsi etiam essent, nempè adulteros, bellatores, raptores, sic plebs vitijs corrupta eos vult habere religionis prędides, q non relegati sint, sed liberi, nō spiritus serui, sed mācipia carnis. Verùm in argumento facillimo refutando plura, quàm necesse erat verba cōsumpsimus.

Tertium verò breuissimè refellimus. Nam primum illud testimonium certissimè probare animorum immortalitatem ostensum est à nobis paulò antè. Secūdum etiā quantū momenti habeat, nunc nunc explicabamus. At tertium nulla respōsione eludi potest. Si enim homines animam non possunt occidere, corpus autem occidere possunt, certum est, animas nō cū corporibus interire. Item, si animas Deus mittit in gehennam, non ergo cū corpore moriuntur. Quartum denique Caietanus affir-

mat, probare quidē simpliciter animę immortalitatem, vnde Sadducæos de resurrectione vinceret, qui ideò negabāt mortuos resurgere, quia credebant cum corpore animam mori. Per synecdochen autē scriptura nomina Abraham, Isaac, & Iacob, pro animis eorū vsurpat. Quo loco Ambr. Catharinus eum, vt sępè aliàs, sine causa reprehendit. Coarguit enim Theophyla. imò verò Hiero. qui Caietano illius auctor sententiæ fuit. At D. Tho. expositio præclarior est. Non repugno. Nec D. Tho. solum illum locum sine figura intellexit, sed Chryso. Theoph. etiam atque Ambro. At dicis, Quomodo Abraham illo tempore viuus erat? Respondet Chrysost. quomodo Adam posteaquā de ligno vetito comedit, sententia tamē prolata mortuus erat, sic Abraham pollicitatione resurrectionis certissima viuus erat. Alioqui, quid sibi ecclesia vult, cùm ait: Regē cui omnia viuunt, & cui non pereunt corpora nostra? Ac de tertio argumēto hactenus.

Ho. 71. in Matth. de fide resurrectio.

Quartum aūt iam antè expeditum est. Diximus enim in 7. huius operis libro, sanctos veteres non tam humanas disciplinas, quàm diuinas literas coluisse. Quę causa fuit, vt in rebus naturę perobscuris ratione vulgari contenti essent, nec meliores requirerent. Conclusionū itaque naturalium à Philosophis petenda demōstratio est, præsertimq; à D. Tho. perfecto, mea sententia, Philosopho, cuius admirabilem naturam & ingenium cum gratia perfecisset, tum vbiq; alias, tum in libro contra gētes maximè quidquid expeti ab hominis ingenio poterat, id vnus videtur ad miraculum præstitisse.

Sed Scoto, Ianduno, Caietano, rationes probabiles visæ sunt, non item necessariæ. Scotus porrò & Ianduno, nam de Caie. dicam posteà, videntur demōstrationes Mathematicas quęsijsse. Si enim sapere ad sobrietatem vellent, & rei naturā, de qua disseritur, attentè perpenderent, sanè intelligerent, rationes, quæ animæ incorruptionem probant, non suadere, sed vincere, si non proteruum & repugnātem, at certè docilem hominem, & ad disciplinæ leges benè informatum.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM OMNIVM, QVAE IN HOC OPERE continentur, ordine alphabetico digestus.

A

Abraham non est mentitus pueris cùm dixisset, Spectate hic, ego & puer cū adorauerimus, reuertemur ad vos. 13. a

Abraham fuisse mentitum, ea ratione quod contra mentē dissimulādi causa locutus est, aliqui admittūt. 13. a

Actio & passio in vno eodemq; opere cōsiderari possunt. 10. a

Actus qui peccatum est, si in rerum mortalium ordine consideretur, ad causas naturaliter agentes ineptè quidem & absurdè reuocatur. 19. b

Actus humani in iustificatione impij, nihil aliud faciunt, quā disponere animam vt gratiā Dei iustitiamq; recipiat. 839.

Adam primum iacere vbi secundus sepultus est, publica rerū veterū memoria prodit. 301. b

Affectio animi optima facit, vt homo doctrinam Dei ad salutem necessariā, discernat ab errore contrario. 30. a

Alexander Tertius cùm iubet in testamentis duos vel tres solum testes à iudicibus exigi c. cum esses, de testamen. quomodo sit intelligēdus. 205. b

Alexāder voluit iudices etiam laicos in ecclesiæ patrimonio non secundum imperatorum leges, sed secundum statuta canonū de testamētis iudicare. 206. b

Alexander non impedit, quin principes seculares liberè possint plures, quàm duos vel tres testes in ciuium suorū testamētis exigere. 216. a

Aloysius Lipomannus historiam de vitis sanctorum edidit grauem. 335. a

Altare dicitur in quo effertur sacrificiū, sicut mēsa in qua editur cibus. 416. a

Ambrosius cùm ait Petrum amisisse fidem, nomen fidei pro fidelitate accipit, seu pro fidei confessione. 212. a.

Ambrosius non audet asserere Christū secundum humanitatem, aut in sapientia profecisse, aut quicquā penitus ignorasse. 446. b

Animæ immortalitatē ratione naturali demōstrari nō posse asse-

assercre erroneum est, ne dicam hæreticum. 455.a

Animam esse immortalem demonstratiuis rationibus ostẽditur. 457.b

Animam Christi ab instante cõceptionis Dei essentiam vidisse omnes Theologi definiunt. 440.a

Animus hominis naturaliter est immortalis & non ex dono gratuito. 454.b

Animum hominis non esse inpotentia materiæ, cæterorũ autem viuentium animas esse, Moyses manifestè indicat. 455.b

Annorum numerus ab egressione filiorũ Israel de Aegypto ad templum à Salomone inchoatum. 313.b

Annorum numerus omnium qui præfuerunt à Moyse ad Salomonem in veteris testamenti libris singulatim designatus est, quatuor exceptis, nempè Iosue, Sangar, Samuel, & Saul. 317.b

Antonius & Vincentius Valuacensis, non tam vera scribere curant, quàm ne nihil præteream, quod vbique scriptũ reperitur. 84.a

Apocalypsis librum à canonicis excipere, hæreticum est. 38.a

Apostatę in pœnas hęreticorum incurrunt. 377.b

Apostasia non est hęresis. 376.a

Apostoli maximis de causis alia quidem literis, alia autem viua voce prodidere. 95.b. 96.a b. & seq.

Apostoli tẽpore dominicę passionis Christi fidem non amiserunt. 129.a.b.

Apostoli exanimi perturbatione & ignorantia dubitauerunt. 386.b

Apostoli cum baptizarent in nomine Christi, non putandi sunt spiritus sancti, patrisque nomen omisisse. 208.a

Apostoli rationibus naturalibus multis in locis vsi sunt. 262.b

Ad apostolos spectantia quatenus ecclesiæ sacerdotes, hæc ad solos futuros sacerdotes referenda sunt. 209.b

Apostolos confirmatos fuisse in gratia, Theologi rectè colligunt, ex illis verbis ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, & c. 214.b

Apostolos Christi hæreseos insimulare stultitiæ est manifestæ. 386.b

Apostolorum nemo in legibus ecclesiæ ferendis poterat errare, successores verò illorũ possunt errare. 12 b

Ad apostolos primum pertinet, libros sacros probare, non sacros reijcere. 26.b

Arabes quidam fuêre qui dicerent animum natura esse mortalem, sed in nouissimo cùm corpore immortaliter suscitandum. 454.b

Arca in eo potissimum ecclesiæ Typus est, quòd extra eam nullus seruatus est. 137.b

Argumenta omnia, vel à ratione, vel ab authoritate ducuntur. 5.b. 6.a

Argumenta eorum, qui suadere conantur scripturam sacram non egere ecclesiæ approbatione, habentur. 22.a.b

Argumenta contra authoritatẽ scholasticorum. 31.b

Argumenta quę confirmant esse quicquam in religione nostra congruum & decens bipartita sunt. 444.b

Argumentis quæ posita sunt contra Machabæorum libros fit satis. 45.b. 46.a.b. & sequent.

Aristoteles cùm ait summum hominis bonum in contemplatione supremarum rerum consistere, errat, nam de præsentis vitæ felicitate loquitur. 261.b

Aristoteles euidentiam in disciplinis flagitat, vt rerum cognitio, neq; fallere possit, nec mutari. 247.a

Ars est dux certior, quàm antura. 344.a

Articulus fidei est, Deum in principio temporis cælum terramque creasse, non tamen est fidei articulus, mundum à Deo extitisse. 359.a

Auctoritas in Theologica disciplina primum locum tenet, ratio postremum, in reliquis verò disciplinis est ecõtra. 6.a

Auctor libri Regum interregnorum annis omissis eos tantum redegit in numerũ, quos intellexit, dum iudices administrarent, intercessisse. 317.a

Auctores aliqui ex iunioribus arbitrantur se posse probare, Deum etsi non per se, sed per alium tamen posse decipere. 10.a.b. & seq.

Auctores sacri quomodo se habeant circa vulgi opiniones falsas. 301.a

Auctores sacræ scripturæ aliquando loquuntur, vt vulgus solet loqui. 118.b

Auctores sacros in libris canonicis non semper diuino spiritu fuisse locutos aliquibus argumentis quidam nituntur probare, 76.b

Auctores sacri in libris canonicis singula quęque, siue magna seu parua spiritu sancto dictante locuti sunt. 10.a.b

Auctores sacri, quæ scripsere, in duplici sunt differentia. 72.a

Auctores sacri non habuerunt expressam & peculiarem reuelationem in singulas scripturæ

pturæ particulas: sed tamen singulas ex peculiari spiritus sancti instinctu afflatuq; scripserunt.71.a.

Auctores sacros post apostolos, & eos, qui ab apostolis probati sunt, non debemus expectare.162.

Auctores doctrinarū priscimagnam copiā diuitiarum doctissimis quibusq; suppeditauēre, fuerunt enim rerum inuentores. in proemio 1.li.

Auctores recentiores parauerūt rationem & viam, qua disciplinæ facilius traderentur. ibidem.

Auctores profani sunt non pauci, quorum ingenuitas & verecūdia sic celebrata est, vt nemo illos mendaces & in fingendo imprudentes existimauerit.335.b

Auctoribus sacris familiare est imaginum vocabula rebus per imagines significatis tribuere.409.b

Augustinus cùm ait cōcilia priora sæpè à posterioribus emēdari, loquitur de emendatione legum, non fidei.185.b

Augustinus, non fit quicquam ait, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.19.b

Auxilium speciale Dei necessariū est ad credendum.31.a

B

BAlaam & Caiphæ verba non quia ipsi dixerunt ad fidem spectāt, sed quia auctores sacri scripserunt. .353.b

Baptismus dictus fuit hostia ab antiquis, quia per illū Christo cōmorimur, & applicatur nobis hostia crucis.424.b

Baptismus in nomine Christi collatus nostro hoc tempore ratus ne sit? 207.b

Baptismi trina immersio per contrariam consuetudinem abolita est.102.b

Baptismi sacramentum an institutum fuerit ante passionem Christi non satis constat.243.a

Baptismum fuisse, collatum ab apostolis sub illis verbis. Ego te baptizo in nomine Christi, non est necesse sentire.207.b

Baruch à canone sacrarū scripturarum eximere, non solum temerariū, sed etiam erroneum est.36.a

Baruch propheta tanquā pars quędam Hieremię fuit à veterib. computata. 43.a.b

Berosos duos ponit, vnum Annianum & mēdacem, alterum verum.326.a.b

Berosos duos opponit in multis. 326.b.

Bucerus asserit tunc esse credendum ecclesiæ, cùm pronunciat secūdum scripturas rectè

rectè intellectas. 126.a

Bucerus errat turpiter, cùm ait, in synodum ecclesiæ non debere cogi nisi Dei filios. 152.a

Bucerus negat Christi animam fuisse à principio perfectam. 860.

C

CAietanus habet Deum nō esse auctorem peccati, vt sic, sed quatenus est pœna peccantis, vel alterius. 16.b

Caietanus fallitur in eo, quòd putat Danielis prophetiā nō potuisse ad idolum Antiochi referri.46.b

Caietanus arguitur de falsa intelligentia illius loci, Accedentem ad Deū oportet credere quia est, &c.356,b

Caietani error in sacrarum literarum expositione. 223.b

Caluinus ait eucharistiam, ideo à patribus sacrificium vocari, quia est exemplar & imago sacrificij. 417.a

Canones apostolorum non sunt cōputandi inter libros canonicos. 166.a

Canones Trulliani non habent ecclesiasticam auctoritatem 180. & seq.

Canonici iuris cognitio Theologo multum necessaria probatur. 251.a. b

Canonum sacrorum interpretibus Christus adesse creditur, cum canones in ecclesiæ vtilitatem per spiritū S. editi sint.254. b

Carion & eius historia Lutherū sapiunt.339.a

Causæ adiutrices nō eodē modo se habent omnes.430. b

Causarū duo genera, naturale & morale.19.b

Cēsores fidei admonēntur. 388.b

Chā Typ⁹ hęreticorū fuit.376 b

Chaldæi & Aegyptij non alios auctores historiæ approbabant, nisi qui sacerdotio fungerent, quos mentituros esse nullo modo existimabant.336.a

Christus non accepit testimoniū ab homine propter se, sed propter alios.29.a

Christus nullū vnq̄ verbū locutus est, ꝙ nō idem à spiritu sancto extiterit.80.b

Christus in cælo altaris sacrificium offert, non ad omnem effectū sanguinis, sed ad effectum sub certis speciebus & figuris definitum. 435.a

Christus est ecclesiæ saluator, nec tamē omnes, qui sunt in ecclesia, saluos facit.138.a

Christus & spiritus veritatis cū ecclesia vsq; in finem seculi permanebūt, sine quibus cōstare illa non potest.178.b

Christus quę dixit Petro vt prę-fecto ecclesię, ea ad successores illius sine vi aliqua pertinēt. 209.b

Christus eucharisticum sacrificium

cium, hoc est, gratiarū actionis obtulit. 407. a. b
Christus præcepit Apostolis, vt hostiam eucharistiæ in gratiarū actione offerrent. 209. b
Christus, quæ mandauit Apostolis, quia pastores ecclesiæ futuri erant, hæc ipsa Episcopis & pastoribus succedentibus ad literam esse mandata tenendum est. 209.
Christus ecclesiæ suæ librum signatū perpetuò aperuit. 368. a
Christus & Melchisedech in oblatione similis. 45. a
Christus non fuit gratia plenus ex parte, sed omnimodo, nulla ei quidem gratiæ perfectio aut plenitudo defuit. 442. a
Christus gratiam & veritatē accipit, vt ex eo gratia in oēs, & veritas emanarent. 442. b
Christus solus fuit testis oculatus in fidei negocio, omnes alij auriti. 443. a
Christus testis veritatis erat à patre destinatus, non solùm quia Deus, sed quia homo. 443. b
Christus quomodo proficiebat sapientia & gratia apud Deū & homines. 446. a
Christus passus est anno ætatis suæ 33. inchoato per tres menses & decem fortasse dies. 298. a
Christus primo anno post baptismum nō est publicè concionatus. 298. b
Christus secundum D. Thom. aliquo modo interius admiratus est. 301. a
Christi præceptum consiliúmue in quo differat à præcepto & consilio Pauli. 81. a
Christi corpus videtur, tangitur, frangitur, &c. cum species sacramētales videntur, tanguntur, &c. 168. a
Christi corpus frangitur manibus sacerdotum, & non solum sacramentum. 415. b
Christus in sacrificio altaris immolatur quotidiè pro nobis, & passio illius in mysterio traditur. 422. a
Christi sacrificium per sacramenta expiat nostra delicta, sicut principalis per adiuuantes causas proximas efficit. 422. b
Christi gratia & veritas omnes habebant gratiæ & veritatis effectus. 44[illegible]. b
Christi gratia & redemptio cōmendatur in eo, quod homo sua operatione est causæ aliquo modo, & redemptionis & sanctificationis propriæ. 428. a
Christi gloria ante passionem non fuit consummata, &, quicquid ei defuit ad absolutam hominis glorificationem, hoc per passionem meruit. 448. b
Christum passum fuisse 34 ætatis suæ anno defendi nulla ratio-

ratione potest. 289. a
Christum in cœna non suum corpus & sanguinem obtulisse, dixit quidam Episcopus in concilio Triden. qui propterea à patribus explosus fuit. 412. a
Christum nullam tristitiam habuisse in voluntate, sed in solo appetitu sensitiuo potest dici. 881
Christum habuisse in voluntate intellectuali maximam tristitiam probabile est. 881
Christum in cruce saltem non habuisse gaudium, quod ex Deo viso in voluntate necessariò nascitur probabiliter sustentari potest. 451. a
Clemens non omnes libros canonicos collegit, quos Apostoli verbo tenus ecclesiæ tradiderunt. 45. a
Clemens non omnes canones Apostolorum edidit, sed nonnulli à Græcis adiecti sunt. 44. b. 45. a
Cognitio naturæ manca quodammodo est, si nulla actio rerum sequatur. 345. b
Cognitio gratuita supponit cognitionem naturalē, quemadmodum gratia naturam. 456. a
Conclusionem aliquam Theologicam: si vel Ecclesia vel concilium, vt etiam sancti vna mente confecerint, & fidelibus præscripserint, hęc veritas Catholica censebitur. 350. b
ad Concilium vniuersale præcipuè pertinet definire, qui liber sit canonicus 27. b
Conciliorum aliud generale, aliud prouinciale, aliud verò Episcopale. 153. a
Concilium generale est, quod omnium Christianorum pontificum conuocatione & congregatione celebratur. ibidem.
Concilium prouinciale est, cùm à Metropolitano vel primate omnes vnius prouinciæ, aut etiam regni pontifices euocantur. 153. b
Concilium Episcopale est, quod ab Episcopis singulis in sua Diœcesi haberi solet. ibid.
Concilium generale quod auctoritate Romani pontificis nec congregatum nec confirmatum est, errare in fide potest. 154. a
Concilium generale etiam congregatum Romani pontificis auctoritate errare in fide potest. 155. a. 173. b
Concilium generale confirmatum authoritate Romani pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. 155. a. 370. a
Concilium prouinciale non confirmatum à summo pontifice errare in fide potest.
Concilium prouinciale summi.

pontificis authoritate firmatū in fide nequit errare. 157.a
Concilium prouinciale licet Episcopi Romani authoritas ei desit, probabile argumentum facit ad fidei dogmata suadenda.157.b
Concilium episcopale si à Romano pontifice in decretis fidei confirmetur, certum argumentum veritatis exhibet. 158.a.b
Cōcilium episcopale per se quidem in iudicio hæresis probabilem fidem facere potest, certam non potest.158.b
Concilium per legatos pontificis actum errare in fide posse aliqui asserunt, alij verò fatentur, concilium generale etiam antequam à summo pōtifice confirmetur, solidam certamque habere authoritatem.159.b
Concilium totum cum legatis posse errare nō est admittendum. 163. b
Concilium, aut pontificem maximum, diligētiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernendis omisisse non est admittendum.167.a
Concilium definire potest duplex conclusionū genus.168.b
Concilium summi pōtificis authoritate firmatum, minimè per aliud posterius emēdatur, sed illud, quod pōtificis confirmatione caret.185.a.b
Concilij & synodi nomen pastores & pōtifices in vnum locum cōgregatos vt causas definirent, quæ ad ecclesiæ fidem seu mores pertineret, complectitur.150. a.& seq.
Concilij generalis maioris partis iudicium, etiam si legati sequantur, non est certū, erit tamen si à summo pontifice confirmetur.162.b
Concilij patres in fidei causa non modò conciliarij sunt, verùm etiam iudices. 163.a
Concilia minimè frustra coguntur etiā si summus pontifex firmus in fidei causa iudex sit.185. b
Concilia & epistolæ pontificū certas notas habent, quibus internoscimus quando definiant.245.a
Conciliorum authoritas multis argumētis impugnatur. 148.a
Conciliorum definitiones nō pertinent ad sacram scripturam.165.a.148.b
Conciliorum & pōtificum iudicia, vt firma esse credātur, non sat est in diuino officio publicè à tota etiam ecclesia celebrari .169 b
Conciliorum certa in fide decreta quibus notis internosci queant.170.a
Conciliorum robur ab eo est, pro quo rogauit Christus ne deficeret fides eius.179.b.

Con-

Constantinum donasse vrbem Syluestro pontifici nō est certum.319.a
Constantini lepra.319.b
Constantini baptismum.ibid.
corpus & sanguis Christi in eucharistia à nobis offertur, nō tamen quia corpus viuum est, & sanguis in corpore est, sed quia illud mactatum, hic autem effusus in cruce.421.b
contrarietas quæ est mali & boni, eadem est veri & falsi. 12.b
creaturæ vox negationem habet intus inclusam, quę Christi supposito absolutè diuinitatem tollit.392.a
credo huic, Deus reuelauit motus à Deo immediatè per instinctum speciale.32.b
culpa interdum est alterius pœna.16.a
culpa condonatur hominibus per propriam fidem & charitatem, pœna verò non solùm per propriam, sed per alienā. 431. a

D.

DEcretis pontificijs duo distinguenda sunt, vnū est intentio conclusioque decreti, alterum quasi ratio & causa à pontifice reddita.219.a
Deo excæcare, indurare, decipere, hominum corda in odiū conuertere, .mproprie & figuratè tribuuntur triplici ratione.18.a
Deus tam alienus est à falsitate, quàm ab iniquitate.12.b
Deus mentiri nō potest, nec per se nec per alium, etiam de potentia absoluta.12. b
Deum posse mentiri ex ordinata potentia asserere hæreticum est.11.b
Deum mentiri vel fallere posse per administrum ex potentia ordinata, qui existimat, errat in fide turpissimè.ibid.
deus præcepit filijs Israël ne rederent Aegyptijs vasa, quæ ab ipsis commodatò accepe-rant.15.a
Deus non iussit filijs Israël, vt circumuenirent Aegyptios, sed vt vasa peterent commodato.15.a
deus in opere quocunque illius auctor est, quod est bonum, ab eo autem alienus, quod est malum.15.b.16.a
deus non decipit, deceptionem ipsam faciendo, sed permittendo vt fiat.16.a
deus indurare eum dicitur, quē molliri noluerit, excæcare etiam quem noluerit illuminare.16.a
deus earum pœnarum verè & propriè causa est, quæ solùm pœnæ sunt, non culpæ.16.b
deus rectè potest dici auctor esse operis mali, non quia est malum culpæ, sed malum pœnę, id est, Deus potest dici auctor

non malæ actionis, sed bonę passionis. 17.a
deus eodē omninò lumine malè affectum excæcare dicitur, benè institutum illuminare, eodemque beneficio indurare illum, hunc mollire. 18. a.b
deus est causa naturalis omnium notionum, moralis autem causa non est nec erroris, nec prauę cuiusque actionis. 19.b
deum bifariam possumus considerare, aut quia principium est finisque naturę, aut quia supra naturam est, & principium & finis. 358.a
deus si iudex hominū & rector est, fit vt præmia virtutibus parata habeat, & supplicia vitijs. 356.a
deum quomodo naturæ lumine agnoscimus esse, agnoscimus & esse remuneratorem inquirentium se. 357. b
deus humano more homines instituit, & erudit, hoc est, rationales rationibus. 365.a
deus in remissione peccati & misericors & iustus est, gratis enim & remittit peccata, & precio remittit tamen. 438. a
disciplina quęlibet duas habet partes, vnam in qua principia ipsa tanquam fundamenta statuuntur, alteram, in qua principijs positis conclusiones leguntur. 21.a
disciplina oīs humana ad Deū tanquam ad fontem & primum sapientiæ cuiusq; principium referenda est. 165.b
In disciplinis humanis duo vitia sūt maximè vitāda. 264.a
In disciplinis humanis viri doctissimi patresque nostri quid reprehendant damnentque. 286.a
discrimen duplex inter sacros auctores & summum pontificem patresque concilij reperitur. 163.a
distributio accommoda est ibi, spiritualis homo iudicat omnia, sicut & ibi, ille docebit vos omnē veritatem, & ibi etiā, vnctio docet vos de omnibus. 35.b
doctrina moralis nō minus exigitur ad pastum ouium Christi salutarem, quàm fidei disciplina. 172.a
doctrina fidei singulis hominibus necessaria vnicuique spiritum manentem in se habenti, per se fortè innotescit. 29.a
doctrina Euāgelica propriè nec hæresis, nec secta appellatur. 376.a
doctoris Christiani præcipuum institutum est, exhortari in doctrina sana, & eos, qui cōtradicunt, arguere. in proœmio. 1. lib.
doctores Ecclesiæ vniuersi quoniam diuino spiritu gubernantur, nequeunt in falsam fidei doctrinā venire. 130.a
doctores iuniores in sacrarum literarum expositione quid facere possūt & debeāt. 184.a
doctores Hebræorum multo studio cōtenderunt textū Hebraicum corrumpere. 60.b
dogma quodcunque fidei, vel ecclesia habuerit, vel concilium, vel summus pontifex fidelibus præscripserit, vel omnes sancti concordissimè tenuerint, nobis pro catholica veritate habendum est, quamuis nec apertè nec obscurè in scriptura sacra contineatur. 370.a.b
dolor voluntatis est propriè hominis tristitia, qui autē in solo appetitu sensitiuo reperitur, magis est animantis dolor, quàm hominis. 45.b
Driedo vehementer errauit, qui relicto Hieronymo & alijs probę fidei, aurē Beroso & alijs accōmodauit in Persarū regum gestis. 331.a
dubius in fide, an infidelis sit. 379.a.
dubitatio sine assensu atq; dissensu, nec error propriè est, nec fidei ex omni parte inimica.

E.

Ecclesia fidelium nunc viuentium scribere librum canonicum non pōt, sed definire quisnam liber sit canonicus, potest. 26.b
Ecclesia præsens docere eos, qui fidem susceperint, suo iure potest, quęcunq; fidei sunt. 27.a
Ecclesia quæ præcepta possit soluere, quę verò nō possit. 82.b
Ecclesia antiquior est, quàm scriptura, fidesque proinde ac religio sine scriptura constant. 94.b
Ecclesia non potest eximere fideles à traditionum vinculo, quas à Christo Apostoli acceperunt, nec illas contraria aliqua consuetudine abolere. 102.a
Ecclesia Gręcum nomen est, Latinè, conuocatio, seu concio dicitur. vnde Ecclesiastes, cōcionator. 116.b
Ecclesia est locus ipse, quo multitudo confluit, & ipsa multitudo. 117.a
Ecclesia conuocationem sonat, synagoga verò congregationem notat: congregari pecora solent, homines conuocari. ibid.
Ecclesia dupliciter potest dici: primùm ea, quā fidelium omnium ab initio mundi vsq; in finem congregatio consicit, secundò ea dicitur, quę in Christi nomine per baptismum cogitur. 117.b. 119.a.b
Ecclesia è quib. verè & propriè cōflctur. 69.a.b. & seq. & 138.a

Ecclesia in credendo non potest errare.124.a
ecclesia,quæ nunc est,quæúe futura est, in fide errare nō potest, sicut nec ecclesia antiqua.27.a.76.a. 143.a
ecclesia est immaculata in his, qui à crimine damnabili mūdi sunt, quamuis culpæ venialis nonnihil contrahant omnes.140.b
ecclesia nec debet nec potest appellari synagoga satanę.143.a
ecclesia vna manet mortuo summo pontifice, manca tamen & imminuta,& ideo licet spiritum habeat veritatis,iudicia illius in cōtrouersia fidei non adeò certa erunt.143.a
ecclesia catholica,id est, vniuersalis, nominatur propter cōmunem fidem, vniuersalemque doctrinam,& quia in toto orbe iuxta prophetarum edictiones diffusa est.145.a
ecclesia in morum doctrina eorū,qui ad salutē sunt necessarij errare non potest.172.a
ecclesia in re graui non potest toti populo iubere quicquā, quod Euangelio, aut rationi naturæ contrarium sit. 173.a
ecclesia in moribus, qui ad priuatos homines, vel ecclesias referuntur, errare per ignorantiam potest.175.b
ecclesia ne erret in canonizatione sanctorū Deo peculiariter prouidisse credēdus est. 175.b
ecclesia Christi custodit, custodietque semper scripturam & scripturæ intelligentiam, 367.b
ecclesia non haberet verū Dei Euangelium, atque adeò ne fidem Christi,si non haberet legitimū scripturę sacræ sensum.367.b
ecclesiæ auctoritas certa regula est ad determinandum quisnam liber sit canonicus.24.b
ecclesiæ auctoritas cum sacrarū literarum auctoritate cōnexa est, & per legem connexorum vtraq; in alterius probationem sumitur.34.a
ecclesiæ auctoritas non est ratio per se mouens credendum, sed causa, sine qua non crederemus.33.a
ecclesiæ illi omnes sunt partes, qui à baptismo Christi characterem habent, nisi post hę resim exteriorem publico ecclesiæ iudicio fuerint excisi. 118.a.144.b
ecclesiæ fides deficere non potest.123.a
ecclesiæ quæ futura erat post Apostolos Christus promisit spiritum veritatis , quē ipsis Apostolis promisit.124.a
ecclesiæ,quam Apostoli fundārūt,spiritus veritatis,cęteraq; spiritus sancti charismata & & promissa & data sunt.131.b
ecclesiæ decreta, quæ non certis & firmis principijs innitun tur, certa & firma esse non possunt.175.a
ecclesiæ Romanæ auctoritas multis argumētis impugnatur.187. a.b.& seq.
ecclesiæ publicum priuilegium fuit, quòd Petrus alijs confirmandis solidam fidē proponeret, nec in fidei iudicio deficeret.366.b
ecclesiæ Romanæ consuetudines aliæ sunt communes toti ecclesiæ , aliæ verò ipsi peculiares,illas ecclesiæ omnes tenentur amplecti,has nō tenentur.215.a.b
ecclesiæ intelligentia eadem est Germana scripturæ intelligentia.367.a.b
ecclesię societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit.431.a
ecclesiam manifestam esse &cognitam fidelibus necessum est.130.b.131.a
ecclesiastici scriptores si mentiantur,impudentes & impij sunt,quia ratio virtutis & bonæ fidei cognoscendę facilior est illis.335.b
editio vetus atque vulgata fidelibus est retinenda in his omnibus,quæ ad fidem & mores spectabunt.57.a.b.
editionem Latinam vulgatam corrigendam esse per Greca, Hebræaque exemplaria , aliqui intendunt probare. 56. a.b
Enunciationes loco interrogationum in iudicijs vsurpantur.20.a
Epiphanius in rerum gestarum temporumque ratione nullos graues auctores sequi solet , atque adeò in his interdum fallitur.207.b
episcopus Antiochenus si Petrus semper Antiochię sedisset , vt cœpit, legitimè illi in pōtificatu successisset. 210.b
episcopum Romanum esse, qui Petro in eadem auctoritate & potestate succedat,ex multis pontificum sanctorumque veterum , ac cōciliorum testimonijs clarissimis comprobatur.185.a.b.& seq.
episcopum Romanum in fidei controuersijs definiendis errare non posse, multis exactissimisque rationibus ostēditur,150,a.b
episcopum Romanum Petri successorē esse non constat per se ex sacris literis,sed ex grauissimis historijs.210.a
episcopi anulares sine causa aliquando in cōcilio sunt admissi.152.a
episcopi successęre Apostolis in potestate ordinaria , quam singuli in suis ecclesijs habuerunt,non tamen in potestate generali & extraordinaria.214.b
episcopos Romanos Petro succedere ab Apostolis , quasi

per manus traditum est ecclesiæ.211.b
Epistolam ad Hebræos inter canonicas nō reponere est hęreticum.37.a.50.a.b
Epistolam Iacobi inter canonicas nō referre,hęreticum est. 37.b.54.a
Epistolam secundam Petri,duas posteriores Ioannis,& illam aliam Iudæ in canonicis non annumerare,hæreticum censeatur.37.b.54.a.b
Erasmus quas tenebras super vniuersam terram factas scribit Euangelista,ipse super Iudæam tantùm, ignorans humanas historias, fusas intelligit.285.b
Erasmus licenter multū Hieronymū mendacio notat.332.b
Errare quid.379.a
Error duplex, alter personalis, alter verò iudicialis.205.a
essentia diuina nec gratia est nec generat.371 a
Euangelium Pauli non fuisset receptum, nisi auctoritate Petri & ecclesię non fuisset roboratum.25.b.28.b
Euangelium non in scripturis, sed in sensu,nō in superficie, sed in medulla, nō in verborum folijs, sed in radice rationis consistit.367.b.
Eucharistia sacrificij Christi exemplar non esset, nisi esset quoq; ipsa sacrificiū. 417.a. b
Eucharistia non modò sacrificium est, quo Deo gratiam referimus, sed id etiam est, quod nobis Deum placatum propitiumque reddit. 418.a
Eucharistia est sacrificiū gratiarum actionis & laudis. 411.b
eucharistiæ sacrificium quatuor partes habet,cōsecrationem, oblationem, fractionem,cōsumptionem.424.b
eucharistia inter omnia sacramenta solùm est sacrificium, quia in ipsa duntaxat corpus & sanguis Christi verè manent.438.b
Eusebius & veteres non satis explicant,quantum fuerit tempus prædicationis Christi. 300.a
Eusebij Cęsariēsis persona,chronicon,& historia ecclesiastica à Gelasio papa,& multis alijs notatur.338.a
Exēplaria Latina in his, quæ ad fidē & mores pertinent, non sunt per Hebraica vel Græca corrigenda 38.b.& seq.
explicatur caput primum de hęre.dubiꝰ in fide infidelis est. 380.b.
expositores quæ apponunt in margine, ea scriptorum vitio textui nonnunquam inserun tur.51.b

F.

FAlsum, absurdè in typum veritatis assumitur.14.a
Festus dies pro pascha solet in euangelio accipi. 399.b
Festum de quo meminit Ioannes cap.5. non erat Penteco. stes,licet Chrysosto. & Cyril. affirment. 300. b.
Fides non potest manere in solo vno, quia si vnus tantùm crederet, non crederet ecclesia.
Fides Romani pontificis interior non est ecclesiæ necessaria. 214.b
Fides se ipsa sola sine doctrina & ratione tutari non potest.
Fides immediatè auctoritate nititur, Theologia verò immediatè ratione. 348.a
Fides & Theologia non aliter se habēt,quàm habitus principiorum & scientia conclusionum.348.a
Fides innititur reuelationibus quas Apostoli & prophetæ ediderunt. 353.a
Fides non sequitur priuatas reuelationes, sed eas, quæ ad communem religionem attinent. 353. a
Fides cum natura non pugnat. 358. b
Fides rationem naturalem dirigit. 359.a
Fides non ad verba, sed ad sensa refertur. 367.b
Fidei quædam sunt,quæ omnes fideles explicitè credunt, quædam quæ soli maiores credere tenentur explicitè.32.a.146. a.b
Fidei ratio formalis non est ecclesiæ auctoritas.31.b
Fidei resolutio vltima fit in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum mouentem ad credendum. 32.a
Fedei ratio formalis, quæ est diuina veritas, reuelans non sufficit ad mouendum, nisi adsit Deus interiùs mouens. 32.a. b
Fidei dogmata siue Christus per se Apostolis reuelauerit, seu Spiritus sanctus post eius ascensionem, mutari nō possunt. 103.a
Fidei dogma non statim si quicquàm iuris canonici volumine continetur, credendum est.169.b.205.b
Fidei doctrina, non solùm illud est, quod Apostolis expressè reuelatum habetur, verum illud etiam,quod ex altera propositione reuelata, & altera certa in lumine naturali cōficitur.210.a
Fidei ratio formalis nō est ratio theologiæ formalis. 352. b
Fidei quę sunt,ea in duplici sunt differētia. 358.a
Fidei quodammodo aduersum est,quod sanę doctrinę aduersatur.365.b
Fidei habitum per dubitationē pertinacem amitti vehementer probabile est. 381.a
Figurata dictione multa, quæ

patri conueniũt, solent in totum transferri. 137.a
Filius Dei dicitur nescire diem iudicij, quia scire se dissimulat, nec vult alij reuelare. 447.b
Filij Dei non semper probi intelliguntur, sed ij quoq; interdum, qui bona paterna prodegerunt. 138.a
Finis est duplex, alius doctrinæ, alius doctoris. i. alius finis doctrinæ primarius, alius secundarius. 345. b
Flumen omnium verborum displicet quibus sententia deest in proemio. 2. lib.
Fractio & consumptio specierũ ad integritatem externi sacrificij pertinent. 851.
Fratres in scriptura, non modò germani, sed propinqui dicuntur. 293. b
Fratres vocat scriptura eos, qui sunt consobrini. 295.a
Fundamentum secundum metaphoram domus, idem est, q̃ seruata analogia corporis caput. 190.b

G

GElagius multos libellos recipit. 338.a
Gelasij papæ censura de historijs sanctorum. 334.a
Gens tam fera nulla est, quę nõ sciat Deum habendum. 356.a
Gentes tales esse volebant Deos quales ipsi etiam essent. 448.
Gratia suauior & effusior est quã natura, 428.b
Græca historia falsa creditur ante Olympiades, post Olympiades res verè gestas scribere orsi sunt Græci. 322.a
Græci nõ solùm schismatici, sed sunt etiam hæretici 151.a
Græci negant vnum totius ecclesiæ pastorem esse à Christo in beato Petro institutum. ibidem.
Græci multis locis vt scripturam ad suum sensum traherent, Nouum testamentum violarunt. 60.a.b
Gregorius primus & Gregor. tertius loquuntur de muliere quæ ante matrimonium erat impudens ad soluendum debitum. 208.a.b
Gregor. decimus ratione Theologiæ constanti demonstrauit Spiritum sanctum ex patre & filio tanquam ex vno principio vnaque aspiratione procedere. 371.a
Gregorius in dialogis & Beda in historia Anglorum quædam miracula scribunt, quęminus certa haberi possent. 337. b

H

HAbitus fidei in ordine ad Theologiam habet se vt habitus intellectus in ordine ad disciplinas humanas. 32.b
Hebræi historiæ humanæ penitus sunt ignari, quia nulla ex-

externi regni monumenta habent. 332.a
Heli idem fuisse qui & Ioachim pater virginis Mariæ quibusdam probabiliter quidem visum est. 292.b
Heli, Heliaquin, Ioachim, idem fere significant. 293.a
Hæreseos nota non est inurenda illis, qui tenent ecclesiam in aliqua lege & more posse errrare. 173.b
Hæresis secundum propriam hominis rationem sine pertinacia non constat. 381.a
Hæresis est error pertinax illius, qui professus fuit fidem, contrariusq; veritati, quę catholica certò sit. 375.
Hæresis & secta eadem res sunt. 735. b
Hęresis vnde dicta. 375.b & 379.b
Hæresis generale nomen est, sed contracto vocabulo hæresis dicitur secta seu diuisio, qua quis à communi se ecclesiæ fide seiungit. 375.b
Hæresis non incurrit ex verbis inordinatè prolatis, si error in fide absit. 378.a
Hęresis hęreticaq; propositio in mente eadem res sunt. 387.a
Hæresim constare posse sine pertinacia, aliqui doctores asserunt. 373. a
Hæreticus est, qui volens vnicuilibet dogmati assentitur, etiã cùm intelligat ecclesiæ fidei esse contrarium. 383.b
Hæreticus nõ est qui paratus est corrigi ab ecclesia. 384.a
Hæreticus nisi à perfecta & consummata hæresi nullus nominabitur. 385. b
Hæreticus vt quispiam constituatur, quæ necessaria sint. 387.b
Hæretica propositio dicitur, quæ hæresim interiorem enũciat, illiusque est omnino signũ. 387.a
Hæretici non sunt partes ecclesiæ. 117.b
Hęretici spiritũ veritatis concedunt ecclesię sanctorũ, ecclesię verò quę malos habet pmixtos non concedunt 130.b
Herodes Romam vocatus, vt accusationi filiorum responderet, distulit necem Innocentium. 297.a
Hieronymus nõ est regula ecclesiæ in libris canonicis decernendis. 44.a
Hieronymus risit Adami sepulturam in loco caluarij. 301.a
Hierusalem ab Aram centum septuaginta duabus Parasangis Persicis & Hispanis, Ab Vr verò Chaldæorum 212. distat. 297.b
Historia etsi ad narrandum non ad probandum scripta sit, aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter ferè, nam aliquando etiam necessariè 292.a
Historia non solùm ecclesiasti-

ſtica,'ſed etiã ethnica Theologo contra aduerſarios fidei vtiliſſima eſt.286.a
Hiſtorię cognitio Theologo neceſſaria multum. 284.a
Hiſtoria Socratis Scholaſtici nõ placet auctori.340.b
Hiſtoriæ humanæ auctoritas multis argumentis impugnatur. 287. a
Hiſtoriæ veritatis ſignum certum eſt,ſi de eiſdẽ rebus eadẽ omnes conſcribunt. 292. a
Hiſtoriæ vſurpatio & appobatio non eſt idem. 318.b
Hiſtoriam Sozomeni improbauit D.Grego. 339.b
Hiſtoriam eſſe vtilem Theologo vſus clariſſimorum virorũ confirmat. 286.a
Hiſtorias ſcribentes ſanctorum, res humanas ab ipſis alienas fore non cenſeant,ſed ſicut euangeliſtæ, nec affectus naturæ imbecilliores,nec caſus etiam grauiores diſſimulent.355.a
Hiſtoricus certus eſſe non poteſt ad faciendam certã Theologiæ fidẽ præter auctores ſacros.291. a
Hiſtorico debemus fidẽ, cui auctoritatem tribuit eccleſia, cui autem eccleſia derogat fidem & nos ſimiliter. 337.b
Hiſtorici graues ac fide digni probabile argumẽtum Theologo ſuppeditant. 291.a
Hiſtorici omnes in eandem rem geſtam concurrentes certum argumẽtum faciũt, vt Theologiæ dogmata firma etiam ratione conſtituantur 291.b
Hiſtorici gentium veraciores fuerunt, quàm multi ex noſtris.333.a
Hiſtorici illi præponendi ſunt, qui ingenij ſeueritati quandam prudentiam adiungunt, & ad eligendum, & ad iudicandum. 336.a
Homo non ſolùm vitales operationes per gratiæ formam, & virtutes in ſe edit,ſed ad vitam ipſam capiendam ſua ſe actione parat, & viuendi ſibi cauſa eſt.428.b
Homo in ſui generatione Dei adiutor exiſtit,quoniam prę. parationes viuificantis gratiæ in ſe efficit 428.b
Homo in ſe facit actus fidei, ſpei, & charitatis,quib. Deus vtitur ad animum viuificandum gratuitò, quamuis & ſupernaturali auxilio permotus. ibidem.
Homo licet cauſa gratiæ, nõ ſit, cauſa tamẽ ſibi eſt,vt per gratiam viuat. 429.a
Homo tunc ſecundùm animam dicitur eſſe in cælo, cùm videt Deum. 869.
Hominem peccare in eo, quod Deo præcipiente agit, cum recta ratione pugnat. 19.a
Homines eo ingenio ſunt, vt mẽtiri poſſint. 12.b

Ho-

Homines boni & ſi pauci ſint, plus valent,vt plebs bona ſit, quàm multi mali vt nominetur mala. 143.a

I

IAcob in illis vesbis, Ego ſum primogenitus tuus Eſau, &c. ſecundum aliquos mẽtitus eſt, ſed matre conſulente,non Deo reuelante. 13.b
Iacob cùm præripuit fratri benedictionem,fidem gentium prænotauit. 14.a
Iacob & eſt vetè primogenitus ſecundũ carnẽ & primogenitus ſecundum ius. ibidem.
Iacobus frater Dòmini vocatus,non fuit filius Ioſeph,niſi illum duas ſimul vxores habuiſſe, nulla ratione contendas. 249.b
Ieiunium quadrageſimale apoſtolicum inſtitutum eſt. 102.
Ieſu epiſtola ad Abagarum regem.338.a
Imperandi verbum an ſemper præceptum aut conſiliũ ſecũ ferat.15.a
Incitamenta aliqua exteriora & humana neceſſaria ſunt iuxta communem legem, vt in euangelij fidem iudicamur. 30. b
Infidelitatis ſpecies quot ſint. 384. b
Interpretatio quæ apponitur retentis vocibus Hebraicis,pertineát ne ad ſacram ſcripturam 52.a
Interpres Machabæorum veniã petit, non falſitatis, ſed elocutionis. 46.b
Interpres verbis Hebraicis retentis iure ſuo poteſt interpretationem apponere, quod facere poterat verbis Hebraicis non retentis.52.a
Interpres non eſt aſtrictus,eaſdẽ omninò res, quæ in Hebræo habentur,ſemper in Græcum Latinumq; conuertere,ſi ſenſus idem manet.70.b
Interpres editionis vulgatæ habuit ſpiritũ quendam ꝓphetico vicinũ & proximũ. 71.b
Inſtrumẽtum à ſanis obſignatũ teſtamentum dicitur.53.b
Ioannes euangeliſta quare non dixit, aut filium,aut vitã,aut lucem,ſed verbum caro factũ eſſe.441.a
Ioannis locus ille,Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum,triplici explicatione optimè exponitur. 90.a
Ioannes Vergara canonicus Toletanus Græcæ & Latinę linguę peritiſſimus. 331.a
Ionas nolebat Niniue ſubuerſionem prænũciare, eò quòd diuinam putabat miſericordiã Niniuitis pœnitentibus eſſe flectendam.14.b
Ioſeph non eſſe mentitũ in illis verbis, Per ſalutẽ Pharaonis exploratores eſtis vos, &c. aſſerit D. Aug. accepit enim verbum, eſtis, pro verbo habemi-

bemini.19.b
Ioseph aliã prẽter Mariam habuisse vxorẽ cõiectatur, quia aliqui in euangelio fratres Domini vocantur. 294. a
Ioseph cùm Mariam coniugem accepit, octoginta fuisse annorum Epiphanius nõ semel astruit.294.b
Ioseph & Cleophas erant fratres secundum Egesippũ. ibidem.
Ioseph egregius historicꝰ à multis laudatur. 341.a
Is longissimè abest à vera disciplina, qui Deum non prænouerit procuratorem esse rerum humanarum, atque adeò hominum rectorem & iudicem. 356.a
Iudaico ritu gratias Deo agere calicem in manibus accipiendo & leuando, verè est hostiam gratiarum actionis offerre. 412. a
Iudæi habebant verba quædam vel Chaldaica, vel Syriaca, quæ potuerunt commodè in linguam Hebræam verti.
Iudicem viuum oportet in ecclesia esse, qui fidei controuersias decidere possit. 26.b
Iudices ecclesiastici meritò eos omnes hæreseos nomine cõdemnant, qui de dogmate catholico dubitarint. 381.
Iudices tunc de hæresi tutò pronunciabunt, cum error circa ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari.388.b
Iudices de errantis pertinacia dubitantes duas res transigere debent. 389.
Iudicium de scripturis per scripturas ipsas idoneum esse nõ potest. 28.b
Iudicium de scripturis canonicis ad priuatos reipublicæ ciues non pertinet. 24.a
Iulij Aphricani de temporibus quinque volumina.341.a
Iuniores aliqui arbitrantur se persuadere posse aliquando Deum humano angelicóue ministerio homines fefelliſſe, non seipso tamen. 9.b
Iuris canonici cognitio Theologo necessaria probatur. 251. a
Iuris consultorum auctoritate non eget Theologus in his quæ ad fidẽ pertinent. 253.b
Iuris consultos modo primum locũ tenere in negotio cognitionis fidei, Theologos verò postremum non videtur quonam consilio fit. 254.b
Iuris consultorum auctoritas Theologo parum confert in his, quæ ad mores pertinent, de quibus lex euangelica vel ratio philosophiæ prescribit. 254.a
Iuris peritorum omnium concors sententia fidem facit Theologo cùm de moribus ecclesiæ & religionis institutis per leges tantum pontificum decernitur, &c. 255.

L

LAtinus fulgor & gloria Græciæ claritatem obscurauit.335.b
Legatum vetus testamentum erat signatum à viuo, sed apertum moriente Christo.53.b
Leges ecclesiæ non omnes pertendæ sunt à iuris voluminibus, in quo multi falluntur. 377.b
Leges ecclesiæ multæ sunt, quas non scriptura, sed vsus inseruit.377.b
Lex de hæretico denunciando, quamuis occulto, fraternæ correctionis legem non violat.376.b
Libri sacri appellãtur, quos Spiritu sancto dictante sacri auctores exceperunt.8.
Librum esse huius aut illius scriptoris non admodum interest catholicæ fidei, dummodò Spiritus sanctus auctor esse credatur.49.a
Liber qui sub antiquitãtis nomine profertur maximè, maximè debet viro prudenti suspectus esse.331.b
Libellos Adam Enoch, & Noe, noluit recipere ecclesia.331.a
Libri lintei apud Romanos fuêre quondam.34.a
Libros profanos redarguit, & quos contra istos nonnulli edunt mysteriorum ecclesię plenos.336.b
Linguarum peritia vtilis est ad explicandas dictiones illas, quæ magnam emphasin habent.71.b
Linguarum est alia vtilitas ad accipiendos plures sensus catholicos ex eadem scriptura.72.a
Linguarum quarta vtilitas est, ad cognoscenda idiomata phrases & prouerbia linguę alienæ.72.b
Linguarum quinta commoditas est, ad menda ea corrigẽda, quæ ex incuria typographorum, aut eorum qui scripsêre imperitia, obrepserũt. 73.a
Linguarum sexta vtilitas est ad intelligenda quædam loca, quæ ab interprete apertius reddi poterant, quæ vel sine linguarum cognitione nequeunt explicari.75.a
Linguarum septima vtilitas est, ad euitandum errorem ex Latini sermonis amphibologia.75.a
Linguarum alia vtilitas est, ad quædam vocabula vel Hebraica vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt.75.b
Literæ sacræ etiamnum non continent expresè omnia, quæ ad doctrinam Christianam pertinent.77.b

Literæ sacræ multa, quæ ad Christianorum doctrinam & fidem pertinent, nec aperte neque obscurè continent. 77.b.78.a

Literarum sacrarum consuetudo est, eundem omninò populum nunc propter iustos fœlicem dicere, nunc propter improbos miserum & infœlicem. 142.b

De Luengas vias luengas mentiras. 334.b

Lutherani aliquando asseruerunt sacram scripturam per se cuique habenti Spiritus sancti & fidei lumē esse manifestam. 21.b

Lutherani vna ferè sola asseuerandi audacia vtuntur. 32.b

Lutherani putant nullū dogma posse traditione probari. 90.b

Lutherani nullam in ecclesia legem esse volunt, per quam scripturæ sensa finiātur prę. ter rationē propriam. 92.b

Lutherani nec suas nec Magistri possunt ineptias deprehendere, nec nos cum illis disserendo aliud possumus quàm tempus & operam ludere. 92.b

Lutherani asserunt sacras literas vnum solum habere sensum, illumque in promptu cuique sine magistro docente patere. 93.a

Lutheranorum sententia refellitur multis rationibus. 93.a

Lutherani sanctorum auctoritatem multis argumentis expugnare contendunt.

Lutherani ne quando à discipulis errores sectæ absurdissimi deprehendātur, cupiunt eos ab omni ratione cognoscendi seuocare. 259.a

Lutherani nituntur probare eucharistiam non esse sacrificium. 403.b & seq.

Lutherani perperam sacrificiū definierunt, quòd sit ęremonia vel opus à nobis Deo redditum, vt eum honore afficiamus. 408.b

Lutherani duas proximas sacrificij species esse asserunt, & non plures. 410.a

Lutherani sacerdotium nostrū Turcarum more informare cupiunt. 416.a

Lutherani eucharistiā percipientes nō item offerentes Domini cœnam agunt, sacrificium crucis non agunt. 413.a

Lutherani Ministri Antichristi iure dicuntur, qui sicut & ille faciet, iūge sacrificiū ecclesiæ tollunt. 416.b

Lutherani non omninò negant sacrificium, sed in eo, quod pro peccatis dicitur offerri, Christum volentes magnificare, qui semel oblatus omnia remiserit peccata. 417.b

Lutherus asseruit Philosophiam esse Theologo inutilem & noxiam, omnesque disciplinas

plinas speculatiuas errores esse. 258.b

Luthero data est clauis putei abyssi, vt errores ibi demersos erueret. 136.b

Lumine naturæ errantes non minus à Deo falleremur, quā si per fidei lumen erraremus, vtrumque enim lumen à Deo est. 265.b

Luminis naturalis inuestigationem & argumenta repellere, non modò stultum est, verùm etiam impium.

Lux diuina per se quidem ad videndum editur, sed per occasionem in eo cæcitatem efficit, qui prauè affectos habet oculos. 18.b

M

MAchumetus omnem disputationis aditū suis edita lege præclusit. 92.b

Magi, qui Christum adorauerūt, fuerint ne reges an non, parū interest. 295.b

Magi Christum. 13. die ex qua natus est, adorauerunt. 296.a

Marcus Euangelista in illo quod scripsit hora tertia dominum crucifixum, quo pacto vendicandus sit à falsitate. 384.a

Maria Magorum oblationem in quo consumpsit. 296.b

Matrimonij materiam & formā, & an matrimonium confe-

rat gratiam inconstanter & variè affirmant Theologi. 245.a

Matrimonium sine ministro ecclesiæ contractū an sit sacramentum. 245.a

Matrimonium, quod inter absentes per literas & procuratores contrahitur, non est sacramentum. 246.b

Matrimonium sine ministro ecclesiæ contractum non esse sacramentum multis rationibus probatur. 247.a

Matrimonij ministri, vir & fœmina contrahētes non sunt. 247.a

Melchisedech panem & vinum obtulisse Deo in sacrificium, quomodo colligatur ex. 14. capit. Gene. 414.b

Mendacium emanaret à fonte veritatis, si quispiam Deo auctore falleretur. 12.b

Mendacium dicere, sicut & facere malum cum natura stabili immobiliq; pugnat. 12.b

Mentiri est asserere falsum animo fallendi. 11.a

Metaphoram & figuram imaginemque rerum trahi, nisi à rebus vicinis & similibus minimè consentaneum est. 14.a

Methasthenem Annij historicū repellit auctor. 328.a

Micca Hebręis est oblatio. 416.a

Ministri & sacramenti & sacrificij altaris, sunt causæ ad modum,

dum, quo qui applicat ignem ad stipulam causa est. 430.b
Missæ valor infinitus est quo ad sufficientiã, non autem quo ad efficientiam. 437.a
Missam ex traditione Apostolorum habemus. 416.a
Missam esse sacrificium probatur auctoritate ecclesiæ, conciliorum, pontificum, & sanctorum. 416.b
Moyses præceptũ accepit à Deo, vt legem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ministro suo Iosue reuelaret. 96.a
Moyses fuit sacerdos. 151.a

N

NEmrot translatum à dijs dixit Berosus. 326.b
Noe præter tres primores filios plures genuisse post diluuiũ asserit Berosus Annianus cõtra sacras literas, vt videtur. 326.b
Noe cum iaceret ebrius carmine magico à Cham filio sterilis effectus est secundum Berosum, esseqũe lanum, &c. 326.b
Nomina quædam sunt, quæ si in eadem lingua alijs verbis explicentur, nihil absurdum orietur, quod in nominibus Benoni & Melchisedech euenire potuit. 52.a
Nomen generis speciei illi absolutè tribuere, quæ est in eo genere imperfectissima, in more sermoneq̃ue maiorum positum est. 391.a
Numerus locorum Theologicorum denarius est. 6.b
Numeri deprauati reperiuntur in historia sacra & prophana. 311.b
Nuptias in Cana non fuisse factas anno integro post baptismum elapso nõ sine causa aliqui putant. 298.a

O

OBlatio corporis & sanguinis Christi, quam missam & sacrificium appellamus, ex Apostolorum traditione habetur. 416.a
Oblatio duplex, vna vniuersalis, altera particularis. 421.a
Offerentes sacrificium non minorem partem accipiunt, si pro pluribus, ac si pro vno duntaxat offerretur. 436.b
Non offerentes non accipiunt æqualem partem, si pro plurib̃us, ac si pro vno tantùm offeretur. 436.q
Offerentes sunt adiutores, auditoresq; missarum, hi etiam qui sacerdoti alimenta ministrant, vel quoquo modo sacrificio inseruiunt. 437.a
Offerentium quisque pro sua deuotione partem capit sacrificij altaris. 437.a
Operationes humanę sunt, quę in propria gratia & meritis nituntur, aliæ verò sunt, quę non à nobis efficacitatem habent, sed prorsus à Christo. 430.a
operosum & arduum est simul in Theologiæ controuersijs. & elegans dicendi & argutum disputandi genus obseruare. 7.b
opus idem si quatenus pœna est ad Deum, quatenus est culpa ad satanam auctorem referamus, nihil absurdi est. 15.
ordines à summo pontifice approbari, vel refelli non pertinet ad ea, in quibus ipse errare non potest. 175.b
oriens in sacris accipitur pro terris, quæ orientales ad illã sint, in qua sunt, qui loquuntur. 297.b
Osiander & alij catholici contendunt, quod de duobus patribus Ioseph naturali & legali refertur cõmentum esse. 190.a
ouis nomen plerunque pro iustis & bonis accipitur, nõnunquam etiam pro malis & improbis. 138.b
ouile Christi aliquando pro solis probis iustisque accipitur. 138.b

P.

PActum veritatis cũ ecclesia initum ad pastores & doctores ipsius tandem referendum est. 177.a
Parabolæ aliud in medulla, aliud in superficie pollicẽtur. 73.a
Passio non potest esse honesta, sicut nec actio, quãdo vnum peccatum est pœna alterius. 17.a
Pastores ecclesiæ non propter maiorem sapientiam firmi in fide & doctrina sunt, sed propter peculiarem Christi procurationem. 176.b
Pater, quas Christus per se fundit preces, omni tempore & loco exaudit: at quas offert per homines, nõ semper exaudit. 435.a
Patres veteres in locutionibus, quæ actionem Dei sonare videntur circa duritiem cæcitatem errores & peccata, solam permissionem agnoscũt. 18.a
Patriarchæ duodecim sepulti sunt in Sichen, non autem in Hebron. 88.b
Paulus semen Abrahæ vocat populum gentium, eundemq̃ue fratrem appellat minorem. 14.b
Peccatum collocatur in genere & specie vno modo formaliter & directè, altero modo materialiter & reductiuè. 385.a.
Peccati vox pro pœna peccati sæpè vsurpatur. 424.a
Pœnitentiæ sacramenti institutio præ-

tio præceptum q́ue confessio nis conficit synodus Cõplutensis ex illo, quorum remiseritis peccata, &c.371.b
Pertinax ille est, qui nimis in errore permanet, falsam sentẽtiam mordicus tenet, arcteq; defendit.382.b.
Petrus Apostolus vt caput ecclesiæ, ita fundamentum est. 191.a
Petrus cùm Ecclesiam docebat & oues in fide firmabat, errare non potuit.191.b
Petrus si posset oues Christi falsis erroribus pascere, non esset à Christo ecclesiæ prouisum.192.a
Petrus dominicis oraculis commonitus è ciuitate Antiochena Romam emigrauit, cathedramq́ue inde rranstulit. 212.a
Petri priuilegium fuit, vt eius ne personalis quidem fides deficere posset.212.b
Petro & successoribus eius primũ firmã certamq́ue doctrinam asserere debemus, mox verò ecclesiæ Romanæ.205.a
Petro data est potestas non minus ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata.191.b
Petro intelliguntur esse cõmissi, quicunque fidei sacramentum habent.193.a
Petrus significantissimis verbis patefacit, quando Apostoli gloriã, quasi vnigeniti à patre viderint.441.a
Petrum Apostolum Christus instituit pastorem Ecclesię vniuersalis.191.
In Petro aliud est, quod spectat ad priuatam hominis excellentiam: aliud, quod pertinet ad ecclesiæ vtilitatem. 214.a
Petrum Romæ & collocasse sedem, & pro Christo martyrij gloria coronatum esse omnes graues historiæ tradunt. 291.b.
Philones duo fuerunt, vnus Philosophus & Theologus grauissimus, alius historicus & mendax.324.b
Philonis auctoritas magna fuit, sed breuiarium temporũ, & libellus alter de antiquitatibus, Philonis non fuerunt. 340.b
Philosophia non est meretrix vaga & garrula, &c. sed Thamar, quę causa prolis sedit in triuio.269.a
Philosophia vera est rerum humanarum ac diuinarum, terrestrium atque cęlestium scientia.269.b
Philosophia circa fidei veritatẽ quomodo se habeat.
Plato voluptatem appellat escã malorum.269.a
Plato asserit animos esse immortales, vt saltem aliquando virtutis præmiũ viri probi recipiant.356.a
Plato tradit sacerdotes magna claritate oportere abundare, propter eorum, quæ tractant magnitudinem. 415.b
Pontifex summus tantam in ecclesia habet auctoritatem, quãta ad continendos Christianæ Reip. ciues in fide, religione, & officio est necessaria.184.a
Põtifex summus potest esse hęreticus.214.a.
Pontifex Romanus non fuit hęres priuilegiorum Petri propriorum, sed successit in his, quæ spectabant ad ecclesiæ communes & necessarias cõmoditates. ibidem
Pontifex summus non tenetur amplecti cõcilij maioris partis sententiam.164.a
Pontifex summus nusquam cõtra patres concilij benè sentientes dixit.164.b
Pontifex & concilium in fidei finitionibus diligentiam sufficientem tenentur adhibere. 165.a
Pontifex & cõcilij patres, quod in se est, pręstant semper cùm de fide pronunciant.167.a
Pontifex summus & concilium, qua nam via in fidei iudicijs procedant, & quæ pontifici, concilioq́ue tribuenda sunt. 169.a
Pontificem summum fideles iudicare possunt in solo casu hæresis..214.a.
Ad pontificem summum pertinet definire, qui nam liber sit canonicus.28.a
Pontifices respondent sæpè ad priuatas quæstiones suam opinionem de rebus explicandis exponendo, non autem sententiam ferendo.207.b.
Pontifices Romani cùm edunt libros de re qualibet, nõ tanquam iudices de fide pronunciant. 209.a.
Pontifices aliqui inciderunt in hæresim.
Populus ludæorum Machabæis ducatum tradidit, non tanquam proprium & hæreditarium, sed ad legem depositi conseruandum.48.a
Potentia diuina absoluta diffiniri solet circa eas res, quæ non implicant contradictionem.11.a
Potentia diuina ordinata diffinitur circa ea, quæ esse possunt salua lege statutisq́ue diuinis. ibid.
Præceptum vulgò datum de hęretico denunciando pudentia plenum est.386.a
Præceptum in sacris libris pro lege & ordinatione quandoque accipitur.19.a
Præceptum domini, seu consiliũ Paulus vocat, quod Christus ore proprio præcepit in Euãgelio, vel consuluit.81.a
Præcepta, quæ in sacris literis

ſcripta ſunt, quædam à Chriſto Apoſtoli acceperunt gentibus euulganda, altera ipſi Apoſtoli populis tradiderũt, illa non poteſt eccleſia ſoluere, iſta poteſt. 83
Præcepta & inſtituta Apoſtolorum quædam temporaria fuêre, alia verò ꝑpetua. 102. a
Præcepta tria ponuntur, ad argumenta Theologiæ inuenienda, atque è ſuis locis deducenda. 398. a
Præcepto diuino id fieri dicitur, quod ordine iuſtitiæ diuinæ fit. 19. a
Presbyteri dicuntur ſacerdotes id eſt, ſeniores, quoniam etiã apud gentiles, non niſi in regibus vel ſenioribus ſacerdotium reſidebat. 420. a
Principes & præfecti eccleſiaſtici, eccleſia appellãtur & ſunt. 123. a
Principes & optimates ſoli erga Deum habebant olim cæremoniarum facultatem. 415. b
Principia diſciplinarum bipartita ſunt. 21. a
Principia diſciplinarum quædam ſimpliciter ſunt prima, alia ſunt prꝛcipua quidem & immediata, ſed contractiora. 354. a.
Principia hæc Deus eſt, & eſt remunerator inquirentium ſe, tanquam prima credibilia omnes fidei articulos implicite in ſe continent. 364. b
Profeſſores Chriſtianæ doctrinę duabus quaſi perſonis induti ſunt. 259. b
Prolixitas vtilitate pẽſatur. 8
Prophetæ intelligebant, quę nã prophetiæ eſſent cõminatoriæ, quapropter minimè fallebantur. 14. b
Propoſitionum, quæ ad fidem attinent duo gradus generales collocantur. 366. a
Propoſitio erronea ab hęretica, non modò cogitatione, ſed re etiam ſeparatur. 390. b
Propoſitio erronea eſt error, qui minus quiddam, quàm aperta hæreſis catholicæ doctrinæ contrarius. 391. b
Propoſitionem hanc, Chriſtus eſt creatura, quidã exiſtimãt ſimpliciter veram, auctor verò aſſerit ſimpliciter eſſe falſam, fideiq; contrariam. 392
Propoſitio ſapiens hæreſim quę ſit. 391. b
Propoſitionum ſapores magis diſcernuntur viribus ſentiẽdi & guſtandi, quàm ſpeculandi. 393. a
Propoſitio malè ſonans quę ſit. 394. a
Prouerbia Salomonis vix explicari poſſunt, niſi habita ratione Hebraicæ conſuetudinis & ſermonis.

Q.

QVeſtio Theologica eſt duplex, altera, cuius cognitio eſt ad ſalutem neceſſaria, altera, cuius ignoratio ſine ſalutis iactura eſſe poteſt. 171. b
Quæſtio & concluſio eadem res eſt. 366. b
Quæſtio Theologica ſiue ad cõtemplationem ſiue ad mores attineat, alia eſt naturalis, alia ſupernaturalis, aliaq; media. 362. a
Quæſtio fidei bifariam intelligitur, vna quæ immediatè ad fidem attinet, altera, quę mediatè fidei eſt. 365. b
Quæſtio fidei interpretari poteſt, & ſecundum naturam ſuam, & quo ad nos.
Quæſtionis illius, vtrum beata virgo penitus à peccato originali fuerit libera, neutra pars ad catholicam fidem poteſt attinere.
Quæſtiones quatuor, quas Ariſtoteles infert de vnaquaque re, quo pacto terminari queant. 361. a
Quæſtiones cognitionis quadripartitæ ſunt. 362. a
Quæſtiones Theologicæ ſunt quædam, pro quarum veritate Theologo eſt in capitis diſcrimen veniendum, ſunt & aliæ, quæ ignorari & negari ſine fidei iactura poſſũt. 362. b
Quæſtiones naturales in duplici ſunt differentia, quædã ſolis naturæ argumentis probantur, aliæ fidei etiã auctoritate confirmantur. 451. b
Quæſtionum actionis duo ſunt genera. 362. a

R.

RAtio res omnes cõtinet, & nulla diſputatiõe excluditur. 270. b
Rationes naturales & humanas theologo non ſolùm vtiles, ſed neceſſarias eſſe oſtenditur. 259. b
Rationes naturales non ſunt arma Saulis, quæ pugilem magis grauant, quàm iuuãt, ſed potius gladius Goliat 264. a
Rationes naturę, quæ in vſum Theologiæ veniunt interdũ infirmæ, firmæ nonnunquã ſunt. 265. a
Rationes philoſophiæ qui reijcit, Dei veritati, qua illæ ſubſiſtunt, refragatur. 65. b
Rationibus naturalibꝰ exteri ad fidẽ adducuntur, fratres cõfirmantur, dociles inuitãtur, repugnãtes repellũtur. 263. a
Regulæ tres, ad quas fidei iudicia externa dirigenda ſunt. 387. b
Regulæ tres Annij quaſi indices, quibus hiſtorici cuiuſcunq; fides ac veritas exploretur. 321. a
Regulas iſtas Annij vanas eſſe oſtendit auctor. 322. a
Regulæ Annij in iudicio hiſtoriæ vtiles eſſe non poſſunt. 322. a. & b

Regularum Annij & ipsius Annij censura, quę. pag. 321. incepta est, finitur. 332. b
Regulę & leges multiplices sunt, quæ veraces historicos à fallacib. distinguere valēt. 332. b
Regula prima ex hominū probitate integritateq; sumitur. ibidem.
Regula secunda prefert historicos, qui ingenij seueritati quandā prudentiam adiunxerunt, & ad eligēdum & ad judicandum. 336. a
Regula tertia, cui historico auctoritatem ecclesia tribuit, hic dignus est, cui nos etiam auctoritatē adiungamus. 337. b
Religioni apud veteres quantus honos habitus. 415. b
Remissio iniquitatis duplex, vna perfecta, altera imperfecta. 423
Res à Deo creatæ impropriè dicuntur esse fallaces. 14
Respublica non potest continere nisi duabus rebus, nempè prēmio & pœna. 356. a

S.

Sacerdos laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis pro vna missa non potest. 436. b
Sacerdos siue pro paucis, siue pro pluribus celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo iure potest. 436. b
Sacerdotes illi à Deo vocati sūt, qui ab Apostolis & eorum successoribꝰ ritè vocati sunt. 420. a
Sacrificare quid. 407. a
Sacrificium est proprium opus religionis. 307. a
Sacrificium est species operis sacri & religiosi, atque adeò opus sacrum est, quasi genus sacrificij 307. a
In sacrificio hostiā oportet esse, quæ Deo immoletur.
Sacrificium esse non potest, vbi non est oblatio. 307. b
Sacrificium quiddam aliud prēter oblationem sibi vendicat. 408. a
Sacrificium & donum differūt, 408. a.
Sacrificij nomē dupliciter in sacra scriptura accipitur, & propriè, & translatè. 408. b.
Sacrificium si fuerit cruentum, mors erit cruenta: sin autem fuerit incruētum, mors quoque erit mystica & incruenta, id est, effectus mortis ceu nūc præsens adesset. 422. a
Sacrificiorum plura, quàm duo genera fuerunt in veteri testamento. 410. b
Sacrificij nomē interdū pro re, quæ Domino offertur, interdum verò pro actione ipsa sacrificandi solet accipi. 410. b
Sacrificium Eucharistiæ duobus modis à Catholicis asseritur. ibidem

Sacrificium verè & propriè est in lege noua. 410. b
Sacrificij altaris effectus, nec à bono ministro fit maior, nec à malo fit minor. 430. b
Sacrificium altaris per modum redemptionis & pretij prodest viuis, defunctis verò forsan per modum orationis & suffragij tantùm. 435. b
Sacrificium quo pacto dicatur delere crimina remittere eque peccata. 433. a
Sacrificium altaris per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum. 435. a
Sacrificium an contineat occisionem animalis quod offertur, & quomodo in eucharistiæ hostia mors interueniat. 421. b
Salomon in peccatis Christi typus nō fuit, sed in pace 14. a
Salmanasar & Senacherib eundē fuisse dixit Euse. manifestè contra sacram scripturam. 339. b
Salomonis sentēcias sparsas alij collegerunt. 49. a
Sancti oēs & Doctores Ecclesiæ si asseruerint aliquem librum esse canonicum, habendum est, perinde acsi tota ecclesia asseruisset. 28. a
Sanctorū testimonia referri possunt, vel ad philosophiæ dogmata, vel ad assertiones fidei comprobandas. 218. a.
Sanctorum disputatio est duplex 217. b.
Sanctorū auctoritas cū affertur, ad facultates quę naturali lumine cōtinētur, tantum pollet, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit.
Sanctorum vnius aut duorum auctoritas etiam in his, quæ ad doctrinam fidei pertinent, probabile argumentum subministrare potest, firmum nō potest. 218. b.
Sancti auctores etiam probatissimi non eodem gradu & loco sunt omnes. 221. a
Sanctorum plurium auctoritas reliquis licet paucioribus reclamantibus firma argumenta Theologo præstare non valet. 221. b
Sanctorum omnium auctoritas in his, quæ ad fidem non pertinent, probabilem facit fidē, certam non facit. 222.
Sanctorum omnium communis intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas. 434. & 724.
Sanctos doctores in eundem scripturæ sensum conuenientes qui cōtempserit, non hominem contemnit, sed Deū. 228. a
Sanctorum veterem concordē expositionem, qui reijcit, intelligentiam quam hactenus

ecclesia habuit, reijcere conuincitur. 230.a
Sancti ecclesiæ doctores non tam ipsi docēt, quàm in ipsis Deus. 230.b
Si à sanctis antiquis fideles sensum scripturæ falsam accepere, certè non receperunt Dei euangelium. 231.a
Sanctis doctoribus sacrarum literarum intelligentia si quibus, maximè, per spiritum data est. 231.b
Sanctis omnibus in scripturę sacrę interpretatione qui spiritū veritatis negat, hic eundē spiritum ecclesiæ tollit. ibidem.
Sancti simul omnes in fidei dogmate errare non possunt. 231. b. 370.b
Sanctorum patrum doctrina & ecclesiæ traditio ita sunt coniuncta, vt dissociari non possint. 233.a
Sanctorum patrū antiqua consensio non in omnibus diuinę legis quæstiunculis, sed in fidei regula nobis certò est sequenda. 234.a
Sanguis Christi in singulis sacramentis peculiarem effectum operatur iuxta cuiusq; peculiarem & significationē & naturam. 434.b
Sanguis Christi in speciebus panis & vini per se remissionem pœnę & culparum veniam tribuit, interdum tamē quamuis per accidēs tribuit etiā mortaliū, non quia offertur, sed quia sumitur. 435. a
Sanguis Christi ex significatione specierum panis & vini, tanquam ex causa instrumentali & adiutrice definitur, vt eam remissionem efficiat, cuius participes sunt ij, qui non indignè ad altare domini accedunt. ibid.
Sanguis Christi si tam propriè noster esset, quàm suus cuiusque proprius est, sine dubio Christi sanguine oblato tota pœna quāuis infinita solueretur. 473.a
Sanguis Christi noster est, eo modo, quo lux solis nostra est, nempè vt causa vniuersalis. 420.b
Scientia pietatis est nosse legem, intelligere prophetas, euangelio credere, Apostolos non ignorare. 270.a
Scripturæ sacræ firmitas corruet, si per administros falli à Deo possumus. 21.a
Scriptura minutos numeros prę terire aliquando solet. 318.a
Scripturæ sacræ vis & energia in aliquibus locis non satis per negationē explicatur. 19.a
Scriptura est iudex mortuus, qui nec litigantium vtrinque rationes audire, nec sententiam eloqui valet. 24.a
Scripturæ vsus est perinde populum reprehendere ac si omnes mali essent, atq; ita cōsolari vt si omnes essent boni. 133.b. 134.a. 142.b. 143.a & 178. b
Scripturæ sacræ expositio legitima per traditionem maiorū accipienda est. 227. & seq.
Scriptura in pluribus locis hebraicū verbum cum interpretatione sua ponit. 51.b. 52.a
Scripturæ præcepta quædam tēporaria, quædam verò æterna sunt. 82.b
Sedes apostolica & insidens ei in fide iudicio atq; decreto ꝓ eodem reputantur. 204.b
Synagoga post tempora etiam Moysis habuit semper vnum summum Pontificem, è cuius iudicio priuati omnes ciues ac iudices etiam minores pēderent. 193.b
Spiritum sanctū à filio procedere conc. Ephesinū ex illo scripturæ loco, de meo accipiet, & ex illo, quem ego mittam vobis, &c. accepit. 368.b
Speculum exemplorum & aurea legenda taxantur. 337. a
Stellam apparuisse Magis ante Christi natiuitatem Chrysostomo & Aug. placet. 279.b

T

TErtulliani opuscula apocrypha per Gelasium. 341.b
Testamentum minus solenne an sit validum secundū sententiam Alexandri tertij, ca. cùm esses, de testa. 226.a.b
Testamentum apud Latinos interdum pactum & promissionem significat. 53.a
Testimonia ex vetustate desumpta potentiora sunt ad probandum.
Theologia ratio est sermoque de Deo. 343.b
Theologia scientiæ appellationē propriè sibi vēdicat. 343.b 348.a
Theologia circa res etiam contingētes versatur sine sui nominis iactura. ibidem.
Theologia duplex, altera naturalis, altera supernaturalis. 344. b
Theologia euidens & clara esse potest. 352.b
Theologia nullo modo inutilia colligit, quin super Dei fundamētum aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat. 366.b
Theologica conclusio seu quæstio ea propriè est, quæ ex theologiæ principijs vt effecta è causis suis oritur. 366. b
Theologiæ tractatio bipartita est. 344.a
Theologiæ finis primarius est diuinæ naturę contemplatio, postremus autem earum rerum actio, quæ ad benè beateque viuēdum sunt necessariæ. 346.b
Theologiæ consequentiæ firmę & cui-

& euidentes sunt. 348.a
Theologiæ ratio formalis duplex & bipartita. 352.a
Theologiæ ratio formalis est esse reuelatum à Deo, lumenue diuinitus infusum. 352.b
Theologiæ principia per fidem intelligi asserunt ferè theologi, quia de viatorū theologia disputant. 352.b
Theologiæ nostræ formalis ratio eadem ac fidei est. 353.a
Theologiæ principia ea sunt habenda, quæ per sacros auctores ecclesię diuinitùs sunt reuelata. 354.a
Theologiæ vera & germana principia in libris sacris atq; in Apostolorum traditionibus continentur. 202.b
Theologiæ primaria principia sunt articuli fidei, cætera omnia quæ in sacris literis vel in traditionib. assumūtur, sunt veluti secundaria. 354.a
Theologiæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt, demonstrare necessariè non possunt. 358.a.b
Theologię effecta cum in dubium vocantur, quæstiones sunt, cùm ratione coguntur, conclusiones. 366.a
Theologiæ principia vel dispositа inter se & ordinata sunt, vel cōnexa & colligata. 361.a
Theologiæ scholasticæ propriū munus, quod sit. 236.b
Theologiæ veræ tres fines, scilicet scientia Dei, cælestium rerum cognitio, humanarum prudentia & vsus. 231.a
Theologiam scholasticam explodunt & exsibilant hæretici iuniores. 231.a
Theologiam non esse speculatricem sed effectricem aliqui nituntur persuadere 344.b
Theologus materiam à priscis auctoribus, formam à iunioribus mutari debet. in proemio 1. lib.
Theologus præter communem artem disserendi quam dialectici tradūt, aliam habeat necesse est. in proemio lib. 1.
Theologus scholasticus est, qui de rebus diuinis prudenter, doctè è literis institutisq; diuinis ratiocinatur. 236.b
Theologo necessaria est & auctoritas & ratio. in proemio.
Theologi qua de causa nullum principium in Theologia reliquerunt, quod in quæstionem non verterint. 361.b
Theologi differentis primum officium quod sit. 363.b
Theologi vniuersi in theologiæ certis constantibusq; decretis definiēdis errare non possunt. 371.b
Theologi quidam indignè nominantur. 327.a
Theologi sunt quidam in discordiam nati. 236.a
Theologorum scholasticorum testimonio si alij viri docti contra pugnāti, nō plus valet quàm ratio eorum, vel auctoritas comprobat. 239.a
Theologorum communi omnium sententiæ refragari, temerarium est. 239.b
Theologorum omnium cōcordem sententiam de fide aut moribus contradicere, si hæresis non est, proximum est hæresi. 239.b.240.a
Theologus qui pontificum canones ignorat, multa desunt ad vsus Theologiæ necessaria. 251.a
Theologos omnes in vna re cōcordare fieri non potest, nisi diuino spiritu promoueantur. 241.a
Traditio ad hęreticos confutandos maiorem vim, quàm scriptura habet. 98.a
Traditionum Apostolicarum alteras Apostoli à Christo Domino acceperunt, alteras verò apostoli ipsi spiritu sancto suggerente ad ecclesiæ vtilitatem ediderunt. 102.b
Traditiones Apostolicæ impugnantur ab hæreticis. 103.90.b. & seq.
Ad traditiones Christi & apostolorum inuestigādas viæ quatuor sternuntur. 100.a vsque 103.b
Traditionum Apostolicarū certitudo ac firmitas multis magnisque rationibus atque auctoritatibus & explicantur & muniuntur 103.a & seq.
Traditiones sunt diuina verba, non aliter ac illa quæ sacris libris scripta sunt. 108.a
Traditiones non sunt diuinarū scripturarum additamenta, sed complemēta sunt potius, & earum quasi commentaria. 208.a
Transmigrationis septuaginta anni quomodo computandi sint, an in primum annū Cyri, an verò in secūdum Darij fusissimè disputatur. 30.b
Transmigrationis septuaginta annorum initium à desolatione sumēdum est, non à transmigratione. 203.a
Turris Dauid, id est, sacræ scripturæ auctoritas, arietibus quatuor concuti solet. 9.a

V

VAsa argentea & aurea ac supellex Aegyptiorum quid significent. 237.b
Verbum imperandi non semper aut præceptum aut conciliū secum, sed aliquando etiam permissionem fert. 15.a
Verbum, iudico, frequenter in ea significatione accipitur, vt idem sit, quod sentio seu opinor. 250.b
Veritas purissima non est, cui quoquomodo est vel falsitas vel fallacia permixta. 13.a
Veritas quædā est, quæ non habet pietatem. 170.a

Veritas scripturæ semper fuit connexa cum rectitudine fidei.59.b
Veritas scripturę verè & propriè in intellectu est, in scriptura autē impropriè tanquam in signo.368.a
Veritates quædā catholicæ ita ad fidem pertinēt, vt his sublatis fides quoque ipsa tollatur.391.a
Veritates quędā catholicę sunt quibus euersis fides quatitur sed non euertitur. ibidem.
Vincentius Valuacen. & D. Antoni.nō tam vera,quàm multa scripserunt.337.b
Viri Apostolici & spirituales omnia discernunt quę ad salutem sunt necessaria 36.b
Viri prudentes nolunt cognitionem de Deo vacantem & ociosam esse. 346.a
Vnctio interior sapientibus ecclesiæ Magistris sufficit ad ea, quæ fidei aduersantur refutanda,at ignorantibus opus est externa doctrina. 29.a
Vnctio non docet quemcunque de omnibus, sed quemque de ijs, quæ sunt sibi propria & necessaria. 29.b
Volente aliquo ea fieri dicūtur, quæ illo non inuito fiūt.19.b
In voce ambigua non licet vnumquodlibet significatum accipere. 131.b
Vtrum concilium per legatos summi Pontificis celebratū firmam habeat auctoritatem 159.b
Vtrū summus pōtifex teneatur in ferenda sententia maiorē partem iudicū sequi.163.b
Vtrum concilia in moribus errare possint. 171. a
Vtrum sit hæreticū asserere vel aliquam ecclesiæ consuetudinem esse malam, vel aliquam ipsius legem iniustam. 174.a
Vtrum Anima Christi statim ab initio suę creationis Deū clarè viderit.439. a
Vtrum animus hominis sit immortalis. 451.b
Vulgata dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus vsurpantur. 301. a
Vulgi falsæ opiniones in duplici sunt differentia.300.b
Vulgi sermones non solent homines seueri aucupari, quam uis grauissimi viri in scribendo id fecerint. 336.b

Indicis finis.

AVTHORITATES SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC OPERE inseruntur, & explicantur.

Genesis. 2.

INspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.368.a
16 Illa concepisse se videns, despexit dominam suam, &c. 261. a
18 Descendam & videbo vtrum clamorem opere compleuerint.447.b
19 Ne respicias post tergum.72.b
22 Expectate hic, ego & puer postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.13.a
26 Isaac discedens vt veniret ad torrentem Gerare, habitaretque ibi, rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, &c. foderuntque in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorū Gerare aduersus pastores Isaac dicentium, nostra est aqua, &c. fodit alium, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius latitudo 65.a
24 Per salutem Pharaonis explo ratores estis.20.a
27 Ego sum primogenitus tuus Esau, &c. 14.a

Exodi.

31 Vocaui ex nomine Beseleel & implcuit eum sapientia 265 b
12 Fecerunt filij Irael, sicut præceperat Dominus Moysi,& petierunt ab Aegyptijs vasa argentea & aurea.15.a

Leuitici.

4 Orabit pro eo & pro peccato eius,& dimittetur ei.433.a

Numer.

22 Si vocare te venerint homines isti, surge & vade cum eis.15.a
23 Non est Deus vt homo vt mentiatur, nec, vt filius hominis vt mutetur 12.b

Deutero.

17 Si difficile & ambiguū apud te iudicium esse prospexeris, venies ad sacerdotes Leuiti generis, &c.151.a. 192.b
17 Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, &c. ex decreto iudicis morietur.163.a
18 Qui verba Prophetę,qui loquetur nomine meo noluerit audire,ego vltor existam, &c.

&c. quòd si in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus.34.b

Primi Regum.

13 Filius vnius anni erat Saul cū regnare cœpisset.312.a

Secundi Regum.

16 Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid.19.a

Tertij Regum.

6 Factum est ergo quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, &c.:14.a

8 Non est homo qui non peccet.120.a

22 Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.15.a

Quarti Regum.

11 Atalia verò mater Ochoziæ vidēs mortuum filium suum, occidit omne semen regium. 324.b

Primi Paralipome.

11 Proficiebat Dauid vadens & crescens.

Secundi Paralipomenon.

31 Bellum verò non fuit vsque ad tricesimum quintum annum regni Asa.311.b

17 Creuit Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime. 874

Iob.

12 Qui immutat cor principum, & decipit eos, & errare eos facit quasi ebrios.16.a

35 Qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cæli, erudit nos.276.b

Psalm.

11 Saluum me fac, quoniā defecit sanctus.134.a

15 Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, &c.448.b.

21 Spes mea ab vberibus matris meæ.446.a

31 Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.423.a

41 Beatum faciet eum in terra. 441.b

44 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus.448.a

47 Circundate Sion & complectimini eam, &c. quoniam hic est Deus Deus noster, ipse reget nos in secula.123.b

49 Immola Deo sacrificiū laudis.408.b

50 Sacrificiū Deo spiritus contribulatus. 408.b

52 Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, &c. 247.b

73 Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. 139.a

88 Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semē tuum.123.b

93 Qui docet hominem scientiam.436.b

118 Erraui sicut ouis, quæ perijt.137.b

144 Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.12.b

Prouerbiorum.

5 Ne intenderis fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, &c.269.a

7 Mulier garrula & vaga quietis impatiens, &c. ibidem.

Ecclesiastes.

1 Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.261.b

7 Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet.120.a

12 Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.228.b

12 Donec reuertatur puluis in terram vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. 892

12 Deum time & mandata eius serua, hoc est enim omnis homo.268.b

Canticorum.

2 Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.138.a

3 Tenui eum nec dimittā. 123.a

Sapientiæ.

13 Vani enim sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, &c.265.b

2 Nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerūt iustitiæ, &c. quoniam Deus creauit hominem inexterminābilem, & ad imaginē similitudinis suæ fecit illum. 898. 458.b.

9 Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.268.a

Ecclesiastici.

8 Non te prætereat narratio seniorum.227.a

15 Non dicas ille me implanauit.14.b

17 A consiliario seruā animam tuam, ne fortè mittat sudem in terra, & dicat tibi, bona est via tua.72.b

Elaiæ.

11 Erit fides cinctorium renum eius.

22 Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te, &c.178.a

38 Proiecisti post tergum tuū omnia peccata mea.423.a

38 Cras morieris & non viues. 14.b

50 Dedit illis linguam eruditam, vt sciant sustentare eū, qui cassus est verbo, aperuit illis quoque aurem 359.a.b

53 Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.448.b

54 In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redēptor tuus Dominus, &c. vsque, & fœdus pacis meæ non mouebitur. 177.b

59 Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent, &c. 123.b.12.b

62 Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. 448
63 Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis?

Hieremiæ.

2 Omnes dereliquisti me dicit Dominus.
3 Conuertimini filij reuertētes, & sanabo auersiones vestras. 138.b
3 Dabo vobis pastores, qui pascant vos scientia & doctrina. 151.b
4 Ablue à malitia cor tuum.
20 Seduxisti me Domine & seductus sum. 18.b
25 Seruientes gētes istæ regi Babylōis septuaginta annis, cūque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis. 302.a
31 Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum. 440.b
32 Feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. 177.b
32 Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor, &c. 312.a.b

Ezechielis.

3 Domus Israel noluit audire te, quia noluit audire me. 134.a
14 Homo qui posuerit immunditias in corde suo, & venerit ad Prophetam interrogans, per eum me, &c. Ego Dominus decepi Prophetā illum sanguinē tuum ex te & vnxi te oleo, &c. 140.a
34 Suscitabo super ea pastorē vnum qui pascat ea, ipse erit eis in pastorem. 228. b
37 Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. 177.b

Daniel.

9 In dimido hebdomadis deficiet hostia & sacrificiū. 136.b
12 Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificiū, & posita fuerit abominatio.

Oseæ.

2 Desponsabo te mihi in fide, &c. sponsabo te mihi in sempiternum. 123.a
14 Reddemus vitulos labiorū nostrorum. 401.a

Amos.

6 Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in mōte Samariæ optimates capita populorum. 145.a

Ionæ

3 Adhuc quadraginta dies & Niniue subuerteretur. 318.a

Micheæ.

2 Vtinam vir essem non habēs spiritum, & mendacium potiùs loquerer.

Abachuc.

2 Iustus ex fide sua viuit. 428

Aggæi.

2 Interroga sacerdotes legem. 151. a

Ma-

Malachiæ.

1 Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, à solis enim ortu, &c. & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. 410.b. 411.a
2 Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirēt ex ore eius. 151.a

Primi Machabæorum.

7 Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. 336.a

Matthæi.

2 Ecce Magi ab oriente venerunt. 296.b
2 Tunc Herodes videns, quoniā illusus esset à Magis, mittens occidit omnes pueros, &c. 297.a
5 Vos estis lux mundi. 120.b
6 Dimitte nobis debita nostra. 119.b
10 Quæ in aure auditis, prædicate super tecta. 110.b
10 Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. 80.b
10 Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam aūt nō possunt occidere.
12 Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui. 294.a
15 Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionē vestrā. 155.b. 156.a
16 Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, &c. 151.b. & 209.b
16 Cauete à fermento phariseorum. 159. a.b
16 Tibi dabo claues regni cælorum. 172.b
16 Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduersus eam 123.b. 177.b. 194.b
16 Beatus es Simon Bar iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. 190.a
18 Si duo ex vobis consenserint super terrā de omni re, quācunq; petierint, fiet illis à patre meo. 149.a. 179.a
18 Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, &c. 210.a
22 Simile factum est regnū cælorum homini regi, &c. 121.a
22 Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium. 459.b
23 Væ vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumēta iustorum. 241 b
23 Super cathedram Moysi sederūt scribæ & pharisæi, &c. 155.b 176.b
25 Simile est regnum cælorum decem virginibus, &c. 121.a
25 Omni habenti dabitur & abundabit, ei aūt, qui non habet, &

bet,& quod habet auferetur ab eo.72.b
26 Tristis est anima mea. 432.b
28 Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. 123.a. 124.b.177.b

Marci.

1 Initium Euãgelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Esaia propheta.83.a.b
13 De die autem illa nemo scit nec filius.
13 Quod vobis dico, omnibus dico,vigilate.209.b
15 Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum. 84.a.b
16 Petrus autem cucurrit ad monumentum.212.b
16 Prædicate Euangelium omni creaturæ.145.b

Lucæ.

1 Regnabit in domo Iacob in æternum 123 b.177.b
2 Iesus proficiebat sapientia, ętate & gratia apud Deum & homines.446.a
3 Qui fuit Sale, qui fuit Cainã, qui fuit Arphaxat.86.b
7 Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, &c. 424.a
10 Qui vos audit, me audit. 155.b
12 Neminẽ salutaueritis in via. 72.b
21 Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.12.a.b
22 Accepto pane gratias egit, &c. hoc est corpus meum, &c. vsque nouum testamentum.412.a.418.a
22 Hoc facite in meam commemorationem. 209.b. 368.b
22 Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. 164.a 166.a.167.a
24 Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. 70.a 368.a

Ioannis.

1 Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. 121.a
1 Verbum caro factum est, &c. 441. b
1 Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre. 440.a
1 Illum oportet crescere, me autem minui. 446.a
1 Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris ipse enarrauit.443.b
2 Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.298.a.b
3 Quod vidit & audiuit hoc testatur.443.b
5 Pater omnia demõstrat filio, quæ ipse facit,&c.447.a
5 Ego non ab homine testimonium accipio.29.a
7 Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit. 30.a
10 Oues meæ vocem meam audiunt,

diunt,alienum autem non sequuntur.30.b
11 Cùm esset pontifex anni illius prophetauit.177. a
14 Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. 172.b
14 Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat,&c.24.b
15 Vos autem dixi amicos,quia omnia, quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. 168.b
16 Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 124.a 172.a
17 Sanctifica eos in veritate,&c. 124.b
17 Volo pater, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, & cætera. 443.b
18 Ego in occulto locutus sum nihil.110.a
19 Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper.15.a
20 Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum,&c. 209.b.214.b
21 Pasce oues meas. 172.a. 190.a
21 Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, & scimus, quia verum est testimonium eius.25.a

Actu.

3 Cæcis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu.208. a
6 Verbum Dei crescebat.
7 Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinq;.87.b. 88.a.b
7 Positi sunt in sepulchro, quẽ emit Abraham pretio argenti à filijs Emor filij Sichem. 83.b.89.a
15 Conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc. 151.b
15 Viri fratres vos scitis quoniã ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere.192.a
15 Visum est spiritui sancto & nobis.156.b.163.b.
20 Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.151.b

Romanorum.

1 Quod notum est Dei manifestum est in illis.
1 Tradidit illos Deus in reprobum sensum.18.a
2 Non enim, qui in manifesto Iudæus est, neque quę in manifesto in carne est circumcisio, &c.152.b
3 Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. 438.a
3 Propter remissionem præcedentium

dentium delictorum.
5 Habemus accessum ad Deum per fidem.
7 Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.424.a
15 Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. 152.a
12 Non plus sapere, quàm oportet sapere, &c.227.a
12 Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam.408.b
14 Infirmum in fide assumite. 120.a
121. a

1. Corinth.

1 Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi vocatis sanctis.116.b
1 Perdam sapientiam sapientum.269.b
1 Obsecro vos, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.156.a
1 Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem. 176.b
3 Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, nõ escam.120.a
4 Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, &c.122.b
5 An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi.
7 Præcipio non ego, sed Dominus, cæteris ego dico, non Dominus.81.a
10 Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram. 178.a
11 Si quis videtur contentiosus esse, nos tamen talem consuetudinem non habeamus, neque ecclesia Dei.103.b
12 In vno spiritu omnes nos, in vnum corpus baptizati sumus.121.b
12 Non potest caput dicere pedibus, nõ estis mihi necessarij 259.b
13 Cum venerit, quod perfectũ est, euacuabitur, quod ex parte est. 439.b
14 Non est dissensionis Deus, sed pacis.156.a
14 Prophetæ duo aut tres dicant, & cęteri dijudicent, &c. 227.b
15 Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.69.b
15 Alia claritas solis, alia claritas lunæ, &c.221.a

2. Corinth.

1 Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo, est & non, sed est in illo est.145.b
4 Id, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.369.b
5 Scimus enim, quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem, &c.369.b.370.a
11 In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.81.b

Ephesio.

2 Eratis illo in tempore alienati à conuersatiõe Israel & hospites testamentorum.121.a
4 Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c.120.a.228. a. b
4 Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.125.a
4 Vnum corpus & vnius spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, &c.143.b
5 Eratis aliquãdo tenebræ, &c 121.a

Philippen.

4 Repletus sum exceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis hostiam placentem Deo.410.a

Colossen.

1 In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, pacificans, &c.442.a
2 In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.442.a

2. Thessalon.

2 Ideò mittet illis Deus operationem erroris. 16.17.& 18

1. Timot.

4 Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyteri.
6 Non acquieuit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, &c.385.b
6 O Timothee deuita prophanas vocum nouitates.76.a
6 O Timothee depositum custodi, &c.116.a

2. Timo.

1 Resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.420.a
2 Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum, &c.118.b.119.a
2 Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, &c. 429.a
3 Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, &c.139.b

Hebræo.

2 Nusquam enim angelos apprænhendit.369.a
2 Decebat enim propter quẽ omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. 448.b
3 Pro hominibus constituitur vt offerat sacrificia pro peccatis.119.b
5 Omnis pontifex constituitur, vt offerat dona & sacrificia.408.a
9 Nec vt sæpè offerat semetipsum quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos, &c. vsque per hostiã suã apparuit. 416.a.b
9 In redemptionẽ earum præ-

uaricationem, quæ erant sub priori testamento. 423.a

10 Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c. vsque semel mundati: & infrà, omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, &c. vsq; in æternũ sanctificatos. 423.b

10 Voluntariè peccãtibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam nulla relinquitur pro peccatis hostia. 424.a

13 Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hostijs promeretur Deꝰ, 408.b

13 Per ipsum offeramus hostiam laudis, &c. id est fructum labiorum confitentium nomini eius. 408.b

Iacobi.

1 Deus neminẽ tentat. 15.b. 16.a

1 Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. 410.a

3 In multis enim offendimus omnes. 119.b

1. Petri.

1 Animas vestras castificantes. 249.a

2 Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei. 121.a

3. Petri.

1 Non indoctas fabulas sequuti notam facimus Domini nostri virtutem & præsentiam, &c. 440.a

1 Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, &c. 70.a

1. Ioannis.

1 Deus lux est, tenebræ in eo vllæ non sunt. 141.a

1 Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. 119.b

2 In hoc scimus quoniam cognouimus Deum, si mandata eius obseruamus. 141.a

2 Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. 29.a.b

3 Omnis qui peccat non cognouit Deum, & omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. 141.b

3 Qui facit iustitiam, iustus est, qui facit peccatum ex diabolo, &c. 142.a

5 Si testimoniũ hominum accipitis, testimoniũ Dei maius est.

Apocalypsis.

5 Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem & sapientiam. 449.a

Finis authoritatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

11-3-9

Universidad de Deusto
Biblioteca